THIS BOOK BELONGS TO
ST. MARY'S COLLEGE,
OSCOTT, BIRMINGHAM.

Press	Shelf	Number
~~LXXII~~	~~B~~	~~70~~

O-14

35. C. 14.

ILLUSTRISSIMI VIRI

EZECHIELIS SPANHEMII

DISSERTATIONUM

DE

PRÆSTANTIA

ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM

VOLUMEN ALTERUM,

In quod relatum est, quidquid pertinet ad illustrationem

RERUM ROMANARUM.

OPUS POSTHUMUM,

Ex Auctoris Autographo editum, ac Numismatum Iconibus illustratum

ab

ISAACO VERBURGIO.

AMSTELÆDAMI,

Apud RODOLPH. & GERHARD. WETSTENIOS H. FF.

MDCCXVII.

Fountin p. R. et G. Wetstenii excudere. E. Gunst.

SERENISSIMO PRINCIPI

GEORGIO AUGUSTO,

PRINCIPI WALLIÆ,
HÆREDI
ELECTORATUS BRUNSVICO-LUNEBURGENSIS,
DUCI ET MARCHIONI CANTABRIGIÆ,
COMITI
CESTRIÆ, MILFORDHAVEN ET CAREK,
VICE-COMITI NORT-ALLERTONIÆ,
BARONI
DE TEWKESBURY ET DE RENFREW,
DOMINO INSULARUM AC SENESCALLO SCOTIÆ,
&c. &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

Nter ea ſtudia, quæ iam ab aliquo tempore cura ſummorum virorum digna fuerunt iudicata, non poſtremum locum obtinet diligens Numismatum Veterum contemplatio, quæ ſimul & magnam adfert voluptatem & ſummam utilitatem. Qua re etiam factum eſt, ut viri principes non exiguum eorum numerum magnis ſumptibus undique collegerint, & adhuc reperiantur inter eos, quibus, cum per maiora negotia licet, volupe eſt & intueri & tractare iſta Monumenta, plerumque coæva ipſis Principibus, quos exhibent, & quæ præterea Heroicæ illorum Virtutis aliquo teſtimonio ſunt inſignita. Tu ſane, qui optime ſuum rebus pretium noſti ſtatuere, haud illibenter ad iſtarum rerum ſtudium Te a ſummo faſtigio demittere dignaberis, & innocuam, ſed utilem, voluptatem quæres, ex adſpectu tot Imperatorum & aliorum ſummi Faſtigii participum, quot in iſtis venerandæ Antiquitatis Monumentis ſunt reliqui. Nempe cum Deus Opt. Max. Te in hæc tempora ſeruauerit, nullo modo, nullo artificio poſſint Tibi, cupido videndi veras effigies Romanorum Cæſarum, quorum res geſtæ a præſtantiſſimis ac eiusdem ætatis auctoribus memoriæ mandatæ ac Tibi lectæ ſunt, eædem exhiberi nec oſtendi, absque iſtis Monumentis eſſet, quorum beneficio nunc veriſſimas eorum imagines intueri licet. Sunt enim illa procurata ac excuſa ipſorum Cæſarum juſſu, aut certe in oculis

to-

totius Urbis, quæ Maieſtatem eorum coram venerabatur.

Hoc ſtudium, hæc voluptas, plura contemplantem docet, Celſiſſime Princeps, quam primo adſpectu quis credat. Namque illic quam plurima ſunt expreſſa, quæ, licet non niſi magno labore & ſingulari induſtria inde eruantur, arguunt nusquam clarius, nusquam certius Monumentum exſtare magnitudinis veterum illorum Romanorum, quibus nihil fuit aut gratius aut magis curæ poſt res feliciter geſtas, quam Numismatibus huius generis apud poſteros teſtatum facere, quibus Belli Imperiis aut in urbe Dignitatibus profuerint Patriæ ſuæ. Ex iſtis tam Illuſtrium rerum Monumentis ſuo quæque loco & ordine, in hoc, quod Nomini Tuo conſecramus, Opere, reperiuntur poſita, & tanquam in aliquo Templo rite dedicata ac ſuſpenſa, quæcunque Urbs Æterna tunc ſua magnitudine digna iudicauit, cum audiret Rerum Domina.

Præclarum hoc ſane eſt, & quod Tuo poſſit Faſtigio non indignum videri, niſi maius quid & dignius, ac quod propius accedit ad Dignitatem Tuam, in hoc ipſo Volumine reperiretur. Illic enim non ſolum paſſim oculis ſeſe offerunt Auguſtorum effigies, quod non eſſet magnopere mirandum hoc tempore, quo diligens virorum doctorum induſtria adeo non defuit huic Numismatum ſtudio, ut etiam multa egregia in eo genere præſtiterit, & ſerie continua protulerit in lucem capita Romani Orbis Imperatorum Auro, Argento, Ære ſignata; ſed in hac penu præſertim ſuis locis exhibentur eorum Coniuges, Liberi, Affines, & omnis denique Domus Auguſta, quatenus ea ſingula reperiuntur in Nummis rariſſimis. Sunt præterea illic ex iſtiusmodi Monumentis illuſtrata eorum Cæſarum Acta & Opera magnifica tam Belli quam Pacis, quæ meruerunt duraturis metallis ad poſteros transmitti.

Congiaria ſiue Liberalitates uniuerſo Populo Romano data inter illa Acta merito videbis recenſita ac illuſtrata; ut taceamus magnis oneribus per eas Liberalitates liberatam & Urbem &

Orbem. Quam ingens, quam vix credibilis fuit Hadriani Cæsaris Liberalitas in Reliquis Veteribus abolendis & syngraphis comburendis! Illam videbis, Sereniſſime Princeps, in hoc Volumine expreſſam & illuſtratam, atque non ſine inſigni voluptate percipies, quantam & quam veram laudem ea res illi conciliaverit, quum vel inde poſſis coniicere quantam laudem grata poſteritas ſimiliter rependet Auguſtiſſimo Tuo Parenti, qui Hanoverâ in regnum auitum abiens ſubditos ſuos magno & grauî tributorum onere liberauit.

Tam diffuſæ atque adeo abſtruſæ eruditionis Commentationem, quæ maturi ingenii poſtulat ſagacitatem, nemo præter EZECHIELEM SPANHEMIUM, longo ſatis tempore Oratoris publici munere, nomine Boruſſorum Regis, in Aula Britannica functum, & præterea aliis legationibus non minus prouide ſuſceptis quam prudenter actis clarum, auſus fuiſſet aggredi, nedum abſoluere potuiſſet. Scilicet in illum unum videbantur Natura & diligens exercitatio contuliſſe quidquid erat neceſſarium ad implendum ſuſcepti Operis menſuram, ſicut illi uni viciſſim hæc noſtra debet ætas, quod habuerit doctiſſimum ac ſimul ad ſumma negotia natum virum, quem poſſit ſuperioris ſæculi clariſſimis Viris opponere.

Locum inter eius ſcripta principem tenent Diſſertationes DE PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM, quarum alterum Volumen Tuo iure Tibi ſacrum facimus. Nec temere eſt Princeps Illuſtriſſime, quod dicimus Opus illud Tuo iure Tibi deberi. Cum enim tota hæc Commentatio ſit diuiſa in duas partes, quarum prior eſt ab ipſo Auctore dicata Affini Tuo Auguſtiſſimo FRIDERICO GUILIELMO nunc Boruſſiæ Regi inuicto, tunc temporis Regni Boruſſici Hæredi, poſterior hæc, quæ poſt Auctoris fatum non infeliciter in lucem producitur, nemini niſi Tibi uni debetur. Nempe, ſi vetus conſuetudo eſt laudanda, quemadmodum ſane eſt, qua optimarum rerum pars præcipua debebatur Domui Auguſtæ, atque hoc opus

Lon-

Londini, ſi non natum, at ſaltem perpolitum ſit, nemo dubitabit, quin Tibi, tanquam Imperantis Domus, atque adeo totius Britanniæ, unico fulcro, illud ſit conſecrandum.

Ad nos quod attinet, Illuſtriſſime Princeps, licet non vivamus ſub clementiſſimo Imperio Auguſtiſſimi Regis GEORGII Parentis Tui, viuimus tamen in admodum vicina & amiciſſima Auguſtæ Tuæ Domui Republica, cui ſub auſpiciis beneuolentiſſimi Parentis Tui a veſtris Britannis vel maxime fauetur, quod & nobis Batauis eſt perquam glorioſum, Britannis non turpe, atque utrisque utile. Quum enim ſemper Belgii Fœderati Proceres fuerint ea ſententia, Regum Britanniæ amicitiam expetendam eſſe ſibi, tum ſummi atque ſingularis prorſus muneris inſtar habet, quod illis hoc tempore licet eſſe amicos & ſocios Auguſtæ Domus Tuæ, quæ, ſecundum memorabile Parentis Tui dictum, ſolet AMICIS FAVERE, HOSTES NON METUERE, ATQUE UTRISQUE JUSTITIAM FACERE. Illud enim eſt dictum, quod non tam mirabitur poſteritas, quam eundem illum GEORGIUM nunquam aliter feciſſe ac dixiſſet; ac Te præterea, Celſiſſime Princeps, ita in his rebus premere optimi Parentis præclara veſtigia, ut non tam illud videare debere præceptis quam innatæ cuidam virtuti, quam ignorant qui aliter loquuntur aliter agunt.

Hisce omnibus accedit, Clementiſſime Princeps, amor Tuus in literas, quem norunt & teſtantur omnes qui Te norunt, & qui vel fando audiuerunt quanta cura ac ſollicitudine, quæ cumprimis Parentem decet, filium tuum FRIDERICUM, hactenus unicum, Cornwalliæ Principem erudiendum curas; quemadmodum Filiæ Tuæ ſub ipſis Sereniſſimæ & Optimæ matris oculis non alias nec vident nec docentur artes, quam quæ decent & Illam & Te, id eſt longe optimas & utiliſſimas. Ita in ſumma fortuna curas, ut Liberi Tui debeant plus curæ Tuæ quam naſcendi ſorti, quæ quidem voluit eos eſſe Tuos, id eſt in regni ſpem natos, Tu autem id agis, ut illi ſint digni eo loco, quem ſors iſta iis deſignauit.

Eo

D E D I C A T I O.

Eo ſane nomine, Sereniſſime Princeps, uniuerſum Britanniæ regnum eſt reuera felix, quòd felicitatem ſuam non ſolum renatam ac confirmatam ſub regimine Auguſtiſſimi Parentis Tui videat, ſed quod in Te & Liberis Tuis certam ſibi ac propriam felicitatem intueatur. Felices eodem nomine & noſtri Batavi ſunt, quibus, religionis atque amicitiæ arctiſſimis vinculis iunctis Britannis Tuis, licet & ſibi ipſis & illis gratulari de ſua non tantum incolumitate ſed ſumma felicitate, quam utrisque Auguſtiſſimus Tuus Parens procurauit.

Quod ſupereſt, Illuſtriſſime Princeps, ne, ſi longiore ſermone Tua tempora moraremur, videremur peccare in Commoda Britannorum a Rege prudentiſſimo curæ Tuæ, dum ipſe abeſt, commiſſorum, Deum O. M. rogamus atque veneramur, ut Auguſtiſſimam tuam Domum in Britanniæ regno velit perpetuare, ac ut læti Nepotes ciuium Tuorum fateantur, nec ſibi nec Maioribus ſuis unquam quidquam optatius potuiſſe obtingere, quam quod illi poſteritatem Britanniæ regis JACOBI PRIMI feliciſſimis auſpiciis euocauerint ad regnum, Religioni, Sanguini, ac Virtuti eorum debitum.

Sereniſſimo Nomini Tuo

Addictiſſimi

R. & G. WETSTENII.

PRÆ-

PRAEFATIO
ISAACI VERBURGII
AD
LECTOREM.

QUi in aliorum Operibus edendis ſummam ponunt diligentiam, vix tamen poſſunt effugere notam negligentiæ, quum fere, ſi quid in ipſo Opere peccatum ſit, eorum id adſcribatur aut ignauiæ aut inſcitiæ. Idem ſane mihi quoque euenturum licet iam ab initio præuiderim, non tamen id me retinuit, quo minus meo qualicunque labore ac induſtria Volumen hoc Operis Spanhemiani prodiret in lucem. Adducebant me & celebritas Operis iam diu ante noti & eruditorum calculis probati, argumentum a meis ſtudiis non valde alienum, & denique amor meus in literas, atque impetus ad promouendum, quantum in me eſt, humanitatis ſtudia. Ad laudem ex eo labore accipiendam, aut ad maleuolorum hominum mordaces linguas quod attinet, ſcias me minime eſſe ſollicitum, neque unquam cogitauiſſe quid boni bonorum approbatio mihi ſit allatura, aut malorum veſania quid poſſit; ut qui ſim mihi conſcius idem, quod a me præſtitum eſt, forſan a quocunque alio potuiſſe præſtari, nec ideo hunc laborem laudem mereri, ac ſimul eſſe infra inuidiam.

Sunt tamen, Lector humaniſſime, licet non captem gloriolam ex meo labore, quædam a me in hoc Opere præſtita, quorum te rudem eſſe minime decet. Scilicet paucis monendus es de qualitate ac conſtitutione ſcripti Exemplaris, unde typi nobis multa alia impreſſione pepererunt. Scriptum eſt formâ, quam vocant in folio, manu ſatis eleganti, ſed hominis, quisquis ille ſit, probi forſan & honeſti (neque enim conſtat mihi quis ſcripſerit, nec illi exprobrare inſcitiam ſuam hac obſeruatione volo, ſed tantum Lectorem docere, quo modo conſtitutum ſit Opus ſcriptum) verum rudis prorſus Linguæ Latinæ, & qui Græca elementa ne formare quidem potuit. Inde mihi haud exiguus labor eſt natus in emendando, quæ perperam ab eo erant ſcripta. Relegit quidem Spanhemius ipſe magnam Operis partem, & Auctorum loca in margine adſcripſit; verum, ut fit, dum animus magis ad ipſas res quam ad verba attendit, ſæpe non legit, quod reuera ibi literis erat expreſſum, ſed quod ibi debebat legi. Alioqui fieri non potuiſſet, ut tot ac tanta ſermonis vitia fuerint relicta, quot ac quanta ſingulis fere foliis emendanda habui. Exemplis ut dicta confirmem, non opus eſt, quoniam ſancte adſeuerare poſſum nullam eſſe paginam in hoc Opere, quæ curâ meâ non eſt emaculata. Neque tamen incommodum illud fuit aut unicum, aut maximum, cum quo conflictatus ſum in edendo hoc Opere. Quod ſequitur longe maius eſt. Manu

ſcriptum eſt, ut dixi, eleganti, ſed quanto melius ea efformabat literas, tanto facilius poterat imponere homini imprudenti, cum forte fortuna pro veris vocibus ſubſtitueret falſas, quæ ſenſum nullo modo turbabant, ſed totum auctoris in diſputando ſcopum euertebant. Scilicet, quando aliqua vocula ſenſum turbat, via ad emendandum eſt expedita; quum longe alia ſit ratio in vocibus, quæ vim conſecutioni Grammaticæ non inferunt, ſed aliò deducunt lectorem. Ego vero, ut cautus eſſem & latentes vitarem ſcopulos, mihi ſubinde occinebam illud Horatianum:

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Monendum illud te duxi, mi Lector, ne paucæ in magno corpore maculæ te offenderent, & ne dubitares de diligentia mea, cum videres duobus aut tribus locis erratum eſſe. Inter aliquot enim millia locorum correcta, ſi paucula intacta reliquerim, non credo me quidquam commiſiſſe a natura humana alienum. Quod ſi tamen quisquam adeo ſit inhumanus, ut nec ideo me velit abſoluere omni culpa, is reliqua audiat. Relegebat, ut dixi, Spanhemius ipſe Opus ſuum, ſed mors, antequam ad metam peruenirent, illum oppreſſit. Scilicet ad Pag. 598. huius editionis plane deſiit quidquam in ſequentibus adnotare aut emendare; ita ut nullus veteris nec recentioris Auctoris locus in margine fuerit poſtea notatus, & ipſa Auctorum nomina interdum male in textu exhiberentur. In Græcis præterea citationibus illud incommodum accidebat, quod relicto tantum inter ſcribendum ſpatio, ne una quidem litera erat addita, unde poteram coniicere, quas Auctoris alicuius voces Illuſtriſſ. Spanhemius reſpexiſſet. Fateor me ea difficultate victum plus ſemel animum abieciſſe, nec exitum potuiſſe reperire, ſed vicit aſſiduum ſtudium, & conſtanti animo omnia iſta incommoda deuoraui. Loca tam Græcorum quam Latinorum ſcriptorum incredibili labore conquiſiui, ne quid huic præclaro Operi deeſſet, ac ſimul ut diligentia mea reſarciret, quod mors videbatur erudito orbi inuidiſſe.

Religioſiſſime tamen in mutilis integrandis & depravatis reſtituendis verſatus ſum, nec alias hic credidi meas eſſe partes, quam quæ implebantur reſtituendo, quæ manifeſte erant corrupta. Loca ſana, licet interdum viderentur non ſatis cum aliorum ſententiis, aut cum ipſo antiquitatis teſtimonio, conuenire, reliqui intacta. Exemplo ſint, ne quis credat me temere hoc dicere, *Conſularia mulierum Ornamenta*, quæ Lampridius dicit Elagab. c. IV. conceſſa maxime iis mulieribus ab Imperatoribus veteribus, *quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne inmobilitatæ remanerent.* Maximus Caſaubonus ad iſtum locum obſeruat, "eum eſſe ſingularem & in Romana hiſto-„ riâ unicum, quantum meminerit. Scilicet illud eſt ſingulare de Ornamentis Conſularibus *a* VETERIBUS IMPERATORIBUS *Adfinibus, & quæ nobilitatos maritos non habuerant, delatis.* Iſtius moris alia exempla ut adferret Pag. 269. Illuſtr. Spanhemius, ex Ulpinano profert locum, quem dicto loco Caſaubonus itidem adiecerat, ſed qui eidem fuerat viſus eo non pertinere. Nempe Lampridius loquitur de iſtis Cæſarum Adfinibus, quæ *nobilitatos maritos non habuerant*; Ulpianus vero de iis, quæ ſecundis nuptiis *minoris dignitatis viris* erant copulatæ. Reliqua exempla ibidem a Spanhemio adlata

lata eo non pertinent, quum non iure fuerint edita, sed e quadam animi Imperatorum libidine profecta,& quidem ab Imperatoribus Elagabalo posterioribus, quum requireretur exemplum a *Veteribus Imperatoribus* editum Quod de Lucilla addit, id optime conuenit cum verbis Ulpiani, sed nihil prorsus confert ad illustrationem verborum Lampridii. Hæc licet optime perspexerim, nihil tamen quidquam mutaui, nec aliam ob causſam hæc adduco, nisi ut habeas, amice Lector, exemplum, quod doceat te, quam religiose in hoc Opere sim versatus. Illud tamen velim mihi credas, generis istius esse quam pauciſſima exempla in toto Opere.

Verum vel ita non licuit mihi progredi in Opere publicando. Numismatum icones decrant, si excipias quatuor aut sex, ex iis quæ ad Illustriſſ. Auctorem aliunde erant missæ. Ad tantam multitudinem Numismatum adpingendorum, quid illæ paucæ icones? Nihil certe. Ergo omnes aliæ erant conquirendæ, & postea quam accuratiſſime delineandæ. Quanto labore, quantâ diligentiâ ad eam rem mihi opus fuerit, facile intelliget, quisquis unquam simile quid tentare volucrit. Verum & illud erat faciundum, si vellem præclaras has Dissertationes decorâ facie producere in lucem publicam. Omnia ergo omnino Numismata, quibus Auctor, relictis in Opere Scripto spatiis, illud ornare decreucrat, conquisiui & reperi, & eorum icones adieci, nec scio me vel unam prætermisiſſe iconem, quam instituti Operis ratio postulabat.

Nemo, credo, mirabitur aliquanto tardius, quam initio speraueram, has Dissertationes in lucem publicam prodire, qui ad animum reuocauerit quanto labore & quanto tempore ea singula, quæ dixi, mihi, homini quem publici muneris ratio non sinit otiosum esse, constiterint. De indicibus Auctorum, Numismatum, ac Rerum & Verborum, a me concinnatis, verbum non addo. Poterat Indicum conficiendorum labor videri magnus & pœnarum omnium habere faciem, ut Scaliger dicebat, verum post alios, quos memoraui, exantlatos labores, visus est mihi leuis, & ideo non memorandus.

Hæc ut scires, amice Lector, mea intererat, nec minus tua. Laudem, ut dixi, ex hoc immenso labore non quæro. Cum Musis, & illis non tetricis, interea temporis versatus sum, quod mihi ante omnia est dulce; hoc præsertim tempore, quo illarum amore pauci admodum audent res alias contemnere, & plerique malint a diuitiis esse instructi quam a scientiis. In otio, post labores quotidianos, nec esse volo, nec, si quam maxime velim, possum. Jam diu est, quod labori adsueui, & meo ipsius exemplo doctus sum adsuetudinem tempore in naturam transire. Alia etiam, Opere hoc absoluto, agito ac maiora. In ipso scilicet Cicerone edendo iam versor, quem iubeo literarum amantes elegantibus typis procuratum ac doctorum virorum Obseruationibus passim illustratum a me exspectare, si Deus mihi largitur vitam ac valetudinem prosperam. Iis adduntur & meæ qualescunque obseruationes, quibus inter legendum parentem illum Romanæ Eloquentiæ conatus sum illustrare.

Nondum tamen te dimitto ad ipsas Dissertationes. Monendus es mihi quædam de nummo uno aut altero, quos Illustriſſ. Spanhemius singulari cura illustrauit. Scilicet tres uno conspectu exhibentur nummi Dissertatione

Pag. 230. tatione decima, quorum singuli merentur aliquam obseruationem. Primus habet vallum Romanum, ut placet plerisque viris doctis, atque ipsi Spanhemio. Quod si amplius licet cogitare, vallum quidem videtur, sed ex parte dirutum. Notum est, quod Numonius iste, si tamen verum illud eius nomen, in Germania legatus fuit Vari, in cuius clade etiam ille, sed cum equitibus Rhenum versus fugiens, occubuit. Verum, quum non omnia nobis Historici literis consignata reliquerint, nummus iste est referendus forsan ad egregium aliquod Numonii facinus anterius, quod edidisse potuit defendendo cum suis castra contra Germanorum impetum, qui iam diruto vallo Romanorum castra capere potuissent, nisi istis obstitisset Numonii virtus. Sane vides in nummo aliquem procero corpore, quales Tacitus Germanos describit, oppugnantem vallum, ac duos, quos Romanos dicas, pro illo propugnantes, quod in re adeo obscura saltem similitudinem aliquam habet veri ad confirmandum coniecturam meam, quum sine dubio ibi non exhibeatur integrum vallum, quod multis sudibus, siue vallis, inter se connexis, & aggere adgesto, ut moris fuit, confirmatum erat. Cæterum, licet dubitare, an nummus iste omnino respiciat aliquem NUMONIUM VAALAM aut VALAM. Tria sunt, quæ id facerent certum, si certa essent; scilicet nummus ipse, inscriptio Epistolæ Horatianæ tanquam ad hunc Valam scriptæ, & locus Velleii, iam supra adductus, quum nullum aliud, quod equidem scio, exstet veterum de hoc Viro testimonium. Ad primum quod adtinet, unus Cruquius, ad Horatii epistolam huic Numonio missam, erit sat locuples, ut opinor, testis, ad labefactandam inscriptionem. Ipsum audi: "Equidem ex nu-
Pag. 565. „ mismate Lauredani vidi delineationem Huberti Goltzii, in qua legi,
„ CN. UMONIUS VAALA, qui interrogatus a me variæ lectionis ratio-
„ nem; protinus, ut est antiquitatis non minus peritus, quam sedulus
„ obseruator, respondit, Consularia Numismata, propter punctula quæ-
„ dam minuta, tam cognitu esse quam lectu difficilia: simul ad oculum in
„ sui descriptione Numismatis demonstrauit punctum minutissimum inter
„ CN. & UMON. quod non aduertentibus ita imposuit, ut N. Litera
„ nomini apposita legerint NUMONIUS. Hæc cum eo modo se habeant, ita, ut in nummo legerat, Cruquius edidit in Horatio, suis ipsius oculis illud suadentibus. Torrentius e contrario, fide nummi integerrimi, aliam lectionem retinet. Veteres Horatii editores, qui ne somniarunt quidem, eundem hominem, ad quem Horatii Epistola erat scripta, in aliquo nummo legi, varie exhibuerunt ibi non integrum illud nomen, sed cognomen tantum VALLA, aut VALA. Postquam autem viri eruditi, qui Numismatum studium iunxerant literis politioribus, ad Horatium illustrandum accessere, iste VALA Horatianus factus est idem, qui in nummo exhibetur. Quis, quæso, in tanta præsertim hominum copia, quibuscum amicitia Horatio potuit intercessisse, audebit adseuerare, istum VALAM aut VALLAM Horatii esse hunc NUMONIUM aut UMONIUM? Certius videtur tamen apud Velleium testimonium exstare, ubi viri docti pro *Valnumonius* substituerunt *Vala Numonius*, præpostero scilicet ordine nominibus collocatis, quod nec Velleio, nec aliis auctoribus insolitum, nisi quod ex corrupta ista voce æque possit effici *Vala Umonius*, quam

Vellei. Lib. II. c. 119.

Hist. v. c. 14.

Lib. I. Epl. 15.

Nu-

Numonius, literâ ultimâ vocis prioris mutatâ in N.

Hinc, mihi quidem, videtur ſequi, quod & nomen nummo ipſi inſcriptum & figurarum in eo expreſſarum explicatio, ob penuriam aliorum teſtimoniorum, admodum ſunt incerta, aut potius omnino ignorantur, ſi diſcedas a coniecturis. Idque tanto magis, quod nummus iſte legatur reſtitutus a Traiano; qua re tantum abeſt, ut nummus illuſtretur, ut vel inde difficilior reddatur intellectu. Non ea res tamen quidquam derogat ſtudio Numismatico, quoniam tot præclara Numismata ab iſtius ſtudii amatoribus ſunt explicata, ut magis in ea re defectus Auctorum veterum ſit culpandus quam Antiquariorum inſcitia. Urſin. ad Vellei.

Æque incertum mihi quoque videtur de vallo, in altero, Licinii ſcilicet, nummo, ibi a Spanhemio itidem illuſtrato: ac quales etiam exſtant nummi Conſtantini, & eiusdem filii cognominis. Figuram in eo nummo exhiberi nouam, & quæ in antiquioribus nummis non reperitur, non negat Du Cangius, ſed tamen explicat quoque eam de vallo, niſus maxime aliorum auctoritate & verbis Varronis, quæ adtulit etiam Spanhemius. Mihi autem, ut dicam quod res eſt, minime videtur eo nummo vallum deſignari; licet dicere non poſſim, quid ſibi velit crux iſta, ſiue potius multæ cruces ſibi inuicem adpoſitæ ac quaſi continua ſerie iunctæ. Coniecturæ in re tam obſcurâ ſi indulgere liceat, videtur eſſe potius vallum barbaræ cuiusdam gentis quam Romanum, quod milites inſiluerint, atque ita EXERCITUS Romanus ſuæ VIRTUTIS documentum, iſto nummo expreſſum, dederit. Iſtius enim temporis omnem apparatum militarem, tam Romanorum, quam aliarum gentium, in quas Romani, ſiue qui tunc erant pro Romanis, arma mouebant, adeo notum eſſe haud exiſtimo, ut nihil nos in ea re lateat. Aut ſi omnino vallum non ſit, poſſit eſſe inſtrumentum venatorium, quod poſterioris Latinitatis auctores *Saltatorium* vocant, & quod habebat figuram crucis S. Andreæ, quam & hodierni Galli in arte Heraldica, voce idem ſignificante, *un Sautoir* nominant. Diſſert. de Inſcr. Æui Numism. §. LVI.

Reſtat tertius nummus eodem loco prolatus, & qui viſus eſt exhibere diſciplinæ militaris exemplum, nempe T. Didii, quem Pighius ex hoc nummo ſtatuit Prouinciam Siciliam fuiſſe ſortitum, & non tam iuſtis armis rebelles ſeruos coërcuiſſe, quam ſcuticis & flagris. Huic coniecturæ fauet Illuſtr. Spanhemius. Nummi illius explicatio eſt ſane difficilis. Verumtamen, cum T. Didii (qui XX. annis ante finem bello ſeruili a M'. Aquillio impoſitum, Scordiſcos, ex Thracia populum, debellauerat) in narratione iſtius belli ſeruilis nemo auctorum veterum, quod equidem ſcio, faciat mentionem, ac ne quidem ſeruos ibi eſſe flagris ac ſcuticis profligatos, ſed magno labore; non video qua ratione nummus iſte ad bellum illud poſſit referri. Quippe, ſatis idoneus auctor, credo, Diodorus Siculus teſtatur ſeruos iſtos non tantum acriter pugnaſſe, ſed victos ſeſe ne dedere quidem voluiſſe, ac ipſum Athenionem, eorum ducem, interfectum quidem ab Aquillio, ſed illum etiam in capite vulnus ab eo accepiſſe. Quo quid minus conuenit huic nummo, ſi iam concedatur T. Didium eo tempore in Sicilia militaſſe? Adamus Rupertus a Spanhemio citatus, ſtatuit gladiatorem in nummo exhiberi, quem rude batuentem ac aberrantem laniſta ſcuticâ cædit. Thracas certe gladiatores memorant ubique Rerum Ad annum DCXV. Eclog. Lib. XXXVI. §. 10.

Romanarum ſcriptores, ac propterea ſatis noti ſunt. Licet igitur nusquam legatur, quam ob rem in hoc Didii nummo gladiator ac laniſta ſint expreſſi, ſatis tamen patet eos ibi expreſſos eſſe. Nullum de hac re, ut opinor, erit dubium, ſi verba [a] Dionis de Commodo, & quæ tangit alibi [b] Rupertus, diligenter cum hoc nummo conferas: Ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ σεκούτορος, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ ἀριστερᾷ ἔχων· καὶ πάνυ καὶ ἐπὶ τούτῳ μέγα ἐφρόνει ὅτι ἦν ἐπαρίστερος. Ἀντηγωνίζετο δὲ αὐτῷ γυμνατής τις, ἢ καὶ μονομάχος, ῥάβδην ἔχων. i. e. *Utebatur armatura ſecutoris, habens rudem in ſiniſtra manu; & valde quidem ea re gloriabatur, quod eſſet ſcæuus. Certabat cum illo laniſta aliquis aut gladiator, ſcuticam habens.* Ergo in iſto nummo Didii ſimiliter gladiator cum laniſta. Verum, ne quid diſſimulem, durius videri poſſit, quod ῥάβδην reddam per *ſcuticam*, &, fateor, duriuſculum eſt. Lipſius voluit hic a Dione reſpici ad rudem, non quidem gladiatorum ſed laniſtarum, atque ita diſtinguit inter ξίφος ξύλινον & ῥάβδην. Quod ſi hæc vox inter inſtrumenta militaria reperiatur apud Xenophontem, ut ad Pollucem obſeruat Jungermannus, forte minus incommoda erit ea interpretatio, & ſatis bona.

a Lib. LXXII. p. 826.
b Differt. ad Valer. Max. Lib. II. c. 3.
Saturn. Serm. Lib. I. c. 15.
Lib. X. Sect. 177.

Ita ſententiam meam de tribus nummis uno loco in hoc Opere prolatis communicandam tecum, amice Lector, credidi. Quod attinet ad ipſum Spanhemium, is forſan, ſi ipſe ſuum opus edidiſſet, aut firmioribus argumentis, quam nunc ibi factum eſt, ſuam ſententiam adſtruxiſſet, aut eam mutauiſſet, quorum neutrum nec volui facere nec debui, ne quis queri poſſet meas nugas pro Spanhemii ſententia eſſe ſubiectas.

Si veteri formulæ, quæ dictitabat illum eſſe optimum vatem, qui maxime veriſimilia conieciſſet, fides eſt habenda, noſtrum Spanhemium vatem optimum dicas oportet. Scilicet lacunis deformatum eſſe Monumentum Ancyranum, atque ita aliquoties editum, tam certum eſt quam dolendum. Inde nata doctiſſimo cuique occaſio & cupiditas tentandi vires ſuas in ſupplendo iſto tam egregio Antiquitatis λειψάνῳ. Quum igitur Spanhemio noſtro agendum eſſet de titulo Principis Iuuentutis dato Auguſti adoptione filiis Caio & Lucio, atque eius rei aliqua mentio exſtaret in monumento Ancyrano, opportune adduxit verba ad iſtam rem facientia ex eo, & quidem denuo, poſt Coſſonii curas ſcilicet, deſcripto. Coniecit tum Spanhemius ſpatium inter JUVENTUTIS & ET HASTIS, quod ibi relictum eſt, & a celeberrimo Gronouio (qui nuperrime morte acerba abreptus ſui deſiderium triſte reliquit omnibus, qui audent Muſas colere ſeueriores) non ſatis bene videbatur expletum, opportune poſſe impleri vocibus UTRUMQUE PARMIS. Factum eſt autem diligentia & ſingulari ſtudio eorum hominum, qui cupidate ignara viſendi longinquas terras peragrati ſunt, ut illud fuerit quoque poſtea deſcriptum, ac nouiſſime magnâ cura a medico Gallo Paulo Luca, qui amore Antiquitatis & Numismatum iter in terras tam remotas ſuſceperat, & de cuius fide propterea non eſt dubitandum. Is igitur edidit illud in Itinerario ſuo aliqua parte auctius, & quidem eo loco, ubi de Caio & Lucio agitur, ita exhibet . . . . TUTIS UTR... QU.....RUM PAR....T HASTIS, quæ unusquisque videt efficere *Juuentutis Utrumque Eorum Parmis & Haſtis.* Ita ſane Spanhemii coniectura optime ſtabilitur, nec minus patet unde illud ROMANORUM, quod alii exhibent, procuſum ſit.

Differt. XII. p. 367.
Voiage du Sieur Paul Lucas dans la Grece, &c. à Amſt. 1714.

Factum

Factum est quoque peropportune, ut, dum hæc conscriberem, tradita sit mihi Lucubratio Michaëlis Friderici Lochneri Archiatri Cæsarei De Nerio siue Rhododaphne Veterum & Recentiorum, cui vir iste, harum literarum amantissimus, adiecit Dissertationem, qua conatur *Constantinianam Daphnem*, quam tangit quoque Illustrissimus Spanhemius, illustrare. Is igitur, ex antiquorum auctorum locis collectis, ostendit non tantum illud castrum exstitisse in Mœsia secunda, sed ad ripam Danubii eo loco, cui in aduersa eiusdem fluminis ripa erat opposita Tromarisca, quam memorat Procopius, loco in eam rem satis noto ac ab aliis iam adducto. Inde accuratius inquirit in situm istius Tromariscæ, quam Ptolemæus exhibet ad ripam Danubii, Pontum Euxinum versus, inter Durostorum & Axiopolim. Quod si Procopio ergo fides est habenda, ut sane videtur, de situ Daphnes Constantinianæ nemini relinquitur dubitandi locus. Neque cuiquam mirum esse debet, quod a recentioribus Geographis, qui adgressi sunt vetusti temporis geographiam illustrare, omissa sit Constantiniana Daphne. Illi enim, ut plurimum, Ptolemæum sunt secuti, qui sane istius munimenti meminisse non potuit, quum diu ante vixerit quam Daphne ista exstrueretur, sub Marco scilicet Antonino. Primus e recentioribus istius Daphnes meminit doctissimus [a] Gretserus, quem deinde [b] Jacobus Gotthofredus, [c] Valesius, Gronouius, & alii, secuti sunt. Docet præterea eruditissimus Lochnerus " Constantinianos Dafnenses & Ballistarios Dafnenses subfuisse magistro militum per Thraciam, qui tres vexillationes Palatinas, quatuor Comitatenses, legiones Comitatenses XXI. quas inter Constantiniani & Ballistarii Dafnenses erant, regebat.

Edita Norimbergæ 1716. in Quarto.

Differt. XIII. p. 613.

De Ædific. Lib. IV. c. 7. p. 83.

Europ. Tab. IX.

a De Cruce Tom. III. Lib. I. c. 31.
b Cod. Theod. L. VII. p. 273.
c Ad Ammian. l. XVII. c. 5. p. 376.

Hæc, beneuole Lector, hoc loco erant monenda, quæ nec ingrata tibi erunt, ut spero, neque videbuntur ἀκρότητα κύμβαλα, saltem si studiosior es proficiendi ex alienis laboribus quam eos carpendi.

EZECHIELIS SPANHEMII VITA

BREVITER DELINEATA

ab

ISAACO VERBURGIO.

QUi ſummorum virorum res geſtas literis conſignauere, aut alios habuerunt ſcriptores ante ſe, quos ſequerentur & in unum quaſi corpus redigerent, aut ipſi rebus eorum gerendis adfuere, & ſcripſerunt quæ viderant. Mihi autem Ezechielis Spanhemii Vitam literis mandaturo, cum & ſcriptores deſint, qui idem ante me ſunt adgreſſi, ſi exceperis perpaucos viros doctos, qui ſtatim poſt eius mortem Elogia, ut vocant, ediderunt, nec licuerit cum ipſo vitam agere, nihil reſtat, niſi ut ſingularia quædam, quæ ad notitiam meam peruenere, colligam, & magis lineas ducam quam iuſto opere Vitam eius deſcribere adgrediar. Tanto æquius, ſpero, id feres, Lector amice, ſi ſcias, quod Commentaria ipſius manu lingua Gallica conſcripta exſtent, quæ ſpes aliqua eſt, fore ut aliquando edantur in publicum. Illud ſi fiat, multo certius & longe illuſtrius teſtimonium habebunt Eruditi, quam ſi ego nunc magno labore pauca conquiram, quæ forſan eo usque viderentur bona & certa, donec Commentaria iſta meliora & certiora Lectorem docerent. Interim contentus ſis pro tempore hoc meo qualicunque labore.

EZECHIEL SPANHEMIUS natus eſt Genevæ die VII. ante Idus Decembres anni MDCXXIX. patre *Friderico Spanhemio* theologo inſigni, cuius merita in Dei Eccleſiam omnes norunt, qui unquam eius audiuerunt nomen. Matrem habuit *Charlottam de Portu*, feminam illuſtribus parentibus ac maioribus ortam, ut quæ genus ſuum referebat ad magnum illud Galliæ lumen *Guilielmum Budæum*. Par illud coniugum felix primo loco genuit Ezechielem, quem ex iisdem deinde numeroſa ſatis proles eſt ſecuta. Quo pacto primos iuuentutis annos in urbe patria egerit adoleſcens, docuit poſtea variarum linguarum & rerum cognitio, quibus iam ante maturæ ætatis annos innotuit viris in Republica Literarum ſummis. Scilicet cum anno MDCXLII. pater eius annuiſſet votis Procerum Belgii eum in Academiam ſuam Lugdunum vocantium, Ezechiel cum parentibus & tota familia ſe contulit eo, atque ibi ſe totum tradidit ſtudiis humanioribus & poſtea Theologiæ, quum iam tum a patre didiciſſet eſſe uniuscuiusque hominis Chriſtiani vitam degere Chriſtianam. Arridebant tamen iuueni maxime literæ, quæ nomen ſortitæ ſunt ab humanitate. Erant adhuc Lugduni ſuperſtites *Daniel Heinſius* & *Claudius Salmaſius*, heroës duo, qui ſinguli plura ſciebant quam plerique nunc neſciunt. Illorum ductu & conſiliis ſolebat Spanhemius ad ſtudia ſua formanda uti. Sane

ne & hoc ad ſummam ingenii in Spanhemio felicitatem commode accedebat, quod nactus eſſet duos duces fidiſſimos, & qui eâ viâ, quam illi monſtrabant, ad immortalitatem erant graſſati. Verum non minus iam tum erat bene ſperandum de Spanhemii prudentia, quod utrumque diligeret & utrique præſtaret officia debita, licet ipſi inter ſe quodammodo obtrectarent, nec eſſent eo animo, quo decet eſſe viros & doctos & ſapientes. Quanti Salmaſius iam tum fecerit iuuenis iſtius doctrinam & præſertim Græcarum Literarum notitiam, vel inde certum eſt, quod Epigrammatum Græcorum Anthologiam, cuius editionem agitabat animo, illi committere voluit vertendam in Linguam Latinam; verum, quod damno bonarum Literarum factum eſt, quoniam Salmaſii conſilium exitu caruit, neque Spanhemius Græca iſta Epigrammata fecit Latina.

Interim, dum iuuentutis anni eſſent ad diſcendum linguas apti, non tantum Latinis & Græcis literis ſtuduit noſter Ezechiel, ſed animum quoque adplicuit Linguis Orientalibus. Hebraicæ ſane ac Arabicæ notitia illum excelluiſſe ex permultis locis ſcriptorum eius patet, & quidem præcipue e priori Volumine Diſſertationum ſuarum de Præſtantia & Uſu Numismatum. Quantum autem iam tum profecerat in ſtudio Linguæ Hebraïcæ ſunt teſtimonio Theſes ab eo publicè defenſæ, ut in Academiis loquuntur, & quidem ſine alicuius Profeſſoris præſidio. Scilicet vir longe doctiſſimus Hebraïcæ linguæ *Ludouicus Capellus* ediderat anno MDCXLV. Amſtelædami Diſſertationem de Antiquitate Literarum Hebraïcarum, in qua contra virum in iis literis, ſi quisquam, exercitatiſſimum *Johannem Buxtorfium*, ſtatuebat uſum veterum & verarum literarum Hebraïcarum remanſiſſe penes Samaritanos, ſed apud Judæos exoleuiſſe. Iſti Diſſertationi reſpondit Spanhemius, ſtatuens cum Buxtorfio Judæos vetuſtis temporibus non uſos ea literarum forma, qua nunc Samaritani utuntur. *Bochartus*, qui tum temporis maxime omnium iis Literis florebat, & cui ſuos labores Spanhemius miſerat, ea de re ad eum literas dedit, humaniſſimas quidem, ſed tamen ita ſcriptas, ut confirmarent Capelli ſententiam nouis argumentis. Inter alia Bochartus ibi adducebat veteres Judæorum nummos, qui literis Samaritanis ſignati ſunt, quas oportet iſto tempore fuiſſe Judæorum proprias, quum alioqui Judæi, odio gentis Samaritanæ, numquam adduci potuiſſent ad ſignandum nummos literis Samaritanorum.

Pietatis eius in Patrem teſtimonium inſigne exſtat, & ideo memorandum. Anno MDCXLIX. patre rebus humanis exemto, ſuſcepit filius eius cauſſam contra *Amyraldum*, quem refutare adgreſſus erat Fridericus, ſed morte præuentus opus ſuum abſoluere non poterat. Nempe ediderat Amyraldus Obiectiones contra librum de Gratia Uniuerſali. Iſtis Obiectionibus alia oppoſiturus fuerat Spanhemius, ſi licuiſſet. Qui ſtabant a partibus Amyraldi conuitiis apud populum rerum ignarum proſcindebant Spanhemium, atque miris fabulis eius meritis inſultabant. Ezechiel, ut patris famam & cauſſam vindicaret ab iſtiusmodi calumnia, eodem anno edidit Diſſertationem Criticam contra Amyraldum, quæ ſimul & teſtimonium præbuit eruditionis in adoleſcente viginti annorum, & egregium eſt monumentum pietatis in patrem. Non diu poſt mortem patris reuerſus eſt Spanhemius Geneuam, atque ibidem ab iſtius urbis Magiſtratu maximo donatus fuit titulo Profeſſoris Eloquentiæ,

licet ibi non deeſſet Profeſſor Græcæ linguæ & Eloquentiæ; ſed ſingularis eruditio iuuenis, & virtutes eius longe ſupra ætatem perpolitæ, adeo in admirationem ſui rapuerant eos, quibus iſtius Reipublicæ cura erat mandata, ut videretur illis Spanhemius quocunque modo retinendus: nec aliam potuerunt reperire viam, niſi ſi hominem literarum amantiſſimum ſuis ſibi literis retinerent. Hæc quanquam ita ſint, non conſtat tamen, quod unquam Spanhemius ſit functus munere Profeſſorio, nec, iuuentutem docendi gratiâ, aut publice aut priuatim egerit quidquam; adeo ut videatur contentus fuiſſe eo honoris titulo, ſed ab ipſius muneris adminiſtratione abſtinuiſſe. Habuit tamen & edidit interea temporis Orationes duas, alteram de *Præſepi*, alteram de *Cruce Chriſti*. Has Orationes licet habuerit Latine, ipſe tamen in linguam Gallicam transtulit, atque ea Lingua edidit; ſiue quod putabat eas ita a pluribus lectum iri quam ſi Latine fuiſſent editæ, ſiue quod alias habuerit cauſſas, quas diuinare non eſt difficile. Ipſe quid poſtea ſtatuerit de iſtis Orationibus ſatis declarauit edendo priorem denuo Berolini, poſtquam eam partim nouis acceſſionibus auctiorem reddidiſſet, partim minus ſibi probata reſecuiſſet. Ad poſteriorem, quod ego quidem ſcio, quod attinet, ea nunquam poſtea prælo fuit ſubiecta.

Anno 1655.

Anno 1695.

Dum Spanhemius moraretur Geneuæ & eius nominis fama ſpargere ſe latè inciperet, maturo conſilio illum ex vita priuata in aulam protraxit prudentiſſimus vir CAROLUS LUDOVICUS Elector Palatinus. Quippe cum is haberet filium unicum, CAROLUM itidem nomine, cuius ætas poſtulabat aliquem ſibi dari ad formandos mores & ſtudia, in aulam ad eam rem accitus eſt Spanhemius, ac ſimul adſcitus ad Electoris conſilia. Ex eo tempore perſpectum eſt, quantum non ſolum valeret Spanhemius eruditione, ſed etiam prudentia. Multa ſunt ſcilicet, quæ in moribus Principum formandis occurrunt, in quibus prudentiorem quam doctiorem virum requiras, quum illi nullam ob cauſſam debeant eſſe docti, niſi ut ſint prudentes, & inſtructi iis artibus, quæ cumprimis docent eos eſſe probos & ſibi cauere ab aliorum improbitate. Ad eam rem docendam non ſolum aptus erat Spanhemius noſter, ſed ſuos ipſe mores ita moderabatur, ut ab eo exemplum poſſet capere Princeps eius curæ commiſſus. Scilicet inter CAROLI Parentes ſimultas quædam interceſſerat, nec tutum erat ſe totum dare alterutri, quum utrique non poſſet. Itaque mediam viam prudentiſſime eſt ingreſſus, & ita effecit, ut non minus gratia valeret apud Electoris coniugem, quam apud ipſum Electorem. Rarum ſane exemplum in homine nondum mediæ ætatis. Verum vel inde poterat Elector certus eſſe, Spanhemium talem futurum, qualem eum cognitum iudicauit, id eſt, natum ad ſumma quæque negotia. Profuit ergo non minus Spanhemio quam ipſi Electori, quod ad ſe vocaſſet talem virum, cuius prudentiam & ſummam dexteritatem forſan ignorauiſſet poſteritas, ſi tali modo is magnis rebus admotus non fuiſſet.

In Heidelbergenſi aula igitur aliquot annos verſatus eſt, verum tamen illud tempus, quod illi ab aliis negotiis ſupererat, ita impendit lectioni Græcorum & Romanorum Scriptorum, ut inde ſit nata ampliſſima eruditio, nec illius iudicium minus ſit perpolitum. Nec tamen intra illorum ſcriptorum reliquias ſe continuit Spanhemius, ſed præſertim euoluit medii

&

& posterioris æui Scriptores, qui videbantur illi posse aliquid conferre ad illustrationem iuris in Germania publici. Testimonium istius rei exstat eius Dissertatio, quæ Electoris Palatini ius conatur adserere in administrando Imperio, isto tempore quod intercedit inter mortem prioris & sequentis Imperatoris electionem, contra Bauariæ Electorem, qui illud pertinere ad se statuebat. Edita est Dissertatio ea anno MDCLVII. Neque ea sola fuit fructus horarum, quæ illi ab aliis rebus supererant in Heidelbergensi aula. Ibidem postea in Gallicam Linguam e Græca transtulit Juliani Cæsares, librum doctissimi Imperatoris elegantissimum; & additis obseruationibus publici iuris fecit anno MDCLX. Scilicet ista est interpretatio & istæ sunt obseruationes, quæ tantâ ingenii fœcunditate sunt elaboratæ, ut doctissimum quemque inter legendum delectent, & doceant quæ antea nesciuerat. Cæsares hos secundis curis postea edidit Parisiis MDCLXXXV. postquam, ut ii prodirent meliori facie ac pluribus obseruationibus, diligenter operam dederat. Hic est liber, quem, qui Gallicè nesciunt; Gallis inuideant, & qui iam diu fuerat donandus Latina veste, si utilissimi & optimi tantum libri eâ donarentur.

Nondum licuerat Spanhemio videre Italiam, matrem illam politioris literaturæ, & in qua tum quamplurimi florebant viri, quos Antiquitatis, & præsertim Numismatum veterum, studium commendabat; verum ad eam rem illi sub idem tempus nascebatur perpulchra occasio e cupiditate, quæ Electorem incesserat, renouandi amicitiam, quam cum Italiæ principibus coluerat ante Bohemicum bellum. Jussus est igitur Spanhemius, mense Maio anni MDCLXI. Italiam adire, & ibi in præcipuis Principum Italicorum aulis aliquo tempore morari, ut certiorem facere posset Electorem, de consuetudinibus, cærimonias vocant, quæ in istis aulis obtinebant, præterea animum adiiceret ad cognoscendos singulares uniuscuiusque aulæ ritus, ac tandem Romam adiret, in qua urbe perspiceret penitus, quid rei gererent legati Principum Romanam religionem professorum, & cui rei ibi ab illis maxime studeretur. Ante omnia tamen debebat Romæ nulli rei parcere, ut expiscaretur, quas res Electores, qui eam itidem religionem erant professi, a Romano Pontifice cupiebant maxime. Hæc mandata ut Spanhemius posset perficere, traditæ sunt illi literæ ab Electore Palatino ad præcipuos Italiæ principes, quorum aulæ debebant adiri.

Ita instructus rebus necessariis, & literarum cuique amatori inuidendâ usus Electoris benignitate, petiit Italiam non diu postquam acceperat mandata. In itinere salutatis Principibus, quorum amicitiæ Elector studebat, & redditis epistolis, Romam perrexit. Ibi tunc florebant studia Antiquitatis, & præsertim nummorum veterum. Singulis hebdomadibus conueniebant eruditi Romani in aulam Reginæ CHRISTINÆ, quæ amori istarum rerum multa alia postposuerat, & tum Romam sedem elegerat, sibi & literis humanioribus victura. Eo cum Spanhemius assidue ventitaret, non potuit non conciliare sibi beneuolentiam CHRISTINÆ, quæ locum dedit primæ editioni Operis, quod postea præcipuum est habitum monumentum eruditionis Spanhemianæ, de Præstantia & Usu Numismatum. Scilicet anno MDCLXIV. antequam Româ abiret, opusculum eo nomine edidit ac inscripsit illud ipsi Christinæ. Interea temporis ex simili studio-

rum ac elegantiæ cupiditate, nata erat illi amicitia cum præcipuis, & tam honorum ſplendore quam ſcientiarum laude præfulgentibus, Romanis, quorum ſingularem erga ſe beneuolentiam multis locis ipſe in iſto opere prædicat. Neminem tamen pluris videtur feciſſe quam *Octauium Falconerium*, ad quem in iſta de Præſtantia Numismatum editione non ſolum orationem direxit, ſed cuius nomen etiam ſeruauit in poſtrema editione, quæ diu poſt mortem Falconerii ſub ipſis Spanhemii oculis procurata eſt Londini. Nempe noluit videri vir illuſtriſſimus, amicum, quem viuum coluerat, poſt mortem neglexiſſe, ut ſane cruditio ſingularis Falconerii, cuius teſtes ſunt Inſcriptiones Athleticæ, Diſſertatio de nummo Apamecnſi, ac alia, merebatur propenſam iſtam erga eum voluntatem, quæ ut eſſet teſtatior, non puduit Spanhemium ad eundem ſuum amicum, plus quam triginta annis poſt eius mortem, obiit enim Falconerius iam anno MDCLXXVI. ſermonem inſtituere. Neque cogitandum eſt, id neceſſario debuiſſe a Spanhemio fieri, poſtquam ſemel in prima editione ita cœperat, atque ita id non tam ex veteri amicitia, quam quidem ex neceſſitate profectum; quoniam nihil ſane facilius illi fuiſſet, quam aut omnino nomen Falconerii omittere, aut mortuo amico ſubſtituere viuum.

Eodem adhuc anno petiit Spanhemius Neapolim, ut ibi ipſe præſens videret venerandæ Antiquitatis reliquias, & mirabiles Naturæ luſus, quibus eo alliciuntur in Italia peregrinantes. Inde traiecit in Siciliam, celeberrimam illam & Antiquitatis monumentis ac fertilitate inſulam, ubi nihil pæne inperueſtigatum reliquit, quantum ſinebat temporis anguſtia. Namque ex nata occaſione nauium Melitenſium, quæ Meſſanâ breui erant ſoluturæ, cupiditas eum inceſſit videndi quoque nobilem inſulam Meliten, quam hodie Maltam dicunt. Eſt igitur eo profectus cum naue Melitenſium prætoria, atque, poſtquam paruo tempore, valetudinis eorum qui aduenerant experiundæ gratia, in anchoris ante iſtam inſulam nauis ſtetiſſet, in eam inſulam eſt admiſſus. Ibi honorifice exceptus eſt, & breui poſt, perluſtratis omnibus, quæ eius curâ videbantur digna, inde, eadem fere via, qua venerat, Romam rediit.

Verſabatur tum in eadem urbe cum celſiſſimo ſuo coniuge ERNESTO AUGUSTO, eo tempore Epiſcopo & Principe Oſnabrugenſi, SOPHIA, quæ poſtea Electrix, ut vocant, Brunsvicenſis fuit, & in quam collatum fuit deinde ab uniuerſo populo Anglicano ius regni Britannici, cuiusque filius Auguſtiſſimus Rex GEORGIUS hoc tempore ſumma prudentia ac ſapientia iſti regno imperat. Ea igitur gauiſa, quod Spanhemium, cuius pater iam ante Bohemiæ regi FRIDERICO ac ELIZABETHÆ ſereniſſimæ eius coniugi, JACOBI I. Britanniæ regis filiæ, SOPHIÆ autem parentibus, & antea notus fuerat, & ſubinde Lugduno Delphos ſolebat commeare, ut ibi in difficillimis regi temporibus non ſecus præſtaret officia quam fecerat in proſperis, Romæ repererat, voluit ut ſecum Spanhemius ex Italia reuerteretur in Germaniam. Ad eam rem opus erat conſenſu Electoris Palatini, fratris SOPHIÆ, ſine cuius iuſſu nihil erat ſuſcipiendum Spanhemio; verum illa pro eo intercedens effectum dedit, quod ipſa deſiderabat. Neque vero vel noſter Spanhemius tum demum innotuerat Celſiſſimæ iſti principi. Ea iam diu ante, ſcilicet cum nondum eam Epiſcopus & Princeps Osnabrugenſis in matrimonium acceperat, capta dulcedine re-

rerum præſtantiſſimarum, ad eum literas, de rebus ad Germaniæ ſtatum aut ad aliquam Literarum humaniorum partem ſpectantibus, ſolita fuerat mittere, & viciſſim a Spanhemio accipere. Id literarum commercium inter magnam illam Principem & Ezechielem noſtrum, tantum abeſt ut poſtea refrixerit, ut potius indies fuerit diligentius atque calidius cultum. Quid, quod ea dicitur non ſolum diligenter iſtas Spanhemii literas ſeruauiſſe, ſed quod eæ dicuntur tanti eſſe factæ ab ipſo Auguſtiſſimo Britanniæ rege GEORGIO, ut & ipſe poſt matris mortem eas ſeruandas curauerit? Quod ſi aliquando literæ Spanhemii in lucem prodierint, non dubium eſt, quin iis iſtæ literæ ſint adiungendæ, atque eo modo exhibituræ teſtimonium clariſſimum & prudentiæ in Spanhemio, & ſapientiæ cum magna modeſtia coniunctæ in SOPHIA.

In eius igitur comitatu rediit noſter Spanhemius ex Italia Heidelbergam, atque iam menſe Aprili anni MDCLXV. aduenit in eam urbem. Ibi non aliter ab Electore exceptus fuit atque meruerat, id eſt cum animi propenſiſſimi in eum teſtificatione; immo ſtatim rebus maioribus applicitus, eodem adhuc anno reipublicæ cauſſa miſſus fuit ad Lotharingiæ Ducem; & ſtatim ſequenti anno ad Electorem Moguntinum. Deinde nulla fere res maioris momenti apud exteros principes nomine Electoris fuit peragenda, in qua non uſus ſit Spanhemii noſtri dexteritate & prudentia; verum cum ego non tam conſtituerim conſcribere, quid ab illo ſit factum iuſſu Electoris, quam quidem res eas, quæ reſpiciunt vitam eius priuatam, nemo, opinor, a me exiget, ut enarrem cauſſas & euentus rerum omnium ab eo publico nomine geſtarum.

Diligenter tamen interea temporis, poſt grauiora ac publica negotia procurata, Muſas colebat. Simul ac enim domum redierat, cœpit cogitare de edendis iterum Diſſertationibus ſuis de Præſtantia ac Uſu Numismatum, eo adductus præſtantium virorum iudicio, qui Romanam editionem viderant, ac ab eo aliam auctiorem flagitauerant; verum dum in edendo iſto opere verſaretur, ac per negotia publica domo auocaretur, factum eſt primo, ut, iam magna parte Operis prælis denuo excuſa, aliquoties eius labor interrumperetur, ac deinde omnino abiiceretur. Neceſſario igitur diſtulit Spanhemius editionem, donec occaſione Conuentus Bredani de pace ineunda, quo erat etiam miſſus ab Electore Palatino, in Batauiam delatus nouam editionem procurandam dedit Amſtelædami *Danieli Elzeuirio*, quæ prodiit anno MDCLXXI. Dum autem in annum tertium protrahitur ea editio, data eſt Spanhemio occaſio videndi quidquid Pariſiis apud Antiquarios Numismatum adſeruabatur. Scilicet bis interea temporis ab Electore fuerat miſſus in iſtam Galliæ Metropolim, atque collegerat ea occaſione quidquid videbatur aliquam dignitatem nouæ editioni, quæ iam ſub prælo erat, adlaturum. Uſus quoque Pariſiis occaſione editorum a *Petro Seguino* Numismatum ſelectorum, adiecit iis Diatriben de Veſta & Prytanibus Græcorum. Id ipſe fatetur in Præfatione ſecundæ iſtius Diatribes editionis, quam dedit longe celeberrimus *Græuius*, cui eadem etiam eſt inſcripta, in Volumine quinto Theſauri a ſe collecti.

Heidelbergam ex itinere reuerſus Spanhemius conflictatus eſt cum longo ac pertinaci morbo, cuius vim cum ſuperauiſſet, miſſus eſt in Batauiam,

uiam, ad res Electoris Palatini curandas, ac dein in Angliam ad CAROLUM II. eodem nomine. Ibi cum versaretur, curauit Parisiis anno MDCLXXVIII. edi epistolam ad *Richardum Simonium*, in qua libere tulerat suum de Historia eiusdem Simonii Critica iudicium. Anno vero MDCLXXIX. cum legatus Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, *Schwerinius*, domum fuisset vocatus, Spanhemius, consentiente Palatino Electore, iussus est quoque videre, ne res Brandenburgica quid detrimenti caperet ex aulæ Britannicæ consiliis. Quam bene id curauerit vel inde palam est, quod Elector Brandenburgicus non destiterit impellere Palatinum, ut sibi relinqueret totum Spanhemium, donec perpulit. Eius iussu Anglia relicta petiit denuo Galliam, anno MDCLXXX. titulo Legati Extraordinarii Electoris ad LUDOVICUM XIV. Galliæ regem. Nouem fere annis eo munere functus est, nisi quod interiecto tempore semel redierit Berolinum, ut iniret præsens dignitatem, Ministrum Status ea ornatum vocant, quam in eum contulerat Sereniſſimus Elector; atque quod in Angliam traiecerit ad gratulandum JACOBO II. de regno. Dein in Galliam reuersus non minus laudis sua pietate in homines reformatæ religionis, quam eruditione ac dexteritate in magnis rebus prudenter tractandis, meruit. Scilicet cum abolito, siue violato, edicto Nannetensi anno MDCLXXXV. omnes, qui religionem reformatam erant amplexi Galli, cogerentur solum vertere, ni mallent quid exilio grauius subire, non veritus est Spanhemius istius generis quam plurimos recipere domi suæ, donec quæsita occasione clam possent aufugere. Laudabile sane institutum in viro, qui magnam partem ætatis in aulis Principum fuerat versatus. Ea res mihi in memoriam reuocat factum celeberrimi *Busbequii* qui solo amore Christiano inductus Constantinopoli, dum ibi ageret nomine Imperatoris Romani, post cladem ab Hispanis mari acceptam, suo ære multos ex ea gente domi suæ recepit, ac e seruitute a se redemptis domum reuertendi facultatem præbuit. Eo autem libentius illud hoc loco addidi, quo magis in aliis quoque rebus Spanhemius Busbequio fuit similis, ut obseruat in additionibus Gallicis ad Elogia Thuanea *Antonius Teissierius*, occasione mentionis a Thuano factæ de Busbequio. Illud tamen interest inter huius fortunam & illius, quod Spanhemius interea versabatur apud gentem cultissimam, ut Busbequius apud populum præferocem in rebus secundis & omnis eruditionis expertem. Scilicet singulis hebdomadibus, ubi per publica negotia licebat, aderat Spanhemius Parisiis conuentui eruditorum, qui habebatur in ædibus illustrissimi Ducis AUMONTII excolendi studii Numismatici caussa, cuius institutum ipse debitis laudibus effert Dissertatione XIII. Operis de Præstantia & Usu Numismatum. Verum redeamus e diuerticulo in viam.

Anno MDCLXXXIX. Parisiis rediit Berolinum, in qua urbe aliquot annos in otio minime otioso vixit. Illud enim est otium, in quo se totum studiis suis reddidit. In illo natæ Epistolæ ad *Begerum*, ac postea ad *Morellium*, quarum priores sunt additæ coniecturis Begeri ad aliquot Numismata vetera, posteriores subiunctæ sunt Morellii Specimini Rei Antiquariæ. Non opus est, ut de iis epistolis addam quid amplius, satis est eas Spanhemii esse, id est cum pari humanitate ac doctrina, utraque autem summa, conscriptas. Sane si nihil exstaret eius præter istas ad Morellium,

rellium, cuius eruditionem multis locis prædicauit, in aliis etiam Operibus, Spanhemius, epistolas, satis magnum haberet posteritas monumentum, ex quo coniecturam posset facere de eruditione eius minime vulgari. Longe tamen maiora interea agitauit, atque magna ex parte perfecit, quibus docemur quantum fuisset Spanhemius profuturus uniuersæ Reip. Literariæ, si sua studia illum potuissent totum sibi vindicare. Scilicet dum *Theodorus Græuius*, magni Græuii filius, in edendo Callimacho, cum suis & aliorum Obseruationibus, versabatur, scripsit pater ad Spanhemium, si symbolam posset ac vellet ad eam editionem conferre, illum ea re sibi facturum quod esset pergratum, atque omnibus, qui literas amant, perutile. Accipit Spanhemius occasionem bene merendi de tam elegantis ac vere nobilis spiritûs Poëta, atque, dum mors præmatura Theodorum Græuium rebus humanis eximit, & dum res aliæ remorantur editionem, interea temporis procudit integrum volumen Obseruationum in sex Callimachi Hymnos, in quibus non mireris tantum de diuinis istis poëmatis potuisse dici, sed e tot obseruationibus nullam esse, quæ non summam spiret eruditionem. Verbo ut dicam, istæ sunt obseruationes, de quibus vir exquisitæ eruditionis ac iudicii acris ad Propertium dicebat, eas esse admirandæ eruditionis, & quales ab ullo mortalium hodie vix audeamus sperare.

Eodem tempore Lipsiæ edebantur Juliani opera sub auspiciis Spanhemii, qui idem, quod in Callimacho fecerat, sine dubio, in Juliano feciisset, si per alia negotia tam diu, donec perfeciisset quod cogitabat, illi licuisset esse otioso. Scilicet isti editioni nihil adiecit præter amplissimum commentarium in istius Imperatoris Orationem primam, ac præfationem; quum constituerat in initio eodem modo omnia, quæ supersunt, Juliani Opera illustrare. Altero certe volumine fuisset ad eam rem opus. Prodierunt ista Juliani Opera Lipsiæ MDCXCVII.

Nihilominus tamen sub idem tempus duas conscripsit Dissertationes, quibus titulum fecit De Orbe Romano, quas, amplissimæ dignitatis ac summæ doctrinæ viro *Gisberto Cupero* dedicatas, celeberrimus Græuius inseruit volumini undecimo Romanarum Antiquitatum. Deinde autem, cum ultima vice Londini ageret, ita istas Dissertationes refecit, mutauit, & auxit, ut, denuo in ista urbe anno MDCCIV. editæ, satis magnum sint volumen. Occasionem iis scribendis dederat Constitutio quædam Antonini, qua iubentur omnes homines, qui sunt in Orbe Romano, esse ciues Romani. Eam Constitutionem Spanhemius adduxerat ad Juliani verba, quibus idem dicitur, illustranda, atque simul dederat fidem se plenius de ea re acturum. Nec diu distulit datam fidem soluere, ut ex tempore, quo primum istæ Dissertationes sunt editæ, satis superque patet.

Hoc tam fertile otium post Risvicensem pacem iterum commutare iussit Seremissimus Elector Spanhemium cum negotiis aulicis. Scilicet anno MDCXCVII. missus est denuo in Galliam nomine rei publicæ, atque ibi mansit usque ad annum MDCCI. neque tam ob imminens bellum est domum reuocatus, quam quod Rex Galliæ negabat se eum recepturum honore tanto, quantus debetur legatis, qui a regibus mittuntur ad reges. Nempe mense Januario eiusdem anni non solum FRIDERICUS I. regis

Boruſſiæ titulum ceperat, ſed coronatus fuerat rex, atque eius legati iuſſi dignitatem regiam & honores regiis legatis debitos ubique exigere. Reliquit igitur Spanhemius Galliam, dolentibus præſertim veteribus amicis ac eruditis talem virum a ſuo conſortio auelli.

Proſpexerat interea clementiſſimus Boruſſiæ rex honori Spanhemii, dato illi titulo & inſignibus Liberi Baronis, quam dignitatem videbatur non tantum ſumma prudentia ac fides Spanhemii in rebus publicis dextre gerendis iam diu meruiſſe, ſed quam vel ipſius regis Maieſtas poſtulabat, quum nulla in re magis regis magnitudo eluceſcat quam ex ampliſſima eorum dignitate, quibus adminiſtris apud exteros reges utitur.

Ex Gallia reuerſo domum non diu licuit cum Muſis, quæ illi tum æque ac antea in amore & deliciis erant, viuere, quoniam rex conſtituerat illum in Britanniam mittere ad Sereniſſimam Reginam ANNAM, ut is ibi vindicaret honores ſuo regi debitos, qui illi in Gallia erant negati. Proſectus igitur eo, anno MDCCII. non tantum ab ipſa Regina ita receptus fuit, ut deſiderabat, ſed præterea uniuerſæ genti, quacum viuebat, fuit dein longe acceptiſſimus. Ibi, licet iam magnus natu, adeo non deſeruit vetera ſtudia, ut ea vel magis quam unquam ante coluerit, ubi negotia alia illum ſinebant ſui iuris eſſe. Teſtes ſunt non tantum Obſeruationes in Ariſtophanis tres priores Comœdias, quas ad ſe miſſas Cl. *Kuſterus* ſuæ iſtius comici editioni, quæ prodiit anno MDCCIX. adiecit, ſed etiam teſtis eſt noua editio Diſſertationum de Præſtantia & Uſu Numismatum, quas ita mutatas ac locupletatas, ut e prima editione, ſi cum iſta illam conferas, pæne nihil niſi titulus ſuperſit, Londini voluit in lucem emittere, uſus ad eam rem opera celeberrimi *Grabii*, duobus voluminibus in folio, ut vocant, & cuius pars prior prodiit Londini anno MDCCVI.

Ad alteram partem quod attinet, eam Spanhemius totam abſoluere non potuit, inexſpectata morte præuentus. Scilicet cum menſe Nouembri anni MDCCX. comediſſet plus uuarum, quam ſtomachus ſenis fere octogenarii poterat concoquere, calore naturali ſuperato a frigido uuarum ſucco, die ſeptimo iſtius menſis diem obiit ſupremum, cum ſumma animi tranquillitate ac ſpe melioris vitæ per merita Jeſu Chriſti parandæ. Ita ex hac vita ad multo meliorem transiit; neque eius pietas & fides in Deum ac Jeſum Chriſtum, nos ſinunt de ea re dubitare, licet nonnemo paullo poſt mortem Spanhemii ſcripſerit, præter veram religionem Spanhemio nihil defuiſſe. Niſi enim aliud quid in homine Chriſtiano requiratur, præterquam quod ipſe Jeſus Chriſtus ac eius Apoſtoli nobis ad ſalutem comparandam præſcripſerunt, non video quid in Spanhemii religione deſiderari poſſit. Neque ipſe viſus eſt in ultimo vitæ momento illud videre; ratus enim maximam certiſſimamque ſpem eſſe in Jeſu Chriſto, in ea ſpe placide obdormiuit.

Jacuit igitur poſt eius mortem alterum volumen Diſſertationum Spanhemii aliquamdiu neglectum, quia verebantur, quibus erat illud commiſſum, ne operam luderent in edendo Opere imperfecto, donec *Wetſtenii*, qui generoſo impetu celeberrimi patris veſtigia haud cunctanter premunt, indigne ferentes literatum orbem iſto opere diutius priuari, illud ſuis ſumptibus comparauerunt, ac ediderunt, curâ eius rei commiſſa

Iſaaco

Isaaco Verburgio, qui qualem se præstiterit in hoc opere edendo alii iudicabunt.

Nullum reliquit neque habuit unquam Spanhemius filium, sed unicam tantum filiam, quam in Anglia Marchio *Montandrensis* ante patris mortem duxit uxorem. Ea hoc habet patris, quod humanitati ac morum elegantiæ iunxit gratissimam quandam in omnibus actionibus facilitatem, quæ omnes homines, vel inuitos, cogit eam magni facere. Verum cum nemo ab illa exigat patris eruditionem, quam ne quidem viri huius temporis doctissimi præstarent; non mirum est, si sereniſſimus Borussiæ Rex emerit iam ab ipso Spanhemio Bibliothecam, quam Berolini habebat instructissimam, relicto tamen ipsi eius usu quamdiu viueret. Immo cum denuo Spanhemius Londini haud contemnendam Bibliothecam collegisset, ea dein iussu Regis Borussiæ iuncta est prioribus eius libris, quos Berolini reliquerat, additis simul eius MSS. ac libris, quorum marginibus suas animaduersiones adscripserat. Inter eos præcipuum locum tenent e Græcis Josephus, Theophrastus, Homerus, Pindarus, Anacreon, Æschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes, Lycophron, & Arrianus; ex Latinis Martialis. Multi præter eos ibidem reperiuntur auctores, manu Spanhemii notati, verum quos, ut nunc res sunt, in lucem aliquando prodituros magis sperandum est quam credibile.

Quædam præterea reliquit Opera inchoata tantum, aut certe non absoluta, præter ampliſſimum ad Æschylum Commentarium, cuius spem ante multos annos ipse Spanhemius fecerat, nempe duas Dissertationes ante multos annos Gallice scriptas, alteram de Bacchanalibus Veterum, alteram de eorundem Arte Dramatica, quam scripserat occasione litis ortæ inter *Menagium* & *Hedelinium* super Terentii Heautontimorumeno; ac, præter eas, duas adhuc sed Latine scriptas, nempe de Smyrna Amazone, quæ urbem cognominem condidit, non autem de ipsa urbe, ut alii adnotauerunt, & aliam de Religione Veterum ex nummis illustrata. Promiserat quidem Spanhemius in Præfatione prioris voluminis de Præstantia & Usu Numismatum, se de Religione ac Theologia Gentilium in altero acturum volumine, verum mihi certis constat indiciis, illum id facturum fuisse in Opere separato, ac patet insuper ex Dissertatione Decima; ubi acturus de Operibus publicis, quæ expressa sunt in nummis Familiarum Romanarum, lectorem ablegat ad istud, quod meditabatur, separatum Opus de Religione Gentilium ex nummis illustranda. His addere possis Meditationes Sacras, post mortem inter eius chartas repertas, & eodem modo munitas locis ex S. Scriptura adductis, ut solebat facere in aliis auctoribus; ac preces ab eo compositas ac fusas ad Deum, quando magnum aliquid esset aggressurus, aut illum cæteroquin, ut vita humana se habet, incommodum aliquod premebat.

Vel ideo putaui esse monendum aliquid de adfectato Spanhemii Opere, quo Gentilium Religionem voluit illustrare, quod inde clarum sit illum non fuisse comprehensurum secundo Dissertationum Volumine, quæ in prioris præfatione promiserat. Neque etiam id facere potuisset, si tractauisset materiam, ut solebat, collectis, quæ eo pertinebant, omnibus. Quod si conferat quis, quæ complexus est Illustrissimus Vir volumine se-

cundo, cum iis, quæ ibidem promittit, facile videbit tertio volumine opus fuiſſe, aut ſingula argumenta ſingularem ac ſeparatam tractationem requiſiuiſſe; quod libentius feciſſet, credo, ſi vidiſſet tantum excreuiſſe materiam inter ſcribendum, quantum excreuit ea pars, quæ nunc efficit volumen alterum. Bonum tamen factum, quod, ad Religionem Gentilium quod attinet, Rev. *Montfaucon* iam dudum editis operibus illuſtris, non abſimile quid in Gallia dicitur moliri, a cuius ſumma diligentia ac eruditione nihil niſi abſolutum exſpectat orbis eruditus.

Ex iis, quæ hactenus de Spanhemio diximus, patet illum fuiſſe laboris patientiſſimum. Corpore fuit ſatis firmo ac valido; etiam in ſenectute. Vidi eius effigiem, paucis ante eius mortem menſibus pictam, quam nobiliſſimus *Andreas Spanhemius*, eius frater, Quæſtor redituum Eccleſiaſticorum apud Groninganos integerrimus, ſeruat. In iſta effigie videas vultum ſenis quidem, ſed ſpirantis adhuc vigorem iuuenilem, & in qua eius oculi, magni animi indices, venerationem videntibus incutiunt. Iraſcebar tum ſane iis, qui Spanhemium nobis vultu placido, & nihil magnum præferente, ære expreſſum dedere. Ineſt ſcilicet in vultu hominum certiſſimum animi indicium, quem iuuat contemplari, & ſine quo artificioſiſſimæ effigies non ſunt magni momenti.

Nec tamen ſublime illud, quod ſe in iſta effigie ac in magnis hominibus prodit, ulli vitio eſt affine, quum illud e contrario ſit feraciſſimum omnium virtutum. Certe in Spanhemio ita fuit, cum is ſe temperauerit ſemper ad eorum captum non ſolum, quibuscum agebat, ſed cum is fuerit ſolitus neminem parui facere, virtutem ac eruditionem in aliis extollere laudibus, cum amicis amice viuere ac veluti inter pares, in aula ita verſari, ut ſine faſtu eſſet magnificus, ac diligentiſſimus in rebus aulicis perquirendis ſine magno ſtrepitu, ſed cum mira ſagacitate.

Iis moribus haud mirum eſt, ſi parauerit ſibi quam plurimos amicos, tam in aulis quam inter doctos. Idque eo magis, quum nunquam non reſponderit ad literas ei ab amicis redditas, licet ipſi fuiſſent eæ redditæ tali tempore, quo aliis negotiis quaſi obrueretur.

Duo ſunt tamen, quæ ei obiiciuntur a ſcriptore quodam Gallo, qui ut videretur ſapere Spanhemium vituperauit; nempe ſtylus incomptior ac iudicium non ubique eadem acie diſcernens ſingula. Breuiter ad utrumque eſt reſpondendum. Ad ſtylum quod attinet, magna eſt differentia inter ſtylum neglectum, id eſt inornatum ac nullis calamiſtris comptum, ac ſtylum barbarum & Latinitatis legibus ſolutum. Poſteriorem nemo, cui ſanum eſt caput, Spanhemio adſcribet. Quod ſi igitur vitio detur eidem a quoquam neglectior ſtylus, quem negare non poſſum Spanhemio fuiſſe, is videat qua ratione ac cauſſa talis appareat eius ſcribendi ratio. Nempe diligenter Spanhemius relegebat opera a ſe compoſita, atque ex rebus pæne infinitis, quas legerat, inter relegendum multæ ſeſe ingerebant eius memoriæ. Ibi ſtatim ille addere, delere, mutare, ac denuo repetitâ lectione idem agere, donec adiunctis, inſertis, repoſitis, ac ſuo loco motis quam plurimis, tandem inde aliquanto minus facilis eius orationis ſenſus videretur. Quod ubi accidit, abunde rerum variarum, ac a ſolo Spanhemio interdum diſcendarum, additione compenſatum puto. Neque illud

illud adſcribendum eſt Spanhemii ignorantiæ, qui longe melius ſciebat, quid ſit Latine ſcribere, quam ii, qui nunc illi ſtylum horridiorem exprobrant, ſed ille, ut vidimus, negligebat iſtum qualemcunque ornatum. Hoc certum erit legentibus præfationes ac dedicationes ab eo in iuuentute elaboratas, quæ ſine dubio elegantiæ laudem meruerunt. Quid, quod in ſenectute ipſa, ſi voluiſſet, vis iſta ad eleganter ſcribendum non fuiſſet illi defutura? Id conſtat ex epiſtola, quam duobus ante mortem annis dedit ad *Johannem Ker* præfigendam illius Normæ Latinitatis, cui ea eſt dein præpoſita.

Judicium negat etiam bellus homo Spanhemio, & quidem non ſuo, ut dicit, ſed plerorumque doctorum nomine. Verum ille, cum pulchello ſuo iudicio, quo iniurius eſt in plerosque doctos, non dignus eſt, cui quidquam reſpondeam. Loquuntur non ſolum pro Spanhemio teſtimonia plerorumque doctorum, qui certatim illum laudibus in ſuis ſcriptis euehunt, ſed tot ac tanta negotia, quot ac quanta illius prudentiæ ac iudicio a ſummis principibus ſunt commiſſa. Abeat igitur veſanus homo, ac ſuum ſibi habeat iudicium. Nomen hominis tam praue ſapientis, ut vides, non addidi, ne homines docti, quibus merita Spanhemii ſunt cognita, diris omnibus iure meritiſſimo deuouerent inſulſum caput.

SERIES ATQUE ARGUMENTA

DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO DECIMA.

UTILITAS NUMMORUM, *quos vocant, Consularium.* 2

I. *Ad Notitiam* FAMILIARUM ROMANARUM. 3
1. *Ad* Imagines *illustrium apud Romanos* Familiarum. ibid.
2. *Ad Notitiam ignotarum ferme aliunde* Familiarum. 6

II. *De Ignotis vulgo aut Incertis* Familiarum *quarundam Romanarum* Nominibus. 8

III. Gentium *seu* Familiarum *Romanarum* Origines & Insignia. 13

II.

Ad Notitiam ROMANORUM NOMINUM. 21

I. *De Usu* Prænominum. 23
1. Prænomina *Romanis ab Urbis incunabulis usitata.* ibid.
2. Prænomina Patrum *aut* Auorum *passim retenta.* ibid.
3. *De solitis quarundam Familiarum* Prænominibus. 25
4. *De* Appii & Seruii Prænominibus *Gentilium vicem obtinentibus.* 27
5. *Alia quædam* Prænomina *vice* Nominum *usurpata.* 30
6. *De damnatis quarundam Familiarum Romanarum* Nominibus. 33
7. *Idem* Nomen *pro* Prænomine, & *quandoque pro* Cognomine *in nummis habitum.* 35

II. *De* Mulierum Prænominibus. 38
1. *Unum vulgo* Muliebre nomen *apud antiquissimos Romanos.* ibid.
2. Gentili Mulierum nomini *Mariti sæpe additum ab Auctoribus* Nomen. 39
3. *De antiquis & recentioribus* Mulierum Prænominibus. 40
4. Cognomina Muliebria. 41

III. *De* Cognominibus *Romanorum.* 43
1. *De variis Gentium Romanarum* Cognominibus, *eorum, & singularium quandoque, in nummis usu.* 44
2. *Plurium subinde unius Familiæ* Cognominum *exempla in nummis.* 47
3. *Continuatio eiusdem argumenti.* 49
4. Cognominibus *caruisse quasdam Romanorum Familias.* 50

IV. *Quale* nomen Proprium *apud Romanos fuerit.* 51
1. *Quæ origo & ratio* Proprii Nominis *apud Romanos.* ibid.
2. *Mutata subinde ab Auctoribus sedes* Prænominum, nominum Gentilium & Cognominum. 54
3. *Idem e priscis nummis illustratum.* 57
4. Proprium *apud Romanos* Nomen *modo* Prænomen *modo* Cognomen ibid.

V. *De* Cognominum *apud Romanos Origine.* 59
1. *A corporis aliqua nota aut parte indita* Cognomina. ibid.
2. *De* Scipionum Cognominibus, *ac inter alia* Asiagenis, Serapionis, Africani. 62
3. *De* Cognominibus Parthici Magni, *& an postremum tulerit prior* Scipio Africanus. 66
4. *De* Maximi Cognomine *in Gente* Fabia, Valeria, *& in aliis adhuc Familiis.* 69
5. *De* Cognomine Felicis *a* Sulla *adsumti.* 72
6. *De* Pii & Pietatis Cognominibus. 75
7. *De aliis* Romanarum Gentium Cognominibus *in nummis.* 76

VI. *De* Adoptatorum *apud Romanos* Nominibus. 77
1. *Quæ* ratio Nominum ab Adoptatis sumptorum *occurrat in nummis.* ibid.
2. *Continuatio eiusdem argumenti.* 78

III.

De DIGNITATIBUS POPULI ROMANI, *quæ in nummis familiarum Romanarum consignantur.* 83
1. Dignitates Sacræ *e nummis.* ibid.

I. *De* Ordinariis Dignitatibus *Populi Romani, & primo de* Consulari *in nummis.* 87
1. *De* Consulum *insignibus, ac primo de* Sella Curuli. ibid.
2. *De* Fascibus *ac* Securibus Consulum. 88
3. *Cur additæ* Fascibus Secures & Co-

Coronæ *in adductis & similibus nummis.* 89
4. *Continuatio eiusdem argumenti.* 91
5. *De numero* Fascium *a* Lictoribus *prælatorum Consuli.* 93
II. *De* Censorum *dignitate in nummis.* 99
1. *De* Censorum *dignitate apud Romanos*, & transuectione equitum. ibid.
2. *De* Lustro *ab uno e* Censoribus *Condito.* 101
3. *De* Censoribus *in Coloniis.* 102
III. *De* Prætoribus *in nummis.* 103
1. *De* Prætorum *insignibus in nummis.* ibid.
2. *De* Fascibus & Securibus Prætorum *ac eorum numero.* 104
3. *Continuatio eiusdem argumenti, de discrimine ea in re inter* Prætores in Urbe & Prouinciales. 105
4. *Eadem de* Fascibus & Securibus Prætorum prouincialium *e nummis illustrata.* 110
5. *An* Prætoribus *in Urbe duo anteirent cum* Fascibus & Securibus Lictores. 113
6. *Continuatio eiusdem argumenti.* 116
7. *De Sex* Fascibus, *qui* Prætoribus *Romæ sine* Securibus *præferrentur.* 117
8. Prætoris Urbani *præ aliis in urbe* Prætoribus *dignatio.* 119
9. Prætor Urbanus *curator in Urbe* Ludorum Apollinarium. 121
10. Ludi Apollinares *an Apollini ac Dianæ* Sacri, *iique male cum* Ludis Sæcularibus *confusi.* 123
11. *De nummis Familiarum Romanarum, qui non ad* Apollinares, *sed ad* Sæculares Ludos *erant referendi.* 125
12. *De Nummo Gentis* Postumiæ, *qui ad* Sæculares Ludos *respicit.* 128
13. *De ludis* Apollinaribus, *qui in nummis per* Equestres & Curules Agones *designantur.* 131
14. *Continuatio eiusdem argumenti.* 134
15. *De* Scenicis Ludis & Venationibus *in* Ludis Apollinaribus, *& harum exempla in nummis.* 136
16. *De tempore ac primo die* Ludorum Apollinarium. 139
17. *De* Ludis Votiuis *a* Prætore Urbano *itidem editis.* 140
18. *De editione omnium in urbe* Ludorum *ad* Prætores *tandem delata.* 142
IV. *De* Ædilibus Curulibus, *de* Ædilibus Plebis, *& de* Ædilibus Cerealibus *in antiquis nummis.* 143
1. *De* Ædilibus Curulibus. ibid.
1. ÆDILITAS CURULIS *proximus ad* Præturam *gradus*; *illius in nummis insignia.* ibid.
2. *Ædium Sacrarum cura* Ædilibus Curulibus *commissa.* 144
3. *Item curatio ludorum Vrbis solemnium, & quorum potissimum.* ibid.
4. Florales ludi *ab* Ædilibus Curulibus *editi.* 145
5. *De primo* Floralium *editore in nummo Gentis Seruiliæ, ac duplici Romæ institutione.* 146
6. Ædilium Curulium *in edendis* Ludis *procuratio, quibus Symbolis in nummis designatur.* 149
7. *De Annonæ curatione* Ædilibus *hisce itidem commissa.* 150
2. *De* Ædilibus Plebis, *seu* Ædilibus Cerealibus. 152
1. ÆDILES PLEBIS *signati quoque in nummis Gentium Romanarum.* ibid.
2. *Annonæ curæ iis* Ædilibus *relictæ exempla in nummis.* 153
3. *De extraordinariis Rei Frumentariæ curatoribus. Exempla itidem in nummis.* 154
4. *De* Plebis Curulibus *designatis in duobus nummis* ÆD. *seu* ÆDILIBUS. 157
V. *De* Quæstoribus Urbanis & Prouincialibus, *ac de* Proquæstoribus *in nummis.* 159
1. *De Primis Romæ* Quæstoribus, & *quod eorum munus; dissensio auctorum.* ibid.
2. *De* Quæstoribus *Vrbanis.* 160
3. *De* Quæstoribus Prouincialibus. 161
4. *Alia de* Quæstoribus Prouincialibus, *qui in aliquot nummis leguntur.* 162
5. *Cur* Sella Curulis & *duæ* Secures Quæstori *in nummo Nicæensium tribuantur.* 164
6. *De* Macedoniæ Quæstoribus *in nummis, & de* Quæstoribus, *qui* Candidati *sunt dicti.* 165
7. *De* Proquæstoribus *in nummis.* 166
VI. *De* Triumuiris & Quatuoruiris Monetalibus *in nummis.* 167
1. *De Constitutis Romæ* TRIUMVIRIS & QUATUORVIRIS MONETALIBUS. ibid.
2. *De aliis* Monetariis *Romæ* Curatoribus. 168
3. *De facultate signandæ monetæ Coloniis, aliisue.* 169
VII. *De* Præfectis Fabrûm *in nummis.* 170
VIII. *De* Extraordinariis Magistratibus Urbanis, *aut* Prouincialibus, Populi Romani, *qui signantur in nummis Familiarum Romanarum.* 171
1. *De* DICTATORE. ibid.
1. *De* Dictatoris *dignitate, eaque reperta in nummis J. Cæsaris.* ibid.

****

2. *De* Securibus Dictatorum *insigni in nummis, & quot iidem habuerint.* ibid.
2. *De* Triumviris Reipublicæ Constituendae, *ac* Tribunis militum Consulari potestate. 173
3. *De* Proconsulibus, Propraetoribus, Legatis Proconsulibus, *aut* Propraetoribus Legatis Augusti. 174
1. Proconsules *ac* Proprætores, *an magistratus fuerint.* 175
2. *Utriusque generis* Proconsules & Proprætores *in nummis.* 176
3. Prouinciarum, *seu* Urbium *nomina, quibus illi præerant, in nummis adscripta.* 177
4. Legati Proconsule, *aut* Proprætore *in nummis.* 178
4. *De* Imperatoris *titulo in nummis Familiarum Romanarum.* 180
1. *De* Imperatoris titulo *Reipublicæ temporibus, & quando primum datus.* ibid.
2. *De triplici* Imperatoris *apud Romanos significatione.* 181
3. *De* Imperatoris *nomine obuio in variis Gentium Romanarum nummis.* 182
5. *De* Praefectis Classis & Oraе Maritimae *in nummis.* 183
1. *Quæ ratio illius* Classis Præfecturæ *apud Romanos fuerit.* ibid.

I V.

De Operibus Publicis, et Gestis Pace *ac* Bello, *quæ in nummis Familiarum Romanarum consignantur.* 185
I. *De* Operibus Publicis *in nummis Familiarum Romanarum.* 186
1. *De* Basilica Æmilia *refecta in nummis.* ibid.
2. Libonis Puteal, *seu* Scribonianum, *in nummis, ac ab alio, quod in Comitio, diuersum.* 189
3. Rostra *in nummis tam* Vetera *quam* Julia. 190
4. Comitium *in Foro cum* Cloacina. 191
5. Comitium *in* Campo Martio *cum* Septis, Cancellis, *&c.* 192
6. Viæ munitæ, Pontes *in nummis.* 193
7. *Aquæductus*; Aqua Marcia *in nummo.* 195
II. *De* Actis Pacis *ac* Belli *in nummis Familiarum Romanarum.* 198
1. *De* Actis Pacis. ibid.
1. *De Legibus latis.* ibid.
2. *Fœdera Pop. Romani cum exteris populis fancita.* 201
3. *Continuatio eiusdem argumenti* 202
4. *De* Romanorum signis *a Parthis Augusto* restitutis. 204
5. *De cæde J. Cæsaris in nummis.* 208
6. *De Sellis Curulibus, quæ vel absentibus vel mortuis in Theatris ac in templis collocabantur.* ibid.
2. *De* Actis Belli *in nummis Familiarum Romanarum.* 210
1. *De* Victoriis *ac* Triumphis, *qui designantur in nummis Familiarum Romanarum.* ibid.
2. *Continuatio de* Triumphis. 211
3. *Enumeratio aliquot insignium* Triumphorum *in nummis Familiarum Romanarum.* 212
4. *Continuatio eiusdem argumenti.* 213
5. *De Quadrigis* Elephantorum *Triumphalibus.* 214
6. *Triumphalia ornamenta in veteri nummo.* 215
7. *De* Ouatione *seu* Minore Triumpho *in nummis.* 217
8. *De* Tropæis, *nec una eorum ratione in nummis.* 220
9. *De* Tropæo *in nummo L. Æmilii Paulli.* ibid.
10. *De* Opimis Spoliis & *cæso hostium duce.* 224
11. *Barbarorum reges supplices aut vincti in nummis.* 225
12. *Singularis Romanorum virtutis seu fortitudinis in his nummis exempla.* 226
13. *De* Vallo *Romanorum.* 228
14. *De* Signis Legionum *ipsisque* Legionibus *in nummis.* 231
15. *De duobus M. Antonii nummis, uno* Cohortium Prætoriarum, *altero* Cohortis Speculatorum. 233

DISSERTATIO UNDECIMA.

I.

Ad Seriem Caesarum & Augustorum. 241
1. *De Adulteriis aut suspectis Historiæ Augustæ nummis.* ibid.
I. *An* Tres *vel* Quatuor Gordiani *fuerint.* 243
1. *Sententia de tribus aut quatuor* Gordianis *diligenter expensa.* 244
2. *Continuatio eiusdem Argumenti.* 246
3. *In nummis* Gordiani tres *non* quatuor *exhibiti.* 251
II. *De Defectu Historiæ Augustæ Scriptorum inter* Gordianum III. & Valerianum *Imperatores.* 252
1. *De primis* Gordiani III. *successoribus in*

in nummis, & de MARINO *nominatim.* ibid.
2. *De* JOTAPIANO, JVLIO PRISCO *&c. ſub* Philippis. 254
3. *De* HERENNIO HETRVSCO *&* VALENTE HOSTILIANO *ſub* Decio. 255
4. HOSTILIANVS *fueritne gener, an filius* Decii. 256
III. *De* IMPERATORIBVS *vel* TYRANNIS Valeriani *&* Gallieni *ac ſequentium Imperatorum temporibus.* 258
1. *De* VALERIANO JVNIORE *& aliis* Valerianis *&* Gallienis. ibid.
2. *De* Tyrannis *vix notis, præterquam è nummis.* 259
3. *De* PACATIANO *incertæ ætatis* Tyranno. 261
4. *De* DOMITIO DOMITIANO, FIRMIO *& aliis* Aureliani *ætate.* 262
5. *De aliis inſequutis temporibus* Tyrannis. 264
6. *Continuatio eiusdem argumenti.* 265

II.

Ad SERIEM *&* HISTORIAM AVGVSTARVM. 268
1. *De dignitatum titulis, quæ mulieribus leguntur tributæ.* ibid.
2. Auguſtarum *nomine* Uxores, Matres, Auiæ, &c. *Auguſtorum dicuntur.* 270
3. *Priorum Cæſarum* Coniuges *&* Adfines *non omnes in nummis exhibitæ.* 272
4. *De* LIVIA *ſiue* JVLIA *Auguſti Cæſaris, &* ANTONIA *minore, earumque honoribus.* 273
5. *Sacerdotia Deorum ad feminas translata.* 276
6. *De honoribus* OCTAVIÆ, AGRIPPINÆ *& aliis* Auguſtæ *donus mulieribus decretis.* ibid.
7. *Carpentorum & mularum uſus penes mulieres.* 278
8. *De aliis porro Auguſtarum nummis.* 279
9. OCTAVIA *Neronis uxor in nummis, ac ſingularis eiusdem* Neronis *nummus explicatus.* 281
10. POPPÆA *Neronis in nummis.* 282
11. STATILIA MESSALINA *in ſingulari, ac Græco quidem, numno.* 284
12. *De* FLAVIA DOMITILLA *in* Veſpaſiani *ac filiorum nummis.* ibid.
13. *De altera Titi uxore in nummis.* 286
14. JVLIA Titi *filia* Auguſta *ac* Diua *in nummis.* 287
15. DOMITIÆ Domitiani *coniugis frequens in nummis mentio.* ibid.
16. *An* Neruæ *uxor compareat in nummis.* ibid.
17. *De* SABINA Hadriani *coniuge.* 288
18. *De* FAVSTINA *utrâque, uxore ſcilicet ac filia* Antonini Pii. ibid.
19. *De* CRISPINA Commodi *uxore.* 292
20. *De* TITIANA Pertinacis *coniuge.* 293
21. *De* Didii Juliani *uxore & filia.* ibid.
22. *De* JVLIA DOMNA Seueri *uxore.* 294
23. *De* PLAVTILLA Antonini Caracallæ *uxore.* 296
24. *De matre & uxoribus* Elagabali. ibid.
25. *De* JULIA MAMÆA Alexandri Seueri matre. 298
26. *De* SALLVSTIA BARBIA ORBIANA Seueri *coniuge.* 299
27. *De* Maximini *uxore.* 300
28. *De duabus* Gordiani Senioris *uxoribus.* 301
29. *De* FVRIA SABINA TRANQVILLINA Gordiani Pii *uxore.* ibid.
30. *De* OTACILIA Philippi Senioris *uxore.* 303
31. *De* SALLVSTIA BARBIA ORBIANA Hoſtiliani *uxore.* 305
32. *De* HERENNIA ETRVSCILLA Decii *coniuge.* 304
33. *De* Valeriani *Patris uxore* MARINIANA, *&c.* ibid.
34. Tyrannorum *coniuges in nummis.* 307
35. *De* JVLIA PROCLA. 308
36. *De* MAGNIA URBICA. 310
37. *De* GALERIA VALERIA Galerii Maximiani *coniuge &c.* 312
38. *De aliis adhuc Auguſtorum uxoribus.* 314

III.

De ALIIS AVGVSTORVM ADFINIBVS *vel* NECESSITVDINIBVS *in Nummis.* 315
1. *De* MARCELLO, Octauiæ *&* Cl. Marcelli *filio.* 316
2. *De* M. Antonii *Triumuiri liberis.* ibid.
3. *De* AGRIPPA *altero* Juliæ *marito.* 317
4. *De* CAIO *&* LVCIO Agrippæ *ex* Julia *filiis.* 318
5. *De* NERONE CLAVDIO DRVSO. 320
6. *De* DRVSO Tiberii *filio.* 321
7. *De* NERONE *ac* DRVSO Germanici *liberis.* 322
8. *De* Claudii *Imperatoris liberis in nummis.* 324

9. *De duobus* Britannici *nummis.* 325
10. *De* Vitellii *liberis.* 326
11. *De* Cæsare Domitiani *filio.* 327
12. *De Imperatorum patribus, qui in nummis occurrunt.* 328
13. Antinovs Hadriani *catamitus in nummis.* 329
14. *De* Galerio Antonino Antonini Pii *filio.* 338
15. *De* Commodi *liberis in nummis.* 340

DISSERTATIO DUODECIMA.

De Titulis *&* Honoribus *Primi & Secundi* Cæsarum *&* Augustorum *Fastigii in Nummis Cæsarianis.*

I.

De Titulis Secundi Cæsarim *Fastigii.*
I. *De Titulo* Cæsaris. 341
1. *De* Cæsaris *cognomine, & unde* C. Octavio *fuerit tributum.* 342
2. Tiberio, *quomodo idem* Cæsaris *nomen sit additum.* 343
3. *Ad filios, tam naturales quam adoptivos in Familia Julia* Cæsaris *nomen translatum.* 344
4. *Post* Neronem, *qui* Cæsares *sunt dicti.* 345
5. Galba, *quare* Cæsar *sit dictus.* 348
6. Otho, *qua ratione* Cæsaris *nomen adsumpserit.* 350
7. *An* Vitellius *illud* Cæsaris *nomen tulerit.* ibid.
8. *Unde* Vespasiano *ac* Tito *quæsitum sit nomen* Cæsaris. 353
9. *Quid statuendum sit de adsumto* Cæsaris *nomine, tam intra quam extra familiam Juliam.* 254
10. *Continuatio eiusdem argumenti.* 355
II. *De* Nobilissimi Cæsaris *titulo.* 357
III. *De* Principis Ivventvtis *appellatione.* 359
1. *Quinam libera Rep. eo nomine sint dicti.* ibid.
2. Caius *&* Lucius Principes Ivventvtis. 361
3. *Ex equestri ordine eo nomine lecti adolescentuli.* 362
4. *An hæc dignitas conveniat cum Magistro equitum sub Dictatore.* 364
IV. *De Liberis Augustorum, aut Secundi Fastigii Consortibus in* Sacerdotvm Collegia *cooptatis.* 365
1. *Quare Augustorum Liberi inter Sacerdotes cooptati sint.* ibid.
2. *De usu vocis* cooptari. 367
3. *Supra numerum Augustorum Liberi cooptati.* 368
4. *In plura simul collegia iidem cooptati.* ibid.
5. *Ætatis gratia in cooptandis Sacerdotibus facta.* 369

II.

De Titulis Primi *in Orbe Romano* Fastigii. 370
I. *De Titulo* Cæsaris. ibid.
II. *De Titulo* Avgvstorvm. 371
1. *Nomen* Avgvsti *non fuit hæreditarium familiæ cognomen.* ibid.
2. *De vi ac significatione vocis* Avgvstvs. ibid.
3. *Continuatio eiusdem argumenti.* 372
4. *Nomen illud inditum Imperatoribus ad splendorem dignitatis significandum.* 373
5. *An* Avgvsti *nomen unquam ab Imperatoribus depositum fuerit.* 374
6. *An* Augustum *secuti Imperatores omnes id nomen usurparint.* 375
7. *Duo simul* Avgvsti *post* Antonini Pii *mortem.* ibid.
8. *An* Carus *simul cum duobus filiis* Avgvstis *imperarit.* 477
9. *De singulari* Gratiani *nummo, cum inscrip.* Avgg. Avg. 378
10. *Continuatio eiusdem argumenti.* 381
11. *De discrimine inter eos, qui simul* Avgvsti *sunt dicti.* 382
12. Perpetvi, *qua ratione* Avgvsti *sint dicti.* 383
13. *De* ΣΕΒΑΣΤΟΥ *sive Augusti appellatione, tandem diversa à Principis fastigio.* 384
14. *De voce* ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ *etiam à Græcis usurpata.* ibid.
15. *De peculiari Augustorum Diademate.* 385
16. *Quis Imperatorum gemmato Diademate primus sit usus.* 382
III. *De* Imperatoris *titulo in Nummis.* 392
De Imperatoris *nomine duplici respectu Augustis tributo.* ibid.
2. *De* Imperatoris *appellatione, quâ summum designat imperium.* 393
3. *Continuatio eiusdem argumenti.* 395
3. *De* ΒΑΣΙΛΕΟΣ *titulo Romanis Imperato-*

peratoribus tributo. 397
5. *De nomine* IMPERATORIS & ΒΑΣΙΛΕΩΣ Cæsaribus *etiam dato.* 401
6. *De significatione vocis* IMP. *in aliquot* J. Cæsaris *nummis.* 402
7. *De* IMP. *nomine in aliorum nummis.* 403
8. *De Imperatoribus, seu Augustis,* IMP. *nomen ex veteri more præterea adscisentibus.* 404
9. Harduini *sententia de Augustis ad certum tempus a Senatu constitutis excussa.* 405
10. *Continuatio eiusdem argumenti.* 406
IV. *De* PONTIFICIS MAXIMI *titulo in Nummis Imperatorum.* 413
1. *An* PONT. MAX. *titulus Christianis Imperatoribus sit datus.* ibid.
2. *De aliarum gentium Sacerdotiis summis magistratibus delatis.* 416
3. *Titulo* ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ *addita vox* ΜΕΓ. 418
4. *Supremi Sacerdotes cuiusque Prouinciæ Sacerdotibus præpositi.* 419
5. *De perpetua Pontificis Maximi dignitate.* 421
5. *De Pontificis Maximi dignitate Augustis hæreditaria.* ibid.
7. *De inferiore Pontificatu, Principibus Iuuentutis delato.* 422
8. *Augusti Pontificis Maximi munia ipsi obierunt.* ibid.
V. *De* TRIBUNITIA POTESTATE *in Nummis Imperatorum.* 424
1. *De Tribunitia Potestate subinde renouata, & cum successoribus communicata.* 425
2. *De obliterato* TRIBUNITIÆ POTESTATIS *titulo.* 427
3. *De Imperatorum* TRIBUNITIA POTESTATE, *cum Tribunorum Plebis potestate collata.* ibid.
4. *An gemina fuerit Tribunitia Potestas.* 429
5. *De tempore, quo Tribunitia Potestas solebat conferri.* 432
VI. *De Titulis* PII *ac* FELICIS *in Imperatorum Nummis.* 434
1. *De Titulo* PII. ibid.
1. *De appellatione* PII *orta ex Græco* ΕΥΣΕΒΟΥΣ *titulo.* ibid.
2. *Quis Imperatorum primus* PII *cognomen tulerit.* 435
3. *Continuatio eiusdem argumenti.* 437
4. Harduini *sententia de* PII *cognomine expensa.* 438
2. *De* FELICIS *titulo in nummis Imperatorum.* 441
1. *De* FELICIS *titulo Commodo primum tributo.* ibid.
2. *De singulari* Commodi *nummo.* 443
3. *Continuatio prioris argumenti.* 444
VII. *De* PATRIS PATRIÆ *titulo in nummis Imperatorum.* 445
1. Augustus *quando primo* PATRIÆ PATER *sit appellatus.* 446
2. Tiberius PAT. PATRIÆ *appellationem recusauit.* ibid.
3. Nero *iam primo anno hunc titulum recepit.* 447
4. *De* Vespasiano, Traiano, Hadriano, *&c.* P. P. *appellatis.* ibid.
5. *De* PATRIS *appellatione Impp. post eorum obitum data.* 448
6. *De appellatione* PATR. CASTROR. EXERCIT. *&c.* 451
VIII. *De titulo* CONSULIS *in nummis Imperatorum.* 452
1. *De origine coniuncti Consulatus cum Dictatura.* ibid.
2. *De summa Consulatus dignitate.* 453
3. *De tempore Consulatus ab Imperatoribus gesti.* 454
4. *De Imperatorum Consulatibus Ordinariis & Suffectis.* 455
5. *De Cæsarum Processu Consulari in nummis.* 457
6. *De Augustorum in Consulatu collegis.* 460
7. Harduini *sententia de Augustorum Consulatu expensa.* ibid.
IX. *De titulo* PROCONSULIS *in nummis Imperatorum.* 463
1. *De* PROCONSULIS *titulo non nisi rarò in Imperatorum nummis obuio.* ibid.
2. *De caussa adsumti ab Imperatoribus* PROCONSULIS *tituli.* 467
3. *De singulari* Traiani *nummo cum* PROCOS. *titulo.* 468
4. *De imperio, quod* PROCOS. *Potestate adquirebant Augusti.* 469
5. *De triplici vocis* Proconsulatus *significatione.* 471
X. *De titulo* CENSORIS *in aliquot Imperatorum nummis, & de* CENSURA *sub iis.* 472
1. *De* CENSORIS *perpetui Dignitate* Augusto *oblata.* 473
2. *De titulo* CENSORIS *rarò dein aliis tributo.* ibid.
3. *De nummis & lapidibus, qui Censuram Imperatorum exhibent.* 474
4. *De Censura a* L. Vitellio, *unà cum* Claudio *gesta.* 475
5. *De* Vespasiani *ac* Titi *Censura.* 478
6. *De* Domitiano *Censore perpetuo.* ibid.
7. *De Imperatorum post* Flauios *Censoria Potestate.* ibid.
8. *De Censura demum a priuatis gesta.*

****

ſta. 478
9. *De Cenſoribus in Municipiis & Colonis.* 482
XI. *De titulo* Domini *in nummis Imperatorum.*
1. *Quis Imperatorum primus ſit appellatus* Dominvs. ibid.
2. *De appellatione* Domini & Dei *in nummis.* 484
3. *De nummis, in quibus* Domini *titulus comparet.* 485
XII. *De* Dei *in genere, & nominatim quorundam Deorum nominibus in nummis Imperatorum.* 489
1. *De voce* ΘΕΟΣ *in quibusdam Græcis nummis.* ibid.
2. *De nomine* Apollinis *à Nerone adſumto.* 492
3. *De nomine* Hercvlis *in* Hadriani *ac* Commodi *nummis.* ibid.
4. *De* Jovis & Hercvlis *nominibus in nummis* Diocletiani & Maximiani. 494
5. *De* Jovii & Hercvlii *appellationibus.* 495
XIII. *De aliis adhuc Appellationibus, quæ à Diis petitæ in nummis Imperatorum leguntur.* 497
1. *De* Olympii *appellatione* Hadriano *tributa.* ibid.
2. *De nomine* Olympii Commodo *quoque dato.* 499
3. *De appellatione* ΣΩΤΗΡΟΣ *in nummis aliquot Imperatorum.* 500
4. *De* Optimi & Maximi *appellationibus in Imperatorum nummis.* ibid.
XIV. *De Imperatorum Cognominibus à Victoriis deuictisue Gentibus adſumtis.* 501
XV. *De ſuſceptis ab Imperatoribus aliorum nominibus ad ſignificandum* Adfinitatem, Originem, *&c.* 506
1. *De* Antoninorvm *nomine.* ibid.
2. *De Deceſſorum nominibus ab Imperatoribus adſumtis.* 507
3. *De aliis Generis aut Adfinitatis titulis.* 509
4. *De ſingularibus* Maxentii *nummis.* ibid.
5. *De aliis porro appellationibus in nummis Imperatorum.* 512

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

1. *De ſingulari Utilitate ſtudii Numismatici.* 515
2. *De Eruditorum conuentu Pariſiis inſtituto, & eius ſcopo.* 517
3. *De Nummorum ſupra Inſcriptiones Utilitate.* 518
4. *De* Actis *Cæſarum, quæ in nummis reperiuntur.* 520
5. *De nummis vulgo* Spintriis Tiberianis. ibid.

I.

Acta Pacis *in Nummis Imperatorum.* 524
I. *Quod ad* Religionem & Deorvm *cultum.* ibid.
1. *De Imperatoribus in Deorum tutela.* 525
2. *De* Votis *pro ſalute Reip. à Principibus nuncupatis.* ibid.
3. *De ludis & agonibus Votiuis.* 526
4. *De aliis Pietatis Imperatorum indictibus nummis.* 527
II. *Ad* Beneficia *in Urbem* Romam *ab Imperatoribus, & quidem* Restitvtæ Libertatis, *collata.* 528
III. *De* Liberalitatibvs & Congiariis *ab Imperatoribus Populo Romano datis.* 529
1. *De modo & tempore, quo Panis populo eſt datus.* 531
2. *De* Liberalitatis *typo in nummis.* 533
3. *De ſignificatione quarundam locutionum huc pertinentium.* ibid.
4. *De Imperatorum Largitionibus Frumenti vel Pecuniæ.* 535
5. *De ſingulari* Domitiani *nummo.* 538
6. *De quodam* Neruæ *nummo, &c.* 539
7. *De alimentis pueris & puellis de ſuo, aut è Publico ab Impp. præſtitis.* 542
IV. *De* Remissis Vectigalibvs, *aut* Reliqvis *Debitorum* Abolitis *in nummis Imperatorum.* 545
1. *De Ducenteſima remiſſa.* ibid.
2. *De* Auguſti *nummo cum inſcriptione,* CC. Avgvsti. 546
3. *De Quadrageſima remiſſa.* 549
4. *De Reliquis ab* Hadriana *abolitis.* 552
5. *De Reliquorum tabulis exuſtis.* 559
6. *De aliis adhuc Imperatoribus, qui Reliqua remiſerunt.* 560
V. *De* Vehicvlatione Italiæ Remissa. 561
1. *De ſignificatione vocis* Vehicvlatio, *& origine iſtius rei.* 562
2. *De Italiæ prærogatiua in Auguſtorum munificentia accipienda.* 564
3. *Continuatio ſuperioris argumenti.* 566
4. *An*

4. *An* Nerua *omni præstandæ Vehiculationis onere Italos exemerit.* 567
5. *De* Neruæ *nummo cum inscriptione* FISCI IADAICI CALUMNIA SUBLATA. 570

II.

De ROMANI IMPERII, *siue* REGNORUM, URBIUM LIBERARUM, & PROVINCIARUM *in eo sub Cæsaribus* ADMINISTRATIONE. 575
I. *De* REGNIS *sub Romanorum Imperio in nummis Cæsarianis.* ibid.
1. *De Rege* POLEMONE *& eius filio.* 576
2. *De Regibus* SAUROMATIS, *& aliis.* ibid.
3. *De Judææ regibus* HERODIS *aut* AGRIPPÆ *nomine.* 577
4. *De* MANNO *Arabiæ rege.* 578
5. *De* ABGARIS *Edessenorum regulis.* 579
6. *De Numidiæ & Mauritaniæ regibus.* ibid
7. *De regibus Parthis, Armeniis, &c. datis.* 580
8. *De Gothorum & Francorum regibus in nummis Impp.* 583
II. *De* LIBERIS *seu* FOEDERATIS URBIBUS & POPULIS *in nummis Cæsarianis.* ibid.
1. *De iure urbium* AYTONOMΩN. 584
2. *De* ORDINATIONE STATUS *liberarum ciuitatum.* 585
III. *De* PROVINCIIS *Romani Imperii, & diuersis earum* RECTORIBUS *in nummis Imperatorum.* 587
1. *De Præsidibus Augustorum nomine in Prouinciis missis.* ibid.
2. *De mutata Prouinciarum sorte, qua modo Augustis, modo Populo eædem tribuerentur.* 589
3. *Quare Prouinciæ Populi peiori essent sorte quam Prouinciæ Cæsarum.* 590
4. *Continuatio superioris argumenti.* 592
5. *De discrimine eorum, qui Augustorum aut Populi Prouinciis præessent.* 596

III.

De COLONIIS *in Romani Imperii Prouincias ab Imperatoribus* DEDUCTIS, *quarum fit in eorum nummis mentio* 598
1. *De Coloniis a* Iulio Cæsare *ac* Augusto *deductis.* 599
2. *De Coloniis a* Claudio *deductis.* 603
3. *De Coloniis deductis a* Vespasiano & *Filiis.* ibid.
4. *De Coloniis ab* Hadriano *deductis.* 606
5. *De Coloniis a* Seuero & *Filiis deductis.* 607
6. *De aliis Cæsarum Coloniis.* 608
7. *De* Daphne Constantiniana. 613

IV.

De Vrbium Romani Orbis in Cæsarianis nummis ΚΟΙΝΩΝΙΑ & ΟΜΟΝΟΙΑ, *seu Communione & Concordia.* 614
1. *De Vrbibus, quamuis dissitis, Concordia tamen iunctis.* 617
2. *De Caussis concordiæ inter istas urbes.* 618

V.

ADVENTUS, PROFECTIONES, & RESTITUTORIS *tituli in nummis.* 619
I. PROFECTIONES *Imperatorum in nummis.* ibid.
II. *De* ADVENTU *Imperatorum in eorum nummis.* 620
1. *De Aduentu Imperatorum in Vrbem Romam.* 621
2. *De Aduentu Imperatorum in Prouincias.* 622
III. *De* RESTITUTORIS *Vrbis* ROMÆ, PROVINCIARUM, ORBIS, *&c. elogio in nummis Imperatorum.* 624
1. *De Ciuitatibus Asiæ a* Tiberio *Restitutis.* ibid.
2. *De titulo* RESTITUTORIS *in nummis* Galbæ. ibid.
3. *De* RESTITUTORIS *titulo in nummis* Traiani & M. Antonini. 625
4. *De nummis* Hadriani *cum eodem titulo.* ibid.
5. *De titulo* RESTITUTORIS *in aliis Imperatorum nummis.* 626

VI.

ACTA BELLI *in nummis Imperatorum.* ibid.
1. *De significatione vocis* VIRTUS *in nummis Imperatorum.* 627
2. *De Adlocutionibus siue Concionibus militaribus.* ibid.
3. *De nummis in quibus nomen* EXERCITUS *expressum legitur.* 630
4. *De quodam* Postumi *nummo cum inscriptione* EXERCITUS VAC. 631
5. *De nummis in quibus* FIDES, VIRTUS, GLORIA, *&c.* EXERCITUS. 632
I. *De* LEGIONUM *expressis in nummis Imperatorum nominibus.* 633
II. *De* VICTORIIS *Augustorum in nummis ipsorum signatis.* 634
1. *De nummis cum* VICTORIA GERMANICA. ibid.
2. *De inscriptione* VICTORIA PARTHICA. 635

3. *De nummo* Philippi patris *cum* VICTORIA CARPICA. ibid.
4. *De* VICTORIA GOTHICA *in nummis* Claudii Gothici. ibid.
5. *De* QUADIS *a* M. Antonino *deuictis.* 636
6. *De* GENTIBUS CAPTIS, SUBACTIS, DEVICTIS, RECEPTIS, *&c.* 637
7. *De nummis* DE PARTHIS, DE BRIT. DE GERM. *&c.* 638
8. *De singulari* Constantii *nummo.* ibid.
9. *De singulari* Diocletiani *nummo, in quo* FATA VICTRICIA. 639
10. *De nummis, in quibus* PAX AUG. ÆTERN. PERP. *&c.* 641
11. *De singulari* Vitellii *nummo.* 643

VII.

De TEMPLIS, *quæ comparent in nummis Imperatorum,* ibid.
1. *De Templis* JOVI *sub variis Cognominibus consecratis.* 644
2. *De Templo* MARTIS ARMIGERI *in nummis.* 646
3. *De* HERCULIS VICTORIS *Templo.* ibid.
4. *De Templis* MATRIS DEUM, JUNONIS SALUTARIS, *&c.* 647
5. *De Templis* CLEMENTIÆ, CONCORDIÆ, & PACIS. ibid.
6. *De Templis Romæ ipsis Imperatoribus dicatis.* 649
7. *De Templis in Prouinciis Imperatoribus dedicatis.* 650
8. *De Arcubus, Pontibus & aliis Operibus Cæsarum publicis.* 653

CONCLUSIO OPERIS. 654

DISSER-

DISSERTATIO DECIMA
DE
PRÆSTANTIA ET USU
NUMISMATUM
ANTIQUORUM.

OCTAVIO FALCONERIO
S. D.
EZECHIEL SPANHEMIUS.

ILLUD sæpenumero mirari soleo, OCTAVI iucundissime, cur in hac literarum luce, & circumfluente præstantium ingeniorum copia, iaceant nihilo minus ea studia, quæ patrum nostrorum memoria feliciter exculta, summo in pretio ac honore florebant. Scilicet diuino ingenio & exquisitâ doctrinâ homines, quum toti in id incumberent, ut sepultas vel intermortuas literas denuo excitarent; hinc omnia studiose ac diligenter inuestigabant, quibus, in ea nocte & caligine optimarum artium, plurimum iisdem luminis adferrent. Ita non libri solum, quibus veterum doctrina ac sapientia continentur, nouo cultu ac nitore sunt ab iis illustrati; sed & Nummi, Marmora, aliæque venerandæ vetustatis Reliquiæ, in subsidium tam ardui operis, eâdem alacritate animi & laboris contentione, ab iis fuerunt continuo arcessita. Unde multa præclara ab iis in hoc genere reperta, & magna cura elaborata etiamnum occurrunt; quæ si parem cupiditatem sequentium temporum forent nacta, ad consummati fastigii gloriam optimarum artium studia euecta pridem fuissent. Verum dum ardor ille parentum in liberis refrigescit; dum tædio laboris, aut difficultate operis langueſcunt eadem studia; dum soli ferme beatiores homines, aut præclaris doctrinæ & eruditionis haud protritæ studiis minus exculti, ea tractant, quæ acri ingenio & ab omni literarum varietate instructos (quales tulit, & habet etiamnum hæc ætas) requirebant; incredibile dictu, quantum ad consummationem perfectionemque earundem literarum adhuc desit. Sed aliqua spes adfulget, adesse meliora tempora, & excitari denuo homines, qui incensi laudabili studio, omnem hanc memoriam, quæ Nummis, aliisue monumentis antiquis, adhuc sepultis vel intactis, continetur, ornandam sibi, ac omni doctrinæ & literarum genere illustrandam suscipiant. Quorum animos si hoc meo qualicunque labore, ad præclarum adeo consilium in-

cendere ulterius ac inflammare valeam; tum equidem uberrimum operæ ac laboris fructum me tulisse reputabo. Et hæc quidem in superiori huius operis editione ante annos hosce triginta & sex eram præfatus, quum opportune factum ab eo tempore, quod iam in Præfatione renovati a nobis huius operis monitum, & mox adhuc monendum veniet, ut veluti ad faustum voti modo a me suscepti complementum, impenso præstantium ingeniorum studio ac labore, sit insignis hæc eruditæ antiquitatis supellex paullo diligentius excussa, & ad publicam elegantiam ac utilitatem prolata.

UTILITAS *Nummorum, quos vocant,* CONSULARIUM.

In ROMANA equidem HISTORIA vel ANTIQUITATE quam facem hîc Nummi præferant, minus, ut puto, obscurum erit aut reconditum. Qui enim hactenus Numismata veterum enarrare sunt adgressi, hunc potissimum industriæ suæ campum delegerunt. LIBERÆ utique REIPUBLICÆ, hoc est, heroïca Urbis tempora, multa caligine esse involuta haud ignoras, dum illius scriptores vel mutilos terimus, vel perditos desideramus. Resarciuit vero utcunque hanc iacturam superiori seculo aureum illud FAMILIARUM ROMANARUM opus, a Fuluio Ursino ex priscis numismatibus, nescio an laudabilius susceptum, an pertextum felicius. Quæ enim ille intacta reliquit posteris, aut cæteroquin minus adsecutus est (qualium forte seges non contemnenda, ut viderunt iam alii, qui in eodem campo desudarunt, tum etiam in progressu huius operis docebitur) nullam tamen eidem impense singulari omnino utilissimæque operæ gloriam detrahunt. Ut equidem haud immerito a magno Scaligero eadem *diuini libri* elogio ornata legatur, & ex quo equidem multa se didicisse is ingenue agnoscat. Commode vero, dum hæc primum olim commentabamur, post longas moras adlatum est in Urbem idem opus, a Carolo Patino, antiquariæ iuxta ac medicæ rei optimo promocundo, feliciter auctum & recensitum. Quamquam, uti forte ætas tulit, ac intentior adhuc, quæ ab eo tempore, uti paullo ante dicebamus, subsequuta est huius memoriæ inuestigatio, haud pœnitenda utique accessione, e reconditis etiamnum in præclaris Cimeliarchiis veterum Quiritium nummis, idem hoc *Gentium* seu *Familiarum Romanarum* opus compleri posset ac illustrari. Quod ut e luculento præstantissimi Morelli, sed incredibili harum antiquitatum damno, ad meliorem vitam nuper translati, quo is omnem hanc memoriam complecti constituerat, Thesauro constare cuiuis deinceps licuisset; ita ex editis noviss̃ime viri, qui ætatem in versandis, diuulgandisque, & explanandis id genus antiquitatibus feliciter, & cum meritissima laude, contriuit, *Antiquis Familiarum Romanarum Nummis*, quosque perpetuis interpretationibus illustrauit, liquido adsertum est & comprobatum. Neque tamen ita res ea adhuc est plene pertractata vel exhausta, quod nec unius vel alterius hominis, quantumcumque seduli ac adtenti, ætas vel industria patitur; quin, &, quod vel ex huius commentationis processu mox liquebit ut opinor, plures adhuc supersint intacti hactenus *Consulares*, uti vulgo illi audiunt, id genus nummi, unde maiorem adhuc lucem nobilissimæ principis Gentium

Scaligerana p. 364.

P. Vaillant.

po-

populi Familiæ, veteresque eius Annales percipere adhuc possunt. Quæ eo iucundius utique lectorem earum rerum cognitione incensum adficient, qui vel solam Fuluianam collectionem ita comparatam pridem nouit, in qua liceat agnoscere non tam prisca Romani nominis decora vel insignia, quam ipsam cernere veteris Reipublicæ imaginem, ac inde multiplicem usum ad historiam & antiquitates illorum & vetustiorum etiam urbis temporum pernoscendas mutuari.

I. *Ad Notitiam* FAMILIARUM ROMANARUM.

I. *Ad Imagines illustrium apud Romanos Familiarum.*

Primum statim arguit ampla illa GENTIUM vel FAMILIARUM series, quæ Nobilitatem ferme omnem principis gentium Populi, iucundo utique ac obuio insuper obtutu, nobis etiamnum conspiciendam præbet. Adeo quidem, ut funeri te non unius Consularis, sed totius Reipub. credas interesse; in quod, ex prisci moris vestigiis, Imagines tot clarissimarum Gentium inferri longo ordine videas: IMAGINUM *enim specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere*, aiebat olim Senatus Princeps M. Lepidus. Nobilius certe funus hîc fatearis quam illustris illius matronæ, cuius meminit Tacitus, Juniæ nempe C. Cassii coniugis, & sororis M. Bruti, in cuius funere *viginti clarissimarum Familiarum* IMAGINES *antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque eiusdem nobilitatis nomina*; aut quod de funere Drusi Tiberii filii idem Annalium Scriptor alibi obseruat: *Funus* IMAGINUM *pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas &c. cæteræque Claudiorum effigies longo ordine spectarentur*: Eædem quippe hîc tibi occurrent JUNIORUM, CASSIORUM, MANLIORUM, QUINCTIORUM, JULIORUM, CLAUDIORUM, tum longe adhuc plurium Gentium Imagines, quibus hodierni Quirites vestri etiamnum possunt adsurgere: & de quibus aiebat olim ad Quirites apud Dionem Augustus: *Vos autem ipsi a primâ origine Romani*, QUINCTIOS (non QUINTOS, quod nominis, prænominis demum, vel cognominis, non gentis Romanæ vicem obtinet) VALERIOS, JULIOS *enumerantes, cum vobis simul & gentes & nomina abolere in animo habetis?* Αὐτοὶ δὲ ὑμεῖς οἱ ἀπ' ἀρχῆς Ρωμαῖοι ΤΟΥΣ ΚΟΥΙΝΤΙΟΥΣ, (non, ut ibi male, ΚΟΥΙΝΤΟΥΣ) ΤΟΥΣ ΟΥΑΛΕΡΙΟΥΣ, ΤΟΥΣ ΙΟΥΛΙΟΥΣ καταλέγοντες, ἐπιθυμεῖσθε μέθ' ὑμῶν αὐτῶν, καὶ τὰ γένη ἅμα καὶ τὰ ὀνόματα ἀπολέσαι; Qui enim præter gentes illas modo commemoratas, ÆMILIAS insuper, CÆCILIAS, CORNELIAS, FABIAS, FURIAS, PAPIRIAS, PORCIAS, SERVILIAS, SULPITIAS, VALERIAS, ut tot alias nittam, positas ante oculos cernit; frustra alibi aut hominum celebritate, aut dignitate munerum, aut gestorum gloria, aut caritate in patriam, aut cunctis pacis & belli artibus illustriores quæret. Flos ille utique delibatus populi Gentium victoris; Prætorum autem Consulum, Dictatorum, & Cæsarum tandem seminarium; & qui Reges Legatis Regum, Dii autem Regibus olim videbantur. Neque ego hic commendationem eorum instituo, nisi quatenus ex ea pretium accedit iis monumentis seu imaginibus, quæ in illis propagandis aut adserendis in pristinam lucem hodie feliciter inserviunt. Id autem eo maiori adtentione hic dignum, quod insignis cuiusdam beneficii loco

Livii Epitom. lib. XLVIII.

Annal. III. c. 76.

Annal. IV. c. 9.

Lib. LVI. p. 577.

sit olim a Romanis habitum, ius illud prodendæ ad posteros *imaginis*; unde luculentum ea de re Ciceronis, ubi Quirites ipsos adloquitur, testimonium: *Est hoc in more positum, Quirites, institutoque maiorum, ut ii, qui beneficio vestro* IMAGINES FAMILIÆ SUÆ *consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam* BENEFICII VESTRI *cum suorum laude coniungunt.* Adeo ut de *Flaviâ*, quæ dein trium Imperatorum, Vespasiani ac filiorum, Familia euasit, dixerit Tranquillus: *Flauia obscura, ac sine ullis maiorum* IMAGINIBUS.

De Leg. Agrar. II. cap. I.

In Vespas. cap. VII.

Continuatio ejusdem argumenti.

Peculiares vero illustrium id genus, & maiorum imaginibus insignium Romanarum Gentium, seu Familiarum, Commentarios olim exstitisse accepimus, quales PORCIÆ Familiæ legisse sese profitetur Gellius: *Quum*, inquit, *& laudationes Funebres, & librum Commentariorum de Familia Porcia legeremus.* Ubi obiter obseruo, *Familiam* ibi, sicut frequenter in lapidibus & supra, atque alibi non semel apud Tacitum, pro tota *Gente* positam; quod & [a]Velleio, [b]Valerio Maximo, aliisque familiare, *Principe illo Familiæ Porciæ*, item *Porciæ Familiæ*; quam tamen vocis *Familiæ* eo sensu significationem improbasse aliquando viros doctissimos noui. Quod ab Ulpiano factum etiam video, & obseruo: *Item appellatur* FAMILIA *plurium personarum, quæ ab eiusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: sicut dicimus* FAMILIAM IULIAM, *quasi a fonte quodam memoriæ.* Quod nec prætereundum fuit hoc loco, ne sine idoneo exemplo factum videatur ab Ursino, dum easdem non *Gentes*, sed *Familias* inscribit. Quamquam, ut nosti, *Gentes* vocentur frequentius apud antiquos & aureæ ætatis Scriptores, Sallustium, Tullium, Liuium, aliosque, qui notum etiam *Gentis* ac *Familiæ* discrimen tradunt, ut Sallustius; *igitur Sulla,* GENTIS *patritiæ nobilis,* FAMILIA *prope iam exstincta maiorum ignauia*; ubi per *Gentem*, Cornelia; per *Familiam*, Sullæ in eadem Gente dicti intelliguntur. Ita etiam Liuius: *Orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliæ* GENTIS, *sed propriæ* FAMILIÆ *suæ*; qui & alibi unius *Gentis Patitiæ* duodecim *Familias* eadem tempestate dicit exstitisse. Cæteroquin, præter Commentarios illos de *Familia Porcia* Gellio commemoratos, nosti quoque laudatas veteribus Varronis, Attici, Hygini, Messalæ, Suetonii, in hoc monumentorum genere, lucubrationes, quas haud insolitum illustrium Familiarum fatum posteris inuidit. Hanc autem vel Commentariorum, vel Genealogiarum, quas vocant, iacturam opportune supplet, illa CONSULARIUM, quos vulgo appellant, Nummorum supellex; quæ veteres Patritias & Plebeias, hoc est, primæuas & incorruptas Quiritium Gentes, & præclaras earundem adfinitates complectitur. Neque enim adhuc Romanus sanguis cum Barbaro fuerat commixtus; nondum varietas & confusio generis inducta; nondum duo aut plura nomina, in unum gentilitium coëuntia, omnem successionis vel ordinem, vel rationem turbarant. Infusa illa breui sub Cæsaribus varietas & commixtio; qua omnis interrupta gentilium propago; qua noui homines cupide se intruserunt in veterum stirpem; qua priscæ Gentes ÆMILIÆ, CORNELIÆ, FURIÆ, JULIÆ, SEMPRONIÆ, aliæque, nouissimæ Nobilitati accessere; qua, commercio & adfinitate cum exteris, descivit a prima origine simul ac virtute Romanus sanguis. Ita Gordianum seniorem paternam

Lib. X. cap. 13.

a Lib. II.
b Lib. III. c. II.

Leg. CXV. §. 4. D. de Reg. Jur.

Iugurth. 95.

Lib. XXXVIII. c. 58.

Lib. IX. c. 29.

nam originem e *Gracchorum*, maternam e *Traiani* Imperatoris genere habuiſſe tradentem videas Capitolinum: obſcuram autem, de qua ſupra, ante Veſpaſianum, *Flauiam* gentem, a Claudio propagatam; iuxta Trebellium Pollionem. Idem de Piſone eoque *Frugi* dicto, uno e triginta Tyrannis Gallieni ætate, tradit, quod ex *illa Piſonum* (qui nempe *Frugi*, & cuiusmodi plures inſigniuntur Piſones in gentis Calpurniæ nummis) *familiâ ducere originem diceretur*. Poſteriori vero ætate, ſub Chriſtianis Imperatoribus, dum nempe una Chriſti teſſera pro omni inſigni Gentilitio ſufficere videbatur, interuerſum ferme exſtitit omne Familiarum diſcrimen, nullo iam certo aut ſtabili Gentis nomine; non turbata amplius, ſed ſublata omnis ſucceſſio; nec adulterata ſolum, ſed quaſi exſtincta univerſa Romani huius ſtemmatis ſeries. Neque ſic tamen defuere, vergente plane ad occaſum imperio, ſancti & graues etiam in Urbe cives, qui ad antiqua illa Reip. decora, quorum digeſta eſt e Nummis antiquis apud Urſinum ſeries, genus adhuc ſuum referebant. Quam certe laudem videas B. Hieronymum paſſim ſanctis illis feminis adſcribentem, *Furiæ*, *Lætæ*, *Paulæ*, *Paulinæ*, *Euſtochio*, *Fabiolæ*, quæ illi dicuntur, modo habere [a] *genus a* CAMILLO; modo [b] *Conſulum Pronepos*, *&* FURIANI *germinis decus*; *modo* [c] GRACCHORUM *ſtirps*, *ſoboles* SCIPIONUM, PAULLI *hæres*, *cuius vocabulum trahit*, MARTIÆ PAPIRIÆ *matris* AFRICANI *vera & germana progenies*; modo, [d] *Toxotio*, *quæ* ÆNEÆ *&* JULIORUM *altiſſimum ſanguinem trahit*; *unde etiam filia ejus Euſtochium* JULIA *nuncupatur*; modo, [e] *alius forſitan ſcholæ memor*, Q. MAXIMUM *&c. &* FABIORUM GENTEM *proferret in medium*, & quæ plura huius generis apud eundem occurrunt. Neque vero hic ego generis controuerſiam mouere illis intendo, qui ſtirpem ſuam ad ATIAS, CÆSIAS, COCCEIAS, CORNELIAS, JUNIAS, MUCIAS, VITELLIAS, aliasque adhuc hodie referunt. Immo gratiam potius ab iisdem exſpectant id genus monumenta, quorum beneficio quosdam ex iis, veteres generis ſui Ἀρχηγέτας certe haud pœnitendos, adſpicere illis non ſolum datur; ſed etiam domi eorum imagines in Atriis, Muſeis, more veteri diſponere & adſeruare conceditur. Commune vero rei literariæ, non priuatorum aliquot beneficium mecum hic reputas, mi OCTAVI, veteres & recentiores Quiritium FAMILIAS aut GENTES Nummorum ope diſtinguere (quod utinam caviſſet Antonius Auguſtinus) diſtinctas iuxta claſſes diſponere; diſpoſitas illuſtrare; vetuſtis nouitatem; nuper inventis vetuſtatem addere. Eo minus enim ludibrium debuerunt hactenus Romanorum ſtemmatum Collectores, quo his ſubſidiis magis inſtructi, rem alias præclaram & ſummæ induſtriæ ſunt adgreſſi. Unde etiam poſt Volaterranum, Sigonium, Ant. Auguſtinum, Panuinium, Urſinum, Pighium, Schottum, & gentiles ſuos, Strcinium, Glandorpium, Reineccium, Reusnerum, eruditus nec indiligens Germanus non ita pridem nouum & luculentum opus de Familiis Romanis moliebatur, eidem adfecto præmature immortuus. Quibus vero præſidiis, & qua fiducia potiſſimum impulſus, manum operi admouerit, ipſe alicubi declarat: *Et quantus* NUMISMATUM *numerus eſt*, *quæ nec ipſi* (Urſino) *nec aliis tentata ſpem certam mihi faciunt*, *fore*, *ut in iſtis utiliter laborem*, *& in multis cibum ſumam minime præmanſum*. Nec prætereundus hoc loco antiquarius ſuperiori ſeculo haud

In Gordian. Sen. cap. II.

In Claud. Goth. cap. III.

In XXX. Tyran. cap. XX.

a Ad Furiam Ep. XLVII. & Martiam.
b Ad Pammachum Epiſt. LIII.
c Ad Euſtochium Epiſt. LXXXVI. & Epitaph. Paulæ.
d Ibidem.
e Epitaph. Fabiolæ.

Ad. Rupert. Ep. ad Reineſ. p. 64.

ineelebris Pyrrhus Ligorius, inter cuius monumenta inedita, quæ in Bibliotheca Christinæ Augustæ adseruantur, duo se opera mihi obtulerunt, unum *de Illustribus Viris* apud Romanos; alterum de *Familiis Romanorum*. Ita vero utrumque ab eo contextum deprehendi, ut non continuam aut dispositam seriem, more Fuluiano, sed singulares aliquot viros & Familias, adductis nummorum lapidumue subsidiis, illustrare sit adgressus. Quo successu vero id ab eo sit præstitum, ex iis, quæ iam antea de ingentibus viri laboribus libere simul & candide protulimus, licebit facile cuique iudicium ferre. Utinam saltem, aut exstarent hodie pleraque ea monumenta, ex quibus penum suam locupletauit; aut de singulis eundi in consilium Herculei operis institutum eidem permisisset.

Tom. 1. pag. 191.

2. *Ad Notitiam ignotarum fere ne aliunde Familiarum.*

Neque tamen illustres solum in priscis Annalibus ac Fastis, sed obscuras etiam, & aliunde ferme ignotas Romanorum Familias exhibent gentilitia id genus Numismata. Ita in Fuluiana collectione, CIPIAM, CREPUSIAM, DURMIAM, FABRINIAM, SEPULIAM; in Patiniana autem, MINCIAM, TREBANIAM, alibi hactenus, quam in hisce nummorum monumentis, obuias, negant eruditi earum interpretes: frustra certe in vulgatis Familiarum Romanarum Onomasticis quæras. Quamquam DURMIÆ, ut obiter hoc tangam, occurrat mentio in singulari inscriptione, quâ, ut de ea paullo post, de *Ummidio Quadrato Syriæ* inter alia *Proconsule* agitur, quamque divulgarunt duo viri præclari, [a] Jo. Mabillon, & [b] Raphaël Fabrettus, C. UMMIDIO C. F. TER. DURMIO QUADRATO &c. Ad CIPIAM vero quod adtinet, eam gentem e denario, in quo legitur M. CIPI M. F. perperam ab Ursino conflatam, ad illud Nasonis:

[a] Itin. Ital. P. II. p. 195.
[b] Syntagm. Inscr.

Metam. xv. v. 565.

Aut sua fulminea cum vidit CIPPUS *in unda*,

existimauit Latinarum Musarum hac ætate decus Nic. Heinsius. Quum tamen præter duos nummos a Fuluio, ac denuo a P. Vaillant, clarissimis Antiquariis, editos, exstent alii adhuc denarii, in quibus idem M. CIPIUS designatur: sicut ille, quem in eximii Morelli schedis depictum olim vidimus, in quo hinc caput barbatum cum diademate & inscriptione M. CIPI M. F. illinc Pegasus, infra autem dimidia Luna, M. AIMILI M. F. SCAVRUS. Adde, quod CIPIÆ gentis expressa exstet in plurimis antiquis lapidibus apud Gruterum ac Reinesium memoria, ut M. CIPIUS FELIX; aut M. CIPIUS FELICIO, &c. quæ vel obuii apud eos Indices ostendunt, nec, quin Gentile illud Romanorum nomen fuerit, sinunt ullatenus dubitare. Quum vero CISPIÆ Gentis fiat apud Ciceronem, ac in lapidibus etiam antiquis, *Cispio* alteri Esquilinæ regionis iugo, iuxta Festum, cognominis mentio: hinc an ad unam eandemque Gentem utrumque CIPIÆ & CISPIÆ nomen quod Ursino videbatur, referri continuo debeat, nollem equidem certo statuere. BELLIÆ autem Gentis, cuius ita cæteroquin sit ignotum apud rerum Romanarum Scriptores nomen, ut illud *nusquam* etiam *compareat* nummum adduxit Patinus: quum tamen non in tribus solum apud Gruterum inscriptionibus, C. & Q. BELLII fiat mentio, sed apud Ciceronem in Oratore legatur: *Sic* DUELLIUM *eum, qui Pœnos classe deuicit*, BELLIUM *nominauerunt, quum superiores appellati semper essent* DUELLII. Adeo, ut qui *Duellii* olim, *Bellii* postea dicerentur, & quidem iam ante

Cap. XLV.

te Ciceronis ætatem, ac dein etiam ſub Auguſto, ſub quo eſt cuſus M. BELLII IIVIRI apud Corinthios prolatus a Patino nummus: ut ille proinde a ſerie Familiarum Romanarum, quæ ſignantur adhuc in veteribus nummis, omitti a nouiſſimo ac præſtanti earum editore non debuerit. Bene vero ab eo percuſſus ab Antiochenſibus, & quidem ſolito eorum more, cum Græco Syriæ tum Præſidis nomine, ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ nempe, ſeu *Quadrati* nummus, non ad gentem cum Patino NUMIDIAM, ſed UMMIDIAM eſt translatus: etſi eidem celebri antiquario ea in re iam præluxerat, de quo ſilet vir inſignis, [a] Noriſius, præter [b] duos ſupra memoratos viros eximios, a quibus inſcriptio illius Syriæ Rectoris C. UMMIDII QUADRATI, non vero *Numidii*, eſt in lucem prolata. Unde emendandus duobus locis Joſephus, apud quem Νουμίδιον Κοδράτον, vel poſtremum nomen, iuxta numimi a Patino adducti ſcripturam, Κουαδράτον, legitur. Quibus accedit alia, eaque vulgata nuper in Felſineis Marmoribus inſcriptio, C. UMIDIUS ACTIUS. Verum, quod neque hic prætereundum eſt, id iam de hoc *Umidio*, vel *Ummidio Quadrato*, non *Numidio*, cuiusmodi nulla gens Romanorum exſtitiſſe legitur, viderat ad Spartianum ὁ πάνυ Salmaſius, ac dein in Epiſtolis ad Reineſium, pro *Numidio* ſtantem, Ad. Rupertus. Adeo ut mirer in poſtremis & accuratis Taciti, quas viri eruditiſſimi J. Frid. Gronouius & Th. Ryckius adornarunt, editionibus, retentam apud grauiſſimum Scriptorem, & contra veterum codicum fidem, inductam ibi a Lipſio *Numidii* pro *Umidii* vel *Ummdii*, lectionem: prout ad Plinii iunioris *Numidium Quadratum*, uti apud eum legebatur pro *Ummidio Quadrato*, bene obſeruat ſuperus ac eruditus Oxonienſis earundem Epiſtolarum editor Anglus Tho. Hearne. Neque certe expungenda continuo, vel pro arbitrio refingenda veniunt Familiarum id genus Romanarum, etſi aliunde forte obſcura, in antiquis id genus nummis nomina. Unde quum C. ALLARII nomen legatur in veteri nummo; ideo quod non occurrat hodie illius gentis apud rerum Romanarum Scriptores, adde nec in antiquis, qui hactenus ſunt deſcripti, lapidibus memoria, non illud inde in C. ALLIANUM, cuius reperitur apud Gruterum nomen, cum viro erudito mutandum cenſeas. Haud magis utique quam ad lubitum emendari illos lapides, ſeu inſculptas in iis memorias velis; quæ ſubinde Romanarum Gentium nomina ſunt aliunde ignota, aut quæ in editis hactenus eiusdem Gruteri, aut aliorum, qui id genus antiquitates congeſſerunt, libris non comparent: uti nuper admodum, ne alia iam tangam, VENEIÆ & VIBRANIÆ Familiarum vulgatæ ſunt inter alias, a viro de patriis antiquitatibus præclare merito, Carolo Maluaſia, Inſcriptiones. Ut nunc adhuc mittam Fuluianæ collectionis Familias, ACCOLEIAM, CORDIAM, EGNATULEIAM, FARSULEIAM, MUSSIDIAM, quarum vel obiter forte, aut Cicero, aut Liuius; aut vetus aliquod Marmor memoriam ſeruant, & quam prope intermortuam nummi antiqui felicius renouant. Cuiusmodi autem plures ſuppeditant Faſti Goltziani; quosque ideo, quòd ſuſpecta eſſet vulgo antiquariorum aliisque eruditis eorum nummorum, quos ille iisdem inſeruit, fides, quod nuſpiam alibi hactenus iidem conſpicerentur, velut antiquos tamen & genuinos Familiarum Romanarum nummos, ad easdem in nouiſſimo opere ſuis locis referre haud refugit celebris Antiquarius. Quod docebunt ibidem;

P. Vaillant Famil. Rom. To. II.

a Epoch. Syr. Maced.
b Jo. Mabillon. Raph. Fabrettus.

Antiq. l. XX. c. 5. Bell. Jud. l. I. c. I.

Marm. Felſin. p. 368.

Not. in Hadrian. cap. XV.

Epiſt. XXI.

Annal. XII. c. 45.

Lib. VI. Epiſt. II.

Harduin. Antirrh. p. 44.

Marm. Felſin. p. 388. & 471.

dem, ut ex iis aliquot hic tangam, prolatæ cum denariis suis Familiæ, ALFINIA, ATTEIA, CÆDICIA, CALVISIA, CANIDIA, CICEREIA, FURNIA, LÆTORIA, eaque a PLÆTORIA diuersa, PEDIA, PONTINIA, RUPILIA, TARIA, VALGIA, VILLIA, VISELLIA. E quibus, ad CALVISIAM quod adtinet, præter duos eius nummos e Goltzii Fastis a Cl. Vaillant adductos, alium in præstantissimi Morelli schedis adnotatum esse memini, in quo caput velatum cernebatur, & nomina, C. CALVISIUS SABINUS; illinc figura ocreata gestans pecudem, prope columna, & figura desuper, L. CENSOR. Ne alios adhuc nummos sub Augusto cusos memorem, quos nuper descripserunt celebres Antiquarii, in quibus vel ALITIÆ, vel MENIÆ, vel VERRIÆ, vel VOLUMNIÆ, signantur nomina. Immo quomodo adhuc plures in antiquis nummis congesserat, ut vel ex Epistola eius Consulari, & altera ad ornatissimum Equitem Fontaine liquere potest, laudatus paullo ante Morellus; nempe LUCIENAM, MITREIAM, NERATIAM, VERGILIAM, aliasque. Quibus addere mihi etiamnum liceat AVONIAM, COMINIAM, GAVIAM, GENUTIAM, HERMINIAM, & signatam in nummo Regis Jubæ Junioris, quem in superiori volumine protuli, LÆTILIAM, NAUTIAM præterea, NUMITIAM, OTACILIAM, PINNIAM. Adeo ut e memoratis hactenus id genus *Familiarum Romanarum* nummis, quod paullo ante iam adtigi, locupletari adhuc haud parum ac illustrari possit præclara illa, quæ hactenus a viris præstantibus est diuulgata, FAMILIARUM ROMANARUM series: uti id factum ab eximio Morello in eo, quod inter alia de Familiarum Romanarum nummis, summo studio, ac singulari industria congesserat, & publica adhuc luce, ut sperandum est, donabitur, volumine licet utique statuere. Adeo ut iucundo id genus Imaginum, quibus plenæ erant, ut de Libone Druso gentis Scriboniæ dicit alicubi Tacitus, nobilium illorum Quiritium domus, conspectu nos etiamnum oblectare liceat. Ut mittam PRÆNOMINUM insuper & COGNOMINUM, quibus Gentes illæ vel Familiæ distinguebantur, quæque eadem penus numinaria suppeditat, notitiam: ADOPTIVORUM autem a Gentilitiis seu naturalibus nominibus discrimen: DIGNITATUM præterea *Sacrarum*, *Ciuilium*, *Militarium*, seu *Urbanarum*, & *Prouincialium*, quibus eædem inclarnerunt, titulos: ACTA denique Pacis & Belli illustria, quibus laus earundem Familiarum ac fama ad posteros est propagata. Idque eo insigniori, ut hoc addam, beneficio, quod non *falsis imaginum titulis*, de quibus queri aliquoties Liuium haud ignoras, inscriptos videas Romanarum id genus Familiarum nummos, & quibus, quod idem alibi ait, *certam deroget vetustas fidem*; sed incorrupta eadem & genuina, quibus verum decus est iisdem partum, insignia & monumenta.

Tom. I. pag. 544.

Annal. II. c. 27.

) lib. IV. c. 16. l. VIII. c. 40. l. XXIV. c. 31.

Lib. VII. c. 6.

II. *De* Ignotis *vulgo*, *aut* Incertis FAMILIARUM *quarundam Romanarum* Nominibus.

Quæ autem, si duas forte tresue mittam ex adductis modo Familiis, puta ATEIAM LUCIENAM, MITREIAM, quas exhibent veteres nummi, comprobare continuo videntur adsertam a Sigonio, ac passim receptam dein ab Antiquariis, præter Seruium vestratem, sententiam, Gentium Romana-

Miscell. cap. VI.

manarum nomina perpetuo in IUS deſiiſſe: haud aliter nempe ac omnia Perſarum nomina ſimiliter terminata tradentem noui Herodotum. Quamquam præter eas, quas tangit inſuper dictus modo vir eruditus, ut VELLEUS, ANNEUS, PEDUCEUS, ae poſtremus eam in rem quoque a P. Manutio alicubi ad Ciceronis Epiſtolas adductus, & PERPERNA; aliud ſuadere videantur eæ Familiæ, quas in ſerie Romanarum Gentium ſeu Familiarum exhibuit iam ante Fuluianum opus, ALLIENA, CÆCINA, NORBANA, SATRIENA; addita dein iis a Patino BETILIENA, ae præter eas POPPÆA; eademque ſimiliter nouiſſimæ Familiarum Romanarum collectioni inſertæ, & quibus inſuper addi poteſt LUCIENA: cuius tres nummos ſe in lucem editurum ſignificauerat eximius Morellus. E quibus autem tres, ALLIENA nempe, BETILIENA, & SATRIENA, e tribus Romanis Gentibus, ALLIA, eademque ÆLIA, BETILIA, & SATRIA; quod de duabus monuit eruditiſſimus Fuluius, erant deductæ: uti a CLUVIA, NASIDIA, SALVIDIA; formatæ inde CLUVIENA, NASIDIENA, SALVIDIENA. CÆCINAM vero & NORBANAM in eandem Familiarum Romanarum claſſem non adeo retulit Urſinus, quod eadem Gentilia Romanorum nomina ſtatueret; quam, ut de iis agnoſcit, quod ignotum ei eſſet, quarum Gentium eadem forent Cognomina. Id tamen de CÆCINA, e Tullii ad eum Epiſtolis, ſat noto, fugiſſe diligentiſſimum Fuluium mirari propemodum ſubit, eognomen illud fuiſſe LICINIÆ Gentis, quod tradiderat Plinius: *Scimus interemptum* P. LICINII CÆCINÆ *patrem in Hiſpania Bauili*, ae viderat iam ad Ciceronem Manutius: ad eum autem Plinii locum nollem a viro erudito, qui poſtremo illum Auctorem edidit & ad eum eommentatus eſt, adnotatum: *Legi in MSS. Poſt Licinii, forte*, ut addit, *Poſtumii Licinii*; quæ præterea non unius, ſed diuerſarum, ut vulgo notum, & quæ in nummis etiam apud Urſinum obuia, ſunt Gentium Romanarum nomina. Immo, quod de *Licinio Cæcina* e Tacito inſuper eonſtare poterat: *Notabile iurgium inde fuit, quo* LICINIUS CÆCINA *Marcellum Eprium &c.* Aceedit, quòd ab ipſo Fuluio adlata eſſet, in notis ad Auctores Rei Ruſticæ, Inſeriptio, quæque inde apud Gruterum legitur, Fratrum Arualium ſub Claudio Imp., in qua CÆCINA LARGUS, eum aliis primariis Romanorum viris ſignatur. Cuius autem *Cæcinæ Largi* meminit ſimiliter alibi Plinius, & quidem tanquam LICINIÆ Gentis. Tradit enim, orto inter Cenſores, Craſſum, Mareum nempe illum Pompeio & J. Cæſari eoæuum, ae Domitium diſſidio, ab hoc inerepitum eundem Craſſum, quod tanti habitaret; exeeptis autem ſex arboribus eam domum pro oblato ſibi a Collega pretio eum vellet ei Craſſus addiecere, nee ea conditione uno denario emptam eam velle teſtaretur Domitius, ibidem addidit: *Eæ fuere* (nempe ſex arbores) *loti patula ramorum opacitate laſciuæ*, CÆCINA LARGO *e proceribus crebro in iuuenta noſtra eas* IN DOMO SUA *oſtentante*. Vides hic ſex illas arbores in domo, quam habitaret, quæque ei *hæreditate*, ut ibi antea a Plinio dictum, *obuenerat*, Craſſus, *Liciniæ*, ut notum, Gentis; quas dein in domo ſua, gentilis quippe eius, CÆCINA LARGUS, quique, ut arguit præterea memorata modo apud Urſinum inſcriptio, ae Taeitus inſuper, Claudii temporibus vixit, Plinio adhue iuuene, oſtentaret. Immo unde inſuper adſtruitur *C. Cæcinæ Largi* cum Claudio, primo imperii eius anno, Con-

Lib. I. cap. 133.

Com. ad lib. VI. Ep. Fam. 5.

Lib. XX. cap. 18.

Hiſtor. l. II. c. 53.

Theſ. Grut. p. CXVII. 5.

Lib. XVII. cap. 1.

Annal. XI. c. 33.

Fast. Consul. p. 29. In Orat. pro Scauro.

sulatus, ut vere id monuerat doctissimus Norisius, & ex Asconio Pædiano viderat iam ante ad Tacitum Lipsius. Neque negotium facessere debuit, quod omisso CÆCINÆ, quale Familiæ cognomen euaserat, C. LARGUS, cum altero eius cognomine, & *Caii* insuper prænomine denum dicitur. Neque vero culpari continuo debuit ab eruditissimo cæteroquin Censore Ant. Pagi Cardinalis Baronius, quod *C. Licinium Largum* Claudii Collegam profitetur. Erat enim, ut ex Plinio vidimus, *Liciniæ* Gentis cognomen *Largus*, uti etiam *Cæcina*; & cui dein *Cæcinæ*, quod istud in proprium Familiæ in eadem *Licinia* nomen transierat, additum quoque alterum illud LARGI cognomen; prout id, quâ de re paullo post, Romanis aliis Gentibus & Familiis contigit: sicut *Piso Frugi* in Calpurnia; *Scipio Africanus*, aut *Scipio Nasica* in Cornelia; *Q. Metellus Celer*, aut *Nepos* est in Cæcilia &c. Unde illustrari insuper possunt Ciceronis ad ipsum *A. Cæcinam* verba: *Cum esset mecum* LARGUS, *homo tui studiosus:* ad quæ hoc unum notat Manutius, nihil vero, quod viderim, reliqui Interpretes, quòd LARGUS *Romanæ Gentis cognomen* foret: non indicata, prout is alioquin solet, quæ Gens eadem foret. Eam autem *Liciniam* fuisse, modo dicta videntur abunde arguere; & quod proinde LARGI nomen, seu adoptione, uti sæpius factum, seu alia de caussa, CÆCINARUM, in eadem Gente *Licinia*, ut id e Plinio ac Fastis insuper vidimus, Familiæ cognomen mox euaserit. Unde firmatur utique ac illustratur, quod obiter tangit celebris Antiquarius, *Cæcinam* fuisse cognomen *Octauiæ* Gentis ac *Liciniæ*; sed quia *Marci* prænomen in *Octauia* sæpe occurrat, ad *Liciniam* potius spectare posse signatum in adducto ab Ursino nummo A. CAE. seu *Auli Cæcinæ* nomen. Quum alia & potiora, ut modo vidimus, suadeant, ut omnino ad *Licinium Cæcinam* referatur idem nummus. *Octauiæ* autem Gentis cognomen fuisse itidem *Cæcinam*, e Pighii, ut solet, Annalibus haufisse videtur vir præstans; in quibus Tribunus plebis *M. Octauius*, qui Collegæ Ti. Graccho legem Agrariam ferenti restitit, cum *Cæcinæ* cognomine e Jul. obsequente traditur: quod ei cæteroquin nec in Liuiana Epitome, nec a Plutarcho, ubi illius Octauii fit mentio, nec alibi, quod equidem sciam, tribuitur. Id vero, ut hoc addam, in eadem Gente *Licinia*, & quod præter Auctores, aut Lapides etiam antiquos, eius nummi etiamnum ostendunt, fuit familiare, ut obliterato ferme gentili LICINIÆ nomine, qui ea orti solo ferme consueto eorum cognomine vulgo designentur, ut CRASSUS, LUCULLUS, cum passim, tum in nummo etiam apud Goltzium, ac inde inter *Liciniæ* Gentis nummos nuper diuulgatus; MERULA præterea, NERVA, STOLO. Adeo ut CÆCINÆ quoque nummus opportunius fuisset ad eandem Gentem *Liciniam*, ab iisdem præstantibus Antiquariis, qui Familiarum Romanarum nummos protulere, continuo ablegandus. Qui alioquin CÆCINÆ aliis rursus, quam LARGI Cognominibus, PÆTI nempe, vel SEVERI, vel VOLATERRANI, ut e Plinio rursus & priscis Lapidibus liquet, inter se fuerunt distincti.

Critic. in Baron. p. 35. To. I.

Lib. VI. Epist. Fam. 8.

Vaillant Fam. Rom. p. 200. To. I.

Annal. P. III. p. 6.

Epitom. LVIII. in Gracchis p. 818.

Lib. II. c. 24.

Idem vero, quod modo de CÆCINA, de NORBANA quoque, cuius Gentis nomen, iuxtà Sigonium, interiisse censuit Fuluius, statuendum est. Cognomen utique potius, quam Gentilitium nomen illud exstitisse haud male censuit laudatus modo Antiquarius; ita tamen, ut ad quam Romanam Gentem referendus sit, illum fugisse liqueat. Haud aliter cer-

te

te vel in Fastis, vel apud Auctores, sicut in nummis etiam antiquis C. NORBANUS, aut C. NORBANUS C. F. vel subinde cum addito FLACCI cognomine, demum legitur; ac unde in Annalium Pighii tabulis, NORBANA *Gens Consularis* FLACCI *cognomine* traditur: in ipsis vero Annalibus, quod scilicet addito solo Prænomine cum in nummis, tum apud Ciceronem, aliosue Auctores, efferatur C. NORBANUS, *incognitæ gentis ac familiæ hominem* illum fuisse idem tradat. A quo tamen alibi in iisdem Annalibus, NORBANUS, ut Gentis IUNIÆ cognomen, adducitur; ubi alioquin in Capitolinis aut Græcis Romanorum Fastis, vel apud Auctores, solum NORBANI nomen iis tribuitur: cui tamen, ac Pighii, ut videtur, auctoritate motus, IUNIÆ quoque Gentis nomen tribuit in Fastis Consularibus nuper editis Vir eruditissimus. Mitto, quod, in eorundem Annalium Pighianorum tabulis, NORBANUM fuisse *Tigelliorum* cognomen dicitur; quod tamen unde haustum sit, non additur; nec aliunde ex editis hactenus veterum lapidum inscriptionibus, quantum equidem sciam, liquet. Quamquam reuera Romanæ alicuius Gentis, & quidem IUNIORUM, qui dein inter plebeios sunt adlecti, cognomen primitus fuisse illud NORBANI nomen, quo Tribuni Plebis, & plebeii Consules leguntur haud semel appellati, ex aliis lapidum, & quæ viderat forte Pighius, monumentis liceat colligere: in quibus etiam mutata utriusque nominis sede, nempe præposito Gentili nomini cognomine, quod nempe in Nomen, ut de id genus cognominibus postea dicetur, conuersum, C. NORBANUS IUNIUS describitur. Cuiusmodi nempe duæ Inscriptiones leguntur apud Gruterum L. IUNIO LIGARIO &c. C. NORBANUS IUNIUS HERED: altera, C. IUNIO L. F. RULLO C. NORBANUS L. F. IUNIUS DEXTER HERED. Quæ utique unius Gentis IUNIOS satis superque arguunt; sed ita ut NORBANI, sicut semper in eadem Gente *Junia*, BRUTI, SILANI, cognomina, Gentilis nominis vicem frequenter obtinuerint; altero inde, seu primæuo Gentis nomine, ab Auctoribus, vel in aliis publicis Nummorum aut Fastorum monumentis paullatim, ob Gentis forte amplitudinem, omisso. Unde factum etiam videas, ut legi *Juniæ Norbanæ* sub Tiberio Imp. de seruorum conditione latæ, & cuius sit ab [a] Ulpiano ac in [b] Institutionibus Justinianeis mentio, ab utriusque Consulis, qui illam tulerant, *M. Junii Silani*, & *L. Norbani Balbi* nominibus illa IUNIÆ NORBANÆ appellatio sit indita: etsi uterque foret e IUNIORUM gente, sed cuius erat velut obliteratum in NORBANORUM Familia nomen, aut postremus e *Iunia* forte in *Corneliam Balborum* adoptatus. Neque vero hic prætereundum, quod a Josepho alicubi traditum noui, *Norbanum*, de quo ibi agit, cumque a Germanis Caii Imperatoris cæsi satellitibus cæsum, nobilissimum ac e multis summis Romanorum Ducibus & multis Imperatoribus genus ducere. Adde, quòd sequutis temporibus NORBANII, solito nempe Romanarum Gentium typo, pro NORBANI occurrant subinde in antiquis lapidibus.

Annal. P. III. p. 182.

Ibidem p. 247. & alibi.

Ad An. 670. alibi 671. Th. J. Almel.

Thes. DCCCLXXXVI. n. 5. 6.

a Fragm. Tit. XI.

b §. Ult. Inst. de libert.

Haud dubitauit vero Ursinus, singularem Q. LABIENI, quem adduxit, nummum referre continuo ad Gentem ATIAM: quamquam apud Auctores, Cæsarem, Tullium, Velleium, Senecam patrem, Plutarchum, Florum, Dionem, aliosque, qui vel eius, vel patris T. Labieni,

Antiq. l. XIX. c. 1. p. 661.

aut vero huius nepotis meminere, omissum sit Gentis nomen; quod autem ad ATIAM primus, ut opinor, retulit, cum in Commentariis ad Ciceronem, tum in libro de Legibus Romanorum P. Manutius; etsi quo auctore id ab eo fiat, non ibi indicet. Quod nec ab eruditissimo Fulvio in Gente ATIA; nec a Pighio, qui horum procul dubio auctoritate inductus, ATIÆ Gentis nomen huic LABIENO præfigit, aut vero ab aliis monitum video. LABIENI quidem, & cum additis cognominibus, occurrit haud semel nomen apud Gruterum, sed sine ulla ATIÆ Gentis vel alterius commemoratione, nisi quod una exstat, prout eam a Scaligero & Simeonio nactum se tradit, in qua ALLIA T. LABIENI UXOR traditur. Unde autem a doctissimo Th. Reinesio eadem inscriptio denuo, & quidem inde, adducitur, ut pro ALLIA, marmorariorum nempe vel descriptorum vitio, ATTIAM ibi legendum doceat, & quidem quod huius T. LABIENI Gentile nomen, ut id a duobus Antiquariis Manutio & Pighio, ac locis quidem ibi indicatis, sit adsertum, foret ATTIUS. Quum tamen hoc postremum a duobus illis, & quibus haud minoris ponderis addi ab eodem Reinesio poterat Fulvius Ursinus, Antiquariis traditum quidem, sed non adsertum, ulloue veteris memoriæ testimonio confirmatum videam: nec ad lubitum continuo, quod utinam cauisset crebrius vir, præclare alioquin de hisce antiquitatibus meritus, refingenda sint antiqua id genus monumenta. Immo nec si e Gente ATIA fuerit omnino ille T. LABIENUS, Cæsaris primum familiaris, dein hostis acerrimus; inde continuo, & illis quidem temporibus, eius uxor Gentili, & solo quidem, mariti nomine, ATTIA fuerit ibi inscripta, quum (& qua de re postea) non maritorum, sed suæ Gentis nomine appellarentur vulgo Romanæ mulieres. Ut mittam, quod eadem inscriptio, quæ in Gallia fuit reperta, aliter omnino, prout eadem quoque ibi apud Reinesium legitur, fuit ab Andrea Quercetano, & in qua nullum occurrit ATTIÆ vestigium, tradita: nempe IULIA PAULINA TITI LABIENI UXOR. Quod vero lex, quæ ab hoc T. LABIENO est de Sacerdotiis lata, ATIA, ut visum est viris præstantibus, fuerit dicta; id nulla veteris alicuius testimonii, seu Dionis, ubi ea de re agit, seu alterius, quod equidem sciam, auctoritate nititur; sed Pighii forte, a quo ob ATIUM, Gentile, ut post Manutium censuit, huius LABIENI nomen, ac eius fide ab aliis dein eruditis ea LEGIS ATIÆ vel ATTIÆ nomine subinde nuncupatur. Qua cæteroquin appellatione nec ab ipso Manutio libro de Romanis Legibus, nec ab Ant. Augustino adficitur: ubi tamen ab utroque eiusdem, seu Legis *Domitiæ* de Sacerdotiis a T. LABIENO renouatæ, fit mentio: ac unde a postremo, Ant. nempe Augustino, ad DOMITIÆ Legis, quam hic Labienus restituerat, non vero ATIÆ alicuius ita dictæ titulum, obiter tantum adducitur. Neque tamen inde fides omnis Manutio, dum toties ATII Gentile nomen T. LABIENO, illius, cuius adductus est ab Ursino nummus, patri tribuit; aut etiam, ut de Pighio fileam, diligentissimo Fulvio est continuo abroganda: etsi quibus antiquis Auctoribus vel monumentis id innitatur, vel uno verbo, quod in CÆCINA a Manutio factum opportune vidimus, potuisset comprobari. Quod cæteroquin de hisce CÆCINA, LABIENO, ac NORBANO, quorum exstant in Familiarum Romanarum denariis nomina, modo vidimus; idem

Ad lib. III. Epist. Fam. 3. &c. & ad Oration. pro Rabirio.

Annal. p. 324. & 339. Tom. II.

Thes. Grut. XXXVII. 2.

Syntagm. p. 202.

Antiq. Urb. Gall. p. 601.

Lib. XXXVII. p. 46.

Vid. Bosium de Pontif. Max. cap. III.

idem in PRÆTEXTATI, SCIPIONIS, & MESSALLÆ nominibus contigisse notat Macrobius, ut *nomen* (Familiæ nempe) *ex cognomine posteris* darent. Saturn. lib. 1. cap. 6.

III. *Gentium seu Familiarum Romanarum* Origines & Insignia.

Accedunt denique ipsæ Romanarum id genus GENTIUM, seu veræ ac certæ, seu pro talibus iactatæ ORIGINES, & INSIGNIA prodita: quæque earundem Gentium seu Familiarum nummi nobis etiamnum ante oculos ponunt. Ita ut his ducibus pateant primi Natales Romanæ Nobilitatis, & ipsa etiam discrimina indigenarum, aut aduentitiarum in eadem Gentium. Neque enim e Sabinarum magis raptu, quam ex aliis vicinarum gentium spoliis conflatum nosti Quiritium genus. Quod pluribus adstruit Canuleius Trib. Plebis apud Liuium, exemplis etiam petitis a Regibus Numa & L. Tarquinio peregrinis, ac a Gente CLAUDIA, post exactos Reges, e Sabinis in ciuitatem non solum, sed in Patritiorum quoque numerum adscita: quippe *quod ne Regibus quidem exactis clausa urbs fuerit peregrinæ virtuti.* Hinc illa Gentilis eiusdem stirpis Imperatoris, Claudii nempe, apud Tacitum oratio: Exemplo Clausi Sabini *maiores mei hortantur, uti paribus consiliis Rempub. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro* IULIOS *Alba*, CORUNCANIOS *Camerio*, PORCIOS *Tusculo*, *& ne vetera scrutemur, Etruriâ, Lucaniâ, & omni Italia in Senatum accitos.* Unde factum etiam, ut eædem Gentes ortus sui memoriam, aut aliquâ loci natalis notâ; aut Deorum patriæ Præsidum simulacris; aut Conditorum suorum vel Regum effigie ac nominibus voluerint ad posteros propagari. CLAUDIAM certe, ac insuper PETRONIAM, TITURIAM, VETTIAM, e Sabinis itidem profectas docent, in priori adsumtum NERONIS cognomen, quo, auctore Tranquillo, Sabinorum lingua *vir fortis ac strenuus* indigitatur: in altera, FERONIÆ a Sabinis cultæ simulacrum; in PETRONIA ac TITURIA, expressus Sabinarum raptus; tum signata quoque, uti in VETTIA itidem T. Tatii Sabinorum Regis effigies. Quin Sangum Sabinorum Deum, ad denotandum CORNELIÆ Gentis ortum, in eius denario, qui adseruatur in Thesauris Gallorum Regiis, conspici statuit nuper, sed de quo haud satis liquere adhuc mihi videtur, celebris Antiquarius. COPONIAM Gentem Tibure oriundam, præter Tullii adductum eam in rem ab Ursino testimonium, expressa in eius nummo Claua & pellis Herculis, cui nempe sacrum erat Tibur, ac inde *Herculeum* apud Strabonem, ubi Ἡράκλειον, seu *Herculis fanum*, videntur itidem comprobare. Ipsam vero Tiburtis, loci conditoris, in priori nummi illius area effigiem signari statuit idem celebris Antiquarius. ANTIAM Gentem e Deorum Penatium in ea simulacris, Lanuuio, in qua, uti e Varrone, Dionysio, & Macrobio obseruat, aduecti colebantur, ortam statuit Ursinus; nisi quis malit ANTIAM Gentem dici, quæ *Antio* profecta, ubi Deorum Penatium, quos adtulerat Æneas, cultus inualuerit. CORNUFICIAM vero, METTIAM, PAPIAM, PROCILIAM, ROSCIAM, THORIAM, eiusdem Lanuuii municipii traduces, obuia in eiusdem de-

Fam. Rom. p. 321. To. 1.

Lib. IV. cap. 3.

Annal. XI. c. 24.

In Tiber. cap. 1.

Lib. V. pag. 238.

Ibidem p. 298.

nariis Junonis Lanuuinæ seu Sispitæ effigies euincit; haud aliter ac de Milonis origine Silius:

Lib. XIII. v. 364.

Lanuuio generate, inquit, quem SISPITA IUNO
Dat nobis.

VIBIAM e Sicilia ortam arguunt similiter, iuxta Fuluium, Cereris ac Liberæ impressa in eiusdem denariis monumenta. LIVINEIAM Gentem ab Hercule stemma suum arcessere, depicta eiusdem in clypeo effigies ostentat. Haud aliter ac in gemmâ, quæ Scipionem Africanum refert, radiatâ cernitur in eius pectore imago Serapidis; quod is vulgo Jouis filius crederetur, ut e Liuio ac Plinio ad eam iam est a viris eruditis monitum. Quomodo alioquin in ANTONIÆ Gentis denariis, Hercules cum Claua & Pharetra subinde expressus, hunc Deum generis sui, quod ab ea iactatum Plutarchus tradit, nempe ab Antone Herculis filio, Αρχηγέτην continuo arguit. Mitto FABIAM Gentem, quam a Fabio Herculis filio ortam, e Juuenali ac Plutarcho, monuit iam Sigonius; cuius tamen haud expressa cernuntur hactenus in reliquis Fabiæ Gentis denariis vestigia. Adde, quòd aliunde, & a *fabis* quidem, quæcunque eius rei caussa vel origo fuerit, ortam nobilem hanc & patriciam Romanorum Gentem innuat alicubi Plinius: *Cognomina inde etiam prima* &c. *Pisonis a pisendo. Jam* FABIORUM, *Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime genus sereret. Fabii* proinde a *fabis*, quod ibi obuium, & bene etiam in notis tangit eruditissimus Harduinus, uti *Pisones* a *pisendo*; *Lentuli* a *lentibus*; *Cicerones* e *cicere*, ut ea de re, quum de Cognominum apud Romanos ratione & origine agitur, dicendi adhuc erit locus. In ACILIA vero Æsculapium, Salutem, ac Valetudinem consignari, ad indicandam Gentis illius a verbo Græco ἀκέομαι, seu *medeor*, originem, sicut ÆMILIAM, non ab *Æmilo* Ascanii filio, ut de ea Festus; sed ab *Æmilio*, ut de eo in genere Varro, iuxta Plutarchum, ἀπὸ τῆς αἰμυλίας, seu *festiuitate* dictam tradit eruditissimus Fuluius, & cui adstipulatur quoque postremus eorundem nummorum interpres. Quæ tamen nominis illius Gentis ACILIÆ origo minus utique mihi probatur, longius certe a Græca voce ἀκέομαι recedit, quam *Æmilia*, vel *Aimilia*, prout ea Gens in multis & antiquioribus eius nummis dicitur, a voce αἰμυλία. Ab ἀκέομαι vero vel ἀκείομαι, non *Acilia* utique, sed *Acesia* dici debuisset; prout a Phrygibus *medicum* dictum ἀκέσιον, ab Athenienſibus autem ἀκέστορα, obseruant breuia ad Homerum Scholia; & ἀκέσματα pro *medelis* dixit inter alios Æschylus. Accedit, quòd signatæ illæ non *Æsculapii* solum, sed *Salutis* insuper, & *Valetudinis* in huius ACILIÆ Gentis denariis imagines, & quidem cum addito in uno ex iis M. ACILIUS IIIVIR. VALETU. ad aliquos illius Gentis, quibus salutarium id genus Numinum sacra, & Ædium iis dicandarum aut reficiendarum cura, erat credita, spectasse videantur. *Triumuiros* equidem, qualis inscribitur dictus modo M. ACILIUS, inter alios exstitisse apud Romanos *Ædibus Reficiendis*, e Liuio liquet; & eo spectare duos Gentis ALFINIÆ & AQUILIÆ nummos monuit iam celebris Antiquarius, in quorum priore IIIVIRI dignitas ac Templi rotundi effigies; in altero VIRTUS IIIVIR, & in anteriori parte M.

Ad Imag. Illustr. Ursin.

De Nominib. Roman. cap. IV.

Lib. XVIII. cap. 3.

L. L. lib. VII.

Vaillant.

Ad Iliad. X. v. 2.

Κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων

Prom. v. 481.

Lib. XXV. cap. 7.

J. Vaillant.

M. AQUIL. M. F. comparent. Quomodo etiam in dicto M. ACILI nummo, III VIR VALETUD. non adeo, eum Onuphrio & Vaillant, *Triumuir Valetudinis*, tuendæ nempe, aut eum Patino, viris præstantibus, *Valetudinarius*; sed III VIR VALETUDO, cui nempe M. Acilio, uni e dictis Ædium Reficiendarum Triumuiris, illius, quæ in Auentino *Valetudini* erat dicata, restaurandæ cura incumbebat. Quomodo SALUTIS restaurandæ, quæ in anteriori nummi illius parte signatur, Ædem [a] C. Junio Bubuleo Censore locatam, ac ab eodem Dictatore [b] dedicatam docet Liuius: [c] *Qui Ædem* alioquin *Apollini pro* VALETUDINE *populi votam* alibi tradit. Neque vero præteriri hic debet, quod opportune ad horum ACILIÆ Gentis nummorum illustrationem monuit in Epistola de Nummis hisce Consularibus præstantissimus Morellus: factam nempe a Plinio primi, qui e Peloponneso in Italiam venit, Medici, nomine Archagati, anno V. C. DXXXV. mentionem: cui ius Quiritium fuerit datum, *& tabernam in compito* ACILIO *ereptam ob id publice*, addit itidem Plinius. In cuius forte rei memoriam ab uno ex *Aciliis*, eum *Æsculapii*, tum *Salutis*, ac *Valetudinis* expressa sunt in nummis simulaera.

[a] Lib. IX. c. 43.
[b] Lib. X. c. 1.
[c] Lib. IV. c. 25.

Ut vero ad *Deos*, sic ad antiquos *Heroas* aut *Conditores* gentium, ac priscos etiam *Romanorum Reges* relata subinde occurrunt Gentium id genus Romanarum stemmata. IULIAM equidem ab Ænea & Julo, ac inde a Venere deductam, non Poëtarum magis vaticinia, quam obuia Veneris & Æneæ Anchisem ferentis in denariis illius Gentis simulaera, ostentant. Unde *Æneadæ* ab Æneæ in Italiam, & in Latium quidem, aduentu dicti non Romani solum in genere, sed proprie Gentiles IULII: nempe

Nascetur pulcra TROIANUS *origine* CÆSAR
IULIUS *a magno deductum nomen* IULO: — Æneid. I. v. 290. 292.

ac unde etiam *Nero* ab Ausonio *ultimus Æneadum* nuncupatus; item — De XII. Cæsarib. Carm. II.

ÆNEADUM *Generis, qui sextus & ultimus hæres,* — Idem de Cæsarib. Carm. VI.

nempe Gentis IULIÆ. MAMILIÆ vero Gentis Auctorem exstitisse, creditum certe, quod vel e Liuio constat, e *Mamilia* nempe Telegoni, iuxta Festum, filia, Ulyssem, arguit, ut viderunt iam viri præstantes, signatus in Gentis illius nummo Laërtiades ille eum baculo, pileo, & cane. De pileato vero Ulysse id obiter tangam, quod in antiquis & ineditis ad Iliada scholiis, quæ olim erant penes Isaaeum Vossium, insigni eruditione virum, obseruasse memini, πίλον, qui Ulyssi olim tribuebatur, de *galea* ab antiquis dici; recentiores vero de *pileo* eam vocem accepisse, ac inde etiam pictores Ulyssem pileatum depingere, quod a pictore Apollodoro primum sit factum. Neque certe id a recentioribus pictoribus demum profectum abunde euincunt huius *Mamiliæ* gentis nummi, eum pileati, non galeati Ulyssis effigie. Ut videamus haud insolitum iam olim illustrium Familiarum morem, præclaro nempe & antiquissimo generis auctore sese efferendi. Adeo vel minima quæque Nominum, vel Cognominum, vel alterius cuiuspiam casus aut rei ansa vel similitudo arrepta est, quæ continuo in communionem eiusdem originis traheretur. Signa-

Lib. I. c. 49.

Schol. MSS. ad Iliad. K. v. 265.

tas

tas equidem in duobus AURELIÆ Gentis nummis Centaurorum bigas, obscurum sibi esse, quo eædem pertineant, ad eos tradit eruditissimus Ursinus: ac similiter se causſam eius rei indagare non potuisse testatur eximius Morellus. Ad victoriam vero in Thessalia Pharsalicam, habitam *Centaurorum*, ut aliunde notum, patriam, eosdem nummos, ut ibidem a Morello dicitur, retulit illustris Cuperus. Ideo vero effingi in iis *Aureliorum* nummis Centauros, quod illi Soli essent sacri, a quo seu ἀπὸ τοῦ Ηλίου dicta sit, iuxta Festum, Gens *Aurelia*, ac unde in *Aureliopolitarum* etiam nummo depicti occurrant Centauri, statuit vir natalium splendore, & harum antiquitatum singulari studio ac peritia memorandus, Princeps Liniacus; cui accessit dein laudatus Morellus in epistola inedita ad florentem hîc ingenio & cultu horum cimeliorum Equitem Fontaine, cuius is mihi copiam fecit, exarata. Aliam vero eius rei, seu cur *Centauri* depicti sunt in nummis Gentis *Aureliæ*, causſam suis ad me literis retulit; ubi de Epistola Consulari ad se ab eximio Morello scripta, & de qua, ut sententiam meam flagitaret, rogabatur, doctissimus Perizonius: nempe, ut inde eius verba, quæ & hic valde sunt opportuna, adscribam:

„ Quærit Cl. Morellus pag. 5. quid sibi velint *Centauri* in nummis Gen-
„ tis *Aureliæ*. Certissimum mihi eam Gentem dictam prius, teste Festo,
„ *Ausſeliam*, ut pleraque Gentium Romanarum nomina formata sunt ab
„ antiquis Nominibus vel Prænominibus; ita ergo & eam sic appellatam
„ a nomine *Auſo*, sicuti a *Cæſo* Cæsellius, & Cærellius, a *Pompo* Pom-
„ pilius, a *Trebo* Trebellius: iam autem ab hoc nomine etiam populus
„ *Auſonum* suam appellationem traxit. Eius porro Populi antiquissimus
„ homo fuisse traditur ἱππομιγὴς Centaurus, proprio nomine dictus *Mares*,
„ ut nos docet Ælianus Var. Hist. IX. 16. Quid? annon videntur com-
„ mode satis huc referri posse *Centauri*, qui in nummis Gentis *Aureliæ*
„ comparent? Sed res ea tui sit arbitrii, Vir &c. Quod equidem mihi non adsumo; sed qui ingeniosam ac eruditam viri excellenti eruditione de illis *Centauris* in *Aureliorum* nummis coniecturam publico impertiri haud ingratum fore censui. Quum vero in duobus demum huius Gentis *Aureliæ* nummis, cuius plures cæteroquin supersunt a viris præstantibus vulgati cum aliis typis ac symbolis, occurrant tractæ a duobus *Centauris* bigæ, quibus insistit non Sol quidem, ut statuebat, quo Festi de *Aureliis* a Sole denominatis opinionem tueretur, memoratus paullo ante vir haud una utique maiorum imagine illustrissimus, sed Hercules cum leoninis spoliis, iuxta celebrem Antiquarium, aut cum claua etiam, ut eximio Morello coram placuisse memini; nota vero sit Herculis de Centauris victoria, indeque etiam in aliis nummis ac monumentis antiquis, idem quadrigis, quas ducunt Centauri, vectus cernitur; aut Centauros claua debellans, sicut in insigni nummo Antonini Pii inter præclara numismata illustris Abbatis de Camps vulgatus; inde ad Solem haud spectare eosdem in nummis *Aureliorum Centauros*, sat, ut opinor, liquet. Quum vero a M. AURELIO COTTA, seu in eius memoriam, signati legantur duo iidem nummi, in quorum altero illud COTTÆ cognomen etiam prostat, a quo autem nobilissima Ponti urbs *Heraclea* capta fuerat ac direpta, ex eaque urbe inter alia eximium omnino ac singulare Herculis, cui, ut conditori, eadem erat sacra, simulacrum cum aurea Claua sublatum, uti id a Memnone apud Pho-

In Epistola Consulari.

Explicat Gem. Augusſt. p. 213.

Princeps Liniacus.

Vaillant Fam. Roman. p. 161. To. 1.

Photium traditur, ad eam huius *M. Aurelii Cottæ* expeditionem, *Pontici* etiam inde eognomento a Senatu nobilitati, reſpiei in iisdem illis nummis haud vane liceret, ut videtur, arbitrari. Quamquam, ne quid diſſimulem, obſtare forte videatur, quod ob direptam erudeliter eandem *Heracleam*, aeeuſatus ſit poſtea idem Cotta; & exilio remiſſo, ut Senatoriis inſignibus ſeu lato elauo deineeps eareret, ſit damnatus. Etſi, ut alios mittam, grauiori iudicio, & ob multa flagitia damnatum virum prætorium, *L. Hoſtilium Tubulum*, haud eo minus ſignatum in denario Gentis *Hoſtiliæ*, quem in *Helia* vulgauerat [a] Cl. Patinus, ſed a eeleberrimo [b] Perizonio ſolerter explieatum, videre etiamnum liceat. Unde utriusque illius Gentis *Aureliæ* nummi adſpectu, quo de adlatis hactenus eoniecturis, eur *Centauri* in iisdem depingantur, ſtatuat pro arbitrio; haud defraudandus eſt Lector.

Biblioth. p. 748.

[a] Fam. Rom. p. 120.
[b] Diſſert. III. p. 220.

Qua ratione etiam contigit, ut illuſtres aliquot Romanorum Gentes, CALPURNIA, POMPONIA, MARCIA, TULLIA, ſe a priſeis Regibus, NUMA, TULLO HOSTILIO, ANCO MARCIO, SERVIO TULLIO, genus dedueere, publieis id genus nummorum monumentis teſtari voluerint: in quibus nempe expreſſa oeeurrunt dictorum modo Regum Romanorum capita ſimul ae nomina. Ubi ante omnia de poſtremo, qui mox eum aliis ſequetur nummo, in quo ſupra virile ae diadematum eaput, DECULA, infra autem SERVI ſeu *Seruius* legitur, obiter dieendum eſt; quòd in auerſa eius parte, de qua alius occurret agendi locus, vir equum eapiſtro tenens cernitur, ac epigraphe M. TULLIUS M. F. Id vero prætereire hic non licet, quod eundem nummum e Goltzii Faſtis inter TULLIÆ Gentis nummos non retulerit ſolum celebris Antiquarius; ſed addat inſuper, quod ſignatus in eo M. TULLIUS DECULA, adlu-
„ dens COGNOMINI Seruii Regis Deeulæ (ut ipſa addueam viri præ-
„ ſtantis ea de re verba) ſe ab illo originem trahere volebat; ideo Quæ-
„ ſtura Prouineiali ſuſeepta hune denarium pereuſſit, eum Seruii Re-
„ gis imagine ornati diademate, quo in hoe regium ſe infundere per-
„ ſuaderet. Unde vero hauſerit vir eximius, Regi Seruio hæſiſſe cognomen DECULÆ, de quo ſilent utique Liuius, Dionyſius, veteresque alii, qui ſuperſunt, rerum & originum Romanarum Seriptores, ae Faſti itidem Capitolini, fateor equidem me neſcire. Neque vero id ex illa in priori nummi area epigraphe, infra SERVI, deſuper DECULA, lieet ullatenus colligere: quod, præter altum illud de iſto DECULÆ, quod tulerit Rex Seruius, eognomine, in veterum annalibus ae monumentis ſilentium; in nummis id genus, qua de re poſtea videbimus, ſit obuium, ut in priori eorum area eognomen demum, velut proprium eius nomen, ſieut in hoe DECULA, in altera vero Prænomen, ae patris frequenter cum Gentili inſuper nomine, ut hie M. TULLIUS M. F. efferantur.

Vaillant Famil. Rom. p. 488. To. II.

Haud unius proinde viri nomina SERVI & DECULA in priori nummi huius, de quo agimus, area descripta: sed prius ad Regem SERVIUM TULLIUM, sicut virile eius ac diadematum caput, qualia anteriorum Regum QUIRINI, (de quo mox) NUMÆ, TULLI HOSTILII, ANCI MARCII conspiciuntur in aliarum Gentium Romanarum nummis, omnino, ut a viro præstante etiam factum, referendum veniat. Quo modo in prima eorundem area adscripta leguntur Regum, ac simul earum Gentium Romanarum nomina, a quibus in memoriam deductæ ab iis Regibus originis, iidem nummi erant cusi. Ad quorum proinde exemplum a M. TULLIO DECULA expressum in anteriore nummi parte Regis SERVII TULLII caput, quo se illum velut TULLIÆ Gentis, e qua ortus erat hic DECULA, auctorem agnoscere testaretur. Unde in Fastis etiam Consularibus a doctissimo Norisio vulgatis, DECULA demum, seu cum solo eius, ut fieri in iis solet, cognomine, omisso proinde Gentis nomine ac prænomine M. TULLII, appellatur, ad annum V. C. DCLXXIII, nempe DECULA ET DOLABELLA Coss. Sed quæ de hisce Gentium Romanarum iactatis veris vel falsis earum originibus, adscriptisque Regum, ad quos illæ easdem referrent, nominibus ac imaginibus diximus, e sequentium nummorum adspectu liquidius constabunt: quorum prior (de QUIRINO enim seu ROMULO occurret mox dicendi locus) in *Calpurnia*, NUMAM; alter in *Hostilia*, TULLUM HOSTILIUM; tertius in *Marcia*, ANCUM; quartus vero in *Tullia*, dictum modo SERVIUM exhibent.

Accedit hisce, in POMPONIA, togatus stans ante Aram accensam cum Lituo *Numa*, ante autem Popa cum Capra, & infra adscripto nomine, NUMA POMPIL. Quamquam præter CALPURNIOS, & POMPONIOS, MAMERCOS etiam, (vetus *Æmiliorum*, qua de re postea, Prænomen) ac PINARIOS, a NUMA itidem ortos, sed qua de re nihil produnt residui hodie eorum nummi, quique claram generis successionem reliquerint, ab antiquis Auctoribus traditum memoret Plutarchus; & quod indicauerat iam ante Dionysius: dum ait Numam, ut plures sentiunt, quatuor filios reliquisse, ac unam feminam (quæ mater fuit ANCI MARCII) *quorum*, ut addit, GENTES *adhuc supersunt*, ὧν ἔτι σώζεται ΤΑ ΓΕΝΗ. Quibus autem verbis, præter quatuor superiores Romanorum Gentes seu Familias, MARCIAM quoque, nobilem

In Numa p. 73. Antiq. l. II. p. 136.

Ro-

Romanorum Gentem, designari statuendum est: neque proinde ab ea solum ANCUM MARCIUM, unde C. Marcius Coriolanus, ANCI *Regis clara progenies* a Valerio Maximo dicatur; sed NUMAM etiam, maternum eius Auum, generis sui Auctores habitos. Id utique luculenter comprobant veteres eiusdem Gentis MARCIÆ nummi, in quibus iugata conspiciuntur ac diademata eorundem Regum capita, additaque iis nomina NUMÆ POMPILI ANCI MARCII; ut non una proinde, sicut de ANCO cæteroquin Liuius, sed duplici Regum imagine nobilem se proderet eadem Gens MARCIA. Lib. IV. cap. III. 4. Lib. I. cap. 33.

Mitto, quod in Fastis Capitolinis, & qua de re silerit cæteroquin veteres rerum Romanarum Scriptores, idem ANCUS, non NUMÆ solum Nepos, sed alterius etiam NUMÆ Filius traditur: nempe ANCUS MARCIUS NUMÆ F. NUMÆ N. Unde inductus videtur politissimus Muretus, ut memoratum a Tacito Præfectum urbis sub Rege Hostilio, Numæ successore, *Numam Marcium*, de patre Regis Anci Marcii sit interpretatus: sed reclamante eruditissimo Jos. Mercero, qui contendit hunc *Numam Marcium* indictum uniuersæ historiæ veteri ac Auctoribus originum Romanarum, & Liuio potissimum, ANCUM MARCIUM nobilem una imagine Numæ adferenti; a Seneca autem, idque auctore eius rei Cicerone, tradi alicubi, duos esse Romanorum Reges, quorum alter patrem, alter matrem non habeat: nam, ut addit, *de* SERVII *matre dubitatur*; ANCI PATER, NUMÆ NEPOS *dicitur*. Quamquam non de *matre*, sed de *patre* Regis Seruii dicat alibi Liuius: *Seruium Tullium*, *post hunc*, (Tarquinium Priscum) *captiua Corniculana natum*, PATRE NULLO, *matre serua*, *ingenio*, *virtute regnum tenuisse*. Quod vero *indictum uniuersæ historiæ veteri*, ac ipsi inter alios Liuio, *Numam Marcium* tradit ibi ad Tacitum vir eximius, mirari equidem subit: quum continuo apud Liuium, in rebus Numæ, legatur: *Pontificem deinde* NUMAM MARCIUM, *Marci filium*, *ex Patribus legit*: eundemque vero illum esse, qui Præfectus urbis sub Tullo Hostilio, iuxta Tacitum, fuerit, *Numæ* autem gener, ac ANCI pater, filius vero *Marcii*, qui Romam ex Sabinis cum Numa commigrauerat, monuerat pridem ad eum Liuii locum Sigonius; & luculentis insuper veteris cuiusdam Scriptoris verbis iuerat adsertum; NUMAM autem prænomen fuisse Sabinum, quod *Pompilii* ac *Marcii* tulerint. Neque vero indicti Plutarcho iidem huius ANCI parens ac paternus auus, iique cum Gentili eorum nomine MARCII; ut, quod a Seneca vel a Cicerone, cui ille hoc tribuit, dicatur de *Anco*, quasi patrem non habuerit, uti nec Seruius matrem, seu cuius Anci *pater nullus*, ut ibidem additur, fuerit, id demum innuat; quòd *Ancus* nominatim, de quo hic agitur, & monuisse quoque doctissimum Perizonium videtur, Annal. VI. cap. II. In Notis ad ea Taciti verba. Epist. CVIII. Lib. I. cap. 20. Anim. Histor. p. 157.

deo, *Numæ* demum e filia nepos, patris eius nomine ceu ignoto ut plurimum præterito, dici vulgo ab Auctoribus soleat. Unde utique appellatum a Tacito primum urbis sub Tullo Hostilio Præfectum, *Numam Marcium*, non debuisse ibi ab eruditissimo Mercero, velut indictum uniuersæ historiæ, expungi, vel ex adductis Liuii de eodem, adde citati a Sigonio veteris fragmenti verbis, ac Fastis præterea Capitolinis, abunde liqueat; uti nec inde adfirmari, non *Numam Marcium* legendum ibi apud Tacitum, sed *Numæ N. seu Nepotem*, hoc est ipsum *Ancum*, qui nempe Præfectus urbis sub Rege Tullo Numæ successore fuerit. Quod utique haud præteritum fuisset ab iis, qui de hoc *Anco* in Regem euecto agunt, Scriptoribus; nec omissum ibi foret a Tacito ipsum ANCI nomen, quo solet ille a Romanis Scriptoribus, ipsis etiam qui eius meminere, poëtis, [a] Lucretio, [b] Virgilio, [c] Claudiano, ac similiter in adductis paullo ante nummis, ubi in uno etiam solum ANCI nomen legitur; a Græcis autem, uti a [d] Dionysio, Gentili MAPKIOY seu *Marcii* nomine designari. Quæ autem ideo hic monenda videbantur, quod in postremis & accuratis Taciti editionibus, nihil ea de re tangi videam; immo dictam Jos. Merceri ad ea de *Numa Marcio* verba notationem, ceu probam, nulla certe animaduersione miniatam, demum tradi: inde autem adductis paullo ante utriusque Regis Aui ac Nepotis, NUMÆ & ANCI, nummis lux aliqua accederet. Unde nec omittere hic licet alium Plutarchi de eodem Rege *Anco* locum: Ὁ πρῶτος μὲν γὰρ ἱδρύσατο Τύχης ἱερὸν ΜΑΡΚΙΟΣ ΑΓΚΟΣ, Ο ΝΟΥΜΑ Θυγατριδοῦς καὶ τέταρτος ἀπὸ Ρωμύλου γενόμενος. *Primus autem Fortunæ ædem exstruxit* ANCUS MARCIUS, NUMÆ *ex filia nepos, & quartus a Romulo Rex:* non, ut ibi hactenus, Μάρκιος ὄνομα Θυγατριδοῦς, quod viderat interpres, & erat utique obuium, ὄνομα nempe pro ὁ Νομᾶ, & tamen contra historiæ fidem vertit: *Ancus Marcius sorore Numæ natus*; qui eius ex filia nepos, ut aliunde, & ex eodem etiam Plutarcho constat, exstitit.

Neque vero iam quæritur hic an iure, vel falso, hasce gentilitias Regii earum stemmatis imagines iactarint nobiles aliquot Romanorum Familiæ; ut nominatim hoc de memoratis supra, quæ a Numa genus suum arcessebant, Gentibus, ab aliis traditum, auctor est Plutarchus. Satis hic est, nos vel veram, vel ementitam earundem Gentium originem, id genus monumentis testatam, post tot sæculorum decursum adhuc intueri. Quibus tamen haud inferendi continuo veniunt depicti itidem in FABIÆ vel MEMMIÆ nummis QUIRINUS seu Romulus; aut in LICINIA etiam NUMA, togatus itidem, ut supra in POMPONIA, cum Lituo ante Aram accensam, & Capra ante eum Popa. E quibus enim prior nummus ad *Flaminis Quirinalis*, quod gerebat tum descriptus in eo FABIUS PICTOR, sacerdotium; alter ad Junonis Sispitæ seu Lanuuinæ sacra a Numa instituta, & quæ obiret tum unus e Gente *Licinia*, demum respiciunt: prout ad utrumque illum nummum monuit iam eruditissimus Fuluius. Eadem vero Regum illorum in adductis paullo ante nummis uti QUIRINI etiam, diademata capita pluribus retro sæculis ab eorum obitu, ac proinde ad artificum seu monetariorum lubitum effecta, licet utique statuere: aut forte eadem ad formam veterum Statuarum expressa. Statuas certe illorum Regum in Capitolio fuisse docebit Plinius, ubi de aureorum annulorum apud Romanos usu agens, ait: *De Regibus Romanis non facile dixerim: nullum habet* ROMULI *in Capitolio statua; nec præ-*

a Lib. v. b Aen. vi. v. 816. c Bell. Gildon. v. 109. d Ἀ Μαρκιος Antiq. l. iii. p. 170, 171, 177, 178. &c. Ut Jo. Frid. Gronouii & Theod. Ryckii.

De Fortun. Roman p. 318.

In Numa p. 74.

Lib. xxxiii. c. 1.

ter

ter NUMÆ SERVIIQUE TULLII *alia.* Cuius autem Seruii in æde etiam Fortunæ, ab eo in urbe conditæ, superstitem adhuc sua ætate statuam, eamque a Romanis cultam, tradit Dionysius: immo solam in eadem æde, reliquis conflagratis, conseruatam Valerius Maximus. Ad Diademata vero quod attinet, quibus vincta conspiciuntur in iis nummis Regum illorum, uti QUIRINI itidem seu ROMULI, capita; eadem ad exemplum aliorum tum in Asia ac Europa Regum, & quidem more ab Alexandri M. temporibus demum inducto, a monetariis ac statuariis, aliquot ab eorum obitu seculis sculpta, sicut de nonnullis Siciliæ Regibus in priori huius operis volumine vidimus, constare omnino debet: ac proinde ut Statuariis, aut Pictoribus, ita Poëtis etiam licuisse ad eorum normam, sicut Iuuenali QUIRINO ac SERVIO TULLIO diadema itidem tribuere, de quo postremo ait:

Antiq. l. IV. p. 244.
Lib. I. cap. VIII. 11.
Tom. I. p. 243. 552.

> *Ancillâ natus trabeam, &* DIADEMA QUIRINI,
> *Et fasces meruit* REGUM *ultimus ille bonorum.*

Satyr. VIII. 259.

Unde etiam factum, ut J. Cæsarem, ubi solus rerum est potitus, quod a Suetonio, Appiano, ac Dione traditur, impositio capiti eius Diademate, vel eiusdem Statuæ laurea albis fasciis in modum Diadematis intertexta, in Regem euehere, sed quod necem ei accelerarit, tentasse dicatur vel M. Antonius, aliusve ex eius familiaribus. E quibus proinde memoratis supra illustrium Quiritium nummis docemur, quod qui *Regium genus*, *Regium nomen in ciuitate esse*, *id officere*, *id obstare* eius *libertati*, ab ipsis liberæ urbis incunabulis profitebantur; ac inde *auferendum* ex ea *Regium*, seu Regiæ Gentis, ut in *Tarquinio Collatino*, *nomen:* ab eodem tamen genus & originem mutuari, idque publicis ac duraturis ad posteros monumentis, tutum non solum ac honestum, sed præclarum etiam & gloriosum ducerent. Adeo omnia temerat ambitio, dum in alienis sepulcris gloriam, aut similitudinem in ignotis imaginibus quærit. Adde, quod a Quirini seu Romuli ætate, e Lucanis in urbem transisse Gentem TERENTIAM, diligentibus Antiquariis indicare videatur QUIRINUS cum diademate & barbato capite in eius denariis insculptus. Quod vero non a *Diis* solum aut *Heroibus*, vel *Regibus*, aut locis, unde in urbem primum profecti, Gentile deinceps nomen retinuerint prisci olim Quirites vestri; sed ab *Animalibus* etiam, quæcunque prima huius rei caussa vel occasio fuerit, & a Varrone pridem monitum, viderunt iam post Sigonium præstantes antiquarii; ac inditas inde PORCIÆ, OVINIÆ, EQUITIÆ, SUILLIÆ, ASINIÆ, VITULI, adde & RENIÆ, immo BESTIÆ, minus cæteroquin decoras appellationes; quas exhibent etiam, si OVINIAM & EQUITIAM mittas, veteres earundem Familiarum nummi.

Liuius lib. II. cap. 3.

Ad Notitiam ROMANORUM NOMINUM.

Quum autem Quiritibus vestris proprium & peculiare, quod vulgo notum, olim fuerit, ut præter GENTIS & FAMILIÆ nomen, PRÆNOMINE insuper & COGNOMINE, ac nobiliores quidem, iuxta Ausonium, gauderent; hinc triplicem illam & distinctam PRÆNOMINUM, NOMINUM, & COGNOMINUM seriem eadem Nummorum, vulgo Consularium, supellex etiamnum

Tria nomina nobilium. Idyll. XI.

ante oculos ponit. NOMEN equidem proprie de *Gentis* seu *Familiæ* appellatione, de qua modo egimus, olim dictum, monuerunt iam viri præclari, ac licet insuper e libris Juris Romanorum Ciuilis percipere, in quibus trium illorum apud eos Nominum varietas & distinctio etiamnum legitur. Ita Ulpianus: *Errauerat* IN NOMINE, *vel* PRÆNOMINE, *vel* COGNOMINE, *cum in corpore non erraſſet:* ac similiter in Gordiani Imp. constitutione: *Si* NOMINE, *vel* PRÆNOMINE, *seu* COGNOMINE (*aut* AGNOMINE) *testator errauerit, nec tamen, de quo senserit, incertus sit, error huiusmodi nihil officit veritati.* Adde alibi in eodem Codice Diocletianum: *Sicut initio* NOMINIS, COGNOMINIS, PRÆNOMINIS *recognoscendi singulis impositio priuatis libera est.* Quam tamen vocis NOMINIS acceptionem, ubi maxime non occurrit eadem iuncta cum *Prænominis* vel *Cognominis* vocibus, de iisdem quoque promiscue dici a Romanis constat. Unde, ut alia mittam, aut quæ viderunt iam alii, Cicero: *Nomen cum dicimus, Cognomen quoque a Agnomen intelligimus*; tum Fabius: *Scrutatur mille præceptor acer atque subtilis origines* NOMINUM, *ut quæ ex habitu corporis, Ciceones, Rufos, Longosque fecerunt (nisi erit aliud secretius) Sullæ, Burrhi, Galbæ, Planci, Pansæ, Scauri, taliaque & ex casu nascentium; hinc Agrippa, vel Opiter, & Cordus, & Postumus erunt, & ex iis quæ post natos eueniunt:* Quæ autem totidem non Gentium Romanarum *Nomina*, sed *Cognomina*; quædam etiam ex iis olim *Prænomina*, ut *Agrippa* & *Postumus*, uti ea de re mox, exstarent. Ita alicubi de Pompeio & MAGNI cognomine: *Africa vero tota subacta, & in ditionem redacta*, MAGNIQUE NOMINE *in spolium inde capto.* Immo ubi scriptas a J. Cæsare ad P. Clodium literas refert Cicero, inscriptas CÆSAR PULCHRO, addit: *Cum etiam es argumentatus, amoris hoc esse signum, cum* NOMINIBUS *tantum uteretur*, quæ tamen mera erant *Cognomina*, prius Gentis *Juliæ*, alterum *Calpurniæ.*

Leg. xxi. §. 1. D. quæ Testamenta.

Leg. iv. Cod. de Testament.

Leg. vii. C. de Mutat. Nomin.

Instit. lib. 1. cap. 7.

Lib. vi. cap. 27.

Orat. pro Domo cap. ix.

Idem vero ille non GENTILIUM solum Nominum, sed PRÆNOMINUM itidem, tum vero COGNOMINUM, quibus eadem Gens fuit in plura capita, immo in plures etiam stirpes apud Romanos distincta, quemque veteres illi eorum nummi continuo exhibent, obtutus, haud vanæ utique delectationis vel leuis utilitatis materiam ostentat. Quæ equidem eo accuratius obseruanda veniunt, quod vel plurima id genus aliunde sint ignota, sicuti earundem Gentilium propago; aut qui in aliam etiam Gentem seu Familiam, quod adoptione contigerat, erant traducti: quæque in designandis viris illustribus, a diligentissimis etiam Auctoribus passim præterita fuerint; dum eos vel cum solo Gentili Nomine, aut solo Cognomine frequentius, nonnunquam etiam cum nudo Prænomine efferre consueuerant. Quæ diuersitas utique, uti mox plenius videbitur, seu Nominum id genus permixtio vel omissio frequenter occurrit cum apud Latinos Scriptores, tum inter Græcos Latinosque, ubi ii eorundem Quiritium meminere. Accedit, quod eadem apud illos Nomina, mutata eorum sede, non semel transponantur, ut nempe præpostero ordine nomen *Gentile Prænomini*, aut *Cognomen Nomini Gentili*, idque, ut dein videbitur, vel casu, vel peculiari de caussa sit prælatum. Id vero obiter hic quoque monendum est, non inde perpetuum hunc fuisse omnium veterum Romanarum, ac ne nobilium quidem Gentium, morem, ut ex singulæ *Cognomine* gauderent, atque

que ita omnes essent tribus nominibus; quod vel illustria, quæ nummi exhibent, Familiarum id genus monumenta, ut id deinceps etiam dicetur, abunde redarguunt.

I. *De Usu* PRÆNOMINUM.

1. Prænomina *Romanis ab urbis incunabulis usitata.*

USUM verò PRÆNOMINUM, florente Republica, aut primis Cæsarum temporibus, obtinuisse ostendunt eadem, de quibus hic agimus, Numismata, ut vix aliud, quam unum tributum singulis videas. Quod enim duo Prænomina in nummis Gentis *Sulpitiæ*, inscriptis nempe L. SERVIUS RUFUS, agnoscit eruditissimus Fuluius, de iis agendi paullo post opportunior occurret locus. Usum vero PRÆNOMINUM apud Romanos iam ab eorum Regibus inualuisse; eumque, ut de illorum COGNOMINIBUS id obseruat Auctor libelli de Nominibus Valerio Max. additi, & monuit iam Sigonius, a Sabinis Albanisque, quibus orti essent Romani, ipsa Romuli eorum Conditoris ætate profectum, vel sola, ut hoc addam, *Titi Tatii* Sabinorum Regis; e Romanis autem *Spurii Tarpeii*, ac *Hosti Hostilii* apud Liuium nomina; tum aliâ mox Romanorum Regum, *Numæ Pompilii*; Sabini; *Tulli Hostilii*; *Anci Marcii*; *Lucii Tarquinii*, cui additum postea *Prisci* cognomen; *Seruii Tullii*; *Lucii Tarquinii*; cum *Superbi* dein cognomine; filiorumque eius *Sexti* & *Aruntis*, Prænomina euincunt. Qua, & Tulli quidem Hostilii, ætate fuerunt, *Marcus Valerius* fecialis, *Spurius Fufius* pater patratus, *Publius Horatius*, trium Horatiorum pater, dein *Spurius Lucretius*, Lucretiæ parens, *Publius Valerius*, & Regii dominatus expulsor, *Lucius Iunius Brutus*, eiusque duo filii *Titus* ac *Tiberius*, ac duo Gellii fratres uxoris Bruti *Marcus* & *Manius:* ut iis proximos dein mittam, *Publium Valerium*, *Titum Lucretium*, *Titum Herminium*, *Spurium Lartium*, *Caium Mucium*, aliosque, vulgatos iam primâ illa liberæ urbis ætate in Romanorum annalibus. Adeo ut præter ea, quæ paullatim obliterata sunt, eadem, quæ sequutis dein ætatibus, nempe CAII, LUCII, MANII, MARCI, PUBLII, SEXTI, TITI, TIBERII, ab ipsis velut urbis incunabulis, Regum certe ætate, obtinuisse PRÆNOMINA, vel e modo dictis abunde liqueat.

De Nomin. Rom. cap. 1.

Lib. 1. c. 11. 12.

Liuius lib. 1. c. 24.

Ibidem cap. 58.

Ibidem lib. 11. c. 4.

Dionys. Halic. Ant. l. 1. p. 298.

Vid. Liuium l. 11. c. 8, 11, 12. &c.

2. Prænomina *Patrum, aut Auorum passim retenta.*

Qua ratione etiam factum est, ut non *Patrum* duntaxat *Nomina* & *Cognomina*, sed PRÆNOMINA etiam ad Filios ac Nepotes, & quidem, ut pridem ad Ciceronem monuit Manutius, maiores natu, transirent vulgo ante Cæsarum ætatem: cuius rei cum alibi, tum obuia sunt passim in Nummis exempla. Quomodo solâ additâ *Filii* ac *Nepotis* mentione, & *Patris*, ac *Aui* insuper Prænomine, Filios a Patribus in monumentis id genus, citra additum iisdem *Cognomen*, subinde distinctos legimus: sicut in denariis Gentis *Antoniæ:* quæ, quod ei cum paucis illustribus id genus Quiritium Familiis erat peculiare, Cognominibus ferme (si unum vel alterum, aut pridem obliteratum, aut paucis adhibitum mittas; qua de re postea) caruit, M. ANTONIUS M. F. M. N. cuius Triumuiri rursus e Fuluia Filius, MARCUS itidem dictus in præclaro nummo Cl. Seguini M. ANTONIUS M. F. Mitto obuios passim alios denarios cum iisdem Parentum & Auorum Prænominibus M. AIMILI M. F. M. N. *Marcus Aimilius Marci Filius Marci Nepos*, ac similiter M. AQUILIUS M. F. M. N.

M. N. L. Cæcilius L. F. L. N. C. Pansa C. F. C. N. C. Vibius C. F. C. N. Immo prout etiam in antiquis Inscriptionibus, sed cuius rei exempla necdum suppeditarunt hactenus, quod equidem sciam, veteres nummi, non *Patris* solum aut *Aui*, sed *Proaui* etiam, & cum iisdem Prænominibus, facta occurrit mentio; ut in duabus, quas viderunt iam viri præstantes, C. Octavius C. F. C. N. C. P. *Caius Octauius Caii Filius Caii Nepos Caii Pronepos:* item L. Munatius L. F. L. N. L. Pron. *Lucius Munatius Lucii Filius Lucii Nepos Lucii Pronepos.* Neque tamen inde continuo statuerem, quod in nupero & præclaro Marmorum Felsineorum opere adsertum video, ea Caii & Marci *Prænomina* non nisi conspicuis ac illustribus apud Romanos data: quum promiscue libertis, fabris, aliisue operariis tribui eadem apud Auctores, ac in antiquis lapidibus liqueat, ac inde a Cicerone scribæ suo, citra additum etiam pristinum liberti pro more cognomen, dari quoque videas: *Si M. Tullius scriba meus*, nempe utroque herili nomine, pro noto libertorum more, donato. E quibus autem additis subinde in antiquis illis denariis *Parentum* ac *Auorum Prænominibus*, priscarum id genus Familiarum series haud parum illustratur. Apud Græcos quidem rarius eadem nomina a Patribus ad Filios transiisse haud ignoras: cuiusmodi tamen aliquot ipsi Auctores Attici suppeditant exempla; ut de se aliisque Demosthenes: Δημοσθένης Δημοσθένους· alibi apud eundem, Κησισφῶν Κησισφόντος· Κλέων Κλέωνος. De Samiorum tyranno Thucydides: Φαγαβάζῳ τοῦ Φαγαβάζου, nisi postremum Φαγάκου legi ibidem debeat, iuxta eruditissimum Palmerium, in suis ad hunc Auctorem adnotatis; Arrianus: Αγιτόβουλος τοῦ Αγιτοβούλου; Artemidorus: Αρτεμίδωρος Αρτεμιδώρου, pater nempe scribens ad filium; apud [a] Josephum *Antipater* Herodis pater, prius *Antipas*, eodem quo pater eius nomine, appellatur; Liuius: [b] *Andronicus Andronici filius Ætolus.* Sic apud Laërtium: [c] Μέλιτος Μελίτου· alibi, [d] Αντισθένης Αντισθένους. Quæ & ideo proferenda hic obiter censui, quod occurrunt insuper eius rei exempla non in antiquis solum lapidibus, ut in Marmoribus Oxoniensibus: [a] Μήναν Μήνου· [b] Διόφαντος Διοφάντου· [c] Σώταλος Σωτάλου· [d] Δόκιμος Δοκίμου· & apud Sponium: Θράσυλλος Θρασύλλου· Δημήτριος Δημητρίου· Διοκλέως τοῦ Διοκλέους· sed in antiquis etiam Græcorum nummis, ut *Magnetum* in Gaza Christinæ Augustæ, ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ ΠΑΥΣΑΝΙΟΥ· in *Smyrnæorum* nummo Mediceo, ΑΧΙΜΗΤΟΣ ΑΧΙΜΗΤΟΥ, ac in aliis eorundem Smyrnæorum nummis, ΜΟΣΧΟΣ ΜΟΣΧΟΥ, ΦΙΛΗΜΩΝ ΦΙΛΗΜΟΝΟΣ. Cæterocquin inflexa paullo aliter Filiorum apud Græcos nomina; ut apud [a] Platonem ac [b] Thucydidem: Ἄνδρων Ανδροτίωνος, Καλλίας τοῦ Καλλιάδου, Τολμίδης τοῦ Τολμαίου, aut frequenter Auorum repetita in Nepotibus nomina, quod apud Athenienses in primis familiare; unde illud Aristophanis in Auibus:

Sigonius de Nomin. Rom.

Pag. 450.

Lib. v. Epist. Fam. 20.

De Coron.

Lib. VIII.

Exped. Alex. lib. I.

a Antiq. lib. XIV. p. 469.

b Lib. XLV. c. 31.

c Lib. II. p. 104 vet. edit.

d Lib. VI. ab initio.

a Pag. 90. P. I.

b Pag. 128. ibid.

c Pag. 131. ibid.

d Pag. 30. P. II. Miscell. p. m. 204. 208.

a In Protag. & Theag. en.

b Lib. I.

Εγὼ δὲ τοῦ πάππου Φειδωνίδην,

Ego vero ab Auo diccbam ipsum Phidonidem.

Pag. 127.

Cuius etiam moris crebra occurrunt apud Platonem exempla: Ὅδε μὲν τοῦδε πάππου ἔχων ὄνομα Θουκυδίδης, *ille vero Aui nomen habens Thucydides*; & similiter alibi apud eundem: *Thucydides Milesiæ filius, Thucydidis nepos; Aristides Lysimachi filius, Aristidis nepos; Lysis Democratis filius, Lysidis nepos:* quam-

In Lachete p. 179.

In Theogene p. 130. 1420.

In Lysp. 205.

quamquam de poſtremo obſeruat, eum Socrati ideo ignotum, quod non tam proprio quam parentis nomine vocaretur, ob parentum claritatem. Hoc ipſum de impoſitis vulgo ſua ætate *Auorum* aut *Proauorum* nominibus, video notantem alicubi & improbantem Chryſoſtomum: καὶ καθάπερ οἱ νῦν ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε, τὰς προσηγορίας ποιοῦνται, εἰς ΤΟ ΟΝΟΜΑ φησι ΤΟΥ ΠΑΠΠΟΥ καὶ ΤΟΥ ΕΠΙΠΑΠΠΟΥ καλείσθαι τὸ παιδίον, *quemadmodum hodie ſimpliciter, & ut caſus fert,* NOMINA *imponunt; vocetur infans, inquiunt,* AVI, *aut* PROAVI *nomine.* In Geneſ. Hom. xxv. Tom. I. p. 147. ed. Sauil. Ibi vero alium uſum docet apud maiores obtinuiſſe, ut nempe nomina inderent, quæ ad virtutem excitarent poſteros: unde in ſequentibus hortatur, ut non *Aui* aut *Proaui*, ſed *Sanctorum* virorum nomina liberis imponantur. Scilicet iuxta morem Chriſtianis pridem conſuetum, quo, aut vulgo hauſta e ſacris Veteris ac Novi Fœderis libris, aut aliàs Martyrum nomina frequenter liberis indebant, ut teſtantur veteris Eccleſiæ Annales. Quibus addere mihi liceat in editis nouiſſime, quæque necdum in omnium manibus verſantur, a doctiſſimo Benedictinæ Congregationis Presbytero, Bernhardo de Montfaucon, Euſebii Cæſarienſis in Eſaiam commentariis, moris ſua ætate, graſſantibus adhuc perſequutionibus, recepti, ut nempe e Gentibus ad Chriſti fidem conuerſi, nomina *Patriarcharum* aut *Prophetarum* martyrium ſubeuntes uſurparent, luculentum utique teſtimonium: ἐν γοῦν τοῖς καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς γενομένοις διωγμοῖς, πολλοὺς τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν ἐθεασάμεθα προαρπάζοντας ΕΑΥΤΟΙΣ ΤΑΣ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΠΡΟΣΗΓΟΡΙΑΣ, ὧν ὁ μὲν ἑαυτὸν ΙΑΚΩΒ ἐκάλει, καὶ ἕτερος ΙΣΡΑΗΛ, ἄλλος δὲ ΙΕΡΕΜΙΑΝ, καὶ ΗΣΑΙΑΝ ἕτερος, καὶ ΔΑΝΙΗΛ πάλαι ἄλλος, τοιαῦτα γοῦν ἐπιγεγραφόμενοι ὀνόματα ἐπὶ τὸ μαρτύριον τοῦ Θεοῦ σὺν πολλῷ θάρσει καὶ παῤῥησίᾳ παῤῥέσαν, *nam in perſequutionibus noſtro tempore concitatis, multos ex alienigenis gentibus vidimus, qui* SANCTORUM VIRORUM NOMINA USURPARENT: *quorum hic nempe ſe* IACOBUM *appellabat, alius* ISRAELEM, *alius vero* IEREMIAM, *hic* ESAIAM, *iſte* DANIELEM: *quibus equidem ſibi adſcriptis nominibus, ad martyrium pro Deo ſubeundum, cum fiducia & conſtantia accedebant.* Comment. in Eſa. cap. XLIV. p. 527. Collect. Nou. Patr. To. II.

3. *De ſolitis quarundam Familiarum Prænominibus.*

Id vero in his Gentium nummis præterea obſerues, eadem *Prænomina* nonnunquam uni Familiæ, aut Genti quoque, peculiaria exſtitiſſe; ſicut de Gente *Domitia Ahenobarborum* notat Tranquillus: *Ac ne* PRÆNOMINA *quidem ulla præterquam* CNÆI *&* LUCII *uſurparunt: eaque ipſa notabili varietate, modo continuantes uniuſquodque per ternas perſonas, modo alternantes per ſingulas.* In Neron. cap. I. Equidem ex parte id euincunt denarii adhuc ſuperſtites gentis illius *Domitiæ*, ac nominatim AHENOBARBORUM in eadem, in quibus haud aliud quam CN. ſeu CNÆI Prænomen legitur. Unde apud Liuium pro *C. Domitium Cn. Filium* haud male, poſt Pighium ibi adductum, legendum putat princeps harum literarum Io. Frid. Gronouius, *Cn. Domitium.* Lib. X. cap. 9. Quomodo CAII, vulgare alioquin, Prænomen *Octauiæ* Genti velut proprium exſtitiſſe docet concinnatum C. Octauii Cæſaris a viris eruditis ſtemma: C. OCTAVIUS C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. *Caii Filius, Caii Nepos, Caii Pronepos, Caii Abnepos.* Ita NUMERII Prænomen peculiare Genti *Fabiæ* tradit Auctor libelli Valerio Maximo adiuncti: NUMERII *ſola Patricia gens uſa eſt* FABIA *Prænomine.* Teſtes quidem eius rei luculenti denarii Gentis Fabiæ, qui ſoli hactenus Prænomen

men illud, & quidem una litera N exprimunt: ut N. FABI PICTOR, & in Clypeo, quem Romulus, ut volunt, tenet, cum Flaminis apice (qua de re paullo infra) QUIRINUS; quod nempe idem *Numerius Fabius Pictor*, ut e Liuio iam viderunt viri præstantes, esset Flamen Quirinalis. Unde liquet certe emendandum esse Liuium, apud quem locis aliquot pro *Numerio*, *Quintus* vocatur, nempe *Q. Fabius Pictor*, *Flamen Quirinalis*, pro quo in antiquis editionibus legebatur *M. Fabius* &c. litera M loco N, quod prænomen illud *Numerii* vulgo foret minus notum, obuio utique librariorum lapsu, ibi intrusa. Id vero ad postremam Liuii editionem doctissimi Io. Frid. Gronouii, a Filio Jacobo diuulgatam, ita me monitore, (in superiori nempe huius operis editione) corrigendum, adnotatum forte videas. Neque vero alius statuendus est, cui nummus ille imputari debeat; neque etiam cum viris præstantibus, Ursino, ac celebri dein Antiquario, duo ibi apud Liuium *Fabii Flamines Quirinales* quærendi sunt; sed unus idemque statuendus, qui nempe Anno V. C. DLXIIII. Flamen Quirinalis inauguratus fuit, anno autem DLXXXVII, COSS. M. Claudio Marcello & Cl. Sulpicio Gallo, mortuus. Neque tamen solam Gentem *Fabiam*, quod tradit Auctor libelli Valerio additi, usam hoc NUMERII Prænomine, sed duas etiam antiquas & Patritias Romanorum Gentes,[a] *Furiam* & [b] *Quinctiam*, monuit iam Sigonius; & quibus addi insuper possunt ex eodem Tullio, [c] *Numerii Aurii*, *Suffutii* [d] *Numerii*: item [e] *Numerii Decimii*, apud [f] Liuium. Sic MANII Prænomen minus hodie apud rerum Romanarum Auctores obuium, AQUILIIS olim consuetum, Gentis illius denarii iidem etiamnum vindicant, inscripti *MV*. AQUILLIUS *MV*. F. *MV*. N. ut illud hereditarium in iis agnoscas. Hac autem nota *MV*, non NV, ut in Fuluiana collectione, quod in nouissima emendauit Cl. Vaillant, legebatur, MANIUM designari erudite e Fastis, ac id genus quos inspexerat, denariis, coniecit doctissimus Sigonius, & collatione Auctorum Plutarchi & Appiani, a quibus Μάνιος vocatur ille *Aquilius*, cuiusque in Liuiana Epitome fit mentio, & in qua M. seu *Marcus Aquilius* ante legebatur. Quod a Manutio itidem factum, a quo *Man. Acilio Glabrioni*, *Man. Aquillio*, *Man. Curio*, in Ciceronis Epistolis illud *Manii* Prænomen pro *Marco* restitutum dicitur. Unde etiam pro Μάνλιος Ακύλλιος, utrumque diuersarum Gentium, ut notum, Romanarum nomen, apud Athenæum a magno Casaubono, e Plutarcho itidem ac Appiano, quibus primæuam & incorruptam nummorum fidem addere ibi ὁ πάνυ potuisset, Μάνιος vere emendatus; ac prout alioquin a [a] Velleio similiter *Manius* & apud [b] Valerium Maximum non M seu *Marcus*, sed sicut in denariis *MV*, h. e. *Manius* inscribitur. Quod Prænomen similiter ACILIIS, ac iunctis literis *MV* itidem signatum vindicant quoque veteres Gentis illius nummi, sicut Fasti etiam Capitolini: ac unde in Liuio, ubi eiusdem *Manii Acilii Glabrionis*, qui Antiochum debellauit, fit mentio, non M. seu *Marcum*, seu *MV* h. e. *Manium* legendum vidit & expressit Sigonius; quod dein in postremis Liuii editionibus cum literis *Man.* aut integro *Manii* nomine consignatur. Ad quem quoque *Manium* respexit, ut hoc addam, loco supra iam adducto, Macrobius: *Fuluius autem id egisse* MANIUM *Consulem dicit, ab urbe condita anno quingentesimo sexagesimo secundo.* Eo enim anno cum Scipione Nasica Consul traditur in Fastis hic *MV* (seu *Manius*)

Lib. xxxvii. c. 47 & 50. l. xlv. c. 44.

Not. ad lib. xxxvii. c. 47.

Vaillant Fam. Rom. p. 429. To. i.

a De Orator. l. iii. c. 23. b Pro Sextio c. 38. 43. c Pro Cluent. c. 7. d Diuination. l. ii. c. 41. e Lib. ii. ad Att. Ep. 20. f Lib. xxii. c. 24.

Epist. lxix.

Com. ad lib. xiii. Ep. Fam. 14.

Lib. xv. p. 213.

a Lib. ii. cap. 45. b Lib. ix. cap. xiii. 1.

Lib. xxxi. cap. 50.

Saturn l. i. c. 13.

ACILIUS GLABRIO. Unde etiam factum, ut Manutius in Ciceronis Epistola ad Tironem, pro *Munium*, ut in veteribus aliquot codicibus legebatur, *Manium*, quod prænomen illud haud valde foret usitatum, emendaret; sed ubi *Ummium* ex antiquis libris legendum monuit doctissimus Victorius, & in nuperis apud Batauos harum Epistolarum editionibus est itidem retentum. Exstant vero alia quædam antiqua illustrium Romanarum Gentium apud Auctores, ac in Fastis Capitolinis, PRÆNOMINA, quorum hactenus obliterata est in residuis earum nummis memoria. Qualia utique sunt CÆSO, in *Duilia* & *Fabia*; HOSTUS, in *Lucretia*; OPITER & PROCULUS, in *Virginia*; POSTUMUS, in *Æbutia* & *Cominia*; VOLERO, in *Publicia*; VOPISCUS in *Julia*, ac in nummis quidem inter Cognomina Gentium *Luriæ* ac *Vipsaniæ*; olim vero, quod e Liuio, Fastis Capitolinis, ac aliunde obuium, *Furiæ*, & *Meneniæ* Prænomen, AGRIPPA. Lib. xvi. Epist. 14.

Illis autem propriis veluti Gentium aliquot Romanarum, & quæ in quarundam ex iis nummis obtinent, PRÆNOMINIBUS, addendi continuo veniunt in *Claudia* APPII, ac in *Sulpicia* SERVII; atque ita, ut velut proprium Familiæ in iisdem Gentibus nomen constituerent. Unde, ut de SERVIIS hic primo agam, factum videas, ut; quum iuxta obuium alioquin, de quo alicubi Plutarchus, ac perpetuum etiam in hisce Romanorum monumentis sicuti alibi, & quod obuium apud Auctores ac in Fastis aliisue lapidibus, morem, neque a viris præstantibus, qui de Romanorum Nominibus egerunt hactenus, præteritum, Prænomina id genus vel una initiali litera tantum designentur, ut AULUS, CAIUS, DECIMUS; & cum litera K CÆSO, LUCIUS præterea, MARCUS, NUMERIUS, PUBLIUS, QUINTUS, interdum etiam, qui vulgo alioquin cum tribus, SEXTUS, TITUS; aut vero duabus, ut APPIUS, CNÆUS, MANIUS, SPURIUS, TIBERIUS; & quibus accensetur a Sigonio OP. pro OPITER, qui tamen cum integro nomine, cum in Fastis Capitolinis, tum apud Liuium hodie legitur; vel etiam cum tribus, sicut MAMERCUS, SEXTUS, &, de quo hic agimus, SERVIUS; integrum tamen hoc SERVII nomen adscriptum legatur in præclaris aliquot Gentis *Sulpiciæ* nummis: nempe L. SERVIUS RUFUS. Quamquam; ut obiter hoc addam, occurrant quædam e memoratis paullo ante, sed minus consuetis Gentium Romanarum Prænominibus, quæ cum integris itidem eorum literis exhibent earum nummi, ut POTITUS, VOLUSUS, in Valeriæ Gentis denariis; prout obuii alioquin apud Auctores ac in Fastis, *Agrippa Menenius*, *Agrippa Furius*, *Hostus Lucretius*, *Opiter*, ut modo vidimus, *Virginius*, *Postumus Æbutius*, *Postumus Cominius*, *Proculus Virginius*, *Tullus Hostilius*. Idque inde factum, quod haud promiscue usitata eadem forent, sed veluti quibusdam Familiis propria demum essent Prænomina. Verum ut ad memorata illa SERVII & APPII *Prænomina* redeam, contigit ut a retenta illorum in certis Gentis *Sulpiciæ* & *Claudiæ* Familiis appellatione, eadem inde, omisso Gentili nomine, & cuius eadem vicem explerent, frequenter adhiberentur. Cuius rei illustre utique exemplum suppeditant memorati illi paullo ante Gentis *Sulpiciæ* nummi cum adducta epigraphe, L. SERVIUS RUFUS. Haud aliter nempe ac in vita Attici apud Nepotem occurrit itidem *Seruius* cum alio, MARCI nempe, Prænomine,

4. *De* APPII *&* SERVII *Prænominibus Gentilium vicem obtinentibus.* Quæst. Rom. CIII.

Lib. II. cap. 17. & 54.

M. SERVIUS *frater Sulpicii*: unde etiam duo Prænomina, *Lucii* nempe & *Servii*, agnoscit continuo in eodem nummo eruditissimus Ursinus. Qua de re tamen statuendum est, quod tum in proprium Familiæ in eadem Gente *Sulpicia* nomen transierat familiare eidem antea SERVII *Prænomen*; indeque etiam illud, præter receptum alioquin, ut modo diximus, Prænominum id genus in nummis, uti apud Auctores ac in Fastis, & in ipso hoc L. seu *Lucii* Prænomine, morem, non initialibus solum literis SER. sed integris literis sit ibi adscriptum, nempe L. SERVIUS. Accedit, quòd absit ab iisdem memoratis modo apud Ursinum nummis alterum *Sulpiciæ* Gentis nomen; sed unum addatur obuium aliunde RUFI in eadem Gente Cognomen. Unde haud satis adtente ab insigni nuper literarum ornamento notari alicubi ad Epistolas ad Atticum video; quo probet unum eundemque hominem esse, qui duobus *Gentilitiis* nominibus ibi designatur, *Opimium Antium*: „nempe *Antium* nomen Gentis ibi in Cognomen transiisse, ut apud Ciceronem I. de Orat. *M. Seruius Sulpicius*, & in vetere nummo aureo: *L. Seruius Sulpicius Rufus*. Etsi enim crebra sit apud Tullium *Seruii Sulpicii* mentio, atque etiam alicubi cum *Rufi* cognomine; haud tamen iunctum cum iis M. seu *Marci*, quod a viro insigni, ut modo vidimus, traditur, *prænomen* obseruare licuit: quorum tamen duo priora *M. Seruii* nomina occurrunt apud Nepotem; tertium autem seu Gentile *Sulpicio* fratri demum eius tribuitur: *Anicia Pomponii consobrina nupserat* M. SERVIO *fratri* SULPICII. Quum alioquin tribus apud Ciceronem locis, quibus integra huius *Sulpicii* nomina cum eiusdem Tribus, pro more, mentione, in decreto Senatus in eius laudem ab eodem Cicerone condito recensentur; haud aliud quam SERVII Prænomen ibidem traditur: *Cum Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus*. Neque vero in nummo aureo, quem citat ibi laudatus modo vir præclaris in literas meritis, legitur, cum *Lucii* nempe prænomine, L. SERVIUS SULPICIUS RUFUS: quum in tribus, quos adduxit Ursinus, & unum ex iis itidem aureum, exstet demum, ut ante diximus, L. SERVIUS RUFUS, non addito SULPICII, quod proinde in Cognomen, iuxta virum præclarum, ibi transiisset, nomine. Adde, quòd in eo nummo, quem adduxit Goltzius, adsint quidem SER. SULPICII nomina; sed sine præmisso iis LUCII Prænomine: nempe SER. SULPICIUS RUFUS: ubi proinde *Seruius* Prænominis vicem, *Sulpicius* vero omnino Gentilis nominis, non vero Cognominis, locum obtinent. Quomodo cæteroquin unum SER. seu SERVII Prænomen, orto eadem Gente *Sulpicia*, sed sine addito eius nomine, GALBÆ vulgo tribuitur in eius nummis, nempe SER. GALBA, prout iam ante, Gentiles eius ita passim apud Auctores, Ciceronem, aliosque, quod in iis obuium, sunt appellati. Immo qui, omisso etiam ipso GALBÆ cognomine, uno SERVII nomine quandoque designantur: uti ab eodem Tullio: *Huic succesit ætati C. Galba*, SERVII *illius eloquentissimi viri filius*. Quamquam, quod obiter hic addendum est, loco SERVII, alterum LUCII, cum Gentili nouercæ Liuiæ, a qua fuerat Galba adoptatus, nomine, tradente id utrumque Suetonio, nummum Collegii Claromontani protulit eruditissimus Harduinus: nempe AOYK. AIB. ΣOYA. ac reddi proinde debuit, noto adoptatorum apud Romanos, & de quo paullo ante dictum & postea adhuc plenius dicetur, more, *Lucius*

J.G. Græuius Not. ad lib. IV. Epist. 16.

Philipp. IX. cap. 7.

In vita Attici.

Ut supra Philipp. IX. c. 7.

In Bruto c. 33.

In Claudio cap. IV.

Antirrhet. p. 32.

cius Liuianus Sulpicius Galba; non vero cum duobus ac veris Romanarum Gentium nominibus, uti a viro erudito factum, *Lucius Liuius Sulpicius.* Ibidem. Quam cæteroquin Prænominum, quam idem nummus arguit, apud Romanos mutationem, haud plane fuiſſe inſolitam docebit alibi idem Tranquillus: *Patrem Claudii Cæſaris Druſum, olim* NERONEM, *mox* DECIMUM PRÆNOMINE. In Claud. cap. 1. Etſi vero duorum id genus *Prænominum* receptum eſſe apud Romanos libera adhuc Republica uſum, ex adductis modo *L. Seruii Rufi* in Gente *Sulpicia* nummis, haud liceat continuo ſtatuere; quod in iis SERVIUS proprium familiæ potius quam *Prænomen* indicet; id, ut obiter hoc addam, haud minus conſtat ſub Imperatoribus dein, & maxime circa Antoninorum tempora, paullatim inductum, ut plura adſciſcerent Prænomina: quomodo id cum ex Lapidibus, tum ex Nummis obuium; idque ad maius diſcrimen inter Gentiles unius Familiæ ac Prænominis. Quæ autem de illo SERVII in hiſce Gentis *Sulpiciæ* nummis *Prænomine*, ibi in *Nomen* verſo, hactenus diximus, abunde illuſtrant obuiæ in Ciceronis, præter verba eius aliunde iam adducta, Epiſtolis ad *Seruium Sulpicium* inſcriptiones, CICERO SERVIO, cum nudo nempe, præter morem, ac integro eius Prænomine: ac paſſim in Oratione pro Murena, ubi eundem *Seruium Sulpicium*, ſolo priori nomine appellat: *Ut tecum agam* SERVI: dein, *quibus te*, SERVI, *excellere*; ac alibi in Epiſtolis præmiſſa *Sulpicii* mentione, SERVIUM *exſpecto*, & quæ plura id genus ſunt apud eundem obuia. Adde etiam apud alios, ut apud Velleium de Aſculanis agentem: *Quippe* SERVIUM *Prætorem*, *Fonteium-que legatum occiderant*: ac Otho Imp. apud Tacitum: *Poſt Julios, Claudios,* SERVIOS, *ſe primum in Familiam nouam imperium intuliſſe*: Ubi *Servius*, Prænomen cæteroquin Gentis *Sulpiciæ*, pro ipſa Gente, e qua ortus, qui modo Imperator deceſſerat, *Galba*, uſurpatum liquet, ibique continuo inter aliarum illuſtrium Gentium Romanarum nomina collocatum. Corruptum vero adhuc illud nomen haud ſemel legitur, prout apud Dionem Cocceianum Γαϐβαγουέγουιος vocatur Cæſaris legatus, pro quo Leunclauius male emendabat Γάλβας ὁ Σέγγιος, qui Γάλβας ὁ Σέγουιος, & erat obuium, dici debuit, ſicut recte legitur alibi apud eundem Dionem, quem male rurſus ſollicitat ibi vir doctus. Ita apud Plutarchum in Catone Maiore, quem dicit nonageſimum annum ingreſſum, accuſatorem exſtitiſſe Σεϐουλίῳ Γάλβᾳ, pro Σεϐουίῳ, quod vidi poſtea doctos interpretes in notis ad eum locum obſeruaſſe. Mitto vulgatum errorem, qui SERGIUM GALBAM nobis pro SERVIO paſſim obtruſerat: quem illi denarii Gentis *Sulpiciæ*, quibus non iam SER. (ſolito literarum in deſignandis Prænominibus compendio) more conſueto, ſed SERVIUS integris literis deſcribitur, abunde poterant refellere. Ut hoc demum de SERVIO addam; id iam Regi Romanorum SERVIO TULLIO contigiſſe; ut, quod vel ex Liuio aliisque abunde liquet, citra additum TULLII nomen, ſolo SERVII Prænomine deſignetur. Lib. xii. Ep. Fam. 8, 23. Cap. iv. Ibidem cap. xiv. Ad Att. lib. x. Ep. 9, 10. Lib. ii. cap. 15. Hiſt. lib. ii. cap. 5. Lib. xxxix. p. 94. Lib. i. cap. 40, 41, &c.

Cæterum quòd, ſicuti SERVII Genti *Sulpiciæ*, ita proprium & familiare eſſet Genti Claudiæ APPII Prænomen, adeo ut vix alteri apud Romanos Genti vel Familiæ libera Republica tributum legatur; inde factum ſimiliter, ut eodem etiam APPII Prænomine dicti fuerint duo eiusdem ſtirpis fratres, ac inde eos, ad illorum diſcrimen, MAIORIS & MINORIS nominibus diſtinctos tradat ad Ciceronem [a] Aſconius: certe ab ipſo Cicerone [b] *Appius minor* dictus legitur. Unde ſolo etiam APPII Prænomi-

[a] Argum. pro Milone.
[b] Lib. viii. Ep. Fam. 8.

ne crebro illius, & Patriciæ quidem, Claudiorum stirpis, qui PULCHRI cognomine dicebantur, designati sunt alibi apud Ciceronem, ubi ei de *Appio Pulchro*, fratre P. Clodii inimici eius, sermo: immo prout inscriptas ab eo Epistolas diximus CICERO SERVIO, ita etiam exstat una cum inscriptione, CICERO APPIO, citra additum PULCHRI, ut in aliis, cognomen. Quin apud Liuium, ubi loquitur de primo Appio Claudio, qui Romam e Sabinis venit, ac est in Patres continuo adscriptus: APPIUS *inter Patres lectus:* dein, APPIUS *vehementis ingenii vir*; ac ubi postea agit de Appio Claudio, uno e Decemuiris: *Regimen totius magistratus penes* APPIUM *erat*, ac similiter aliis de eodem Appio locis. Quomodo etiam via *Appia*, quæ ab alio Appio Claudio Censore est multis post annis munita; ac unde *memoriæ felicioris ad posteros nomen* APPII ab eodem Liuio dicitur, appellari meruit, non vero *Claudiæ:* prout alioquin via *Flaminia* dicta est gentili Censoris C. Flaminii, qui eam muniuerat, ut ea de re in Epitome Liuiana, nomine. Qua ratione etiam factum, ut sicut LUCII Prænomen SERVIO præmissum vidimus in antiquis nummis L. SERVII RUFI, ita LUCIUS APPIUS, MAXIMUS dictus, legatur Consul cum Traiano, anno V. C. DCCCLVI: immo prout obuiæ adhuc sunt Inscriptiones antiquæ, cum variis CAII APPII, aut CNÆI, LUCII, SEXTI itidem APPII, huius proinde Gentilis in iis nominis, Prænominibus.

Ad Att. Lviii. Ep. 4, 5, 9, 13.

Lib. xi. Ep. Fam. 29.

Lib. ii. cap. 16.

Ibid. cap. 23.

Lib. iii. cap. 33.

Lib. ix. cap. 29.

Epitom. xx.

5. *Alia quædam* Prænomina *vice* Nominum *usurpata.* In Æmilia.

Quibus addi insuper hic potest antiquum ac proprium Gentis *Æmiliæ* Prænomen MAMERCUS, idque, iuxta Festum, *a Mamerco Pythagoræ filio*, ac præter Auctores ac Fastos, in adductis a Goltzio nummis adhuc conspicuum, MAM. ÆMIL. LEPIDUS LIVIANUS, & omisso etiam Gentis *Æmiliæ* nomine, MAM. LEPIDUS LIVIANUS, ac unde dicti postea in eadem Gente MAMERCINI. Idem vero, qui apud Liuium, *Mamercus Æmilius* haud semel, uti etiam in Fastis Capitolinis dicitur; uno postea MAMERCI Prænomine ab eodem Liuio designatur: *Censores ægre passi* MAMERCUM, *quod Magistratum populi Romani minuisset, tribu mouerunt.* Ita etiam apud Valerium Maximum: *Appellatus* MAMERCUS *a Surdino, cuius libertus Genucium hæredem fecerat.* Quod aliis quoque, iisque etsi magis vulgatis & communibus Gentium Romanarum Prænominibus contigit, uti *Marco* apud Plinium, ubi nulla etiam præuia *Marci Minutii* mentione, ab eo alicubi dicitur: *Postea Hannibale urgente* MARCUM, *Q. Fabio Maximo Dictatore, asses unciales facti*, nempe dictum *Marcum Minutium*, huius Fabii Dictatoris, ut e Liuio aliisque sat notum, Magistrum Equitum. Ut minus mirum sit, quod Cicero, ubi est frequens ei de Pompeio sermo, solo CNÆI Prænomine eundem, ut in Epistolis ad Atticum, passim appellet, uti *Cnæum nostrum* &c. Haud aliter ac apud Tacitum, ubi agit de Domitia Lepida, quæ *Agrippinæ sobrina prior, ac* CNÆI *mariti eius soror*, h. e. Cn. Domitii, dicitur. Frustra enim vir doctus in notis ad hunc locum offensum sese adserit, quod Agrippinæ maritus Prænomine tantum notatur; unde continuo lectionem illam sollicitat, & istud CNÆI nomen ibi expungit. Neque enim quidquam immutandum venit; nec utique id citra exemplum a Tacito factum, modo eam in rem adducta, & quæ addentur adhuc, abunde arguunt: idque vero iam a me olim monitum monuit ad eum Taciti locum eruditissimus Ryckius. Scili-

Lib. xxxiii. cap. 3.

Vide lib ii. ad Att. Ep. 12, 16. &c. l. ix. Ep. 1, 2, 3. &c.

Annal. xii. c. 64.

J. Freinshemius.

cet

cet, ut iam ante e denariis Gentis Domitiæ vidimus, familiare præ aliis illud CNÆI Prænomen eidem exſtitit; unde iſtud hanc in ea Gente prærogatiuam nactum videtur, quam in *Sulpicia* SERVIOS, in *Claudia* APPIOS vel TIBERIOS, in *Acilia* MANIOS, in *Æmilia* MAMERCOS, in *Fabia* verò NUMERIOS obtinuiſſe diximus. Immo, prout etiam priſci Romanorum Reges, NUMA, TULLUS, ANCUS, ac ut de eo iam ante, SERVIUS, ſolis illis eorum Prænominibus, a Græcis Latinisque Auctoribus ſolent ferme nuncupari. Ita alibi Cicero Græcorum, de quo mox, more, ut notat ibi Caſaubonus, nullaque prius facta eius vel parentis mentione, *Atili filium* vocat, L. nempe Afranium, A. Afranii filium: alio autem loco *Decimum* memorat, nempe D. Brutum. Quomodo, & maxime æuo priorum Cæſarum, ſolo ferme Prænomine dicti ſunt, ac in eorum etiam nummis appellati TIBERIUS, CAIUS, NERO, TITUS, citra additum *Claudiæ*, vel *Domitiæ*, vel *Flauiæ* Gentis, e quibus orti erant, nomen; aut vero illa, quibus vel *Tiberius*, vel *Caius* inſigniti erant, NERONIS, vel GERMANICI Cognomina. Id autem, ut hodie Italis veſtris communi ſermone, ita Græcis etiam Scriptoribus noſti familiare; a quibus non ea ſolum minus alioquin conſueta, ac certis velut Romanorum Familiis propria, uti modo adducta APPII, MAMERCI, MANII, SERVII, Prænomina; ſed quæ peruulgata eſſent in plerisque Romanorum Gentibus, AULI, CNÆI, LUCII, MARCI, PUBLII, SEXTI, TITI ſola paſſim efferuntur; quæ a Romanis, cum Gentis nomine, aut cum Cognomine alioquin vocari conſueuerant. Id vero apud Polybium in primis, ut noſti, obuium, a quo *Aulum*, *Publium*, *Titum*, *Tiberium*, *Quintum*, *Cnæum*, vocari paſſim videas *A. Hoſtilium*, utrumque *P. Scipionem Africanum*, *T. Quinctium*, *Tib. Gracchum*, *Q. Marcium Philippum*, *Cn. Manlium*, aliosque id genus Romanorum Duces. Quamquam id ab eodem Polybio fieri ut plurimum ſoleat, ubi is prius Gentilia eorum nomina, una cum additis Prænominibus retuliſſet; ut [a] *Publius Cornelius*, [b] *Tiberius Sempronius*, [c] *Quintus Marcius*, & cum duplici etiam Cognomine, ut [d] *iunior Scipio Africanus*, τὸν νεώτερον Σκιπίωνα Αφρικανόν. Joſephus vero *Marci* aliquoties meminit Syriæ Præſidis, poſt cædem J. Cæſaris, nullo alio nomine adiuncto: qui vel *Marcus Criſpus*, quem Dio, ut apud eum legitur, tradit iis temporibus cum Cornelio Baſſo, qui paullo ante præfecturam eius prouinciæ inuaſerat, depugnaſſe: vel, quod certius omnino, pro Μάρκος apud Joſephum, Μοῦρκος *Murcus*, cum ex eodem Dione, Cicerone præterea, Velleio, & Appiano, quorum loca iam ad Gentem Statiam adnotauit eruditiſſimus Fuluius, legendum eſt. L. etenim *Statii*, & quidem MURCI Cognomine, a quo legiones in Syria acceperit Caſſius, facta eſt ab iis Auctoribus mentio; cuiusque opportune, præterito, ut ſæpe in his nummis & apud Auctores, cum Prænomine, tum Gentili, vulgatus eſt unicus & inſignis nummus in Gente Statia, MURCUS IMP. Quod de corruptis in hoc nomine Joſephi locis, quum in ſuperiore huius commentationis editione ante plures annos vulgata monuiſſem; id poſtea adtigiſſe quoque doctiſſimum Noriſium; immo pridem ante a magno Caſaubono, in Exercitationibus ad Baronium, iam animaduerſum vidi: etſi hærere ibidem non debuerit ὁ πάνυ, an præferendus ſit Appianus, apud quem idem hodie *Sextius*, vel *Seſtius Murcus* dicitur; vel Dio, a quo

Lib. I. ad Att. Ep. 16. Ibid. l. XV. Ep. 10.

a Lib. IV. p. 66. b Lib. III. p. 268. c Exc. Legat. XLVI. d Exc. Legat. CXLIV.

Antiq. l. XIV. c. 47. & l. XVII.

Lib. XLVII. p. 343.

Lib. XLVII. p. 433.

Cenotaph. Piſan. p. 273. Apparat. Num. LXXXV.

quo ille *Statius Murcus* vocatur : atque ita an *Sestiæ* vel *Statiæ*, utrique Romanæ genti, sit adscribendus idem *Murcus*. Is enim, præter [a] Dionem, cum a [b] Cicerone *L. Statius Murcus*, tum a [c] Cæsare insuper ac [d] Velleio, omisso solum prænomine, *Statius Murcus*, non *Sestius* vel *Sextius* appellatur: ac proinde apud [e] Appianum, Στάτιον, cuius Gentis fuit hic MURCUS, & quod monuit iam eruditissimus Ursinus, pro Σέξτιον, ac præterea [f] Μάρκον Κρίστιον pro Μινούκιον Kg. & similiter apud [g] Dionem, quod ex iisdem Auctoribus, Cicerone, Bruto, Velleio, liquet omnino, esse reponendum. Ut mittam, quod ex eo Appiani loco minus prouide idem Casaubonus Σέστιον pro Σέξτιον, quasi SESTIA tantum Gens apud Romanos fuerit, non etiam SEXTIA, legendum crediderit: quum tamen postremæ haud minus quam alterius SESTIÆ, obuia sit cum apud rerum Romanarum Scriptores mentio, tum in lapidibus antiquis, adde & signatus etiam occurrat in vetere nummo, quem vulgauit Cl. Seguinus C. SEXT. seu *Caius Sextius*. Cæterum ex more illo, de quo agebatur, Græcis haud insolito, Romanos cum solo Prænomine subinde designandi, ortus est ingens ille error Capitolini circa MAXIMI & PUPIENI nomina, quibus aliquando unum, aliquando duos credit appellari: dum non obseruat a Græcis Auctoribus MAXIMUM, per *Prænomen* nempe efferri, qui Romanis PUPIENUS, iuxta eius *Cognomen*, vulgo diceretur. Id vero nec aliàs Romanis insolitum, præter SERVIOS, APPIOS, MAMERCOS, MANIOS, NUMERIOS, C. CNÆOS etiam TIBERIOS, CAIOS, ac TITOS paullo ante iam adductos, docet insuper, dictorum modo Cæsarum exemplo, MARCUS, nempe ANTONINUS, Imperator. Quo uno utique MARCI Prænomine, ut iam ante diximus, frequenter designatur laudatissimus princeps, nec apud Græcos solum, Dionem, Herodianum, aliosque; sed, quod alibi iam vidimus, passim in libris veterum Jurisconsultorum; tum apud Ammianum Marcellinum aliquoties, MARCI *illius dissimiles Principis verecundi*: alibi, MARCI *Principis dictum*; ac præterea apud Tertullianum in Apologetico, *pro salute* MARCI *iam intercepti*. Id vero delicatis auribus fuisse olim familiare docet nos Horatius:

> QUINTE *puto*, *aut* PUBLI: *gaudent* PRÆNOMINE *molles Auriculæ*.

Unde nollem ab eruditissimo Norisio alicubi monitum, quod utique tot adductis hactenus exemplis abunde refellitur: „nempe, NUSPIAM HISTORICOS SOLO PRÆNOMINE viros designare, sed illos nomine „ familiæ appellare. E quibus illustrari insuper potest haud ignotus Ciceronis in Epistolis eius locus, ubi quòd scriptas ad se Volumnii literas præter morem, sine addito eiusdem Volumnii Prænomine accepissset, nouum quodammodo ac insolitum id sibi contigisse haud obscure innuit: *Quod* SINE PRÆNOMINE *familiariter*, *ut decebat*, *ad me epistolam misisti*, *primum addubitaui*, *num a Volumnio Senatore esset*, *quo cum mihi usus est magnus*. Quamquam non id solum ab hoc Volumnio, sed ab aliis factum itidem in fronte literarum ad eundem Tullium, videas, uti in iis quæ apud eum passim inscribuntur, vel COELIUS, vel CASSIUS, vel LEN-

a Lib. XLVIII. p. 368.
b Philip. XI. c. 55.
c Bell. Ciuil. l. III. c. 15.
d Lib. II. cap. 7.
e Lib. IV. p. 623.
f Ibidem.
g Lib. XLVII. p. 343.

Select. Num. p. 94.

Orbis Roman. p. 174.

Lib. XXI.

Lib. XXII.

Lib. II. Satyr. 6. v. 32.

Genotaph. Pisan. p. 303.

Lib. VII. Ep. Fam. 32.

LENTULUS, vel PLANCUS, vel POLLIO CICERONI; aut crebro ipſe Cicero, omiſſo proinde non ſuo ſolum, ac eorum ad quos ſcribit, Prænomine, ſed ipſo etiam Gentis nomine, CICERO LEPIDO; RUFO; PLANCO; VARRONI &c. ac totis literarum voluminibus, ATTICO.

6. *De damnatis quarundam Familiarum Romanarum* Prænominibus.

LUCII cæteroquin Prænomen, quod iuxta alterum CNÆI acceptum eidem Genti *Domitiæ* ſupra e Suetonio vidimus, in *Claudia* damnatum idem refert iis verbis, quæ ad eorum, de quibus hic agitur, illuſtrationem adduci omnino merentur: *Cum* PRÆNOMINIBUS *Cognominibusque variis diſtingueretur* (nempe Gens Claudia) LUCII PRÆNOMEN *conſenſu repudiauit: poſtquam e duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinii, cædis alter conuictus eſt.* Quomodo, præter [a] Liuium, id de Gente Manlia in genere dicentem, MARCI Prænomen a Patritiis Manliis exulare iuſſum tradit nominatim Cicero: [b] *Propter unius M. Manlii ſcelus, decreto Gentis Manliæ,* NEMINEM *Patritium* M. (ſeu MARCUM) *Manlium vocare licet:* quod ipſum, præter [c] Feſtum, in [d] Excerptis Dionis Valeſianis legitur; ac apud Quintilianum: MARCOVE *Manlio, cuius Prænomen e Familia* (non e tota Gente) *exemptum eſt.* Quamquam illud Prænomen, longe poſt eiusdem in illo M. Manlio Patritio aboliti tempora, *Manliis* adhuc tribui videas, ut alibi dein apud Liuium: *Et duo Manlii Acidini, alter M.* (ſeu MARCI) *Manlii, alter L. Manlii filius erat*; ac apud Tacitum inſuper: *Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fuſis, vel captis.* Unde priori loco vir doctiſſimus, ac nouus Liuii ſoſpitator, Jo. Frid. Gronouius, quod poſt Manlium Capitolinum nullum in Gente Manlia *Marcum* appellatum exiſtimaret, legendum forte cenſuit: *Alter Manii, alter L. Manliorum filius erat.* Id vero olim adſerendæ veterum codicum, nec apud Liuium ſolum, ſed apud Tacitum lectioni conieceram, hos Manlios Acidinos a Liuio ibi memoratos, non exſtitiſſe forſitan e *Patritiis Manliis*, inter quos demum illud MARCI Prænomen erat deinceps, ut ea de re Cicero, abolitum; ſed e Plebeiis demum Manliis. Quam autem coniecturam temere mihi proceſſiſſe, ad eundem Liuii locum notari poſtea animaduerti a poſtremo eius apud Batauos editore laudati modo Gronouii filio Jacobo: idque, quod addit ibidem, perſpicue ſuo loco ab aliis, quorum doctrinam reuereatur, iri demonſtratum. An vero id eodem loco, & quidem, ubi honorifica paterni nominis facta erat a me mentio, haud paullo humanius, ſi quid a me ea in re erratum omnino fuiſſet, indicari meruerit, iam non tango: neque vero an, & a quo mea illa coniectura, pro qua utique tuenda haud valde laborarem, fuerit dein caſtigata, mihi hactenus liquet. Diuerſas cæteroquin cum Patritiorum, tum Plebeiorum ſtirpes in nobiliſſimis Romanorum Gentibus, *Claudia, Cornelia, Furia, Marcia, Papiria, Valeria*, aliisque, ita in *Manlia* quoque exſtitiſſe, abunde, ut monuit etiam eruditiſſimus Urſinus, conſtare videtur ex adductis iam ante M. Tullii verbis: *Gentis Manliæ decreto,* NEMINEM PATRITIUM *Manlium*, MARCI nempe, illud Prænomen deinceps laturum; ac ſimiliter & iisdem ferme verbis apud Feſtum: *Manliæ Gentis* PATRITIÆ *decreto, nemo ex ea* MARCUS *appellatur.* Quomodo, ut iam quoque monuit laudatus modo Fuluius, Plebeii utique Manlii, qui THURINI cognomine uſi, ac ſimiliter, iuxta poſtremum ac diligentem Familiarum Romanarum editorem, Plebeii itidem, qui

In Tiberio cap. 1.
[a] Lib. VI. c. 20.
[b] Philipp. I. c. 13.
[c] In Manlio.
[d] Pag. 582.
Inſt. l. III. cap. 7.
Lib. XLII. c. 49.
De Moribus German. c. XXXVII.
J. Vaillant Famil. Rom. p. 90, 94.

MAXIMI inter eos sunt appellati. Quamquam, & miror fugisse diligentissimum doctissimumque Fuluium, illud THURINI Cognomen, non ad *Q. Manlium*, prout in antiquis Liuii editionibus perperam antea legebatur, qui cum M. Pomponio Mathone Ædilis Plebis fuerit, sed ad *Q. Mamilium* spectare, idque e veteribus libris ac Fastis Capitolinis fuisse a Sigonio monitum; ac dein in accuratis Liuii editionibus itidem, ac prouide quidem, retentum. Adde adductum a Goltzio, ac inde a celebri Antiquario, *Mamiliæ* Gentis nummum, cum eodem illo, non THURINI equidem, sed TURRINI Cognomine; nempe C. MAMILIUS C. F. TURRINUS. Unde apud Varronem, ut obiter hoc moneam, *Turrini* forte legendum pro *Turrani*, quem nempe in libris de Re Rustica compellat Varro: *Tibi*, *Niger* TURRANI *noster*, *qui vehementer delecteris pecore*. Ad quem cæteroquin dictum modo *Mamiliæ* Gentis nummum minus adtente a præstante Antiquario dici videas: *Quod Liuius mendose vocat Manlium*, qui nempe *Mamilius* vocaretur in eodem nummo: quum præter alia, ipsa veterum Liuii codicum lectione, quod monuerat ibidem Sigonius, nitatur illud *Mamilii*, non vero *Manlii*, ibi nomen: ut talis utique mendi reus nullatenus culpari meruerit Liuius. Quamquam vero *Manlios Acidinos*, de quibus loquitur ibi Liuius, inter Patritios Manlios fuisse olim relatos fatear; id non obstat tamen, quin, uti subinde a Romanis factum nouimus, unus e dictis *Manliis Acidinis*, e Patritiis ad Plebeios Manlios, adoptione, seu alia de causa, transferri potuerit. Ad solos etenim Patritios Manlios hoc, de MARCI Prænomine iis demum interdicto, aperte restringunt locis paullo ante indicatis, Cicero, Dio Cocceianus, ac Festus. Pro qua tamen nostra de illo apud Liuium *Marco Manlio Acidino* coniectura, suum cuique arbitrium ultro ac lubenter utique relinquimus. Adducto autem similiter apud Tacitum loco, non *C. Manlio*, ut ad eum adnotauit Cl. Freinshemius, sed *Cn. Mallio* legendum, prout in Liuiana Epitome postmodum cum Supplementis eius Liuianis edita, ac aliunde liquet, miror a postremis Taciti editoribus non esse animaduersum. Idem vero MARCI Prænomen obscœnum quoque euasit in Gente *Antonia:* quod ei antea familiare, & quasi hæreditarium eiusdem denarii, ut supra vidimus, arguunt. Auctor enim [a] Plutarchus, & præterea [b] Dio Cocceianus, sublato Antonio Triumuiro a Senatu decretum, ne quis ex *Antoniorum* Gente in posterum MARCUS vocaretur. In idem quoque fatum incidit Prænomen CNÆI, uti *Domitiis*, qua de re iam ante, ita *Pisonibus*, in Gente *Calpurnia*, ut docent eorum denarii, CN. PISO CN. F., haud insuetum: de quo autem Tacitus: *Nomen* PISONIS *radendum Fastis censuit*, *partem bonorum publicandam: pars*, *ut* CN. PISONI *filio concederetur*; *isque* PRÆNOMEN MUTARET. Ubi autem non CNÆI solum Prænomen, sed ipsum PISONIS nobile & proprium Familiæ in *Calpurnia* Gente cognomen non deinceps solum abolendum, ac ut e Fastis etiam tolleretur, quod non admisit tamen Tiberius, decernebatur. Ita vero factum, ut id genus *Prænomina* iis ablata fuerint, de quibus alicubi Musonius apud Gellium: *Antiquos Romanorum audio*, PRÆNOMINA PATRICIORUM *quorundam male de Republ. meritorum*, *& ob eam causam capite damnatorum*, *censuisse*, *ne cui eiusdem gentis* PATRICIO *inderentur: ut vocabula quoque eorum deformata atque demortua*

Lib. XXVIII. c. 10.

Lib. II.

J. Vaillant Fam. Roman. p. 84. To. II.

Epitom. LXVII.

a In M. Antonio p. 886.
b Lib. LI. pag. 456.

Annal. III. cap. 17.

Lib. IX. cap. 2.

tua cum ipsis viderentur. Quomodo alioquin nomina bene meritorum ciuium seruis tribui, aut vulgari prohibita apud Athenienses, tradit ibidem apud Gellium Herodes Atticus. Alias iuxta infaustos illos LUCIOS, MARCOS, & CNÆOS, simile quid de FLACCI, quod modo de PISONIS Cognomine vidimus, obseruat Philo: Caium nempe Cæsarem tam vehemente odio Flaccum Ægypti Præfectum prosequutum, ut in aliis quoque exosum & suspectum haberet idem nomen. In Flaccum p. 990.

7. *Idem* Nomen *pro* Prænomine, & *quandoque pro* Cognomine, *in nummis habitum.*

Docebit præterea idem nummorum id genus Consularium, uti vocare eos libuit, adspectus, unum Nomen quandoque in eadem Gente pro *Prænomine*, & aliquando pro *Cognomine* habitum. Unde in denariis Gentis Æmiliæ PAULLUS, non *Cognomen* solum legitur, ut in iis, qui sunt inscripti apud Goltzium, L. AIMIL. M. F. PAULLUS, aut M. ÆMIL. M. F. L. N. PAULLUS, sed LEPIDORUM etiam *Prænomen* in eadem Gente; ut iuxta alios in ea nummos, & ab Ursino iam adductos, PAULLUS LEPIDUS, ac in FABIA similiter, PAULLUS FABI. MAXIM. Idem nempe de quo alicubi Horatius, & cum eodem *Paulli* Prænomine:

> *Tempestiuius in domo*
> PAULLI, *purpureis ales oloribus,*
> *Commessabere* MAXIMI.

Lib. IV. Od. 1.

De quo autem PAULLI in Gente *Fabia Prænomine*, in *Æmilia* autem *Cognomine* primùm, dein quoque *Prænomine*, ac unde id factum, consuli meretur, qui accurate, ut solet, de iis egit præcipuum hodie literarum apud Batavos decus, Jac. Perizonius. Neque tamen hic reticendum, quod in memoratis modo Gentis *Æmiliæ* nummis, in quibus legitur PAULLUS LEPIDUS CONCORDIA, non unum eumque Lepidi Triumuiri fratrem, sed duos ex filio Paulli Lepidi nepotes, quorum alter *L. Æmilius Paullus*; alter, *M. Æmilius Lepidus* sit dictus, signari statuit, post Passeratium ad Propertium, idem laudatus Perizonius: atque ita ut PAULLUS LEPIDUS in iisdem nummis duo sint diuersa duorum fratrum Gentis *Æmiliæ* cognomina. Quum vero, ne hisce iam immorer, idem vir præclarus agnoscat horum patrem, eumque Censorem, dictum *Paullum Æmilium Lepidum*, & omisso Gentis nomine, *Paullum Lepidum*; inde haud minus firmatur illud PAULLI *Prænomen* in Gente *Æmilia*, quod alioquin *Cognominis* vicem in eadem, ut vel in inclyto illo Regis Persei debellatore, *L. Æmilio Paullo*, pridem obtinuerat. Adde, quòd in alia eiusdem Gentis *Æmiliæ*, REGILLORUM nempe, Familia, *Prænomen* PAULLI exstitisse, e veteri Inscriptione apud Gruterum memorat idem vir insigni eruditione, nempe *Paullum Aemilium Paulli F. Regillum.* Sicut vero in Gente *Aemilia* PAULLUS, sic in *Valeria* VOLUSUS, haud aliter ac modo diximus, *Prænomen* traditur, ut in vetere eius nummo, VOLUSUS VALERIUS MESSAL. in alio vero *Cognomen*, L. VOLUSUS IIIVIR, nempe qui *L. Valerius Messala Volusus* vocatur, quod vidit iam celebris Antiquarius, in Consulum syllabo apud Dionem Cocceianum; in Fastis vero, ut hoc addam, Capitolinis, ad annum V. C. DCCLVII, L. VALERIUS POTITI F. MESSALLA VOLUSUS. Quæ autem e sequentibus denariis fient manifesta: ubi obiter prius dixero, exstare

Anim. Hist. p. 111.

Ibidem p. 147. 152.

Thes. CCCXLVIII. 9.

Vaillant Fam. Rom. p. 512. To. II. Ad lib. LIX.

Aen. XI. v. 463. priscum *Volusi* Rutili apud Maronem nomen, a quo, & quidem ceu Rutulorum Rege, *Venerii Rufi Volusi*, seu, iuxta doctissimum Sirmondum, *Volusiani*, urbis sub Honorio Imperatore Præfecti, stemma deducit coæuus eidem & amicus Rutilius:

Not. ad Sidon. lib. IX. Ep. 16.

Qui VOLUSI *antiquo deriuat stemmate nomen,*
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.

Sed ad nummos redeo, in quibus cum Prænominis, tum Cognominis locum occupat in Gente *Valeria* idem hoc VOLUSI nomen.

Quod similiter de POTITI antiquo in eadem Gente *Valeria Prænomine* simul & *Cognomine* liceret e descripto itidem a celebri Antiquario, qui exstat apud Goltzium, nummo statuere; sed in quo omnino VALERIUS MESSALLA POTITUS, non, ut ille a laudato Antiquario describitur,

Vaillant Fam. Rom. p. 511. To. II. POTITUS VALERIUS MESSALLA dicitur; atque ita ibi POTITUS non *Prænominis*, sed *Cognominis* locum occupat. Ita certe passim apud Auctores, ac in Fastis etiam Capitolinis, solum *Valeriæ* Gentis *Cognomen*, non *Prænomen* POTITUS, ut ad A. V. C. CCCCXLVII. C. VALERIUS MAX. POTITUS; sicut insuper in Fabiæ Gentis apud Goltzium denario, C. VALERIUS POTIT. Cos. Sic COSSUS, vetus Gentis *Corneliæ* in

Lib. IV. cap. 30, 31. Fastis Capitolinis, ac apud Liuium, aliosque antiquos Auctores *Cognomen*, ut A. CORNELIUS COSSUS; idem LENTULORUM dein in eadem Gente *Prænomen* legitur in nummis aliquot, non a Goltzio solum, sed ab eruditissimo Ursino itidem vulgatis: nempe COSSUS CN. F. LENTULUS, ac similiter in Fastis, uti insuper COSSUS CORNELIUS COSSI F. CN. N. LENTULUS, ad An. nempe V. C. DCCLXXVIII. Quomodo vicissim, ut hoc addam, quæ olim mera Romanorum *Prænomina*, ut de iis iam ante, iuxta eosdem Fastos ac Auctores, censebantur, AGRIPPA, MAMERCUS, TULLUS; eadem postea totidem aliarum Gentium Romanarum *Cognomina*, præter dictos Auctores ac Fastos, in nummis comparent: sicut AGRIPPA, præter Asiniam in Fastis, in Gente *Luria*, & *Vipsania*; MAMERCUS, in *Pinaria*; TULLUS, in *Mæcilia* & *Volcatia*. Quamquam, ad MAMERCUM quod adtinet, antiquum, ut antea vidimus

In Paullo Æmilio. Gentis *Æmiliæ* Prænomen, & quidem, iuxta Plutarchum, a *Mamerco* Pythagoræ filio, in eadem adhuc Gente ante & post priorum Cæsarum dominationem, e Suetonio, Tacito, & aliunde retentum liqueat: e quibus

In J. Cæsar. cap. I. a Suetonio, *Mamerci Æmilii* inter alios operâ, veniam a Sulla impetrasse J. Cæsar dicitur. Ad quem locum minus accurata est nec sibi constans eruditissimi Torrentii adnotatio: nempe *M. Aemilium Mamercum* intelligi, qui Consul fuerit anno V. C. DCLXXVI, ut ita *Mamercus* sit ibi *Cognomen*;

ab

ab aliis vero, ut continuo addit, vocari *Mam. Aemilium Lepidum Liuianum* e Gente *Liuia*, idque se rectius putare, in *Aemiliam* adoptatum; quod *Mamercus* sit tantum, ut continuo addit eruditus Antistes, *Prænomen*, Cognomen vero *Mamercinus*. Mutili autem hic sunt veteres Fasti Capitolini, & a viris doctis suppleti; ita ut ille MAMERCUS ibi *Prænominis* locum, prout ille postremo loco a Torrentio describitur, in iis obtineat. Alios vero Fastos, vel Græcos vel Latinos, e Bibliotheca Cæsarea a doctissimo Norisio vulgatos hic mitto, in quibus idem MAMERCUS solum dicitur; ut inde illud *Cognomen* potius, quam *Prænomen Aemiliorum*, pro Fastorum illorum more, tum exstitisse liceat inde statuere; ac prout cæteroquin a Cicerone *Mamerci*, sed qui Consulatus repulsam tulerit, fit mentio: alibi autem, inter tres legatos, Equites Romanos, ad visenda Galliæ prouinciæ vectigalia, & exigendas pecunias missos, memorat *Q. Mamercum Q. F.* ubi *Mamercus* proinde alicuius e Gente *Aemilia Cognomen*, non *Prænomen*, prout in ea utrumque illud obtinuisse diximus, traditur. Adde, quòd *Mamercus Scaurorum*, ac proinde in eadem Gente *Aemilia*, e qua erant *Scauri*, *Prænomen* alibi legitur: sicut ille *Mamercus Scaurus*, *insignis nobilitate*, quippe e Gente *Aemilia*, sed *vita probrosus*, a Tacito dictus; idemque, sed sub uno *Mamerci* nomine, a Seneca, ut ibi viderunt iam viri docti, memoratus: qui autem, & quod iam monuisse Lipsium postea animaduerti, perperam hodie apud Dionem, Μάγνος, pro Μαμέρκος, dicitur. Mitto quod alibi apud eundem Tacitum, *Mamercus Scaurus*, pro *Maximus Scaurus*, reponendus videatur; quod nuspiam alibi *Aemiliis* illud MAXIMI *Prænomen* vel *Cognomen* tributum, quod equidem sciam, constet. Ut nunc de duobus aliis nominibus POSTUMO & PROCULO sileam, qui cum olim, ut supra etiam est adnotatum, *Prænomina* essent Gentium *Æbutiæ*, *Comniæ*, *Geganiæ*, *Virginiæ*, pro *Cognominibus* dein sunt habita in *Seruilia*; ut POSTUMUS apud Ciceronem, *L. Seruilium Postumum*: PROCULUS vero in *Acerronia*, & in *Plautia* apud Liuium: *P. Plautio Proculo*, *P. Cornelio Scapula Consulibus*; ac in Fastis etiam Capitolinis; & apud Tacitum: *Ceruarius Proculus*, item *Volusius Proculus*. Quo referri insuper debent PRIMI, SECUNDI, TERTII, QUARTI, QUINTI, & DECIMI nomina; quæ, ut nosti, modo totidem occurrunt *Prænomina* modo *Cognomina*, tum apud rerum Romanarum Scriptores, tum in lapidibus, uti ea de re iam egit contra Robortellum P. Seruius vestras. Sic NERO *cognomen* vulgo Gentis *Claudiæ*, sicut apud Auctores ac in Fastis, ita etiam in antiquis illius Gentis denariis, C. CLAUDIUS NERO, vel TI. CLAUDIUS TI. F. NERO, ac similiter in Tiberii Imperatoris nummis; fratris tamen eius Drusi, iuxta eius nummos, *Prænomen* exstitit, NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS IMP. in Fastis itidem NERO CLAUDIUS TI. F. AP. N. DRUSUS. Ut vere omnino a Suetonio dictum liqueat: *Patrem Claudii Cæsaris* DRUSUM, *olim Decimum*, *mox* NERONEM *Prænomine*. Quo cæteroquin NERONUM nomine seu *Cognomine*, utrumque Tiberium ac Drusum ab Horatio designari haud ignoras:

De Officiis lib. II. c. 17.

Lib. XIII. Epist. Fam. 11.

Annal. VI. c. 29.

De Benef. lib. IV. c. 31.

Lib. LVIII. p. 632.

Annal. XV. c. 50.

Lib. XII. Ep. Fam. 26.

Lib. VIII. c. 22.

Annal. XV. cap. 50.

Ibidem c. 51.

Miscell. cap. VI.

In Claud. cap. V.

Quid Augusti paternus
In pueros animus NERONES:

Lib. IV. Od. 4.

immo maiores etiam eorum e Gente *Claudia:*

Ibidem §. 37. *Quid debeas, ô Roma,* NERONIBUS:

& a quo alibi nominatim Tiberius designatur, *maior* NERONUM, prout a Velleio ante imperium solo NERONIS nomine passim appellatur. Ibidem Od. XIV. §. 14. Eodem vero, quod obiter iam ante vidimus, & vulgo obuium, NERONIS, & quidem non PRÆNOMINE solum, ut quandoque in eius nummis NERO CLAUDIUS, sed uno itidem NERONIS nomine, quod ille a Claudio Imperatore, a quo fuerat adoptatus, acceperat (etsi eo utique indignus) quo *fortis* ac *strenuus*, iuxta Suetonium, a Sabinis dicebatur, est vulgo appellatus: & quidem citra ullam, adoptatorum cæteroquin apud Romanos more, *Domitiæ* Gentis, e qua ortus erat, ac unde DOMITIUS ante adoptionem, ut de eo Tacitus, aut vero AHENOBARBI, quod parens eius naturalis tulerat, ac filius auersabatur, *Cognominis* appellationem.

In Tiberio cap. 1.

Annal. XI. c. 3.

Sueton. in Neron. cap. VII.

II. *De* MULIERUM PRÆNOMINIBUS *ac* NOMINIBUS *in genere.*

1. Unum vulgo Mulierbre Nomen *apud antiquissimos Romanos.* In Mario p. 406.

MULIERES apud Romanos PRÆNOMINE olim caruisse tradidit, ut viderunt iam alii, Plutarchus; dum inde Posidonium Proprium Nomen, qua de re postea, *Prænomini* adiudicantem redarguit, quod ita Mulieribus nullum Proprium foret nomen, quæ *Prænomine* scilicet apud Romanos carebant. Ad viros enim, non vero ad mulieres respexisse ibi Posidonium licet statuere; quæ frequentius cum solo Gentis nomine efferri olim apud Romanos consueuerant: & quidem non Virgines solum Vestales, ac proinde innuptæ, ut apud Liuium, [a] *Oppia*, [b] *Postumia*, [c] *Minucia*, [d] *Opimia*, [e] *Floronia*; item [f] *Æmilia*, *Licinia*, *Marcia*; aut virgo hisce postremis adhuc antiquior *Clœlia*, & desponsa quidem, sed necdum nupta [g] *Virginia*, aliæque: sed uxores itidem, uti sub Regibus duæ sorores [h] *Tulliæ*, Seruii Tullii Regis filiæ, ac duobus Regiis iuuenibus nuptæ, & sat nota Tarquinii Collatini uxor *Lucretia*; item [i] *Veturia*, *Volumnia*, illa Coriolani mater, hæc uxor; sorores [k] *Fabiæ*, una Ser. Sulpicii, altera C. Licinii Stolonis coniunx; quæ autem, sicut antea duæ memoratæ modo [l] *Tulliæ*, solo [m] *Maioris* ac *Minoris* discrimine, non vero *Prænomine* ullo, a Liuio itidem distinguuntur. Quibus accedunt nobiles alioquin matronæ, sed ob veneficium damnatæ, [n] *Cornelia & Sergia*, *patritiæ utraque gentis:* alibi autem apud eundem Liuium [o] *Æmilia*, prioris Africani coniux; eius filia [p] *Cornelia*, Gracchorum mater; alterius vero, seu iunioris Africani uxor, [q] *Sempronia:* ut tot alias iam non adducam nullo itidem *Prænomine*, vel *Cognomine* etiam, apud rerum Romanarum Scriptores insignitas; si *Aemiliam* forte, dictam modo prioris Africani uxorem mittas, quæ cum *Tertiæ Prænomine*, seu *Tertia Aemilia* alicubi a [r] Valerio Maximo dicitur. Adeo ut, si reliquæ itidem memoratæ modo, nobiles utique, Romanorum virgines vel mulieres, aut aliquot ex iis, *Prænomen*, priscis Regum, aut liberæ urbis temporibus, habuerint, non tanti tamen sit illud visum, ut ulla eius ratio, quod de viris

a Lib. II. c. 42.
b Lib. IV. c. 42.
c Lib. VIII. c. 15.
d Lib. XXII. c. 57.
e Ibidem.
f Epit. Liu. LXIII.
g Liu. lib. III. c. 44.
h Lib. I. c. 44, 46.
i Idem lib. II. c. 45.
k Lib. VI. c. 34.
l Lib. I. c. 40.
m Lib. VI. c. 34.
n Lib. VIII. c. 18.
o Lib. XXXVIII. c. 57.
p Cicer. de Inuent. l. I. c. 49. &c.
q Epit. Liu. LIX. & Appian. Bell. Ciuil. l. I. p. 361.
r Lib. VI. cap. VII, 1.

ris alioquin factum, a priscis, qui de iis agunt, Auctoribus haberetur; ac proinde solo Gentili seu paterno nomine easdem vulgo appellatas constet.

Id vero receptum sequutis ætatibus constat, ut ad maius earum Mulierum discrimen, quæ eadem Gente ac Familia etiam erant natæ, Gentili seu paterno illarum nomini additum sit quoque, sed ab Auctoribus demum, qui de iis agunt, *Mariti* nomen; ut apud Ciceronem; [a] *Postumia Sulpicii*; alicubi, [b] *Quia Lollii*; apud [c] Plinium, & [d] Valerium Maximum similiter, *Liuia Rutilii*, *Terentia Ciceronis*; *Clodia Ofilii*; alibi, [e] *Liuia Drusi Cæsaris*, Tiberii nempe filii; [f] *Antonia Drusi*; [g] *Agrippina Germanici:* apud Fabium similiter, [h] *Domitia Passieni.* Adde apud Suetonium in rebus J. Cæsaris, [i] *Postumiam Ser. Sulpicii*, *Lolliam Auli Gabinii*, *Tertullam M. Crassi*, *etiam Cn. Pompeii Muciam*, nempe totidem uxores: ubi autem ratio omnino postulabat, ut maritorum nomina, quorum uxores J. Cæsar adulterio fœdarat, ibi exstarent. Nota itidem cum apud Maronem, pro recepto nempe Romanorum, non vero Græcorum in Asia, more, [k] *Hectoris Andromache*; & apud Lucanum, *Catonis Marcia*; & prout a Græco quidem Scriptore, sed de nobili Romana muliere, & ad receptam tum Romanorum Auctorum consuetudinem, ut bene ibi adnotauit doctissimus [l] Valesius, Αιμιλία μεγάλη Σκιπιώνος, *Æmilia maioris Scipionis*, uxor nempe, dicitur. Cuius prioris equidem moris suppeditant nonnunquam exempla præclari, non Familiarum quidem Romanarum, quarum nominibus, ac liberæ quidem urbis temporibus, haud occurrunt signati veteres id genus nummi, sed primæ adhuc ætatis Augustarum: prout DOMITIA AUG. IMP. DOMIT.; ac similiter PLOTINA AUG. IMP. TRAIANI, vel SABINA AUG. HADRIANI AUG.; & FAUSTINA AUG. ANTONINI PII, totidem nempe eorum coniuges, in Cæsarianis nummis designantur. Diuerso proinde a Græcis more, quibus addita id genus nomina, non *maritos*, sed *parentes* demum indicant: quum apud Romanos non antiquis solum, quod paullo ante vidimus, urbis temporibus, sed Ciceronis adhuc ætate, *Gentili* seu *paterno* demum nomine, nobiles olim Romanorum mulieres vulgo fuerint appellatæ. Unde etiam apud Ciceronem dictæ tantum occurrunt, cum nudo nempe *Gentili* earum nomine, vel [a] *Claudia*, quæ Q. Cæcilio Celeri erat nupta; aut [b] *Cornelia*, quæ Sestio; [c] *Pompeia*, quæ Vatinio; alia [d] *Cornelia*, quæ *Marcello*; [e] *Mucia*, quæ Pompeio; [f] *Fausta*, Sullæ filia, quæ Miloni; [g] *Metella*, quæ Lentulo; [h] *Seruilia*, quæ M. Bruti mater; [i] *Porcia*, quæ eiusdem Bruti uxor; ipsiusque Tullii coniux, & ex eius Epistolis sat nota, *Terentia*, ac post diuortium cum ea factum, [k] *Publilia*. Ut alias mittam præterea ab eodem Tullio memoratas, e quibus de more ea in re illius ætatis, ad nobilium nempe apud Romanos mulierum nomina, quod adtinet, licet utique statuere: Sic; [l] *Læliam*, *& filias ejus Mucias ambas*, *& neptes Licinii*; alibi; [m] *uxori tuæ Juniæ*, in epistola nempe ad eius maritum *C. Marcellum:* item, & de qua iam ante, [n] *Corneliæ Gracchorum matris*, non *Sempronii* proinde mariti nomine appellatæ, sicut filia eius, quæ, ut de ea iam ante, minori Africano nupsit. A quibus autem, tanquam in re obuia ac nota, commemorandis supersedissem omnino; nisi a viro doctissimo, cuiusque magna fuit hæc ætate in eo literarum genere auctoritas, Th. Reinesio;

2. Gentili Mulierum *nomini Mariti sæpe additum ab Auctoribus* Nomen.

a Lib. XII. ad Att. Epist. 11.
b Ibid. Epist. 21.
c Lib. VII. c. 48.
d Lib. VIII. c. XIII. 6.
e Plin. l. XXIX. c. 1.
f Lib. VII. c. 19.
g Lib. VII c. 13.
h Instit. lib. VI. c. 3.
i Cap. 1.
k Aen. III. v. 319.
l Diodor. Excerpt. Vales. p. 330.

a Lib. IV. Ep. Fam. 1.
b Lib. V. Ep. 8.
c Lib. VI. Ep. 11.
d Lib. XV. Ep. 6.
e Ad Att. l. I. Ep. 6.
f Ibid. l. VI. Ep. 8.
g Ibid. l. VIII. Ep. 7.
h Ibid. l. XV. Ep. 11, 12.
i Ibidem.
k Lib. XII. Ep. 32.
l In Bruto c. LVIII.
m Lib. XV. Ep. Fam. 8.
n In Bruto c. LVIII.

Syntagm. Infer. p. 42. & 202.

nesio, haud ita dudum traditum scirem, „Romanorum uxores, ubi in „ maritorum familias transierant, censas maritorum gentilitiis nomini- „ bus. Quod abunde utique refellunt non adducta solum luculenta diuersi moris, & quidem ab ipsis urbis incunabulis, iuxta quem *Gentis* suæ, qua orta quæque erat, non vero *maritorum* nominibus appellari apud Romanos mulieres consueuerant, testimonia: & quæ aliunde passim, ac e lapidibus etiam antiquis, si res ea foret dubia, magno numero coaceruari insuper hic possent.

3. *De antiquis & recentioribus* Mulierum Prænominibus.

Quamquam non defuerunt etiam ante Plutarchi ætatem, quod viderunt iam viri præstantes, ac præ aliis, de quo iam ante, P. Seruius vestras, & doctissimus Reinesius, PRÆNOMINUM MULIEBRIUM exempla. Neque antiqua illa solum, iuxta Varronem, ac Titum Probum, seu Auctorem libelli Valerio additi, BURRA nempe, CÆSELLA, MANIA, MURCULA, NONIA, NUMERIA, (quod muliebre tamen Prænomen non agnoscit Varro) POSTUMA, RUDICILLA, RUTILIA; sed alia quoque magis vulgata ac dein passim retenta, APPIA, AULA, CAIA, LUCIA, PUBLIA, SEXTIA, TITIA (non vero, iuxta eundem Varronem, MARCA) in priscis lapidibus itidem obuia. Nota etiam vel e [a] Plinio, [b] Plutarcho, ac [c] Festo, Regum Romanorum temporibus, *Caia Cæcilia*, prius *Tanaquil* dicta, eademque, iuxta [d] Liuium ac [e] Plinium, primi Tarquinii, non demum Seruii, iuxta [f] Plutarchum, uxor. *Luciam* vero *Voluminiam*, Coriolani, ut e [g] Liuio ac [h] Dionysio liquet, uxorem, iuxta [i] Plutarchum, matrem, Saliorum carminibus celebrari tradidit [k] Varro: quæ alioquin uno Gentili *Volumniæ* nomine, ut de ea iam ante, memoratis modo Auctoribus dicitur. Quomodo alibi apud [l] Plutarchum mentio legitur *Caiæ Cæciliæ*, unius e Tarquinii filiis uxoris: cui statua a Romanis fuerit erecta: ut notum illud Ciceronis pro Murena nunc mittam: [m] *Omnes mulieres, quæ coëmtiones facerent*, CAIAS *vocari*. Apud Valerium Maximum autem memorata paullo ante prioris Africani uxor, & Corneliæ Gracchorum Mater, *Tertia Aemilia*, quæ alioquin, ut de ea paullo ante, citra illud TERTIÆ Prænomen, solo Gentili *Aemiliæ* nomine apud Liuium dicitur: *Scipionem* ÆMILIÆ *uxori dedisse*. Quomodo M. Bruti soror & C. Cassio nupta, TERTIA apud [a] Suetonium dicitur: a [b] Cicerone autem *Tertulla*; a [c] Tacito, cum solo Gentili nomine, *Iunia*; a [d] Macrobio autem *Iunia Tertia*, ut ibi *Tertia* Cognominis, non Prænominis locum obtineat. Sic TERTIAM etiam dictam MUCIAM, de qua paullo ante, Mucii Scæuolæ filiam, & Pompeii uxorem, ab eoque dimissam, etsi illa uno MUCIÆ nomine apud Ciceronem, Suetonium, aliosque vocari soleat, docebit Pædianus: *Nam* TERTIAM *Scæuolæ filiam, dimissam a Pompeio in matrimonium duxerat*, nempe M. Scaurus. TERTIÆ autem & QUARTÆ vera *Prænomina*, ut in virorum itidem nominibus, exstitisse, non appellationes demum, quod censebant viri docti, a nascendi forte iis inditas, abunde ostendit laudatus paullo ante Cl. Perizonius; & illustrat insuper, ut obiter hoc addam, inscriptio veteris lapidis apud Cl. Sponium; QUARTA TERENTIA SECUNDA, ubi *Quartæ* & *Secundæ* Prænomen & Cognomen uni eidemque feminæ tribuitur: apud Liuium vero: *Necatus a* QUARTA HOSTILIA *uxore dicebatur*; nempe C. Calpurnius Consul. Quibus adnumeratus etiam, cui

Mischell. cap. v. Syntagm. p. 233.
De L. L. lib. VIII.
De L. L. lib. VIII.
Ut supra.
a Lib. VIII. c. 48.
b Quæst. Rom. p. 475.
c In Caia.
d Lib. I. c. 34.
e Lib. VIII. c. 48.
f Ut supra.
g Lib. II. c. 40.
h Antiq. l. VIII. p. 511.
i In Coriolano p. 229.
k De L. L. lib. VIII.
l Quæst. Rom. pag. 271.
m Cap. XII.

Lib. VII. cap. VII, I.
Lib. XXXVIII. c. 57.

a In J. Cæsar. cap. 2.
b Ad Att. l. XIV. Ep. 20.
c Annal. III. c. 76.
d Saturn. l. II. c. 2.

In Orat. pro Scauro.

Anim. Hist. p. 110.
Miscel. p. 255.

Lib. XL. c. 37.

cui extractæ e Tiberino vado nauis cum Matris Ideæ ſacris miraculum tribuitur, QUINTA CLAUDIA, prout eadem alicubi a [a] Cicerone dicitur; cui alioquin apud [b] Liuium *Quintæ* non *Prænomen*, ſed *Cognomen* tribuitur, nempe *Claudia Quinta*. Unde illam controuerſiam de *Mulierum* apud Romanos *Prænominibus*, a maiorum minorumque gentium antiquariis agitatam, Robortello, Sigonio, Onuphrio, Caſtalione, & nuper P. Seruio veſtrate, ut de viris doctiſſimis Th. Reineſio, Græuio, & laudato modo Perizonio adhuc ſileam, commode componi poſſe credam: ut largiamur vetuſtis Quiritium temporibus exſtitiſſe quædam tum recepta *Mulierum Prænomina*, qualia enumerant, ut vidimus, Varro & Auctor libelli Valerio vulgo additi, ſeu Titus Probus, quæ paullatim in deſuetudinem abierint: alia tamen ſubinde, ac ad plurium in una domo feminarum diſcrimen, eſſe adhibita; donec poſtea ſub Cæſaribus, maxime infra Traiani, ſub quo Plutarchus id tanquam a conſuetudine Romanorum, apud quos agebat, alienum tradit, ætatem, ille *Prænominum muliebrium* uſus fuerit magis dein frequentatus. Quorum utique exempla cum variis & ſolitis apud Romanos *Prænominibus*, in femininam terminationem, ut paullo ante vidimus, flexis, APPIÆ puta, AULÆ, CAIÆ, DECIMÆ, LUCIÆ, PUBLIÆ, &c. nuſpiam vero, ut docet id, & iam ſupra vidimus, Varro, MARCÆ vel NUMERIÆ; aut ſimiliter TERTIÆ, QUARTÆ, QUINTÆ, &c. præter ea, quæ aliunde congeri adhuc poſſunt, e lapidibus antiquis ſuppeditabit poſt veſtratem, de quo iam ante, P. Seruium, doctiſſimus Th. Reineſius. Neque vero aliter conciliari poſſunt tot vetuſta lapidum Auctorumue teſtimonia, quibus nituntur utriusque ſententiæ patroni: ita tamen, & quod obiter hic monendum eſt, ut ætatum, quibus illa lapidum teſtimonia innituntur, qua de re ſilent viri præſtantes, ratio haberi omnino debeat. Adeo ut id ſtatuendum ſit, quòd Plutarchus, ut modo dicebamus, ad morem Romanis Matronis paullo ante, & ſua adhuc ætate, uſitatum reſpexerit; quo rarior *Prænominum Muliebrium* uſus videtur tum obtinuiſſe. Quod firmant egregie, maxime præter antiqua illa lapidum elogia, nummi eiusdem & ſuperioris adhuc ætatis; in quibus vel LIVIA, vel utraque cum ANTONIA, tum AGRIPPINA, OCTAVIA præterea, POPPÆA, DOMITILLA, IULIA, DOMITIA, PLOTINA, MARCIANA, MATIDIA, aliæque id genus Auguſtæ, ac paullo poſt adhuc SABINA, FAUSTINA, LUCILLA, CRISPINA, PLAUTILLA, &c. ſine ullis *Prænominibus* conſignantur. Fruſtra proinde id ſtatuit P. Seruius, quòd *Prænomina* non omnibus quidem mulieribus promiſcue, ſed nobilioribus tantum uſurpata fuerint. Quod inſuper vel illæ, ut alias mittam, inſcriptiones CÆCILIÆ METELLÆ, CÆCILIÆ MANLIÆ, IUNIÆ TORQUATÆ, nobiliſſimarum utique feminarum, pluresque aliæ memoratæ apud rerum Romanarum Scriptores, ſine ullo *Prænomine*, clariſſimi generis mulieres abunde redarguunt.

[a] Pro Domo cap. XIII.
[b] Lib. XXIX. cap. 14.

De L. L. lib. VIII.

Miſcell. cap. v. Syntagm. p. 233.

Illud etenim (ut hic ea de *Mulierum Romanarum* nominibus notatione defungamur) non Plutarchi ſolum ætate, ſed iam ante receptum liquet, quod PRÆNOMINUM loco, COGNOMINIBUS gauderent ſubinde nobiliores feminæ: atque ita ut viri quidem apud Romanos, iuxta Auſonium, ut vidimus, nobiliores, tria Nomina; Mulieres autem, quod alibi

4. *Cognomina Mulierbria.*

Tria nomina nobiliorum. Idyll. XI.

alibi testatur Plutarchus, duo haud infrequenter præferrent, Gentilé nempe, & Familiæ in eadem paternæ Cognomen, ut in adductis, & quod viderunt iam alii, CÆCILIÆ METELLÆ, IUNIÆ TORQUATÆ, &c. exemplis. Quomodo apud Ciceronem, ut ad eum notauit Manutius, & libera adhuc Republica, legitur *Paulla Valeria:* quamquam, ut hoc addam, prius illud nomen PAULLÆ, non *Cognominis*, ut ibi Manutius, sed *Prænominis* locum occupet, haud aliter ac LEPIDIS in *Aemilia*, & FABIIS quoque, tributum PAULLI eum apud Auctores, tum in eorum etiam nummis *Prænomen* vidimus. Verum quod a Tullio, pro more, & de quo postea, Romanis Auctoribus haud insolito, Cognomina subinde Gentium Romanarum nominibus postponendi, factum licet statuere. Eadem enim D. Bruti uxor, quæ alibi solo *Pollæ* Cognomine, (quod idem est ac *Paullæ*, ut de hisce nominibus *Pollus & Polla*, idem quod *Paullus & Paulla*, monuit quoque doctissimus Dodwellus) ab eodem Tullio dicitur. *Prænomine* cæteroquin omnino destitutæ apud Auctores leguntur *Liuia Drusilla*, Augusti dein uxor, solo etiam *Drusillæ Cognomine* a Cornelio Nepote in vita Attici designata; sed quæ post Augusti nuptias, uno inde LIVIÆ, ac post Cæsaris obitum, IULIÆ, in eam Gentem nempe adoptatæ, nomine, quod vel e nummis eius obuium, est insignita. Accedunt eadem huius Liuiæ ætate, *Aemiliæ Lepidæ*, duæ nempe cum iis nominibus, & [a] una ex iis iuniori Druso, Tiberii filio, nupta, sub Tiberio damnata; mox [b] *Junia Caluina*, [c] *Junia Silana:* aliæque insuper vel Caligulæ, vel Claudii, vel Neronis, vel Galbæ, etiam Vitellii, ac Vespasiani uxores, totidem proinde Augustæ; etsi hodie una tantum ex iis vel altera in antiquis & genuinis nummis consignatæ reperiantur: nempe [d] *Junia Claudilla*, *Julia Drusilla*, [e] *Ælia Petina*, [f] *Lollia Paullina*, [g] *Statilia*, ut altera Claudii *Valeria* in eius etiam nummis *Messalina*, [h] *Mummia Achaïca*, [i] *Galeria Fundana*, [k] *Flauia Domitilla*, [l] *Domitia Longina*, aliæque. Ita apud Dionem [m] *Cornelia*, (quæ apud [n] Suetonium *Liuia*) *Oresilla*, C. Pisoni desponsa, & a Caligula abducta, sed ab eo mox ad priorem virum relegata; [o] *Aceronia Polla*; [p] *Aelia Catula*, eaque dicta ibidem genere ac opibus florentissima. Sic [q] *Liuia Medullina* Claudio Imp. nupta, sed ipso nuptiarum die mortua, cuique, ut de eadem Tranquillus, cognomen *Camillæ* erat a genere dictatoris Camilli. Nempe *Medullinus* erat *Furiæ* Gentis, ut e [r] Liuio ac Fastis constat, sicut, quod vulgo notum, *Camillus*, Cognomen. Unde maternum forte eidem *Liuiæ* genus e *Furia* gente exstitisse licet omnino statuere; aut aliquem e *Furia*, & quidem *Medullinorum* in ea stirpe, in *Liuiam*, huius Liuiæ *Medullinæ* paternam Gentem, adoptione transiisse. Factum vero, ut omisso paulatim *Gentili* nomine, solo *Familiæ* in eadem Gente, aut formato inde *Cognomine*, eoque tanquam Nomine illarum Proprio appellatæ sint illustriores feminæ: sicut apud Ciceronem, [s] *Metella*, [t] *Attica*, [u] *Tertulla*, [x] *Fausta*, Sullæ filia, & Miloni nupta; [y] *Oresilla*, dicta iam ante [z] *Polla*; & alia apud [a] Dionem Coceeianum, Πῶλα, seu *Pola*, verius *Polla*, M. Agrippæ soror, sicut alibi dicta modo apud eundem *Aceronia Polla*, tum ipsius Vespasiani Imp. mater [b] *Vespasia Polla*. Ut mittam memoratas in M. Antonii ad Augustum literis, cum quibus hic nempe consueuerat, mulieres, *Drusillam*, *Tertullam*, *Terentillam*, *Rufillam*, formatis

Lib. VIII. Fam. Epist. 7.

In Annal. Statian. p. 283.

Sueton. in Tiber. c. IV.

a Tacit. Annal. III. c. 22. & VI. c. 40.
b Annal. XII. c. 4.
c Annal. XI. c. 12.
d Sueton. in Calig. c. XII.
e In Claud. c. XXVI.
f Ibidem.
g In Neron. c. XXXV.
h In Galba cap. II.
i In Vitellio c. VI.
k In Vespas. c. III.
l In Domitian. c. I.
m Lib. LIX. p. 646.
n In Calig. c. XXV.
o Dio LXXI. p. 698.
p Ibid. p. 698.
q In Claudio c. XXVI.
r Liv. IV. c. 25. &c.
s Lib. III. ad Att. Ep. 7.
t Ibid. l. XII. Ep. 28.
u Ibid. l. XIV. Ep. 20.
x Ibid. l. V. Ep. 8.
y Lib. VIII. Ep. Fam. 7.
z Ibid. l. XI. Ep. 8.
a Lib. LV. p. 553.
b Sueton. in Vesp. c. I.

Idem in August. c. LIX.

matis nempe, ut ſupra *Oreſtilla*, *Domitilla*, apud Tacitum *Galuia Criſpinilla*, e virilibus Gentium aliquot Romanarum *Liuiæ*, *Aureliæ*, *Auſidiæ*, *Quinctiæ*, Cognomentis *Druſi*, *Ruſi*, *Oreſtis*; aut e Gentis etiam nomine *Terentiæ*, *Domitiæ* nominibus. Unde nollem, & quod præterire hic non licet, a doctiſſimo Th. Reineſio alicubi monitum: „morem nempe „ Romanis fuiſſe, tam innuptas filias, quam factas uxores, modo *mari-* „ *torum*, modo *parentum* Cognominibus nuncupandi. Quod vel adducta modo vetera ab Urbis incunabulis ac primæ Cæſarum ætatis exempla ſatis utique redarguunt: quæ *paterna* demum nomina, vel nuda ſubinde *cognomina*, non vero *maritorum*, clariſſimis id genus mulieribus impoſita aperte omnino conteſtantur. Accedunt hiſce conſignatæ in nummis earum antiquis, illuſtribus huiusce rei teſtibus, cum ſolo Familiæ *paternæ* vel *nomine*, ſicut LIVIA, ANTONIA minor, OCTAVIA, DOMITIA, totidem Auguſti, Druſi, Germanici, Neronis, ac Domitiani coniuges; vel *Cognomine*, ut prior AGRIPPINA, additis CAL. ſeu *Caligulæ* filii nominibus, POPPÆA, DOMITILLA, CRISPINA. Mitto Auguſtas, de quibus paullo ante, quæ coniugum Auguſtorum nomina ſimul in earum nummis præferunt, DOMITIAM, PLOTINAM, SABINAM, FAUSTINAM Matrem. In quibus proinde, ſi quatuor priores mittas, Auguſtarum nominibus nulla Gentis ſeu Familiæ, e qua ortæ eædem erant, vel in quas adoptione transierant, occurrit mentio. Donec poſtea virorum exemplo multiplicata ſint illa Mulierum apud Romanos nomina: ſicut obuiæ in nummis ſequentium temporum Auguſtæ, SALUSTIA BARBIA ORBIANA: FURIA SABINIA TRANQUILLINA: MARCIA OTACILIA SEVERA: GALERIA VALERIA EUTROPIA, aliæque; quæ autem ſingulæ *Prænominibus* in iis carent, uti in lapidibus etiam antiquis, in quibus eædem quoque ſubinde memorantur. Una forte occurrit in nummis ſequioris Cæſarum ævi cum *Prænomine*, GAIA CORNELIA SUPERA iunioris Valeriani uxor. Cuius alioquin moris ævo etiam Auguſtæo, triplicis nempe nominis a mulieribus quoque uſurpati, in deſponſata Claudio adhuc adoleſcenti uxore, de qua paullo ante, occurrit apud Suetonium exemplum: LIVIAM MEDULLINAM, *cui & cognomen* CAMILLÆ *erat, e genere utique Dictatoris Camilli.* Adde in antiquis lapidibus, ut apud Sponium in inſcriptione Antonino Caracallæ dedicata: MOESIA FABIA TIANA: ac in Felſineis Marmoribus ante annos aliquot, quæque huius generis alibi adhuc proſtant, vulgatis, FLAVIÆ FLACCILLÆ POLLÆ. Ut mittam Mulieres in iisdem priſcis monumentis, ſicut in memoratis modo Auguſtarum aliquot nummis, præter morem ſuperiorum temporum, cum duobus *Gentilitiis* Romanarum Mulierum, & quarum Gentium exſtant etiamnum denarii, nominibus appellari: ut CALVISIÆ VETTIÆ.

Hiſtor. 1. c. 73.

Syntagm. p. 51.

In Claud. cap. XXVI.

Miſcell. p. 271.

Pag. 429, 431.

Ibidem p. 484, 488.

III. *De* COGNOMINIBUS ROMANORUM.

1. *De variis Gentium Romanarum* Co-

COGNOMINA equidem, ad maiorem diſtinctionem, duobus prioribus Romanorum nominibus, *Prænomini* ac *Gentilitio*, vulgo addita ſatis conſtat. Id vero vel veteres eorum nummi luculenter oſtendunt; in quibus discretæ leguntur eorum beneficio plures unius Gentis Familiæ; ſicut in gnomini-

bus, *eorum, & singularum quandoque, in nummis usu.*

in *Æmilia*, (si inter nummos id genus, Goltziani quoque, iuxta celebrem Antiquarium, adnumerandi continuo veniunt) BARBULÆ, BUCÆ, PAPI, PAULLI, LEPIDI, REGILLI, SCAURI; in *Cæcilia*, METELLI, iique rursus septem vel octo Cognominibus in iisdem eorum denariis distincti, ut BALEARICI, MACEDONICI, CRETICI, DELMATICI, NUMIDICI, CALVI, CAPRARII, PII, CORNUTI; in *Claudia*, CENTHONES, CRASSI, GLICIÆ, MARCELLI, NERONES, PULCHRI; in *Cornelia*, MALUGINENSES, LENTULI, SCIPIONES, hique cum aliis adhuc Cognominibus, de quibus paullo post, ASINÆ nempe, ASIAGENIS, AFRICANI, CALVI appellati: CETHEGI præterea in eadem Gente, DOLABELLÆ, SULLÆ, aliique: qui vero in iisdem nummis non homines solum singulos, sed totidem stirpes seu *Familias* diuersas earundem *Gentium* continuo indicant. Quod vero apud Plutarchum legas, *sub Cognominibus occultari frequenter Nomina*; & apud Macrobium similiter; *ex Cognominibus nata sunt Nomina*, nempe Gentium seu Familiarum Romanarum, iidem nummi egregie omnino illustrant, immo ante oculos ponunt. In quibus utique non solum AHALA, AGRIPPA, ATRATINUS, BRUTUS, CÆSAR, CARBO, CATO, CRASSUS, MESSALLA, METELLUS, NERVA, SCIPIO, SILANUS, SULLA, TORQUATUS, pluresque, clari omnino ac illustres Quirites, omisso omni *Gentis* nomine, aut etiam, quod vidimus, *Prænomine*, frequenter occurrunt; sed quandoque etiam vulgo minus noti, sicut NATTA in *Pinaria*, TURDUS in *Papiria*, cuius postremi in ea Gente Cognominis unus forte meminit Liuius, qui Tribunus plebis fuerit Anno V. C. DLXXV, & Cicero obiter; atque ita ut contemptu dignos eo cognomine donatos ad Gentilem, sed alterius Familiæ & Patritiæ, Papirium Pætum scribat: *Deinde* CARBONES *&* TURDI *insequuntur. Hi plebeii fuerunt, quos contemnas censeo.* Quibus addendus in *Valeria* ACISCULUS, cuius etiamnum exstant ac indubiæ vetustatis nummi, unus etiam cum nudo illo Cognomine, etsi hactenus in veterum scriptis ac monumentis parum noto.

Vaillant in Fam. Rom. Numism.

Pyth. Oracul. p. 401.

Saturn. lib. 1. c. 6.

Lib. XII. c. II.

Lib. IX. Epist. Fam. 21.

In quibus autem nummis mera vides NAT. seu NATTÆ, TURD. seu TURDI, & ACISCULI Cognomina, citra ullum non Prænomen solum, sed Gentile etiam *Pinariæ*, *Papiriæ*, & *Valeriæ* nomen. Quibus accedunt, ignota ferme aliunde aut certe parum trita variarum Gentium Romanarum Cognomina, sed quæ ex addito in nummis Gentili earundem nomine, ad quas referri debeant, continuo indicant: sicut in *Accoleia*, LARISCOLUS; in *Canidia*, CRASSUS; in *Caninia*, AGRIPPA, REGILLUS; in *Claudia*, GLICIA; in *Considia*, PÆTUS; in *Furia*, BROCCHUS; nisi quod apud Valerium Maximum memoratur, sed cum summa eius infamia *Cn. Furius Brocchus*; in *Julia*, BURSIO; in *Maria*, CA-

CAPITO, TROGUS; in *Næuia*, CAPELLA; in *Sempronia*, PITIO; ac a Liuio, præter Faſtos Capitolinos, memoratus Pontifex, Conſul, & Cenſor, idemque in duobus nummis Goltzianis ſignatus, P. SEMPRONIUS SOPHUS; in *Tullia*, DECULA. Obuius itidem in aliquot dictæ modo *Næuiæ* Gentis SURDINUS, cuius nullam reperiri apud Auctores mentionem cenſuit eruditiſſimus Fuluius. Exſtat tamen apud Valerium Maximum locus alia occaſione a me iam adductus: *Appellatus Mamercus a* SURDINO, *cuius libertus Genucium hæredem fecerat. Surdinum* autem illum, cuius ibi meminit, fuiſſe e Gente *Næuia* inde liquet; quod paullo ante de eodem Genucio dixerat Valerius: *Ut reſtitui eum in bona* NÆVIANI *iuberet*, liberti proinde dicti modo *Næuii Surdini*, ac inde libertorum more *Næuiani* appellationem nacti. Quod firmat etiam antiquus lapis apud Gruterum, pridem quoque a me eam in rem adductus, L. NÆVIUS SURDINUS, & cuius a doctiſſimo Noriſio factam poſtea mentionem video. Idem vero SURDINI Cognomen *Ræſianorum* Familiæ tribuit vetus lapis a nobis in ſuperiori editione huius libri primum vulgatus, ac unde eandem Familiam, parum alioquin notam, in Gruteriano opere, illuſtrari ibidem diximus. Cuius autem inſcriptionis, uti & ſequentis, facta eſt a me olim cum pluribus aliis doctiſſimo Reineſio, qui nec in Syntagmate id diſſimulauit, copia: ubi eædem etiam aliquot poſt annos ſunt itidem diuulgatæ:

Lib. IX. c. 45. XI. c. 9.

Lib. VII. cap. VII. 6.

Theſ. pag. 1077.

Epoch. Syr. Mac. p. 154. ed. fol.

RÆSIANORUM FAM. DD. Q. RÆSIUS
Q. F. PAC. SURDINUS MIL. VETER. COH. VII
VIGIL. V. F. FECIT SIBI ET SUIS LIBERIS IDEM
LIBERTIS LIBERTABUSQUE SUIS DDXL.
IN HYPOGUM TESTACI. . . . . .

Reliqua mutila. Quomodo altera inſuper, ac prius inedita, illius Familiæ inſcriptio, cum eodem SURDINI Cognomento, eſt itidem a nobis adducta:

DIANÆ RÆSIANÆ Q. RÆSIUS Q. FIL.
SURDINUS CUM RÆSIA HERCULANIOLA SACRUM.

Quæ cum olim, ubi de his agerem, monuiſſem, video tamen nouiſſime a celebri Antiquario ad hos *Næuiæ* Gentis cum eo SURDINI cognomine nummos, adnotari, quòd ignoraretur illud ad Gentem *Næuiam* pertinere, „niſi præuios haberemus ſuperiores nummos: in nulla enim alia „ Onomaſtici Romani a Glondorpio editi Familia occurrere. Ut mittam, quod SURDINI itidem, ſed incertum an vel *Næuiæ*, vel *Ræſiæ*, aut alterius etiam Romanæ Gentis nomen reſpiciat, occurrit apud Senecam Patrem mentio: *Apud Ceſtium Rhetorem declamabat hanc ſuaſoriam* SURDINUS, *ingenioſus adoleſcens, a quo Græcæ fabulæ eleganter in Latinum ſermonem conuerſæ ſunt.* Eadem enim Cognomina plurimis Familiis diuerſarum Gentium communia probant aut illuſtrant iidem nummi; quod iis obuium, qui tractatione veterum horum cimeliorum delectantur, ac vel eorum ſyllabi a præclaris Antiquariis opportune nummorum id genus, qui *Conſulares* vulgo audiunt, collectionibus additi indices continuo oſtendunt: ſicut inter alia BALBI, CRASSI, FLACCI, LIBONIS, LONGI, MAXIMI, RUFI, VARI. Alia nempe exſtant in iisdem nummis *Cogno-*

Diſſ. VI. de Præſt. &c. Vet. Num. p. 521.

Vaillant Fam. Rom. p. 167. To. II.

Suaſor. VII.

mina singulis quasi Gentibus propria; ut *Æmiliæ*, LEPIDI; *Cæciliæ*, METELLI; *Claudiæ*, GLICIÆ, CENTHONES, MARCELLI; *Corneliæ*, LENTULI, CETHEGI, DOLABELLÆ, SCIPIONES, SULLÆ; *Juniæ*, BRUTI, SILANI; *Lucretiæ* VESPILLONES; *Seruiliæ*, CÆPIONES; *Sulpiciæ* GALBÆ; *Valeriæ*, ut alia mittam, MESSALLÆ, POTITI, VOLUSI, adde, nisi ubi adoptione in aliam Gentem, ii qui ea tulere Cognomina, qua de re postea, transierant. Tale insuper TUDITANI in *Sempronia*, & quod exhibent aliquot eius nummi, ut de eo alicubi Cicero, Cognomen: *Ac auus nobilis* TUDITANUS; nempe

Philipp. III. c. 6.

designatus ab Ennio Poëta illius anni cum Cethego, referente alibi eodem Tullio, Consul,

In Bruto cap. XV.

Additur Orator Corneliũ suauiloquente
Ore Cethegus, Marcũ TUDITANO *collega:*

& de quibus alio rursus loco Cicero: *Consulibus Tuditano & Cethego*; inuerso nempe ibi eorum ordine, quum primus Consul fuisset renuntiatus, ut ex Liuio & Fastis liquet, *M. Cornelius Cethegus.* Iidem præterea, qui ante quinquennium, &, quod ut singulare a Liuio ac in iisdem Fastis Capitolinis traditur, ambo Censores, etsi necdum Consules fuerant, creati.

De Senect. cap. IV.

Lib. XXIX. cap. II.

Lib. XXVII. cap. II.

Lib. III. c. 19.

De altero vero *Tuditano*, Illyrici victore, similiter Plinius: TUDITANUS, *qui domuit Istros.* Uterque autem in Goltzianis nummis adhuc hodie consignatur: prior nempe, P. SEMP. C. F. TUDITAN, *P. Sempronius Caii Filius Tuditanus:* alter, in priore nummi area, TUDITAN. in auersa, C. SEMPRONI C. F. C. N. De quo autem postremo hoc *C. Tuditano* quæsitum a se docet Cicero, an in decem, legatis nempe, ad componendas res Achaiæ fuerit; quique, iuxta Libonis annales, Prætor exstiterit P. Popillio & P. Rupilio Coss. Unde haud mirum passim apud Auctores rerum Romanarum, aut subinde in iisdem etiam Fastis, & quidem, iuxta adducta paullo ante e nummis earundem Gentium seu Familiarum exempla, *Camillos*, *Coriolanos*, *Paullos*, *Brutos*, *Silanos*, *Metellos*, *Sullas*, *Lucullos*, *Crassos*, *Pisones*, *Dolabellas*, *Scipiones*, *Catones*, *Cæsares*, aliosque, præterito priori, aut Gentili etiam nomine, solis Cognominibus appellari. Cuiusmodi plura utique congerit alicubi Tullius: *Consularium putas leniores fuisse Catuli*, *Seruilii*, *Ciceronis*, *Torquati*, *Lepidi*, *Gellii*, *Volcatii*, *Figuli*, *Cottæ*, *Glabrionis*, *Silani*, *Murenæ:* ubi præter duo aut tria Gentilia nomina, reliqua omnia mera, eaque accepta a maioribus, totidem Gentium *Lutatiæ*, *Cœliæ*, *Manliæ*, *Æmiliæ*, *Calpurniæ* &c. Cognomina. Ita alibi apud eundem Tullium: *Secundo* (bello Punico) *Maximum*, *Marcellum*, *Africanum*; & post hos, *Paullum*, *Gracchum*, *Catonem*, *patrumue memoria Scipionem*, *Lælium*, quæ totidem, si postremum mittas, Gentium *Fabiæ*, *Claudiæ*, *Corneliæ*, *Aureliæ*, *Semproniæ*, *Porciæ* cognomenta. Quibus nempe diuersæ Romanorum *Familiæ* distinguebantur; ac retenta inde fuit a Romanis Scriptoribus, ubi illa ad eorum posteros transierant, *Cognominum* de iis appellatio; haud minus ac ea, quæ ab ingenio, habitu corporis, fortuna, aut aliunde, secus quam doctissimis viris videbatur, primum erant iis indita. Unde de MAXIMI, quæ inter prioris generis exempla ab iis recensetur, appellatione, *Valeriæ*

Ad Att. l. XIII. Ep. 52.

Lib. XII. Ep. ad Attic. 21.

De Natur. Deor. l. II. c. 66.

Perizon. Anim. Hist. p. 67.

ac

ac *Fabiæ* Genti communi, ait alicubi Liuius: *Cæterum ex* MAXIMI COGNOMINE *ortum errorem haud abnuerim:* ac alibi, ubi commemoratos a Pisone in Annalibus illius anni Ædiles Curules tangit, C. Domitium Cn. F. Caluinum & Sp. Caruilium Q. F. Maximum, addit: *Id credo* COGNOMEN (nempe MAXIMI) *errorem in Ædilibus feciſſe.* Quam varietatem, in conſuetis *Valeriæ* Gentis FLACCI POTITIQUE Cognominibus, adfert alibi idem Liuius: *M. Claudio Marcello, C. Valerio Conſulibus.* FLACCUM, POTITUMQUE, *varię in Annalibus Conſulis* COGNOMEN *inuenio.* Idem alibi de duobus unius anni Prætoribus: *C. Liuius & C. Oppius, utrique eorum* SALINATOR *Cognomen erat*; quale autem M. Liuio Cenſori pridem ante inditum fuiſſe, tradiderat iam alibi non Salinator, ſed Patauinus Liuius. Idem rurſus alio loco: *C. & M. Seruilii* GEMINIS *ambobus* COGNOMEN *erat:* cuius autem *Gemini* in hac Gente *Seruilia* cognominis antiquior etiam apud eundem Liuium occurrit mentio, & quidem cum *Cnæi* Prænomine: *Cn. Seruilius* GEMINUS *Conſul:* & quod ſimiliter duobus *Seruiliis*, uni Quæſtori, alteri IIIviro Auro Argento Ære Flando Feriundo tribuitur, cum CNÆI & MARCI Prænominibus, in duobus denariis apud Goltzium, & inter *Seruiliæ* Gentis nummos a celebri Antiquario relatis. De quo autem GEMINI in ea Gente cognomine conſuli poteſt inſigni eruditione Perizonius. Id vero e modo dictis, ne plura id genus congeram, abunde, ut opinor, liquet, retentam a Romanis, ubi de poſteris agebatur, qui illud ad ſe transmiſſum ferebant, COGNOMINIS appellationem.

Lib. x. cap. 3. Lib. x. cap. 9. Lib. VIII. cap. 18. Lib. XXIX. cap. 24. Lib. XXIX. cap. 47. Lib. XXXI. cap. 4. Lib. XXII. cap. 31. Anim. Hiſt. p. 46.

Quibus addi hic inſuper debet, quòd eadem *Cognomina* alterius quoque acceſſione multiplicata ſubinde occurrunt, non apud Auctores ſolum, qui res Romanas tangunt vel enarrant; aut in Faſtis etiam; aliisque antiquis Marmoribus, ſed in ipſis quoque eorum, quorum memoriam iidem vel conſeruant, vel enarrant, nummis. Ut vero illos plura id genus Cognomina ſimul tuliſſe liqueat, eaque inde etiam retenta; ut de diſcrimine id genus Familiarum, quæ non ex eadem ſolum Gente, ſed ex eadem etiam in ea ſtirpe profluxerant, liquidius conſtaret. Quod docebunt utique obuii in *Calpurniæ* Gentis denariis haud unus ſignatus PISO FRUGI; in *Cæcilia*, METELLI, iique non cum illuſtribus ſolum, de quibus paullo ante, Cognominibus, BALEARICI, CRETICI, MACEDONICI &c. ſed etiam cum aliis ignobilioribus, CALVI, CAPRARII, CELERIS, NEPOTIS, NIGRI. Quomodo in *Cornelia*, LENTULI; dicuntur CAUDINUS, SPINTHER, SURA; aut in eadem SCIPIONES; cum AFRICANUS, ASIAGENES &c. tum in Goltzianis nummis ac apud Auctores, ASINA, CALVUS, NASICA: in *Fabia* non MAXIMUS ſolum, ſed præterea in Goltzianis itidem nummis, GURGES, VERRUCOSUS, quæ alioquin cum alibi, tum in Faſtis Capitolinis ſunt obuia. Sic in *Manlia*, TORQUATUS, ATTICUS: in *Seruilia* CASCA, LONGUS: in *Valeria*, MESSALLA, BARBATUS (quæ totidem erant imputæ illius Valeriæ Meſſalinæ patris, iuxta Suetonium, Cognomina) item MESSALLA CORNUTUS, MESSALLA POTITUS. Idque inde continuo factum, quod prius illud e duobus Cognomen, ut PISONIS in *Calpurnia*; METELLI in *Cæcilia*; LENTULI, vel SCIPIONIS in *Cornelia*; MAXIMI in *Fabia*; MESSALLÆ in *Valeria*, in totidem *Nomina* ſeu *Familias*

1. *Plurium ſubinde unius Familiæ* Cognominum *exempla in nummis.*

In Claudio cap. XXVI.

milias earundem Gentium transierant. Unde etiam in nummis id genus omissa passim videas ipsa *Gentium* nomina; nuspiam certe LENTULIS, vel SCIPIONIBUS, nisi in uno forte Goltziano, additum ipsum CORNELIÆ Gentis, ad quam spectabant iidem, nomen. Quæ autem sequentium aliquot ex iis nummorum adspectus, inter quos unus Goltzianus, METELLI nempe MACEDONICI, continuo euincet.

Adde tria etiam *Cognomina* iisdem Quiritibus subinde olim in Fastis Capitolinis, ac in Goltzianis insuper nummis adtributa; prout, ut alia mittam, occurrit in dictis modo Fastis, iuxta literarum, quæ ibi leguntur, vestigia, AP. CLAUDIUS P. F. A. N. CRASSUS SABIN. REGILLENS. *Appius Claudius Publii Filius Appii Nepos Crassus Sabinus Regillensis.* E quibus autem tribus Cognominibus CRASSI SABINI REGILLENSIS prius, cum apud Liuium, tum in nummo Goltziano, eidem Appio tribuitur, nempe AP. CLAUD. CRAS. Postremum vero REGILLENSIS, ab *Regillo*, Sabinorum oppido, ut de illo, eodemque antiqua *Claudiorum* patria, haud semel [a] Liuius, [b] Dionysius, [c] Suetonius, nisi quod a postremo plurium numero dicitur, *ex Regillis oppido Sabinorum:* unde autem C. Claudius Dictator, cum in iisdem Fastis, tum apud Liuium quoque *Regillensis* itidem vocatur: [d] *Dictatorem dici iussit; dictus C. Claudius Regillensis.* Unde alibi apud Suetonium, ut obiter hoc tangam, pro [e] *Claudius Appius Regillanus*, vel, iuxta alios, *Regillianus*, etsi de eo fileant ibi eruditi interpretes, *Regillensis* legendus videtur: maxime quum in vulgatis exstaret olim, ut ibidem monet Torrentius, *Regill:* unde hoc nomen per ea literarum compendia ibi scriptum, in *Regillanum* vel *Regillianum*, pro *Regillensem*, verum Claudiorum Cognomen, ut e Fastis Capitolinis, in quibus REGILLENS. legitur, & Liuio vidimus, est mutatum. Huc vero referendum insuper videtur memoratum supra REGILLI in Gente *Æmilia* apud [f] Liuium, ac in Fastis Capitolinis, tum in Goltziano etiam nummo, *Cognomen:* idque, ad discrimen forte REGILLENSIS, *Claudiorum* Cognominis, formatum. Eadem vero ratio exstitit, cur SABINUS dicatur itidem in Fastis idem *Appius Claudius*, prout hoc SABINI Cognomen, eademque de causa, quod e Sabinis forent similiter ortæ, *Minatiæ*, & *Tituriæ* Gentibus, cum in nummis apud Fuluium & alibi obuiis, tum in Goltzianis *Caluisiæ* insuper & *Poppææ* tribuitur. Ut vero adoptatos cum tribus naturalis Gentis cognominibus, de quibus paullo post, nunc mittam, exstat itidem

a Lib. II. c. 16. l. III. c. 58.
b Antiq. l. v. p. 308. l. XI. p. 697.
c In Tiberio cap. 1.
d Lib. VIII. cap. 15.
e In Tiberio cap. 11.
f Lib. XXIV. c. 9. l. XXIX. c. 11. &c.
Lib. XXIV. c. 9. XXIX. c. 11. &c.

itidem in Gentis *Corneliæ* denariis apud Goltzium, dictus etiam cum tribus Cognominibus P. SCIPIO NASICA SERAPIO, de cuius autem postremi Cognominis origine dicetur paullo infra. Qua ratione etiam factum, ut Scipionis Africani statuæ, ab illo nempe communi utrique SCIPIONI Cognomine; postremum illud SERAPIONIS inscriptum nomen referat & queratur ad Atticum Tullius. Duplex alioquin Cognomen minori Africano iam ante obuenerat, sed quod per adoptionem ex *Æmilia* Gente in *Corneliam* transiisset (& de quibus adoptatorum nominibus postea) nempe P. CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS ÆMILIANUS. Adeo ut mirari haud parum subeat, neque enim hoc loco præterire id licet, quod a celebri Antiquario in ipso nouissimo Familiarum Romanarum ab eo denuo e nummis editarum ac illustratarum opere, in quo nummi modo memorati, pluresque id genus, omnibus etiam e Goltzii Fastis in illud illatis, consignantur, sit nihilominus monitum: „ Quidam Atilium Re- Vaillant Fam. Rom. p. 155. To. I.
„ gulum Serranum appellant, qui DUOBUS COGNOMINIBUS INSIGNIRI
„ NON POTUIT, ut mos non erat, sed si Cognomini addatur quando-
„ que Cognomen illustre v. g. Africanus, & etiam adoptionis, ut Metellus,
„ Scipio, &c. An vero sola illa *illustria*, ut *Africani*, cognomina, vel *adoptiua* demum, prioribus *Cognominibus* sint a Romanis subinde addita; ac proinde, an quidquam, ceu a Romano more alienum, obfuerit, quin idem ille *Atilius Regulus Serranus*, atque ita cum duplici Cognomento, sit dictus; vel indicati modo tot veterum illustrium Quiritium, ac in ipso Familiarum Romanarum opere conspicui nummi, passimque ibi ab eodem celebri Antiquario descripti & enarrati, luculenter utique ostendunt. Nec *illustria*, ut opinor, *Cognomina* statuet METELLIS, SCIPIONIBUS, MAXIMIS, MESSALLIS, addita insuper, de quibus iam ante, vel CALVI, vel CAPRARII, vel ASINÆ, vel NASICÆ, vel GURGITIS, VERRUCOSI, vel BARBATI, CORNUTI, aliaque id genus, quæ eadem illa penus eius nummaria suppeditat, Cognomina.

3. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Quæ vero hactenus de hisce Romanorum *Cognominibus* sunt monita, & quæ addenda insuper veniunt, eaque ex eadem nummorum supellectile itidem illustranda, quantum inseruiant ad accuratam collectionem, ac certum discrimen Romanorum stemmatum, talium periti facile adsequuntur. Frustra autem duplicata, seu posita quarto loco, post Prænomen nempe, Gentile Nomen, & proprium in ea Cognomen, non *Cognomina* adeo quam *Agnomina* dici volunt veteres Grammatici: quum, ut viderunt iam alii, maxime insigni doctrina Jac. Perizonius, de iisdem illis Anim. Hist. cap. 11. p. 69.
quarto loco nominibus, *Cognomina* passim dici a priscis Romanorum scriptoribus constet: ac præter adducta Ciceronis, Liuii, ac Valerii Maximi eam in rem loca, doceat illustribus eam in rem verbis Liuius: AFRI- Lib. xxx. c. 45.
CANUM COGNOMEN *militaris potius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti* FELICIS *Sullæ* MAGNIQUE *Pompeii patrum memoria cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo:* dein, *Exemplo deinde huius, nequaquam victoriâ pares, insignes imaginum titulos, claraque* COGNOMINA *Familiæ fecere.* Adde Tranquillum: In Tiberio cap. III.
DRUSUS *hostium duce Drusô cominus trucidato, sibi* POSTERISQUE COGNOMEN *inuenit.* Quæ postrema insuper verba, ea *Cognominum* nomine, ubi illa ad posteros transierant, fuisse appellata, & qua de re paullo ante, satis superque arguunt.

4. Cognominibus *caruisse quasdam Romanorum Familias.*

Quo loco illud postremo monendum hic venit, exstitisse aliquot, & nobiles etiam, Romanorum Gentes, quæ Cognominibus seu tertio nomine ut plurimum, (prout id cæteroquin de C. Mario & Q. Sertorio obseruat Plutarchus) caruerint, solo proinde Prænomine & Gentili nomine in residuis eorum nummis designatæ. Quomodo in editis hactenus quamplurimis Gentis ANTONIÆ denariis, omisso omni MERENDÆ, quod duos ex Antoniis olim tulisse docebit Liuius, unus occurrit cum BALBI cognomine, nempe Q. ANTO. BALB. PR. *Quintus Antonius Balbus Prætor.* Exstat vero singularis ille nummus, inter præclara id genus cimelia ornatissimi Equitis Andreæ Fontaine, quæ obseruare nuper mihi in hac Angliæ Metropoli licuit; in quo hinc caput Herculis, quem generis sui auctorem Gens illa Antonia, ut iam ante vidimus, iactabat; illinc Victoria quadrigis insistens, cum corona & palma, & inscriptione Q. ANTO. BALB. seu *Q. Antonius Balbus.*

In Mario pag. 426.

Lib. II. c. 35. & 42.

BARBATI quidem cognomen eidem Genti *Antoniæ* haud minus ac *Valeriæ* tribui videas in Cognominum, quæ in nummis Familiarum Romanarum consignantur, elencho a celebri Antiquario nuper descripto: quale equidem legitur in nummis illius Gentis, sed ubi de *M. Barbato* M. Antonii Triumuiri Quæstore, non de ullo *Antoniæ* Gentis eo *Barbati* cognomine appellato, est ibidem dictum. *Cognominibus* vero carere in iisdem nummis reperiuntur, uti vulgo etiam (si forte *Herenniam* mittas) apud Auctores ac in Fastis Capitolinis CARISIA, CORNUFICIA, HERENNIA, HORTENSIA, NUMITORIA, PLÆTORIA (nisi hæc cum adoptiuo CESTIANI nomine) RUSTIA, SAUFEIA, TREBANIA, VARGUNTEIA, VATINIA. Neque vero referri debuerunt in eam Familiarum Romanarum classem, quæ Prænominibus omnino caruerint, uti ab Onuphrio factum, ANTONIA, vel MAMILIA: quarum illa, uti modo vidimus, MERENDÆ olim, dein, ac in eius etiam nummis, BALBI *Cognominibus* est distincta: ut de PIETATIS, de quo postea, & quod adsumpsit Lucius Antonius, Marci Triumuiri frater, ac superstites etiam nummi ei largiuntur, Cognomine, nunc fileam: etsi eandem M. Antonii Familiam Cognomine vulgo caruisse vel e nummis eius abunde liqueat. Ad MAMILIAM vero quod adtinet, res ea utique magis adhuc est manifesta: quippe, cui præter THURINI apud Liuium, aut TURRINI in veteri apud Goltzium, de quo iam ante, nummo, LIMETANI insuper Cognomen in duobus Fuluianæ collectionis denariis tribuitur. Immo cui Genti MAMILIÆ aliud insuper, VITULI nempe, Cognomen fuisse, e Liuio præterea ac Fastis Capitolinis constare omnino diligentissimo Onuphrio debuit. De HORTENSIA vero Gente, ab Pauinio itidem inter eas adnumerata, quibus nullum foret apud Romanos Cognomen,

Lib. XXVIII. cap. 10.

Lib. XXVII. cap. 8.

men, id obiter dicendum est; quòd celebris illius Oratoris & Ciceroni coæui, Q. Hortensii, non filius quidem, ab eodem Tullio haud leuiter alicubi laudatus, sed degener prorsus nepos *Hortensius*, probrosum inde CORBIONIS Cognomen retulerit; ut id docebit Valerius Maximus. Etsi vero nullo aliquo insigni Cognomine decoratum antea hanc nobilem ac dictatoriam Gentem *Hortensiam* vel residui eius nummi, vel antiqui Auctores doceant, plura tamen, ac ASIATICI inter alia, eaque aliunde ignota, legimus in antiquis lapidibus. C. vero MARIUM, tot Consulatibus cæteroquin ac duobus triumphis nobilitatum, Cognomine seu nomine tertio caruisse, uti & Q. SERTORIUM, obseruat ab initio Marii vitæ Plutarchus. Quod utique ad totam Gentem, eo MARIÆ nomine apud Romanos dictam, non esse referendum, sed ad eam demum Gentis illius stirpem, e qua ortus erat *C. Marius*, abunde arguunt consignata in aliis illius Gentis nummis CAPITONIS & TROGI Cognomina: uti C. MARI. C. F. CAPIT. C. MARIUS TRO. IIIVIR.

Philipp. 2. c. 6. 11.

Lib. III. c. v. in fine.

Thes. Grut. Ind. in *Hortensia*.

In C. Mario p. 406.

IV. *Quale* NOMEN PROPRIUM *apud Romanos fuerit.*

Quum vero nata sit sequutis temporibus magna appellationum id genus inter Romanos permixtio & varietas; eadem ab usu priorum temporum distingui continuo debet, & ex eodem illustrari. Ita vel quale NOMEN PROPRIUM apud Romanos fuerit, non hodie solum, sed iam olim fuisse dubitatum, liquet ex nota Plutarchi cum Posidonio ea de re controuersia. Factum id vero, dum grauissimi alias Auctores non perpendunt accurate id genus appellationum originem, vel gradus; aut non distinguunt diuersa Reipublicæ ac sequuta Cæsarum tempora; aut *Propria* Familiarum, Gentium, ac singulorum in iis nomina confundunt: quæ omnia commode possunt e nummis Familiarum Romanarum intelligi. Alia nempe illi suppeditant *Propria Gentium nomina*, ut ÆMILIAS, CLAUDIAS, CORNELIAS, &c. alia rursus *Propria* diuersarum *Familiarum* in eadem Gente; ut, sicut iam ante vidimus, in *Æmilia* PAULLOS, LEPIDOS, REGILLOS, SCAUROS, BUCAS, in *Claudia* NERONES, PULCHROS, MARCELLOS, ac in nummo etiam Goltziano, CRASSOS, in *Cornelia* autem multo plures, ut MALUGINENSES, COSSOS, LENTULOS, CETHEGOS, BLASIONES, DOLABELLAS, MERULAS, SISENNAS, SURAS, SULLAS; ac in plures rursus stirpes diuisos SCIPIONES, ut HISPALORUM, AFRICANORUM, ASIAGENON, NASICARUM, SERAPIONUM; ut de Gadensibus BALBIS, *Corneliæ* quoque genti insertis, nunc sileam. Alia vero exstant in Romanis id genus nummis *Nomina Propria* singulorum eiusdem *Familiæ*, ut *Æmiliorum* MAMERCI; ac in eadem Gente, sed diuersarum stirpium, *Paullorum*, aut *Lepidorum*, CAII, LUCII, MARCI; Claudiorum, APPII; Aquilliorum, MANII; Domitiorum, CNÆI; Sulpiciorum, SERVII. Priora vero seu *Gentilia*, *Propria* scilicet, (sicut eadem vocántur Dionysio, ut mox dicetur) Genti, quibus eadem est ab altera Gente primum distincta; velut *Claudia* a *Cornelia*: *Communia* vero eadem Plutarcho dicta, respectu nempe diuersarum in eadem Familiarum, uti *Scipionum*, *Sullarum*,

1. *Quæ origo & ratio* Proprii Nominis *apud Romanos fuerit.*

In C. Mario pag. 405.

In Coriolano p. 218.

Lentulorum, *Dolabellarum* aliorumque &c., qui omnes, ut vel nummi eorum etiamnum ostendunt, erant e Gente *Cornelia*. Altera, quæ eidem Plutarcho dicuntur *Cognomina*, *Propria* quidem Familiæ, quibus erat illa ab alia Familia eiusdem Gentis distincta; uti SCIPIONES & SULLÆ in Gente *Cornelia*: *Communia* vero eadem nonnunquam fuerunt aliarum Gentium Familiis, ut BALBI, *Antoniæ*, *Atticæ*, *Corneliæ*, aliisque; CRASSI, *Cæciliæ*, *Claudiæ*, *Liciniæ* &c. GALLI *Aniciæ*, *Asiniæ*, *Sulpiciæ* &c. Postrema, sed vulgo prima ordine, PRÆNOMINA, *Propria* Patribus eiusdem Familiæ, quibus ii inuicem erant discreti: *Communia* vero dein cum in eadem Familia, ut CNÆO Pompeio Patri & Filio, aut Nepotibus etiam, ut APPII in Claudia, AP. CLAUDIUS AP. F. AP. N. ac Pronepotibus interdum, uti in adductis iam ante, non e nummis quidem, sed ex aliis monumentis antiquis, & quæ viderat iam Sigonius, CAII & LUCII in *Octauia* & *Munatia*: tum diuersis Familiis eiusdem Gentis, ut LUCIIS *Scipionibus*, LUCIIS *Sullis*. Hæc autem primæua Nominum apud Romanos discrimina nusquam manifestius, quam in Lapidibus, maxime in Fastis Capitolinis, aut in Nummis etiam, de quibus hic agimus, antiquis expressa reperiuntur. Id iam olim notauerat Appianus, qui Romanis unum primo nomen usitatum fuisse obseruat, quod & a Varrone monitum: more nempe Græcorum, ut docent exempla ROMULI & REMI; mox alterum superadditum, quod *Prænominis* loco *Gentiles* inter se distingueret, ut TULLUS HOSTILIUS, cuius Gentis nempe alius *Hostus Hostilius* apud Liuium occurrit. Istud autem, quod *Prænominis* vicem obtinuit, *Commune* vocatur Dionysio, ut LUCIUS, SERVIUS: alterum vero *Gentile*, dictum ab eo *Patronymicum* ac *Proprium*, ut TARQUINIUS, TULLIUS. Tertium vero breui est inductum, seu *Cognomen*; quod nempe ab adfectibus animi, vel habitu corporis, aut a patria, aut a rebus gestis, alioue singulari casu vel facto, & qua de re paullo post dicetur, ad maiorem adhuc distinctionem, ut tradit Appianus, est inditum: sicut L. TARQUINIUS SUPERBUS; L. IUNIUS BRUTUS; P. VALERIUS PUBLICOLA. Et certe liquet ex Dionysio, quod iam vidit Sigonius, initium habuisse apud Romanos usum id genus Cognominum in dicto Tarquinio; ita ut, quum eadem cum Auo, L. TARQUINIO nempe, nomina præferret, inde factum sit ad utriusque discrimen, ut alteri PRISCI, alteri SUPERBI Cognomen sit dein additum. Quam multiplicandorum nominum consuetudinem ab Albanis ac Sabinis, a quibus ii sunt orti, adductis eius rei exemplis, traxisse Romanos, tradit Titus Probus, seu Auctor libelli Valerio Maximo additi. Certe breui mos apud Quirites vestros inualuit, ut usus ille trium Nominum paullatim, ac apud nobiliores quidem (quamquam, etsi secus aliis sit visum, non apud omnes, ut iam antea ex hac ipsa etiam nummorum penu vidimus) obtineret. Unde illud Iuuenalis obuium:

In Præfat.

Lib. 1. cap. 12.

Antiq. l. III. p. 201. & IV. p. 207.

Satyr. v. v. 127.

Si quid tentaueris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina.

vel Ausonii, de quo iam ante:

Idyl. 17.

Tres Equitum turmas, tria nomina Nobiliorum

Ibi

Ibi vero poſtremum hoc Nomen, ſeu *Cognomen*, *Proprium* maxime habitum tum liquet; quum nempe ex propriis uniuscuiusque notis, ſeu habitu corporis, aut moribus, aut rebus geſtis, aut ſingulari quopiam caſu, primum indebatur; uti CRASSUS, MACER, FRUGI, ASPER, MAXIMUS, LEPIDUS, SCIPIO, AFRICANUS, & ſimilia. Quod utique egregie illuſtrant antiqui Gentium Romanarum denarii, in quibus addita demum illuſtrium uirorum, a quibus ſe originem ducere teſtarentur, quorumue memoriam renouarent, qui nummos illos percuti curabant, capitibus *Cognomina*, citra ullam etiam Prænominis aut Gentilis eorundem nominis mentionem, *Proprii* Nominis vicem omnino implere agnoſcis, ut AHALA, BRUTUS, FELIX, FAUSTUS, MAGNUS, &c. in Gentibus *Junia*, *Seruilia*, *Cornelia*, *Pompeia*. Quod vel e ſequentibus nummis continuo fiet manifeſtum; ac e priori quidem, hinc cum primi *Bruti*, illinc *Ahalæ*, Seruilii nempe, nominibus ſimul ac effigie: ut ſcilicet ſe ab utroque illo tyrannicida, paternum nempe a L. Bruto, maternum a C. Seruilio Ahala genus ducere, ut viderunt iam celebres Antiquarii, teſtaretur, M. Brutus. Unde, ut hoc addam, illuſtraretur; præter alium Ciceronis ea de re locum ab eruditiſſimo Urſino ad hunc nummum iam adductum, id quod alibi ad Atticum ſcribit idem Tullius: *Ubi igitur* Φιλοτέχνημα *illud tuum, quod vidi in Parthenone*, AHALAM, & BRUTUM: ac ubi opportune a doctiſſimo J. Frid. Gronouio monitum legas; intelligi ibi Stemma Bruti ab Attico compoſitum, in quo M. Bruti genus a *L. Bruto*; qui Tarquinium expulit; &, per matrem nempe, a *C. Seruilio Ahala*, qui Spurium Mælium occidit, deducebatur, ac proinde quaſi a duobus tyrannicidis. Ab Attico certe tale Gentis *Juniæ* Stemma, a ſtirpe ad ſuam ætatem concinnatum, *notans qui a quo ortus &c.* tradit in eius vita Cornelius Nepos.

Philip. II. c. II.

Ad Att. l. XIII. Ep. 40.

Cap. XIIX.

Quomodo inſuper adſcripta ſubinde occurrunt in aliarum Gentium denariis, citra Prænomen itidem, vel Gentilia *Liuineiæ*, *Claudiæ*, *Statiliæ* nomina, ſola Triumuirorum Monetalium, unde iidem continuo dignoſcerentur, *Cognomina*, ut REGULUS, PULCHER, TAURUS. Ita duorum Quæſtorum Urbanorum iuncta ſolum Cognomina, ſed pridem in nomen verſa, PISO, CÆPIO; illud Gentis *Calpurniæ*, hoc *Seruiliæ*. Immo prout plures adhuc exſtant Familiarum Romanarum nummi; in quibus præterita ſimiliter omni Prænominum & Gentilium nominum memoria, mera adducuntur veterum id genus & nobilium Quiritium *Cognomina*, quæ nempe in totidem Familiarum nomina erant ſimiliter conuerſa: CARBO, CÆSAR, CASCA, CRASSUS, LEPIDUS, MURENA, NERVA, STOLO, SULLA, SCARPUS, aliaque magno numero in iis obuia. Ut proinde ſola id genus Cognomina *Proprii* ibi Nominis locum

similiter obtinere abunde liqueat, ac euincet aliquot e nummis Gentium *Papiriæ*, *Liciniæ*, *Æmiliæ*, *Corneliæ*, *Pinariæ* obtutus.

Præfat. Notar. Quæ autem arguunt incautius egisse ad Symmachum doctissimum Sirmondum, qui hæc non satis distinxerit, & *Proprium* Nomen Romanis ante Cæsarum tempora, non *Cognomen*, sed *Prænomen* semper fuisse existimat. Quid vero de Dionysio Halicarnassensi statuet, qui neutri ex iis, sed medio, seu, ut iam ante diximus, Nomini *Gentilitio*, illud *Proprii* nomen adscribit? ubi de Seruio Tullio legitur: ὃν τίθηται τραφέντι ἡ μήτηρ τὸ μὲν ΙΔΙΟΝ καὶ ΣΥΓΓΕΝΙΚΟΝ ὄνομα ΤΥΛΛΙΟΝ, ἐπὶ τοῦ πατρὸς προσηγορικὸν δὲ ΣΕΡΟΥΙΟΝ, *cui, quum a matre aleretur, imposuit illa nomen quidem* PROPRIUM *&* GENTILE, TULLIUM; *a patre autem, appellatiuum*, SERVIUM. In quem sensum loquitur etiam Auctor libri Valerio additi: *Quod* PER PROPRIETATEM *dicitur, hoc distat, quia eo Gens cognoscitur, ideo dicitur* GENTILITIUM. *Cætera ordine variantur. Proprium* ergo aliquando, & primis quidem urbis temporibus, *Gentilitium*, cui *Prænomen* etiam, & *Cognomen* postea superaddita, hic vices etiam suas habuere: istud nempe postremo loco repertum, ut maxime proprium ac peculiare nomen, sicut ex Appiano modo vidimus, & ratio nominis arguebat, haberi meruerit. Quod certe ante Tiberii principatum contigisse (ad cuius tempora *Prænomen* maxime *Proprium* Romanorum nomen permansisse existimat, post adductum paullo ante Sirmondum, vir exquisitâ doctrinâ, iudicio autem in his literis valde accurato) abunde mihi videntur euincere nummi paullo ante prolati; in quibus nemo utique *Proprium* eorum Nomen, quod solum, omisso etiam *Prænomine* ac *Gentili*, in iis conspicitur, *Cognomen* nempe, non agnoscit. Qui autem nummi, labente Republica ac prima Cæsarum ætate percussi, antiquiores illis temporibus & nobilissimos utique Quirites nobis ante oculos ponunt.

Antiq. l. III. p. 202. & l. IV. p. 209.

Perizon. Anim. Hist. p. 132.

2. *Mutata subinde ab Auctoribus sedes* Prænominum, Nomini, Cognomini, Gentili.

Qua ratione etiam factum videtur, ut cum *Gentis* nomini, tum *Cognomini* etiam postpositum subinde *Prænomen*; tum *Cognomini* etiam *Gentile*, obseruare liceat, cum apud Rerum Romanarum Scriptores Græcos Latinosque; tum in nummis etiam, ut modo diximus, antiquis. Cuius autem rei, & postpositi quidem *Prænominis* exempla suppeditabunt e Græcis Auctoribus, apud Dionysium Halicarnassensem,

Κά-

[a] Κάτων Πόρκιος, [b] Πείσων Λούκιος, alibi [c] Γέλλιος Γναῖος, & [d] Πομπιλία Νομᾶ, minum & apud Plutarchum loco supra iam indicato, [e] Μάρκιος Ἄγκος, pro *Porcius Cato*, *L. Piso*, *Cn. Gellius*, *Numa Pompilius*, *Ancus Marcius*, ut, si aliunde non constaret, fidem hodie facerent denarii Gentis *Calpurniæ*, *Gelliæ*, *Pomponiæ*, *Marciæ*. Sic apud Appianum, [f] Πομπήϊος Σέξτος, *Pompeius Sextus:* apud Dionem Cocceianum, [g] Δομίτιος ὁ Λούκιος, [h] Γάλβας ὁ Σέρουιος, [i] Αντωνία τοῦ Μάρκε, [k] Κεκίλιος ὁ Μάρκιος, ac ubi duobus etiam *Seruiliæ* & *Juniæ* Gentis Cognominibus postponitur Prænomen, [l] Καιπίων ὁ Βροῦτος ὁ Μάρκιος, *Cæpio Brutus Marcus:* in nummis vero, ut apud Auctores, *Sex. Pompeius*, *L. Domitius*, *Seruius Galba*, *M. Antonius*, *M. Cæcilius*, *M. Brutus* primo; dein ubi a Q. Seruilio Cæpione patruo, qua de re postea, est adoptatus, *Q. Cæpio Brutus*. Quomodo, ad exemplum appellati huius apud Dionem *Bruti*, eum Prænomine eius tertio demum loco, a Varrone similiter dicitur [m] *Catus Ælius Sextus*, nempe, prout ab Ennio iam ante, indiee eius rei, & quidem duobus diuersis locis, [n] Cicerone, fuerat appellatus;

Egregie cordatus homo Catus Æliu' Sextus:

Quomodo in duobus Goltzianis *Æliæ* Gentis nummis, SEX. ÆLIUS CATUS, & quidem cum addita in uno Triumuiri Monetalis dignitate, IIIVIR AAA FF., ac in priori nummi area in corona querna, AUGUSTUS TRIBUNIC. POTEST. Idem forte, qui Strabonis ætate, æuo proinde Augustæo, quinque hominum myriadas e Getis in Thraciam traduxisse a [a] Strabone dicitur: ut certe non debuerit ibi τῷ πάνυ Casaubono, quod ad eum nouissime [b] ab eruditissimo Th. J. ab Almeloveen opportune animaduersum video, *Ælius Catus*, quasi nullus exstiterit ea ætate, negotium facessere, & pro eo *Licinius Crassus* ibidem legi. Accedunt e Romanis Auctoribus apud Liuium, [c] *Fabius Quintus*; alibi, [d] *Manlius Cnæus:* apud Suetonium, [e] *Claudius Appius Regillanus*; quorum loco, si res aliunde haud foret obuia, inscripti leguntur in eorum nummis, Q. FABIUS, CN. MANLIUS, AP. CLAUDIUS, quamquam citra *Regilliani*, & de quo paullo ante, eognomen. Quomodo, ut hoe addam, apud Horatium inscripta legitur Ode II. lib. IV. AD ANTONIUM IULUM, qui nempe apud Auctores, [f] Taeitum, [g] Suetonium, [h] Dionem, ae in Fastis Capitolinis, immo in vetere etiam nummo apud Goltzium, IUL. ANTON. M.F. *Julus* (non *Julius*, ut hodie apud Suetonium ac Dionem legitur) *Antonius Marci Filius*. Idem vero de *Cognomine* frequenter Gentili Romanorum Nomini a priscis Auctoribus præpositio, sicut inter eos qui Græce scripserunt, Polybio, Dionysio, Josepho, Dioni Coccciano, statuendum est: apud quos subinde occurrunt, ut Romanis demum vocibus eadem hic efferam: [i] *Marcellus Claudius*; [k] *Piso Calpurnius*; [l] *Tubero Ælius*; [m] *Cato Porcius*; [n] *Volesus Valerius*; [o] *Asiaticus Valerius*; [p] *Varus Quinctilius*; [q] *Bassus Cæcilius*, ut iste a [r] Ciecrone itidem dicitur. Qua ratione *Nasica Scipio* a [s] Polybio haud semel dicitur: quorum autem nominum verum situm, si forte postremum mittam, vel ipsi superstites eorum nummi sat indieabunt. Immo id Romanis etiam Scriptoribus haud infrequens; quomodo *Veteris Antistii* eum apud [t] Ciceronem, tum apud [u] Velleium fit mentio: cuius autem exstant denarii, qui aliter ea nomina dispo-

Gentilium & Cognominum.

a Antiq. l. i. pag. 60.
b Ibid. l. ii. p. 105. l. iv. p. 220.
c Ibid. l. ii. p. 120. 136.
d Ibid. p. 136.
e De Fortun. Roman. p. 318.
f Bell. Ciuil. l. v. p. 672.
g Lib. xxxix. p. 118.
h Ibid. p. 120.
i Lib. xlviii. p. 363.
k Lib. xlii. p. 195.
l Lib. xli. p. 184.
m De L. L. lib. vi.
n De Orator. l. i. c. 45. & Tusc. Quæst. l. i. c. 9.

a Lib. vii. p. 303.
b In Addend. ad Strabon. p. 1325.

c Lib. ii. c. i.
d Lib. vii. cap. 22.
e In Tiber. cap. 11.

f Annal. iii. cap. 18.
g In Claud. cap. 11.
h Lib. liv. p. 539.
i Polyb. Exc. Leg. vii.
k Dionys. Hal. Antiq. l. i. p. 3. 64.
l Ibid. p. 67.
m Ibid. p. 64.
n Ibid. l. ii. p. 111.
o Joseph. Ant. l. xix. p. 664.
p Dio Cas. l. lvi. p. 582.
q Joseph. Ant. l. xvii.
r Lib. xi. Ep. Fam. i.
s Exc. Legat. xxxi. & Exc. Vales.
t Ad Quint. Frat. l. ii. Ep. i.
u Lib. ii. c. 43.

disponunt, & cum eius etiam Prænomine, nempe C. ANTISTIUS VETUS: Quum autem istud in superiore huius operis editione fuisset obiter a me monitum, idque extra omnem reprehensionis aleam foret; visum est tamen nupero Ciceronis operum apud Batauos editori Jac. Gronouio, ut in indicato tum a me Ciceronis loco, non *Vetus*, etsi verum & unicum memorati ibi *Antistii* cognomen; sed eius, ut statuere licet, ignoratione repositus a librariis *Severus Antistius* retineretur: immo, ut ille me in notis ad ea Ciceronis verba continuo redargueret; „quod nihil a me „ ibi adferretur, cuius non lineas ductas dixeris ex P. Manutio; adsera„ turque insuper ab eodem in illo Tullii loco *Severus Antistius:* quem „ scilicet Cicero, ob sensum tam in Republica, quam in ea causa, de „ qua nempe ibi agitur, vel ob ipsius orationis statum, potuit *Severum* „ appellauisse; ut proinde dixerit Cicero, dignum scilicet Tulliano lepore: *Orationem meam collaudauit satis multis verbis, non me hercule indiserte Severus Antistius.* Qua vero notatione nihil, quod præter morem cæteroquin meum dicendum est, vel inscitius, vel inurecundius dici equidem potuit. Quum enim, ad me quod adtinet, de præpositis subinde apud veteres Auctores Gentili nomini Cognominibus obiter tum agerem, adduxi inter alia *Veteris Antistii* factam a Cicerone mentionem: qui nempe, præter alia veterum testimonia, iuxta indubiam insuper antiqui nummi a me ibidem memorati fidem, & cum addito insuper eius Prænomine, *C. Antistius Vetus* diceretur. Exstabat vero ille in Fuluiana Familiarum Romanarum, quibus aliqua ratione illustrandis a me dicata tum erat eadem Dissertatio, collectione; ac ubi ab eruditissimo Fuluio verum illud *Antistii* Cognomen *Vetus*, e Laureæ Tullii apud Plinium carmine, Velleio præterea, & antiqua Inscriptione adsertum iam erat & comprobatum. Quod alibi adhuc adstruit, ac est dein a Patino ibi insuper monitum, Cicero; ubi, & bis quidem, nec citra singularem eius laudem, commemoratur hic *Vetus:* & Tacitus insuper, ut hoc addam: *Cæsar Antistium* VETEREM *e primoribus Macedoniæ &c.* Neque opus erat utique in re clarissima, ac luculento simul Auctorum, lapidum, ac nummorum, cuiusmodi erat mihi tum iste apud Fuluium obuius, testimonio confirmata, ut Manutium scilicet, quod nec a me factum vere & sancte profiteor, qui & eius ad has Ciceronis ad Q. Fratrum Epistolas commentario tum carebam, eam in rem consulerem. Quæ proinde Batani Critici ad eum Ciceronis locum notatio, ut *Severus Antistius* apud eum retineatur, non *Vetus*; etsi id omnino Cognomen eius foret, quod nec negare audet, in re tot testibus ac monumentis antiquis comprobata, hic Censor; meique ibidem reprehensio, quo loco haberi debeant, quiuis cordatus, ut opinor, videt. Quomodo nempe alibi apud eundem Tullium, ne id ei insolitum quispiam argueret, præposita similiter Gentili, & qua de re hic agebamus, Cognomina: uti [a] *Barba Cassius*, [b] *Balbus Cornelius*, [c] *Cimber Tullius*, [d] *Strabo Seruilius*, [e] *Macer Licinius*; & ab Asinio Pollione in epistola ad eundem Tullium, [f] *Gallus Cornelius*; ipse vero [g] *Pollio Asinius* a D. Bruto apud eundem, ac a [h] Velleio itidem, appellatur. Apud Liuium vero, etsi rarius in tanta Romanorum apud eundem nominum seu Magistratuum Populi Romani congerie, occurrunt: [i] *Collatinus Tarquinius*, [k] *Macer Licinius*, [l] *Crassus Licinius*, [m] *Pætus Ælius*,

Lib. xxxi. cap. 1.

Ad M. Brutum Epist. xii.

Annal. iii. c. 38.

a Ad Att. l. xiii. Ep. 52.
b Ibid. l. viii. Ep. 15.
c Lib. vi. Ep. Fam. 12.
d Ibid. l. xiii. Ep. 64.
e Ad Quint. Fr. l. ii. Ep. 4.
f Lib. x. Ep. Fam. 32.
g Ibid. l. xi. Ep. 9.
h Lib. iv. c. 77.
i Lib. i. cap. 57.
k Lib. iv. c. 23. vii. c. 9.
l Lib. xxxii. c. 6.
m Lib. xxx. c. 1.

Ælius, [a] *Ahala Seruilius*, [b] *Regillus Æmilius*, [c] *Geminus Seruilius*. Apud Tacitum itidem [d] *Priscus Heluidius*, [e] *Gallus Asinius*, [f] *Pollio Asinius*, [g] *Capito Ateius*, [h] *Labeo Antistius*. Sic apud Cornelium Nepotem [i] *Marcellus Claudius*; apud Plinium, ut [k] *Magnum Pompeium* mittam, [l] *Stolo Licinius*; apud [m] Senecam, uti supra apud Josephum, *Asiaticus Valerius*; [n] *Struma Nonius*, &, iuxta Ciceronem ut vidimus, ac Velleium, [o] *Balbus Cornelius*. Quod eidem Velleio, ut diximus, familiare docent apud illum memorati [p] *Lepidus Ælius*, [q] *Drusus Liuius*, [r] *Varus Quinctilius*, [s] *Crispus Marcius*, [t] *Scianus Ælius*, & [u] *Ofella Lucretius*: apud Quintilianum [x] *Longus Sulpicius*, [y] *Afer Domitius*: ne plura aliunde coaceruare hic sit necesse. Ut certe vel hinc abunde, ut opinor, liqueat, vere a Sigonio reprehensum Robertellum, negantem unquam ordine præpostero Nomini, *Gentili* nempe, *Cognomen* præpositum.

a Lib. IV. c. 14.
b Lib. XXXVII. c. 1.
c Lib. XXIII. c. 32.
d Hist. II. c. 91.
e Annal. I. c. 8.
f Ibid. III. c. 75.
g Ibidem.
h Ibidem.
i In vita Attici.
k Lib. V. c. 12. &c.
l Lib. XVIII. c. 1.
m De Constant. Sap. c. XVIII.
n Lib. XXXVII. c. 6.
o Lib. II. c. 51.
p Lib. II. c. 10.
q Ibid. c. 71.
r Ibidem.
s Ibid. LII. c. 69.
t Ibid. c. 127.
u Ibid. c. 27.
x Inst. l. VI. c. 3.
y Ibid. l. VIII. c. 5.

Unde autem illustrantur cum adducti paullo ante aliquot Familiarum Romanarum nummi, in quibus unum forte nobilium Quiritium *Cognomen*, omisso *Prænomine*, aut *Gentili* etiam nomine, proinde ut vere *Proprium* eorundem nomen, duntaxat legitur: tum, qui in eadem penu magno utique numero etiamnum occurrunt, nummi, in quibus præpostera illa nominum sedes, sicut in memoratis modo veterum Auctorum locis, similiter cernitur: nempe ut in priori nummorum id genus area *Cognomen* continuo signetur, *Prænomine* ac *Gentili* Nomine traditis demum in auersa eorundem nummorum parte. Ad cuius rei pleniorem fidem aliquot id genus nummi ex ampla illorum copia hic subiicientur: quique, ne cuipiam suspecta sit eorum αὐθεντία, in Fuluiana collectione iam prostabant.

3. *Idem e priscis nummis illustratum.*

E quibus hactenus eam in rem monitis constat omnino, suo merito Posidonium a Plutarcho reprehensum, contra quam doctissimo Sirmondo, ut antea diximus, videbatur, si *Proprium* nomen *Prænomini* perpetuo adscripsit: tum errasse etiam Plutarchum, cum perpetuam aut solam hanc prærogatiuam *Cognomini* vindicat. *Proprii* certe nominis partes impleuisse primis Urbis temporibus *Prænomina*, vel adducta iam ante exempla, eaque cum in Auctoribus antiquis, tum in nummis etiam obuia, priscorum nempe Regum, NUMÆ, TULLI, ANCI, SERVII, ut alia mittam, abunde, sicut antea vidimus, ostendunt. Quod utique in Romanorum Gentibus vel Familiis similiter obtinuisse statuendum est, quæ *Cognomine* ferme caruerunt; ut de *C. Mario*, & *P. Sertorio* id tradentem Plutar-

4. Proprium *apud Romanos* Nomen *modo* Prænomen, *modo* Cognomen.

chum iam ante vidimus, & nobilium quarundam aliarum Familiarum exemplis iuimus ibidem adsertum. Quod sub Cæsaribus itidem, quorum cæteroquin ætate *Proprium* nomen occupasse tum *Cognomina* obseruant viri præclari, locum habuisse, & quidem ante Traianum, sub quo inclaruit Plutarchus, vel unus docebit Suetonius: *P. Vitellius quatuor filios amplissimæ dignitatis* COGNOMINES, *ac tantum* PRÆNOMINIBUS DISTINGTOS, *reliquit Aulum, Quintum, Publium, & Lucium.* Quum vero neque ibi apud Suetonium, in præmissa *Vitelliæ* Gentis origine, & horum quatuor filiorum Patris L. Vitellii, aut aui P. Vitellii mentione; neque apud alios etiam Historicos, vel in Fastis, ulla *Cognominis* seu tertii nominis, quod ad eam ætatem Gens *Vitellia* tulerit, facta occurrat mentio: inde manifestum utique in adductis Tranquilli verbis, & ad quæ id vel obiter moneri ab eruditis interpretibus debuit, non dici ibi quatuor illos L. Vitellii filios *Cognomines*, quod nempe pro vulgari significatione huius vocis, unum idemque fuerit eorum *Cognomen*, quo utique carebant, a Gentis *Vitelliæ* nomine diuersum; sed quod, quum iidem uno eodemque Gentili *Vitelliorum* nomine censerentur, diuersis *Prænominibus* fuerint demum inter se distincti. Quæ prima etiam id genus *Prænominum*, ut ea de re iam ante, & erat alioquin obuium, origo exstitit: ut nempe iis frater a fratre in eadem Gente vel Familia continuo distingueretur; atque ita *Prænomen* continuo euaderet *Proprium* singulorum nomen. Eundem quoque *Prænominum* usum abunde arguunt primâ Cæsarum, ut antea vidimus, ætate ipsimet Cæsares, TIBERIUS, CAIUS, NERO, TITUS, qui a Græcis Romanisque Scriptoribus, solis nempe eorum Prænominibus, tanquam Proprio maxime singulorum ex iis nomine, solent vulgo appellari. Hinc illud Taciti, ut in re obuia ac nota hoc demum adferam, ab initio Annalium: *Tiberii, Caii, & Claudii, ac Neronis res, &c.* Quum cæteroquin, ad CLAUDIUM quod adtinet, hoc ipsum *Gentile* eius nomen, non vero *Prænomen* TIBERII, aut *Cognomen* DRUSI vel GERMANICI, quæ is cæteroquin tulit, *Proprium* in illo Imperatore exstitisse postea liqueat: quod nempe prius in Tiberio patruo, duo reliqua in patre ac fratre maiore natu, Druso & Germanico, *Proprii* Nominis locum obtinuissent. Idem vero Claudius, solo antea TIBERII *Prænomine* ab Augusto appellabatur in epistolis ad Liuiam, eiusdem Claudii auiam, teste Suetonio, scriptis: *Collocutus sum cum Tiberio* (eiusdem nempe Liuiæ Filio) *ut mandasti, mea Liuia, quid nepoti tuo* TIBERIO (huic nempe CLAUDIO) *faciendum esset, ludis Martialibus. Consentit uterque nostrum, semel esse nobis statuendum, quod consilium in illo sequamur.* Idem vero Tranquillus de Claudii patre Druso: *Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit, verum tres omnino reliquit, Germanicum, Liuillam,* CLAUDIUM. Factum vero alias, ut solo ferme *Cognomine* CÆSAR (primus nempe, qui illud nomen ad summum fastigium extulit) GALBA, OTHO, VESPASIANUS, & DOMITIANUS fuerint appellati; ita quoque domui Augustæ inserti, dictus modo GERMANICUS, DRUSUS Tiberii filius, & BRITANNICUS, de quo postremo tradit Dio, quòd quum ei primum *Tiberii Claudii Germanici* nomina fuissent indita, post parentis vero Claudii, ut id alio loco tangit, in Britanniam expeditionem, BRITANNICUM *eundem, &*

In Vitellio cap. 11.

Annal. l. 1. c. 1.

In Claudio cap. v.

Ibidem cap. 1.

Lib. LX. pag. 673.

Idem pag. 679.

& quidem velut PROPRIO *eius nomine, fuisse appellatum:* ὅτε καὶ ΚΥΡΙΩΣ τρόπον τινὰ ΒΡΕΤΑΝΙΚΟΝ αὐτὸν ὀνομασθῆναι. CLAUDII vero instar, cum nudo cæteroquin *Gentis* nomine, appellatus est vulgo VITELLIUS; etsi in eorum nummis, priori, TIB. seu *Tiberii*; alteri, A. seu *Auli Prænomina* sint præmissa. Quum alioquin paullo infra eam ætatem, quod plures fuerint, qui ANTONINI Cognomen tulerint Imperatores, solo MARCI Prænomine *Antoninum* vulgo *Philosophum* crebro a Græcis Latinisque Scriptoribus, ac in Juris Romanorum libris designari iam ante vidimus. Adeo ut eadem etiam ætate nihil certi, & in quo liceat omnino adquiescere, de stabili illa PROPRII apud Romanos NOMINIS acceptione statui posse videatur.

V. *De* COGNOMINUM *apud Romanos* ORIGINE.

Uti vero Gentium Romanarum indicatas subinde in eorum nummis ORIGINES supra obiter adtigimus; ita COGNOMINUM eorundem, & quibus illæ in plures dein stirpes seu Familias sunt diuisæ, ORIGO similiter ex eadem penu quoque erui potest ac illustrari. Appianus quidem, quod viderunt iam eruditi, qui de Romanorum nominibus sunt commentati, eadem ab aliqua *Corporis nota*, aut a *Virtute animi* tradit indita: In Præfat. Plutarchus vero, cum ab iisdem *Adfectibus* ac *Virtute* itidem, tum a *Natura*, a *Corporis partibus*, a *Rebus gestis*, aut a *Fortuna* petita commemorat. Hos autem singulos, aliosque insuper COGNOMINUM id genus fontes, certis quibusdam notis aut symbolis, vel ipso cæteroquin *nomine*, in denariis Gentium Romanarum designatos frequenter cernimus.

I. *A Corporis aliqua nota aut parte indita* Cognomina.

A *notis* equidem seu *partibus Corporis*, ut hinc ordiar, in Gente *Furia* CRASSIPEDEM, Ciceronis, ut ex eodem constat, generum, *Pes* in eius denario signatus indicat: in *Pinaria* autem SCARPUM, *Carpus* seu vola manus, quod viderunt ibidem celebres Antiquarii, continuo arguit. Aliàs a *Pedibus*, præter CRASSIPEDEM, plures quoque, cum alibi tum in iisdem nummis, denominatos, nec ignobiles utique Quirites, cernimus. Talis AGRIPPA, quem ab *ægritudine* ac *pedibus* dictum refert Gellius; Lib. XVI. c. 16. haud aliter ac de Oedipo Seneca:

Tumore nactus nomen, ac vitio pedum: In Oedipo v. 813.

ac præterea in antiquis denariis, PANSA, PLANCUS, SCAURUS, SURA, VALGUS, VARUS, VATIAS; quorum autem nominum significatio aliunde est obuia; & de quorum nonnullis Horatius:

Si cui filius est, ut abortiuus fuit olim
Sisyphus, hunc VARUM, *distortis cruribus; illum*
Balbutit SCAURUM, *prauis fultum male talis.* Lib. I. Satyr. III. v. 46. &c.

Id enim singulare, & quod adtendi utique hic meretur, euincunt iidem nummi; quòd non honestas solum, & nullo vel corporis vel animi vitio notabiles appellationes illi indicent; sed eas etiam, quibus, etsi eædem alteratro illo vitio laborarent, haud minus iidem insigniuntur. Adeo ut inde constet, non demum hominum adsentatione, aut vulgari dicterio

factum, ut illis id genus nomenclationes, vel decoræ puta, vel ignobiles, & contumelioſæ quodammodo tribuerentur; ſed hasce, quicunque demum caſus vel occaſio iis locum dederit, vere ab illis adſumptas, ac duraturis etiam ad poſteros id genus monumentis inſculptas. Haud perinde ac olim Seleucidis, vel Lagidis contigiſſe alibi iam vidimus; a quibus exulant illæ parum decoræ vel GRYPI, vel ZEBINÆ, vel PHYSCONIS, aut vero AULETIS, quæ vulgo ſunt iis indita, Cognomenta. A *Capite* equidem, ſeu illius *partibus*, vel *adfectibus* dicti in Gentium Romanarum nummis, (ſi Goltzianorum quoque, uti a celebri Antiquario factum, ratio habenda eſt) quos ipſimet vel eorum poſteri percuti iuſſerunt, non CAPITONES ſolum, CHILONES, LABEONES, NASICÆ, NASONES, BARBATI, BARBULÆ, AHENOBARBI, CINCINNATI, CRISPINI, DENTATI; ſed BALBI etiam, BLÆSI, BLÆSIONES, CALVI, SURÆ, SURDINI, TUDITANI, TUBERONES, VERRUCOSI. Qui duo poſtremi reuocant mihi continuo in mentem illud Horatianum, quique etiam eo videtur reſpexiſſe:

Tom. I. p. 412.

1. Satyr. III. v. 73.

Qui ne TUBERIBUS *propriis offendat amicum,*
Poſtulat, ignoſcat VERRUCIS *illius:*

quod tamen non obtinuerint ii, quibus inde etiam indita vel TUBERONIS, uti *Ælliis*, vel VERRUCOSI ut *Fabiis*, Cognomina. Priora vero dicta modo Cognomina tulerunt, non ignobilis quiſpiam *Bambalio*, ut de eo Cicero, *homo nullo numero, nihilque illo contemptius, qui propter hæſitantiam linguæ ſtuporemque cordis*, COGNOMEN EX CONTUMELIA *traxit*; ſed totidem ſtirpes nobiliſſimarum Gentium, *Atteiæ*, *Flaminiæ*, *Fabiæ*, *Corneliæ*, *Axſiæ*, *Valeriæ*, *Æmiliæ*, *Domitiæ*, *Quinctiæ*, *Semproniæ*. Ita nominatim ab *Oculis deprauatis*, ut de iis Plinius: *Unde Cognomina* STRABONUM, & PÆTORUM (nempe iuxta illud Horatii: STRABONEM *appellat* PÆTUM *pater*) *Ab iisdem, qui altero luminе orbi naſcuntur*, COCLITES: *quique*, ut addit itidem, *paruis utrisque*, oculis nempe, OCELLÆ: LUSCINI INIURIÆ COGNOMEN *habent*: cum quibus autem *Cognominibus* leguntur in nummis Gentium *Pompeiæ*, *Æliæ*, *Horatiæ*; & poſtremi, quod ad Plinium vidit eruditiſſimus Harduinus, *Fabriciorum* in Faſtis Capitolinis. Immo prout LUSCI etiam Cognomen exſtat in Goltziano *Anniæ* Gentis nummo; quodque [a] *Fabiæ* apud Ciceronem, ac *Poſtumiæ*, ut hoc addam, a [b] Plinio itidem tribuitur. A *Natura* præterea, ſeu ab aliis *Corporis notis* dicti quoque ſunt, iuxta eorum nummos, ſi aliunde non conſtaret, ALBINI, ATRATINI, NIGRI, RUFI, PULCHRI, CELSI, LONGI, LONGINI, GRACCHI, MACRI, CRASSI, GALBÆ: aut a ſimilitudinibus parum honorificis appellati, uti de iis mox, *Scipiones*, *Lentuli*, SERAPIONES, SPINTHERES. A *Muneribus* vero vel vilibus, vel etiam ſordidis, vocati ſimiliter in Goltzianis nummis, uti quoque apud Auctores ac in Faſtis, & quidem *Metelli*, *Catuli*, *Piſones*, *Lucretii*, flos antiquæ nobilitatis, nempe CAPRARII, CERCONES, FIGULI, VESPILLONES; quomodo, ut de prioribus ſileam, *Q. Lucretius Veſpillo* apud Ciceronem legitur in Bruto: ne iis utique iam adnumerem a nobili pingendi arte inditum uni e *Fabiis*, ac inde ad poſteros eius propagatum, PICTORIS Cognomen. Adde, ut ipſum FABIÆ Gentis nomen a *fabis*, iuxta Plinium,

Philipp. III. cap. 6.

Lib. XI. cap. 37. Adde lib. VII. cap. 12.

1. Satyr. III. v. 44.

Plinius, ut ſupra, l. XI. cap. 37.

In Notis ibid.

[a] Lib. IV. ad Att. Ep. 8.

[b] Lib. XXV. cap. 17.

Cap. XLVIII.

nium, quod supra iam vidimus, deductum hic mittam, PISONES, quod ibidem addit, *a pinsendo*, LENTULORUM *præterea &* CICERONUM, *ut quisque aliquod genus optime fereret:* alibi, iuxta eundem, STOLONES in Gente Licinia, a fruticantium circa arborum radices *stolonum* eradicatione dictos; seu, ut ibi ab eo additur: *Unde & pampinatio inuenta primo* STOLONI *dedit nomen. A Moribus* quidem, seu *Animi adfectibus*, ac *Virtutibus* iidem denarii in *Calpurnia*, *Cæcilia*, *Rubellia*, *Antonia*, ante oculos ponunt dictos FRUGI, LEPIDOS, BLANDOS, PIOS, immo ipso etiam PIETATIS nomine, qua de re iam ante, insignitos; in Goltzianis etiam nummis *Æliæ*, *Læliæ*, *Semproniæ*, CATOS, SAPIENTES, SOPHOS. Quomodo rursus, quæcunque nata sit uni ex eorum maioribus Cognominum id genus causa vel origo, ASPEROS, BIBULOS, BRUTOS, GURGITES, RUSTICOS, vulgati in *Trebonia*, *Junia*, *Fabia*, *Ausidia*, a Goltzio vel ab Ursino nummi ostendunt. Ut mittam a brutis etiam *Animalibus*, qua de re iam olim Varro, dictos in eadem illa nummorum penu, ASINAS, BESTIAS, BRUTEONES, CAPELLAS, LUPOS, MURENAS, TAUROS, VITULOS. Ne adducam huc insuper notos aliunde in Romanorum Annalibus dictos, *Asellos*, *Leones*, *Mures*, *Muscas*, *Ouiculas*, *Picas*, *Porcinas*, *Scrophas*. Sic præter obuios in *Voconiæ* Gentis denariis dictos modo VITULOS, aut, iuxta Varronem in *Pomponia*, occurrit idem in *Mamilia* cognomen, de quo obiter iam ante, cum apud Liuium, *ex plebe creatus maximus Curio*, *C. Mamilius* VITULUS, tum in Fastis anno V. C. CDXXCVIII. Consul, *L. Mamilius* VITULUS. Qualia autem, quæ obiter adtigimus, parum decora utique, immo *contumeliæ*, ut de iis Macrobius, *propiora* (etsi, quod ille de ASINÆ ac SCROPHÆ Cognominibus ibidem addit, casu eadem fuerint, non iniuriâ facta) illustrium certe Gentium Romanarum, puta *Corneliæ*, *Calpurniæ*, *Cæciliæ*, *Fabiæ*, *Aemiliæ*, *Næuiæ*, *Rutiliæ*, *Liciniæ*, & dictarum modo *Manilliæ*, *Pomponiæ*, ac *Voconiæ* fuere Cognomina; unde eadem quoque ab iis, quod paullo ante dicebamus, sint vere adsumpta, ac ad posterorum etiam memoriam, si unum vel alterum mittas, nummis consignata, ut docebunt sequentes aliquot ex iis icones, in quibus leguntur eadem ASINÆ, BESTIÆ, RUSTICI, VITULI in Gentibus *Cornelia*, *Calpurnia*, *Ausidia*, & *Voconia*, Cognomenta: quorum vero duo priores nummi, ne hoc reticeam, unius Goltzii fide hactenus nituntur:

Lib. XVIII. cap. 3.

Lib. XVII. cap. I.

De Re Rust. lib. II.

Ibidem.

Lib. XXVII. cap. 8.

Saturn. lib. I. cap. 7, 8.

Ut proinde diuersa id genus *Cognominum* ratio fuerit, ac illius, cuius meminit Quintilianus, *Iunii Bassi*, *qui*, ut idem ait, *nobis pueris*, *homo in primis dicax*, ASINUS ALBUS, ioculariter nempe, *vocabatur*. A *Rebus* autem *gestis*, & quidem a deuictis gentibus, occurrunt continuo in hisce Gentium Romanarum nummis, adnumeratis quoque Goltzianis, ACHAICUS, AFRICANUS, ASIAGENES, BALEARICUS, CRETICUS, DELMATICUS, GERMANICUS, HISPANIENSIS, ISAURICUS, MACEDONICUS, NUMIDICUS: prout in genere *a magnitudine* rerum gestarum, vel a prospera, qua iidem sunt usi, fortuna, FAUSTUS, FELIX, MAGNUS, MAXIMUS: aut a singulari in Populi Romani commoda ac libertatem studio, PUBLICOLA, sunt appellati. Adeo ut vera illorum, quibus ea tribuuntur, *Memmiorum* puta, *Scipionum*, *Metellorum*, *Sullarum*, *Pompeiorum*, *Fabiorum*, *Valeriorum*, *Gelliorum* etiam non elogia solum, sed *Cognomina*, quod insuper ex Auctoribus & Fastis Capitolinis constat, vere exstitisse abunde liqueat.

Inst. lib. VI. c. 3.

2. *De* Scipionum Cognominibus, *ac inter alia* Asiagenis, Serapionis, Africani.

Quomodo illud itidem constat, SCIPIONES non ASIAGENES solum, aut AFRICANOS, sed, ut *Scipiones* ASINAS, de quibus paullo ante, nunc mittam, CALVOS quoque, NASICAS, a nasi magnitudine, eosque dein SERAPIONES, ab unius ex iis cum victimario quodam, iuxta Valerium Maximum, aut vero, iuxta Plinium, cum suario negotiatore, similitudine appellatos. Quod postremum equidem a Plinio duobus locis traditum videas: ut istud proinde paucis verbis ad Goltzii nummum cum nominibus P. SCIPIO NASICA SERAPIO, in nouissimo Familiarum Romanarum opere a celebri Antiquario moneri debuerit. Quibus addi insuper potest id, quod de ioculari aliqua similitudine, unde illud SERAPIONIS nomen Scipioni, aut SPINTHERIS Lentulo sit inditum, a Quintiliano traditur: *In his maxime valet similitudo, si tamen ad aliquid inferius leuiusque referatur: quæ iam veteres illi iocabantur, qui Lentulum* SPINTHEREM, *& Scipionem* SERAPIONEM *esse dixerunt.* Id vero singulare occurrit in Plinii de eodem *Scipione Serapione*, postremo loco, ubi de illo agit, verbis: quòd, ob illud *Serapionis* Cognomen ei inditum, fuerit *in Tribunatu plebis admodum gratus*, *dignusque* AFRICANORUM *familiâ*. Unde eruditissimus Harduinus, in notis ad eum locum, eundem *Serapionem* hic memoratam, ab illo Scipione Nasica, cuius alibi, ut SERAPIONIS itidem cognominati, meminerat Plinius, diuersum statuit: quod nempe nemo prodiderit, nec sit verisimile, eum fuisse Tribunum plebis, nec idem fuerit ex AFRICANORUM familia, sed e *Cornelia* tantum *Scipionum* Gente, in qua duæ diuersæ familiæ erant, nempe *Nasicarum*, & *Africanorum*. Ubi vero mox subdit, quòd aliquem unum e Nasicæ liberis eum fuisse sit necesse, qui, quod similem suario negotiatori patrem vultu referret, *Serapio* etiam sit inde appellatus. Sed, an minus inde e *Nasicarum* familia, ab altera *Africanorum*, iuxta virum præstantem, diuersa, fuisset ille prioris Nasicæ *Serapionis* iam dicti filius, eodem etiam cognomine decoratus? aut, an citra eam cum patre, suarium illum referente, similitudinem, idem cum eo *Serapionis* cognomen non ferre potuerit filius? Quemadmodum enim a primo Scipione *Nasica*, ob nasi magnitudinem dicto, posteri eius *Scipiones Nasicæ* sunt haud minus appellati; ita inditum semel uni ex iis SERAPIONIS cognomen est ad posteros quoque propagatum:

Lib. IX. cap. XIV. 3.

Lib. VII. c. 12. & XXI. c. 3.

Inst. lib. VI. c. 3.

quo-

quomodo ſe a *Serapione* cum Attici epiſtola conuentum, ad ipſum Attium ſcribit alicubi, ut obſeruo, Tullius: *Deinde* SERAPIO *cum epiſtola tua, &c.* Neque vero huc continuo referas, quod apud Dionem Cocceianum, de M. Antonio ab Auguſto, ante prœlium nauale Actiacum, dicitur: *Nemo proinde eum pro Romano, ſed Ægyptio habeat: nemo Antonium nominet, ſed* SARAPIONEM *aliquem*, μήτε Αντώνιον ὀνομαζέτω, ἀλλά τινα ΣΑΡΑΠΙΩΝΑ, *Sarapionis* enim ibi nomen non utique ad *Serapiones Scipiones*, ſed ad *Sarapidem*, tutelare Ægyptiorum & Alexandrinorum imprimis, quod vulgo notum, numen, ac circumforaneos vulgo Dei illius adſeclas ac famulos reſpicit. Nempe prout in pompa Iſiaca apud Apuleium videas procedentes inter alios *dicatos magno Serapidi*, (qui ΣΑΡΑΠΙΣ paſſim a Græcis, & in antiquis etiam nummis dictus) *tibicines*. In contemptum proinde Antonii, velut Dei illius Ægyptii, & in Capitolio olim, ut id e Varrone tradit Tertullianus, prohibiti, cuiusque ſtatuæ Senatus decreto fuerint disiectæ cultoris, illud ab Auguſto dicitur. *Serapionis* cæteroquin poëtæ, qui Athenis ſua ætate Romam venerat, meminit alicubi [a] Plutarchus; ac Σαραπίωνος & Σεραπίωνος, prout Græca itidem nomina, exſtant in [b] Marmoribus Oxonienſibus. Quod vero ad *Naſicam Serapionem* dictum adtinet; haud e verbis Plinii id continuo ſequitur, eum ortum fuiſſe ex *Africanorum* familia in gente *Cornelia*, ſed dignum utique illum fuiſſe habitum, qui velut eâ natus cenſeretur. Quamquam ab ipſo Scipione, qui primus *Naſica* eſt dictus, illiusque *Naſicæ*, qui *Serapio* eſt appellatus, auus de ſe, ac primo Scipione Africano, & L. Scipione Aſiatico eius fratre, dicatur apud Liuium: *P. Scipio Naſica orationem habuit plenam veris decoribus, non communiter modo* CORNELIÆ *Gentis, ſed* PROPRIÆ FAMILIÆ SUÆ. PARENTES SUOS *&* P. AFRICANI *ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuiſſe Cn. & P. Scipiones, clariſſimos viros.* Ubi vides, non ut diuerſas *Corneliæ* Gentis, iuxta eruditiſſimum Harduinum, familias, *Naſicas & Africanos* ibidem tradi ab ipſomet *Naſica*, ſed ut unius eiusdemque in ea Gente familias: ut proinde a Plinio dici itidem in adductis paullo ante verbis de illo *Naſica Serapione* potuerit: *Dignusque* AFRICANORUM FAMILIA. Fratres nempe erant, quod ibi quoque innuitur, *Naſicæ & Africani* parentes, Cn. & P. Scipiones: *Cnæus* nempe prioris Scipionis Naſicæ parens; *Publius* vero, non naturalis quidem, is enim erat L. Paullus Æmilius, de quo alius adhuc erit dicendi locus, ſed adoptiuus Scipionis Africani minoris pater; atque inde prior ille Naſica, & prior Africanus erant fratres patrueles. Neque tamen negari illud debet, duplicem veluti e duobus illis fratribus, *Cnæo & Publio*, SCIPIONUM ſtirpem dein exſtitiſſe: unam nempe NASICARUM, alteram AFRICANORUM; etſi ſub uno *Familiæ* in *Cornelia* Gente nomine utramque ab ipſo Scipione Naſica ſtatui tradat, ut paullo ante vidimus, Liuius. Unde etiam, & quod paucis verbis ad ſuperiora Plinii verba adnotari a nupero eius ac erudito interprete merebatur, non fabrile, ut primo coniecerat, ſed Metelli erratum turpe redarguit apud Atticum ſuum Cicero, *quod*, ut ait, *animaduertiſſet in* SERAPIONIS *ſubſcriptione* AFRICANI *imaginem:* nempe, ut vere ibi deſideratiſſimus doctiſſimusque Græuius, quod Scipionis *Africani* ſtatuæ *Serapionis* nomen foret inſcriptum. Tribunum vero plebis fuiſſe eundem *Naſicam Serapionem*, quod innuere vi-

Ad Att. l. x. Epiſt. 17.

Lib. i. p. 435.

Metam. lib. xi.

Apologet. cap. x.

a Pyth. Orac. p. 396.

b Pag. 83, 89. P. i.

Lib. xxxviii. c. 58.

Ad Att. l. vi. Epiſt. i.

videtur in adductis supra de eo verbis Plinius, fateor equidem haud legi hodie in Romanorum Fastis, aliisue reliquis eorum temporum monumentis: etsi ex ea Gente *Cornelia*, sed alia eius stirpe, Ciceronis generum Dolabellam, ubi nempe e patritiis ad plebem prius transiisset, Tribunum plebis constat exstitisse. Adde, quòd illud solum de hoc *Serapione* in Epitome Liuiana legitur: *Publio Cornelio Nasica, cui Cognomen* SERAPIONI *fuit ab irridente Curiatio Tribuno plebis impositum.* A quo autem non abit in adductis supra verbis Quintilianus: iuxta quem, *Nasicam Serapionem*, sicut & Lentulum Spintherem, *veteres illi, qui* IOCABANTUR, appellarint. Sed de hoc *Nasica Serapione* hactenus: ut inde maior lux quædam Ciceronis ac Plinii de eodem verbis, ac veteri eius apud Goltzium nummo, adferretur.

Epitom. LV.

Inst. lib. VI. c. 3.

Quod vero ASIAGENES, non vero *Asiagetes*, ut existimabat vir insignis Ant. Augustinus, dictus sit frater maioris Africani Scipionis, Antiochi vero Magni debellator, L. SCIPIO, e Sidonio vidit iam doctissimus Sirmondus; & confirmant, ut hoc pridem monui, Excerpta Diodori Peireskiana: ἐξ οὗ τοὺς Ἀφρικανοὺς, καὶ ΤΟΥΣ ΑΣΙΑΓΕΝΕΙΣ, καὶ τοὺς Ἱσπανοὺς ὀνομάζεσθαι συμβέβηκεν, *ex quo Africanos, & ASIAGENES, & Hispanos dici consueuit.* Immo quam vocem agnoscunt etiam antiqui Liuii codices, quod Ursinum fugit; e quibus autem illam opportune pro *Asiatico* (quamquam hanc appellationem tradant etiam lapides Capitolini) ac alibi iam a se, ut ibidem obseruat, adsertam, restituit doctissimus Jo. Frid. Gronouius: nempe, *in equitatu recognoscendo* L. SCIPIONI ASIAGENI *adscriptus equus.* Adde, quòd lectionem *Asiagenes*, non *Asiatici*, adstruit insuper scriptis omnibus Liuii, qui supersunt, codicibus, longe vetustior utique, & qui vel unus id euincit, dignusque proinde qui eam in rem adduceretur, antiquæ ac probæ fidei nummus, L. SCIP. ASIAG. Cur vero hanc vocem de *Asiagete*, non *Asiagene*, nulla facta etiam huius mentione, eorumue, quæ a me pridem de illo erant monita, ubi de iisdem Familiarum Romanarum nummis a me agebatur, explicet in nouissima eorundem editione celebris Antiquarius, me equidem latet, quum cæteroquin alibi haud semel, & cum mea insuper laude, prioris illius meæ commentationis facta sit ab eo commemoratio. Quamquam in eo non tantum, ut fateor, est situm, an per ASIAG. *Asiagenes*, vel *Asiagetes* legi debeat; nisi quod prius Diodori, Sidonii Apollinaris, ac veterum præterea ac meliorum, ut a viro doctissimo, qui codices versauerat, monitum diximus, Liuii Codicum, antiqui præterea & genuini nummi, auctoritate, ut vidimus, nititur. ASIATICI cæteroquin, non ASIAGENIS, obtinuit dein, ac propagatum est ad eius posteros, quod vel e Fastis Capitolinis & priscis Auctoribus constat, huius L. Scipionis *Cognomen.* Ad AFRICANI autem, eiusdem *Asiagenis* fratris *Cognomen* quod adtinet, illud *Fabio*, qui cum Julio Antonio, de quo obiter iam ante, Consul fuit Augusti temporibus anno V. C. DCCLIV, præter [a] Suetonium, [b] Dionis elenchum Consularem, ut mittam Scaligerum in Græcis Chronici Eusebiani Excerptis, tribuit nummus apud Goltzium, ac inde etiam a memorato modo celebri Antiquario in Gente *Arruntia* editus: in cuius nempe nummi auersa parte leguntur duo illius anni Consules IUL. ANTON. M. F. Q. MAX. AFRICANUS, nempe *Julus Antonius Marci Fi-*

In Lib. de Fam. Rom. Ad Panegyr. Auiti v. 80. Not. p. 128. Pag. 381.

Liu. lib. XXXIX. c. 44.

Edit. prioris p. 526.

Vaillant Fam. Rom. p. 312. To. I.

a In Claud. c. 11.
b Lib. LIV. p. 520.

Filius, *Quintus* (Fabius) *Maximus Africanus*: Cuius etiam nummi factam opportune eam in rem ab eruditissimo Ad. Ruperto mentionem notari video in nupera Suetonii editione, a viro insigni, ac præclaro nuper literarum ornamento, J. G. Græuio adornatâ: immo iam ante a viro eiusdem laudis & famæ ex asse hærede Jac. Perizonio. A quibus tamen abeunt Fasti cum Capitolini & Siculi, seu Chronicon Alexandrinum vel Paschale; tum veteres Fasti in antiquissimo Codice Bibliothecæ Cæsareæ a doctissimo Norisio in appendice præclari operis diuulgati, qui illud AFRICANI Cognomen, non *Q. Fabio*, ut in memorato eius nummo, sed eius Collegæ *Julo Antonio* tribuunt consueto nempe ac proprio in postremis hisce Fastis, ac in Siculis etiam, uti sæpe apud rerum Romanarum Scriptores, solis nempe *Cognominibus* Consules designandi more, AFRICANO ET MAXIMO. Id vero inde factum licet statuere, quod istud MAXIMI, de quo paullo post, Cognomen esset *Fabiis* familiare; unde alterum illud AFRICANI, non ad eundem *Q. Fabium* illius anni Consulem, sed ad Collegam eius *Julum Antonium* respicere censuerunt, qui Fastos id genus condere vel supplere postea sunt adgressi. Quum tamen pro more, & de quo iam ante, Gentis *Antoniæ*, maxime illius in ea stirpe, e qua ortus erat hic *Julus*, Cognomine careret, patris *Marci* exemplo, hic *Julus Antonius*. Quomodo cæteroquin, ab illo communi MAXIMI *Fabiis*, *Caluisiis*, & *Valeriis* Cognomine, ortum apud antiquos aliquot Scriptores errorem, in adsignando Magistro Equitum Q. Fabio, eodemque Ædili, tangit haud uno loco, & qua de re paullo post, Liuius; qui iam ante, *varie in Annalibus*, Consulis nempe C. Valerii, *Cognomen* scribi tradiderat. Verum quam in rem, & cum hoc ipso AFRICANI Cognomine, exemplum hic valde opportunum suppeditant memorati in Fastis V. C. anno DCCCLXV. Consules, nempe TRAIANUS AUGUSTUS VI. & AFRICANUS: cuius autem postremi nomina ibi supplenerit, cuique dein suffragati sint recentiores Chronologici, Panuinius; nempe *C. Julius Africanus*: idque inde, quod *Julii Africani* Traiani temporibus meminisset in Epistolis iunior Plinius. Sed pro quo, *T. Sextius Africanus*, e Phlegonte, adsentiente eidem [a] Cl. Antonio Pagi, legendum monuit laudatus modo [b] Norisius; prout *Sextii Africani* cum in duobus apud [c] Taeitum locis, tum in veteri Inscriptione apud [d] Gruterum, T. SEXTIUS AFRICANI CON. FILIUS, legi itidem obseruat; ac est dein ab eruditissimo [e] Th. Ryckio itidem adsertum: ae proinde, ubi apud Taeitum male, & reclamantibus etiam priscis aliquot codicibus, Medicæis, Regiis Gallorum, aliisque, Lipsianum *Sex.*, seu *Sexti* prænomen, quod retinuit postremo apud Taeitum loco accurata cæteroquin doctissimi J. Frid. Gronouii editio, pro Gentili *Sextii* nomine legebatur. Inde autem, quod illud AFRICANI cognomen cum *Juliæ* Genti, tum *Sextiæ*, iisdem Traiani temporibus commune foret, factum cernimus, ut præter coæui Auctoris Phlegontis, Hadriani nempe liberti, fidem, IULII Gentile nomen, pro SEXTIO eidem AFRICANO tribuerint, qui supplenda sibi Fastorum nomina constituerant. Adducta vero a Norisio Phlegontis, quod expressa sint eam in rem, verba, adscribere hic haud pigebit: Υπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ αὐτοκράτορος Τραιανοῦ τὸ ἕκτος καὶ ΤΙΤΟΥ ΣΕΞΤΙΟΥ ΑΦΡΙΚΑΝΟΥ, *Consulibus* (quo tempore nempe Archon Athe-

Anim. Hist. p. 149.

Lib. VIII. cap. 18.

Lib. VII. Epist. 6.

a Critic. Baron. p. III. To. I.
b Epist. Consul. p. 71.
c Annal. XIII. c. 19. & XIV. c. 46.
d Thes. CXIX, 2.
e Not. ad Tacit. p. 204.

Annal. XIV. cap. 46.

nis exstitit Hadrianus) *Romæ Imperatore Traiano* VI. & TITO SEXTIO AFRICANO.

3. *De Cognominibus, Parthici, Magni, & an postremum tulerit prior* Scipio Africanus.

Hisce autem Cognominibus, quæ e deuictis gentibus desumpta sunt, adscribi continuo non debet PARTHICI, tributum Labieno in veteri eius nummo, Cognomen, nempe T. LABIENUS PARTHICUS IMP. plane ad [a] Diodori ac [b] Appiani, quos iam adduxit ad eam rem eruditissimus Fuluius, adde & ad [c] Strabonis ac [d] Plutarchi fidem; qui eundem Παρθικὸν Αὐτοκράτορα, *Parthicum Imperatorem* renuntiatum tradunt. Illud enim PARTHICI Cognomen eidem a Parthis non deuictis, pro quibus contra Romanos militabat, sed defensis inditum; ac diuerso proinde a Romanis instituto, quibus id genus appellationes e debellatis populis desumi solitas, monuerat ibidem, ut vidit quoque doctissimus Fuluius, Dio Cocceianus. Adeo ut diuerso longe instituto in eo nummo PARTHICUS dicatur idem T. Labienus ab eo, quo PARTHICI leguntur in eorum nummis appellati Traianus, M. Aurelius, L. Verus, Seuerus, ac filius etiam eius Antoninus Caracalla. Ad MAGNI autem & MAXIMI Cognomina quod adtinet, prius illud non POMPEIO solum eiusque filiis adscribunt veteres eorum nummi; sed *Cinnæ* quoque, qui consiliis de Augusti cæde, dein clementia eius ac amicitia inclaruit, e Pompeii autem filia genito tribuit nummus apud Goltzium, qui est itidem inter *Corneliæ* Gentis nummos a celebri Antiquario nuper relatus: CN. CINNA MAGNUS IIIVIR. Adde Pompeii ætate antiquiori, *Spurio Postumio Albino*, a Goltzio quoque inter Postumiæ Gentis nummos itidem adscriptum, SP. ALBIN. MAG. Id vero MAGNI *Cognomen* ad Pompeii posteros transiisse, præter obuia in nummis de filiis eius *Cnæo* & *Sexto*, & adducto modo e filia nepote Cinnâ exemplis, e Dione insuper liquet; qui illud uni ex eius nepotibus, *Cn. Pompeio Magno*, ademisse Caium Imperatorem tradit; restituisse vero postea, data etiam ei in uxorem filia. Quod utrumque adserit similiter Suetonius: dum a Caio *Cn. Pompeio stirpis antiquæ* MAGNI *Cognomen* ablatum tradit, in Claudio vero, filiam *Antoniam Cn. Pompeio Magno collocatam* refert. Hinc vero stirpis illius & Cognominis in eadem auctor Pompeius non ΜΕΓΑΣ solum Græca voce, sed retenta Romana appellatione ΜΑΓΝΟΣ dictus a Strabone, Nicolao Damasceno, Josepho, Dione, Zozimo, aliisque Græcis Scriptoribus; quod nempe in proprii Cognominis vicem transierat eadem appellatio. Haud aliter nempe ac retenta a Græcis Auctoribus Romana id genus, quæ totidem Familiarum nomina euaserant, Cognomina: ut apud Dionysium, [a] φρυγὶ, [b] Ποπλικόλα, [c] Ῥοῦφος, in adducto paullo ante vetere nummo, Κορνούτος, *Frugi*, *Publicola*, *Rufus*, *Cornutus*, nota *Pisonum* in Gente *Calpurniâ*, *Valeriâ* præterea, *Pinariâ* & *Cæciliâ* Cognomina: apud [d] Plutarchum Ῥῆγος de *Regis* cognomine in Gente *Mania*: sicut, ut alia id genus mittam, ΜΑΞΙΜΟΣ, non ΜΕΓΙΣΤΟΣ dicitur in veteri, de quo paullo post, nummo *Q. Fabius Maximus*. Immo quomodo Οὐϊρτοῦτις καὶ Ὁμόνοια, *Virtutis* nempe & *Honoris* ædes Romæ exstructas vocat [e] Plutarchus. Huius autem MAGNI vultum, ut obiter, nec alieno loco, id tangam, de quo cæteroquin ambigebant Antiquarii, in denariis Gentium *Munatiæ* & *Nasidiæ* adhuc hodie conspici, præclare monuit Cl. Seguinus. Eundem vero MAGNUM (quo solo cognomine designatur subinde idem Pompeius) iuuabit

Lib. XLVIII. p. 473.
[b] In Parthic.
[c] Lib. XIV.
[d] In M. Antonio.
Lib. XLVIII. p. 373.
Lib. LX. p. 668.
In Caligul. cap. XXXV.
In Claud. cap. XXVII.
[a] Antiq. lib. IV. p. 213.
[b] Ibid. l. V. p. 301.
[c] Ibid. l. VIII. p. 481.
[d] In Num. p. 74.
[e] De Fortun. Roman. p. 318.

bit quoque hic intueri in eximio quodam & singulari nummo penes Puteoranos in urbe Patrum insigne nuper decus, Camillum de Maximis, cuius exeellenti humanitate est illius ectypum ad nos transmissum. Exhibet nempe ille hinc Pompeii vultum, cum adscripto nomine, & citra additum ΜΑΓΝΟΥ seu ΜΕΓΑΛΟΥ Cognomen, Γ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ, *Cn. Pompeius*; illinc figuram sedentem ae turritam, & epigraphen ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, a quibus nempe in Herois sui, seu Conditoris; memoriam nummus est percussus.

Vides continuo, MI OCTAVI, illam κόμης ἀναστολὴν, seu adsurgentis capillitium, quod eidem Pompeio tribuit [a] Plutarchus. *Pompeiopolis* vero, urbs est Ciliciæ maritima, ut a [b] Taeito ac a [c] Dione dicitur, & quam prius *Solos* nuncupatam constat, antequam eadem de nouo a Pompeio instauraretur. Quod vero pridem antea illud MAGNI Cognomen tulerit P. Africanus maior, innuere videntur, ut iam olim notauimus, Polybii in Excerptis Peireskianis verba: Πουβλίου τοῦ ΜΕΓΑΛΟΥ κληθέντος, *Publii* Afrieani, *qui* MAGNUS *est dictus:* nempe iuxta veram doctissimi Valesii ad hunc locum obseruationem, Πρεσβυτέρου appellati, ut loquuntur aliàs Græci, ad distinctionem alterius seu *Minoris* Scipionis Afrieani; non vero quod priori illi Publio MAGNI cognomen unquam, aut eius posteris, adhæserit; adeo ut *Maior* potius, quam *Magnus* verti ibi apud Polybium, uti mox liquebit, debuerit. Quod insuper, ut hie olim addebamus, eiusdem Familiæ denarii satis arguunt; in quibus nempe nuspiam hactenus illa MAGNI appellatio iisdem *Africanis* Scipionibus tributa legitur. A quibus tamen, iisque, quæ eam in rem monueram, abit vir insigni doctrina, qui hunc primum Scipionem Afrieanum proprio MAGNI cognomine fuisse appellatum, e variis Plutarchi loeis, Polyæno præterea, ac Ampelio it adsertum. Id vero non continuo mihi videntur euincere adducta vel Polybii, quod modo vidimus, vel Plutarchi ea de re loea: quibus nempe, ad distinctionem alterius τοῦ Νεωτέρου, ut a Polybio dieitur, seu *Junioris*, & a quo Carthago tandem penitus est deleta, Afrieani, prior ille Afrieanus, ut a [a] Polybio Μέγας, *Magnus*, seu *Maior*; vel ut ab [b] Appiano, Πρεσβύτερος, *Senior: Maior* vero, aut *Superior*, est a Romanis Scriptoribus appellatus. Ita Cicero: [c] *P. Africanus iterum Consul ille* MAIOR: alibi, [d] *recentiore autem memoria* SUPERIOR *Africanus*, ae similiter [e] aliis adhuc locis, ubi ei de eodem Africano sermo; & apud Valerium Maximum, [f] *nihil mitius* SUPERIORE *Africano*, ae [g] passim ubi de illo agitur. Unde etiam alter Seipio Afrieanus, ad *Maioris* illius seu *Superioris* Africani discrimen, ut a Polybio, quod modo vidimus, Νεώτερος, *Junior*, sie a Cicerone cum *Minor*, tum *Posterior*, dictus: [h] *Africanus*

a In Pompeio. Pag. 101.
b Annal. II. c. 58.
c Lib. XXXVI. p. 18.
Anim. Hist. p. 37, 38, 398.
Exc. Legat. CXCIV.
a Ut supra.
b Bell. Ciuil. lib. I.
c De Haruſp. Reip. cap. XII.
d V. Philipp. cap. XVII.
e In Verrem v. cap 10. Philipp. XIII. c. 4. de Offic. I. I. c. 33. in Bruto c. 18.
f Lib. XI. cap. X, 2.
g Idem lib. IV. c. 6. l. V. c. VI. 7. l. VI. c. VI. 4. &c.
h Pro Domo c. XII.

[a] De Finib. lib. v. cap. 24.

nus Consul ille MINOR; alibi de utroque,[a] SUPERIOREM *Africanum Annibale victo, aut* POSTERIOREM *Karthagine cuersa*, ac similiter a [b] Valerio & [c] Asconio Pædiano *Africanus Posterior*. Unde idem de L. Ampelio statuendum est, apud quem legitur: SCIPIO MAGNUS (hoc est *Maior*) *Africanus, qui vicit Annibalem*; SCIPIO MINOR *Numentanus, qui Numantiam & Carthaginem deuicit*. Nempe, unde sat liquidum, ut opinor, quod illa Μεγάλα, Πρεσβυτέρα, *Magni, Maioris, Senioris*, vel *Superioris*; aut Νεωτέρα, *Junioris, Minoris*, & *Posterioris*, de utroque illo *Africano* appellationes inde demum sint ab Auctoribus Græcis Romanisque Scriptoribus adhibitæ: quò, ob commune utrique non *Prænomen* solum, ac *Gentile P. Cornelii* nomen, sed utrumque insuper *Scipionis Africani* Cognomen, alter ab altero distingueretur: non vero, quòd prior ille Scipio MAGNI cognomen, sicut AFRICANI unquam tulerit. Equidem magis expressa leguntur pro viri præclari sententia Polyæni, quæ adducit eam in rem, nec præteriri hic debent, verba: Φάβιος ἐπεκλήθη ΜΕΓΙΣΤΟΣ, Σκηπίων ΜΕΓΑΣ· ἐζηλοτύπει δὲ δῆξης ὁ Σκηπίων τὸν Φάβιον, ὥστε καὶ ἤρετο· τί δή ποτε σὺ μὲν διατηρήσας μόνον τὰ στρατόπεδα κλῄζῃ ΜΕΓΙΣΤΟΣ· ἐγὼ δὲ ΜΕΓΑΣ ὁ συμβαλὼν καὶ κατὰ στόμα νικήσας Ἀννίβαν. Φάβιος ἔφη· Ἀλλ' εἰ μή σοι ἐγὼ διεφύλαξα τοὺς στρατιώτας, οὐκ ἂν ἔσχες μεθ' ὧν μαχόμενος νικῆσαι. *Fabius Cognomen accepit* MAXIMI, *Scipio* MAGNI. *Inuidebat vero Fabii gloriæ Scipio, ut etiam rogaret eum aliquando: quamobrem tu ob seruatas tantum legiones vocaris* MAXIMUS? *ego vero* MAGNUS, *qui prælio congressus Hannibalem cominus deuicerim. Respondit Fabius: Verum ni ego tibi milites conseruassem, non habuisses utique, quo commissa cum iis acie vinceres.* Quibus utique nihil expressius, ad illud MAGNI Cognomen priori Africano adferendum, dici posse viro doctissimo haud difficulter largiar; sed quam eadem mereantur fidem, iisdem propius expensis, ipsum, quo est candore, haud minus ac exquisita doctrina, iudicem fero. Id equidem de hoc Fabio, (& de quo Gentis illius Cognomine mox plenius agetur) abunde constat, tulisse eum MAXIMI Cognomen; neque tamen, etsi id a Polyæno ibi innuitur, primum e sua Gente; neque etiam cui, ob Romanam rem cunctando, ac proinde conseruando legiones, restitutam, quod utrumque in adductis Polyæni verbis legitur, sit illi continuo inditum. Unde de illo Liuius: *Eodem anno Q. Fabius* MAXIMUS *moritur, exactæ ætatis:* mox: *Vir certe fuit dignus tanto Cognomine, si id* NOMEN *ab eo* INCIPERET. Nempe quo MAXIMI Cognomine, uti de eo pridem ante idem Liuius, primus ac ante sæculum ornatus fuerat eius auus Q. Fabius: neque ob conseruatos milites, deuictosue hostes; sed quod Censor forensem turbam, ne ea numero suffragiorum in comitiis prævaleret, in quatuor tribus urbanas coniecerat: *Ut* MAXIMI *Cognomen, quod tot victoriis non peperierat, hac ordinum temperatione pareret.* Adde, quòd ante deuictum a Maiore Scipione Annibalem, eumque ex Africa Romam reuersum, MAGNIQUE proinde, iuxta Polyænum, cognomen ab eo reportatum, obiisset iam biennio ante, & quidem in summa senectute idem cunctator Fabius. Unde, quid de eo, quod ab eodem Polyæno traditur, inter hunc Fabium & Maiorem Scipionem colloquio, & quidem de illo MAGNI & MAXIMI cognomine, ortaque inde Scipionis cum eodem Fabio æmulatione, statuendum sit, quiuis,

[b] Lib. v. cap. 111, 2.

[c] In Pisonian.

Stratag. l. VIII. c. XII, 2.

Lib. XXX. cap. 27.

Lib. IX. cap. 46.

uis, me tacente; ut opinor, videt: quodque haud uno nomine se prodit huius apud illum scriptorem narrationis falsitas. Ut hoc addam, quod haud mirum videri cæteroquin posset, si Græcus Auctor, ad discrimen inter duos Scipiones Africanos (quum prior, ut vidimus, Μεγάλε, seu *Maioris*, pro diuerso ea in re Græci Latinique sermonis usu, a Polybio aliisque Græcis Auctoribus soleret designari) inde ei MAGNI cognomen, ut Q. Fabio MAXIMI crediderit continuo inditum. Aliud certe, præter ea modo dicta, suadent, quæ de AFRICANI appellatione *Maiori* Scipioni post eius in urbem reditum ac triumphum datâ, nulla alterius facta mentione, quam ille ante vel post tulerit, tradit in adductis iam supra verbis Liuius: AFRICANUM *Cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit; an sicuti* FELICIS *Sullæ*, MAGNIQUE *Pompeii, patrum memoriâ, cæptum ab adsentatione familiari sit, parum compertum habeo.* Quæ utique id omninò innuunt, post debellatos in Africa ab hoc primo Scipione Carthaginienses, datamque eis petentibus pacem, ac inde, post eius in urbem reditum, ei elogium continuo, quodque mox eidem in Cognomen verterit, AFRICANI fuisse inditum, nullâ eiusdem MAGNI ante vel post appellati facta mentione. Immo haud aliter, ac recenti adhuc patrum memoriâ, Sullæ, quod ibi quoque additur, FELICIS, Pompeio autem MAGNI, indita sint primum Cognomina. Lib. xxx. c. 45.

4. *De* Maximi Cognomine *in Gente* Fabia, Valeria, *& in aliis adhuc Familiis.*

Neque verò quisquam, ut opinor, ad hosce *Scipiones Africanos*, *Maiorem* nempe, a quo istud Cognomen partum, vel *Minorem*, uti eum a Cicerone vocari vidimus; immo neque ad *Nasicam* Scipionem, continuo referet MAXIMI, tributum, ut videbatur, uni e Scipionibus, & quod forte aduertere mihi, dum hæc commentarer, licuit, apud eundem Ciceronem elogium. Ubi enim se a L. Attio Poëta de D. Bruti non inculto dicendi genere, eodemque Græcis ac Latinis literis erudito audiuisse dixisset Tullius, addit continuo, prout in postrema etiam Jac. Gronouii editione legitur ac distinguitur: *Quæ tribuerat idem Attius etiam* Q. MAXIMO, *Paulli nepoti. Et vero ante* MAXIMUM *illum* SCIPIONEM, *quo duce* PRIVATO *Ti. Gracchus occisus esset, cum omnibus rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse.* Prior ille *Q. Maximus*, nempe *Q. Fabii Maximi Æmiliani*, Q. Fabio Maximo in adoptionem a L. Paullo Æmilio dati, filius, ac proinde eiusdem L. Paulli, aui naturalis, erat nepos. *Scipio* vero ibi memoratus, & quo *duce priuato* Gracchus, ut ibi dicitur, erat occisus; non *Superior* utique vel *Maior*, dudum ante mortuus, nec *Minor* etiam *Scipio Africanus*, qui erat dicti modo L. Æmilii Paulli patris, uti etiam is a [a] Liuio, ac in eius [b] Epitome dicitur, naturalis filius; sed *P. Cornelius Scipio Nasica*, & de quo similiter alibi in hoc ipso Bruto Cicero: *P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi* PRIVATUS *in libertatem Rempublicam vindicauit:* ac idem rursus pro Plancio: *P. Mucius arma, quæ* PRIVATUS P. SCIPIO *sumpserat, ea Ti. Graccho interempto, iure esse sumpta defendit:* in Epitome autem Liuiana similiter: *Gracchus autem auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab Optimatibus occisus est.* MAXIMUS proinde in adductis paullo ante Ciceronis verbis non est *Scipio* ille *Nasica*, nuspiam etiam eo Cognomine appellatus; nec Maior utique, ut vidimus, vel Minor Africanus, quod viderunt etiam alii, quibus In Bruto cap. xxviii. a Lib. xliv. c. 44. b Epitom. li. Cap. lviii. Cap. xxxv. Epitom. lviii.

bus haud erat hic loeus, & quorum prior ante hanc Gracchi eædem decesserat. Idem proinde, qui proximis ante verbis a Cicerone memoratus *Q. Fabius Maximus* L. Æmilii Paulli, aui, ut ea de re iam ante, naturalis, nepos. Unde verba illa Ciceronis: *Et vero ante Maximum illum Scipionem, &c.* ita omnino distinguenda sunt; ut non *antè*, aduerbialiter nempe, sicut in nupera etiam Bataua, quam diximus, editione, sumatur, ut *Maximum* ibi de *Scipione* dictum intelligamus; sed distinguatur omnino: *Et vero ante Maximum illum*, (Q. nempe Fabium Maximum, L. Paulli, de quo modo egerat, nepotem) *Scipionem, quo duce priuato Gracchus occisus esset*, Nasicam scilicet; qui nempe, sicut ab Attio poëta de illo similiter audiuerat Cicero, dicendi quoque facultate valuerit. Prior autem fuerat, quod vel e Fastis liquet, *Q. Fabio Maximo* Paulli nepote *Scipio*, de quo ibi agitur, *Nasica:* neque vero alio ferme, quam eo MAXIMI Cognomine, designati vulgo in Fastis, vel apud Romanos Auctores, qui illud tulerunt, *Fabii*. Sicuti enim a Q. Pompeio, ut præter Auctores, e nummis etiam Gentis Pompeiæ obuium, dicti quoque MAGNI eius posteri; ita MAXIMI, non quidem a prouido illo cunctatore primum, sed iam ante ab eius atauo, quod ante vidimus, Q. Fabio Rulliano, eoque, iuxta [a] Liuium ac [b] Plutarchum, Censore, A. V. C. CDXLIX, in Fastis autem Capitolinis aliquot annis iam ante, appellati dein eiusdem *Fabiæ* familiæ posteri. Unde postea, omisso ferme ipsius *Fabiæ Gentis* nomine, solo *Prænomine* P. vel Q. seu *Publii* vel *Quinti*, & addito MAXIMI *Cognomine* iidem sequutis ætatibus appellantur, eum in Fastis tum apud veteres Auctores, ac in eodem illo Ciceronis Bruto: *Q. Maximus*, ac iam paullo ante, *Q. Maximo quintum Consule*, etiam in Catone: *Quid de Paullo, aut Africano loquar? aut, ut iam ante, de* MAXIMO? immo alibi: Q. *vero* MAXIMUM, *fratrem Scipionis*, nempe L. Paullum Æmilii Paulli filium, qui ab illo Q. Fabio Maximo quintum Consule est adoptatus, altero vero eiusdem Æmilii Paulli filio, P. Cornelio Scipioni in adoptionem similiter dato, iisque naturalibus proinde fratribus, ac prout etiam de iis Asconius, loco ante iam indicato: *L. Paullus frater Africani posterioris.* Id vero de illo *Maximi* cognomine obuium etiam in *Fabiæ* gentis denariis; quod nempe istud in peculiare eiusdem Gentis Familiæ nomen foret versum: quique denarii proinde inscripti, Q. MAX. Q. F. *Quintus Maximus Quinti Filius*; aut eum solo etiam Cognomine MAX. seu *Maximi*; vel addito adhuc alio *Cognomine*, ut in Goltziano nummo, Q. MAXIMUS VERRUCOS., ut hic, præter Fastos, apud Ciceronem rursus in [a] Bruto appellatur: QUINTUS *etiam* MAXIMUS VERRUCOSUS *Orator habitus est illis temporibus:*

a Lib. IX. c. 46.
b In Pompeio.
Cap. XIX.
Cap. XVIII.
Cap. XVII.
In Pisonian.
a Cap. XIV.

Quibus accedit cum eadem MAXIMI *Fabiis* tributi appellatione nummus ab

ab Hierapolitis in Proconsulari Asia sub Augusto cusus, & a Cl. Seguino vulgatus, cum inscriptione ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ; nempe retenta ibi Romana *Maximi* voce, non Græca ΜΕΓΙΣΤΟΣ, haud aliter ac Pompeius, ut supra vidimus, a Græcis Auctoribus ΜΑΓΝΟΣ, non Μέγας dicitur: quod nempe utraque illa MAGNI & MAXIMI appellatio *Pompeiæ* Genti & *Fabiæ*, ac postrema longe in *Fabia* vetustior, foret propria, seu quibus *Cognominibus* una in utraque illa Gente Familia sit deinceps distincta. Unde etiam non in genere *Fabiorum* Genti istud MAXIMI cognomen adhæsisse, sed certæ cuidam ex ea Gente stirpi, docebit Polybius; nempe: Ετι γοῦν ἐπικαλοῦνται καὶ καθ' ἡμᾶς ΟΙ ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΟΙΚΙΑΣ ΜΑΞΙΜΟΙ, τοῦτο δ' ἔστι μέγιστοι, *sane etiamnum, vel apud nos, qui* EIUS DOMUS *seu* STIRPIS SUNT *vocantur* MAXIMI. Quod sequutis adhuc ætatibus obtinuisse, vel ex Ouidio constare possit, ubi opportune simul de hisce MAGNI (etsi longe recentioris) & MAXIMI Gentium *Pompeiæ* ac *Fabiæ* Cognominibus, ab eo dicitur: Lib. III. pag. 87.

MAGNE, *tuum nomen rerum mensura tuarum;*
Sed qui te vicit, te quoque MAIOR *erat.*
Nec gradus est ultra FABIOS *cognominis ullus:*
Illa domus meritis MAXIMA *dicta suis.* Fast. I. I. v. 603. &c.

Ex qua proinde *Fabiorum* stirpe oriundus erat ille, quem alibi idem poëta celebrat:

MAXIME, *qui tanti mensuram nominis imples.* De Ponto lib. II. Eleg. II.

Ne iam iterum huc adducam memoratum ab Horatio PAULLUM MAXIMUM, non, ut vulgo interpretes, Juli Antonii in Consulatu Collegam; is enim *Quintus* prænomine, non *Paullus* dicebatur; sed qui anno superiore cum Q. Ælio Tuberone Consulatum gesserat, *Paullum Fabium Maximum.* Quod pridem hic a me adnotatum, ab eruditissimo Jo. Masson in Vita Horatii nuper vulgata animaduersum quoque video. Adeo ut illud MAXIMI Cognomen, ceu proprium Genti *Fabiæ* adhæserit, ad eamque sit continuo referendum, ubi illud citra additum alterius Gentis nomen vel Cognomen occurrit: si excipias forte unum Gentis *Valeriæ* denarium apud Goltzium, in quo per solita literarum compendia MANIUS MAXIMUS MARCI FILIUS MESSALA, nempe omisso post MANII Prænomen *Valeriæ* Gentis nomine, legitur, qui de Pœnis triumphasse dicitur in Fastis Capitolinis, ut viderat iam ad eundem Goltzius. Quamquam tulisse quoque illud MAXIMI Cognomen alias adhuc clarissimas Romanorum Gentes & Familias, vel ex eorundem nummis itidem constet, CARVILIOS nempe, EGNATIOS, MANLIOS, SULPICIOS, VALERIOS, &, quos omisit in nupero id genus Cognominum, quæ Familiarum Romanarum nummi suppeditant, syllabo celebris Antiquarius, FULVIOS, etsi iuxta nummum ab ipsomet e Goltzii Fastis inter illius Gentis denarios illatum, dictus sit CN. FULVI CN. F. CN. N. MAX. CENTUMAL. *Cnæus Fulvius, Cnæi Filius, Cnæi Nepos, Maximus, Centumalus.* Ita CARVILIO MAXIMI itidem Cognomen non duo solum nummi Goltziani, & Capitolini etiam Fasti, sed &, de quo mox, Liuius quoque tribuunt. E MAXSUMI autem, quod præferunt duo veteres apud Ursinum L. EGNATII nummi, Cognomine liquet, unde *Egnatia Maximilla* Glitii Galli uxor dicatur apud Tacitum: sicuti nempe aliæ id genus Romanæ mulieres I. Vaillant. Annal. XV. c. 71.

lieres appellatæ, & de quibus iam ante, *Drusilla*, *Orestilla*, *Claudilla*, *Terentilla*, *Domitilla*, *Faustilla*, *&c.* Sic P. SULPICIO GALBÆ, qui cum dicto Cn. Fuluio Centumalo Consulatum gessit, idem MAXIMI Cognomen largiuntur, cum adductus similiter a Goltzio nummus; tum, ut ad eum iam monuit celebris Antiquarius, Fasti Capitolini. VALERIÆ autem Genti pridem ante FABIAM, ceu proprium itidem ac peculiare, siue clarissimæ Gentis illius stirpi, MAXIMI Cognomen deinceps adhæsisse, cum ex Cicerone liquet in Cap. XIV. Bruto, qui illud a M. Valerio Volusi Filio Dictatore, ac proinde anno V. C. Lib. V. cap. 14. CCLIX, ortum tradit, ac dein ad posteros quoque eius propagatum; tum e Liuio, Lib. IX. c. 43. qui M. VALERIO Tribuno Militum A. V. C. CCCLV, alteri etiam Censori Anno V. C. CCCCXLV, uti Fasti etiam Capitolini idem illud MAXIMI Cognomen tribuunt: sicut VALERIO MESSALÆ, qui de Pœnis & Siculis triumphauit Goltzianus itidem nummus, ac iidem Fasti. Immo e quo communi priscis iam Reipublicæ temporibus utrique antiquæ ac nobili inprimis apud Romanos VALERIÆ primum, ac dein FABIÆ Lib. X. cap. 3. Genti, illo MAXIMI Cognomine, factum obseruat alicubi Liuius, ut secus nonnulli Q. Fabium Magistrum Equitum a M. Valerio Dictatore lectum tradiderint, pro M. Æmilio Paullo, additque: *Cæterum ex* MAXIMI *Cognomine ortum errorem haud abnuerim:* quod nempe utrique M. Valerio & Q. Fabio, ut e variis eiusdem Liuii locis, ac e nummis præterea, ut diximus, & Fastis etiam Capitolinis constat, erat commune. Ita paullo post idem Liuius, ubi eundem Q. Fabium cum L. Papirio Cursore Ædilem Curulem creatum retulisset, id continuo, ceu non prorsus certum, tan- Lib. X. cap. 9. git, inde, quod vetustus Annalium scriptor Piso, *eo anno* (nempe V. C. CCCCLIII.) *Ædiles Curules fuisse tradit Cn. Domitium Cn. F. Caluinum, & Sp. Caruilium* Q. F. MAXIMUM. *Id credo* COGNOMEN *errorem in Ædilibus fecisse, secutamque fabulam mistam ex ædilitiis & consularibus comitiis, conuenientem errori:* nempe quod idem MAXIMI Cognomen *Sp. Caruilio*, quale in nummis itidem ac Fastis ei tribui paullo ante Ibidem cap. 11. vidimus, & Q. FABIO foret commune; uti de hoc paullo post ait: *Ut scripsere, quibus Ædilem fuisse eo anno* FABIUM MAXIMUM *placet.* Illud vero de eodem MAXIMI Cognomine, quod utraque Gens FABIA ac VALERIA præ aliis tulit, ac ad posteros transmisit, adhuc dicendum est; quod istud non adeo a rerum magnitudine, aut primus e Valeriis dictus modo M. Valerius Volusi F. Dictator, aut e Fabiis Q. Fabius Censor obtinuerint: sed *Valerios* quidem ob concordiam domi, ac pacem [a] In Bruto cap. XIX. inter Patres ac Plebem ab eodem illo Valerio Dictatore, ut obseruat [a] Cicero, stabilitam; *Fabios* autem ob forensem, ut iam antea vidimus, libertinorum ac humiliorum turbam in peculiares Tribus a Q. Fabio Cen- [b] Lib. IX. c. 46. sore, tradente id præter [b] Liuium L. Ampelio, coniectam, splendidum illud MAXIMI Cognomen retulisse; ac inde etiam istud ad eorum posteros propagatum.

5. *De Cognomine Felicis a Sulla adsumpti.*

Qua ratione itidem in CORNELIA Gente FELICIS Cognomen SULLÆ adhæsisse probant eiusdem Gentis nummi: ut pateat, quod vere a Liuio, adducto iam ante, ubi de MAGNI appellatione agebatur, loco, ac ab Appiano sit adsertum; idem Sullæ ab adsentatoribus tributum ei postea in *Cognomen* vertisse; & statuam Equestrem pro Rostris e Senatusconsulto eidem insuper cum hoc nomine erectam. Certe ex indubia Lib. XXX. c. 31. Bell. Ciuil. lib. I. p. 416.

illa

illa & primigenia nummorum ac lapidum, in quibus SULLA FELIX inscribitur, fide, præter memoratos modo Auctores, Liuium, Appianum, ac [a] Velleium insuper, [b] Senecam, [c] Plinium, aliosque, adsumptum a SULLA FELICIS cognomen sat, ut opinor, liquet. Cui alioquin *Sullæ* ipsum FELICITATIS cognomen tribui in antiquis [d] Valerii Maximi codicibus, pro quo *Felicis* sit a Pighio sequutisque eum editoribus male repositum, obseruat doctissimus [e] Perizonius, ac tuetur inter alia exemplo *Bonitatis* Cognominis, quo, iuxta eundem [f] Valerium alibi, donatus fuerit olim Phocio; qui tamen non *Bonitas*, sed Χρηστὸς; seu *Bonus* fuerit appellatus; uti nempe Sulla FELIX, non FELICITAS est cognominatus. FAUSTUM vero, non FELICEM, sed quod eodem redit, ut istud parenti proprium relinqueret, dictum eiusdem Sullæ filium, ut de eo Romani Auctores, Cæsar, Cicero, Auctor belli Africani, Valerius, Velleius, Suetonius, Dio Cassius, aliique, comprobant iidem denarii, in quibus ille solo FAUSTI; parens vero FELICIS nomine designatur; cuiusmodi duo exstant in Fuluiana Collectione; sed de quibus alius dein ob typos in iisdem insculptos, occurret dicendi locus. Ut receptam a Commodo Imperatore, ac dein inter solemnes Augustorum titulos, quod vel ex eorum nummis obuium, FELICIS appellationem hic mittam. Neque vero *Felicis* solum, sed *Felicissimi* etiam elogium eidem *Sullæ* largitur alicubi [a] Seneca, nempe: *A felicissimo incipiam L. Sulla*, prout ab [b] Appiano εὐτυχέστατος est similiter dictus; *Beatissimus* vero unus ex eadem Gente *Cornelia* dicitur in antiquo lapide apud doctissimum [c] Reinesium. Quomodo etiam frequentes occurrunt in aliis marmoribus muliebres appellationes, FELICITAS, FAUSTA, FORTUNATA, FELICINA, FAUSTINA, FAUSTILLA, & in Græcis Nominibus, TYCHE, EUTYCHE, CALLITYCHE, ac plures id genus. Scilicet boni ominis loco habita olim apud veteres fausta id genus nomina: unde de restituto Capitolio sub Vespasiano Tacitus: *Ingressi milites, quibus* FAUSTA NOMINA, *felicibus ramis*. Non FAUSTI vero solum & FELICIS, sed EPAPHRODITI etiam seu *Venusti* Cognomen *Sullæ* tributum, ac Tropæis eius præfixum docuit Plutarchus: ad quod respexisse duos eiusdem Sullæ denarios olim monui, in quo hinc Venus & Cupido, aut sola etiam Venus; illinc signa Pontificalia: in altero autem cum Veneris caput, tum tria Tropæa sunt expressa. Qua de re non silet solum in nupera nummorum vulgo Consularium editione celebris Antiquarius, sed postremum etiam nummum, cum tribus nempe Tropæis, male a Fuluio *Sullæ* tributum statuit, *Magno* autem *Pompeio*, Fausti Sullæ, a quo nummus ille sit percussus, socero esse adscribendum. Quod tamen abunde, meo iudicio, redarguit, tum prior ex iis nummus, in quo hinc Venus & Cupido, illinc duo Tropæa cum ipso nomine L. SULLA, in anteriore area sunt expressa; in posteriori vero inscriptum, FAUS. seu FAUSTI. *L. Sullæ* filii nomen: in utroque autem signati, præter Tropæa, Urceus ac Lituus. Quod proinde e sequentibus duobus illis *Corneliæ* Gentis, ac SULLÆ in ea Familia, denariis Lectori liquidius, ut opinor, constabit.

a Lib. II. c. 27.
b De Providen. c. 13.
c Lib. VII. c. 43.
d Lib. IV. c. IV, 4.
e Anim. Hist. p. 66, 67.
f Lib. III. c. VIII, 2. Extr.
a Consolat. ad Marciam. c. XII.
b Bell. Ciuil. l. I. p. 117.
c Syntagm. p. 517.
Histor. IV. c. 53.
In Sulla.
J. Vaillant Famil. Rom. p. 359. To. I.

Priorem equidem nummum, seu anteriorem eius partem, male de *Sibylla*, unde scilicet Cognomen *Sullæ* (ut ea de re [a] Macrobius) sit natum, ab Ursino explicatam, occupauit iam ex parte [b] vir doctus; quod non ex Plutarchi solum de Fortuna Sullæ, sed & altero eiusdem Auctoris in Quæstionibus Romanis loco, & Appiano præterea egregie firmatum noueram; qui postremus tradit repertos a se commentarios, qui referunt Sullam eodem Senatusconsulto FELICEM & EPAPHRODITUM seu *Venustum* nuncupatum. Immo id de posteriori illa Sullæ appellatione adstruunt etiam Diodori Excerpta: Ἐκράτησε δὲ ὁ Σύλλας, καὶ Δικτάτωρ γεγωὸς, ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΝ τε ὀνομάσας ἑαυτὸν, οὐκ ἐψεύσθη τῆς ἀλαζονίας; *Vicit autem* SULLA, *& Dictator creatus, ac se ipsum* VENUSTUM *seu* GRATIOSUM *vocans, haud vana iactatione. Epaphroditus* nempe Græcis idem qui Latinis *Felix* seu *Venustus*, a felicissimo Veneris iactu in talorum lusu, ut vulgo notum. Unde & *inuenustus*, pro *infortunato*, seu in amore parum felice, apud Comicum:

[a] Saturn. lib. 1. cap. 17.
[b] Adam. Rupert. Epist. ad Reinef.
Eclog. lib. xxxi.

Terent. Andr. Act. 1. Scen. v. 10.

Adeon' hominem INVENUSTUM *esse aut* INFELICEM *quemquam, ut ego sum?*

& apud Plautum itidem:

Pœn. Act. 1. Sc. 11, 45.

Diem pulchrum & celebrem, & VENUSTATIS *plenum.*

In Not. ad lib. 11. de Benef. c. 28.

Immo hinc *Venus* etiam pro *fortuna* apud Senecam: ut bene ad eum locum obseruat doctissimus J. Frid. Gronouius; immo prout etiam VENUS FELIX, aut VENERI FELICI subinde legitur in nummis Augustarum, & inter alios in præclaro, & e maximorum quidem ordine, vulgo *Medaglioni*, Faustinæ filiæ, in cimeliis olim Reginæ Christinæ. Adde VENUSTI etiam Cognomen legi inter Consulum nomina in Fastis Capitolinis, ante Claudii Imp. II. & C. Cæcinæ Consulatum; sed ubi crasa occurrunt priora, quæ ille *Venustus* tulerat, nomina. Adposite itaque, ut vides, *Veneris & Cupidinis* signa, FELICEM hunc, & EPAPHRODITUM, seu VENUSTUM, *Sullam* nobis in superioribus denariis adumbrant; & dormitabat vigilantissimus alioquin Fuluius, dum eosdem de *Sibylla*, & nescio quo Apollinis consultore interpretabatur. Bene autem, quòd ille tria Tropæa in auersa nummi parte expressa, ad eiusdem *Sullæ* signum retulerit, in quo, uti postea in Pompeii annulo, tria Tropæa insculpta tradidit Dio Cocceianus. Immo quæ Tropæa, ut hoc addam, in utroque illo denario signata, qui Venerem exhibent in anteriori eorum parte, mihi reuocant in mentem Deam illam Τροπαιοφόρον a Græcis dictam, ut in sequente Epigrammate inedito:

Lib. XLII. p. 193.

Οὐδέτι

Οὐδέτι με σχίζησιν ἐπάλξιες, ἢν δὲ τυχήσω,
Στέμματα σοι πλέξω, ΚΥΠΡΙ ΤΡΟΠΑΙΟΦΟΡΕ.

Nullatenus me impediunt propugnacula; quod si consequar, Coronas tibi plectam, VENUS TROPÆORUM GESTATRIX.

6. *De* Pii & Pietatis Cognominibus.

Sicuti vero Sulla FELIX, Filius eius FAUSTUS, ita MAGNI Pompeii filius Sextus, non MAGNI solum, sed PII insuper Cognomine, ob eximiam in ulciscendis parentis manibus pietatem, in eius nummo insignitus, SEX. MAGN. PIUS IMP. & in auersa nummi parte PIETAS insuper est expressa; non aliter ac Catinenses fratres, quos, ut Græcis EUSEBES, iuxta [a] Strabonem ac [b] Pausaniam, sic Latinis PIOS dictos constat:

[a] Lib. VI. [b] Lib. X. p. 663.

Tum Catine nimium ardenti vicina Typhæo,
Et generasse PIOS, *quondam celeberrima, fratres.*

Silius Ital. Lxiv. v. 198.

Quod PII cognomen tulerat iam ante, ut vel plures eius nummi adhuc in Gentis Cæciliæ denariis ostendunt, Q. METELLUS Numidici Filius; ob patrem assiduis eius precibus, ut viderunt iam celebres Antiquarii, ab exilio reuocatum. Quod vero a L. Antonio Marci fratre sit ipsum PIETATIS Cognomen adsumptum, indicata etiam eius rei caussa, ut vidit iam eruditissimus Fuluius, tradidit Dio Cocceianus; & egregie utique adstruunt illius Gentis Antoniæ nummi; in quibus hinc caput ac nomen M. Antonii; illinc, cum solito *Pietatis* symbolo, epigraphe, PIETAS COS. L. nempe Antonius Marci frater, qui fuit Consul cum P. Seruilio Isaurico. Haud aliter nempe ac Vitellius Imp. *se* CONCORDIÆ *recipere Cognomen* adfirmasse dicitur apud Suetonium. Alioquin, quod a Iustiniano Imp. Antonius Pius ὁ τῆς Εὐσεβείας ἐπώνυμος, *Pietatis Cognomento* dicitur; aut ab Ammiano Marcellino similiter, *Eusebius Pietatis Cognomento*, non id infert, quòd, huius L. Antonii instar, ipsum PIETATIS Cognomen iidem tulerint; sed quod illi EUSEBES, Græca, quæ PIUM, aut altera, quæ PIETATEM denotat, voce sint denominati, ut bene id alicubi adtigit vir excellenti eruditione ac ingenio Jac. Perizonius, de BONITATIS ac FELICITATIS Cognomine, pro *Bono & Felice* Phocioni, ac Sullæ a Valerio Maximo tributo. Alias de eadem PIETATIS appellatione, non viris solum sed Prouinciis impertita, audiendus est alibi dictus modo Ammianus: *Inter quos Aristænetus adfectatam recens Diœceſim curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris* EUSEBIÆ, PIETATIS COGNOMINE *dedicauerat.* Prout etiam illo ipso ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ nomine appellatas duas Cappadociæ Metropoles, *Cæsaream & Tyanam*, non a Strabone solum Cappadoce, sed, quod aliquanto adhuc certius, e prolatis præclaris earundem urbium nummis, in superiore Dissertatione vidimus. Mitto alias haud insolitas cum femininis nominibus virorum apud Romanos appellationes, seu quæ, ut de iis alicubi Quintilianus, *feminina positione mares significant:* sicut, ne longius abeam, & quas ipsi Romanarum Gentium nummi suppeditant, ASINA, BESTIA, CÆCINA, CAPELLA, FIMBRIA, GLYCIA, MURENA, MUSA, SURA, VAALA, VATIA, & alibi SCROFA. De quibus cæteroquin

Lib. XLVIII. p. 360.
In Vitellio cap. XV.
Nouell. LXXVIII.
Lib. XXIV.
Anim. Hist. cap. II. p. 66.
Lib. XVII.
Tom. I. p. 473, 598.
Inst. lib. I. c. 4.

De L. L. lib. IX. roquin virorum id genus nominibus ait Varro: PERPERNA, CÆCINA, & SPURINA, *figura muliebri dicuntur habere nomina non mulierum.* Ad PIOS autem illos, vel Catinenses, vel Metellum, vel Pompeii filium, ipsoque PIETATIS nomine insignem L. Antonium, referendum quoque clarissimum illud SCIPIONIS Cognomentum venit, in denariis Gentis Corneliæ familiare: quod in ea nempe obtinuisse tradit Macrobius a quodam Cornelio, qui patrem luminibus carentem pro *Scipione* seu baculo regebat.

Saturn. l. 1. cap. 6.

7. De aliis Romanarum Gentium Cognominibus in nummis.

Haud vero multis hic veniunt commemorandi, qui occurrunt in Gentis *Petilliæ* denariis, a *Manliæ* autem nummis, quos versare hactenus Antiquariis licuit, exulant, CAPITOLINI, a custode Capitolii, iuxta Fuluium, aut verius a *Sacris*, Ioui nempe Capitolino *faciundis*, appellati: quod postremum innuit unius e duobus Gentis huius denariis a celebri Antiquario tradita iam inscriptio, eaque iuxta Ædis Capitolinæ in eodem effigiem, S. F., a quibus autem *Petillius Capitolinus*, ex Horatio notus, opportune iam est adductus. Neque vero multis huc adducam, quorum ratio aliunde sat est nota; ut in *Manlia* TORQUATOS, id quod obuius etiamnum in Gentis illius denario Torques, ambiens Romæ caput, abunde arguit. Ut frustra proinde vetus illud TORQUATORUM in Gente *Manlia* insigne ademisse Caligula legatur apud Suetonium: *Veterum Familiarum insignia nobilissimo cuique ademit*, TORQUATO TORQUEM. Ne tangam iam in *Aquillia* FLOROS, flore peculiari in eorum nummis expresso designatos: etsi de eo dubitare videbatur eximius Andreas Morellus; aut in *Lucretia* TRIONES, cuius Cognominis originem septem stellarum seu Trionum figura abunde declarat, & de quo Cognomine videri possunt, quæ ex Varrone opportune ibi adduxit eruditissimus Fuluius. Mitto in Gente *Marcia* PHILIPPOS Equestri statua; aut in Numonia, VAALAS, milite pro vallo pugnante; aut in *Accoleia*, LARISCOLOS, laricibus, seu tribus mulieribus in totidem larices versis, quæ pridem viderunt præstantes Antiquarii, continuo designatos. Quibus addi obiter possunt in *Publicia* MALLEOLI, Mallei figura; aut in Valeria ACISCULI, iidemque non Malleo quidem, ut existimabat doctissimus Fuluius, sed instrumento fabrili, quo saxa cædebantur in latomiis, expressi: ut vere id ab insigni eruditione ac ingenio Nicolao Heinsio monitum pridem, & probante nuper celebri Antiquario, diximus; firmarique veteri Glossario, in quo *Aciseulus*, κατόμος redditur. Singulas vero depictas in Gentis *Pomponiæ* nummis Musas, cum inscriptione Q. POMPONI MUSA, ad tale Cognomen, quod Gens illa tulerit, refert continuo eruditissimus Ursinus, suffragante eidem ad Suetonium [a] Torrentio; ac prout firmare id posset notus ex [b] Horatio, [c] Plinio, [d] Suetonio, ac [e] Dione, ANTONIUS MUSA, & in inscriptionibus antiquis, quod viderat desideratissimus Morellus, obuium etiam MUSÆ Cognomen. A quâ tamen, de illis *Pomponiæ* Gentis nummis, sententia abit doctissimus [f] Perizonius: qui nomine illo MUSA, non Gentis illius Cognomen, sed dictas eo nomine Deas putat designari; & cui sententiæ accessit, eo licet indicto, [g] celebris Antiquarius. Neque vero referre huc licet, quam forte apud Plinium vocari videas, *Mesci*, *quæ & Pomponiana vocatur:* quum id de una seu *media* e tribus prope Massiliam Stœchadibus Insulis, hodie

Vaillant Fam. Rom. p. 221. To. II.

Lib. I. Serm. IV. v. 94. 96.

In Claud. c. XXXV.

I. Vaillant Fam. Rom. p. 493. To. II.

a Not. ad Aug. c. LIX.
b Lib. II. Epist. XV. v. 3.
c Lib. IX. c. 8.
d Ut supra.
e Lib. LIV. p. 517.
f Diss. III. p. 253.

g Vaill. Fam. Rom. p. 279. To. II.

Lib. III. c. 5.

les

les Isles de Hieres, dici constet: cui nihil proinde cum depictis in denariis Gentis *Pomponiæ Musis*, aut signato MUSÆ, quod ea Gens tulerit, Cognomine commune exstitit. Ex iis vero, quos exhibent subinde veteres nummi, Cognominum id genus fontibus, Gentilitiorum insignium usum ac originem adsequimur; ac nequidquam infensum illustrium virorum memoriæ Imperatorem Caligulam de iis abolendis, ut id modo vidimus, fuisse sollicitum: quæ autem pretiosa illa priscæ ætatis penus etiamnum recondit simul ac ostentat.

VI. *De* ADOPTATORUM *apud Romanos Nominibus.*

Quemadmodum vero Macrobium dicentem supra vidimus, ac est veterum id genus nummorum fide a nobis luculenter iam adsertum; quod nempe *ex Cognominibus nata sint Nomina*, ut in *Æmilia* LEPIDI; in *Cæcilia*, METELLI; in *Cornelia*, LENTULI, vel SCIPIONES; in *Calpurnia*, PISONES; in *Junia*, BRUTI, ac similia: ita ex eadem etiam penu illustrandum adhuc venit, quod ibi continuo additur: *Cum contra &* COGNOMINA *ex propriis tracta sint* NOMINIBUS, *ut ab* ÆMILIA, ÆMILIANUS; a SERVILIO, SERVILIANUS. Quæ postrema per ADOPTIONEM apud Romanos ita obtinuisse notum est & contritum: quod retenta nempe fuerint ab adoptatis, seu deducta e Gentilibus naturalium parentum, ac prout eorum nummi, uti de iis mox, id quoque euincunt, Nominibus Cognomina. Quin rursus ad adoptantium parentum Nomina, ab illis adoptatis itidem adsumpta, referri debeat, id quod ab Auctore de Nominibus, qui Valerio additur, seu T. Probo, dicitur: *Quin etiam quædam Cognomina in Nomen versa sunt, ut* COEPIO; *namque hoc in* BRUTO *nominis locum tenuit.* Quam rem iterum explicant, ac nobis ante oculos ponunt, plures nummi huius Bruti, inscripti Q. COEPIO BRUTUS: ubi continuo COEPIONEM *Gentilis* SERVILIORUM, quorum illud erat *Cognomen*, *Nominis* locum obtinere cernimus. Ita enim dictus est, ut e Tullio ac Plutarcho liquet, ac viderunt viri præstantes, M. BRUTUS, percussorum J. Cæsaris antesignanus, postquam est a *Q. Servilio Cæpione* auunculo adoptatus. Unde etiam in amplissimo Senatusconsulto, cuius auctor exstitit Cicero, ad huius Bruti honorem faciente, sæpe iis nominibus, quæ occurrunt in dictis nummis, appellatur, ut: *Cum* Q. COEPIONIS BRUTI PROCOS *opera &c.*

Saturn. l. 1. c. 11.

Philipp. x. c. 11.

Cuius vero haud unius ea in re Romanorum moris, ab adoptatis obseruari olim soliti, illustria omnino exempla suppeditant veteres Familiarum Romanarum nummi. Alii nempe exstant, ut inde res ea in clarissima luce collocetur, in quibus noto ac recepto vulgo apud Quirites vestros ritu, præmissis GENTIS, in quam adoptatus transierat, *Prænomine*, *Gentili*, & *Cognomine*, addebatur postremo loco *Gentis*, e qua ortus erat adoptatus, seu formatum ex ea *Cognomen*, ut ÆMILIANI, IUNIANI, & similium. Cuiusmodi utique in antiquis nummis Fuluianæ collectionis (ne plures id genus Goltzianos aliarum Gentium Romanarum, sed alibi vix hactenus obuios, nummos huc adducam) A. LICINIUS NERVA SILIANUS; tum A. QUINCTIUS CRISPINUS SULPICIANUS, pro-

1. *Quæ ratio nominum ab adoptatis sumptorum occurrat in nummis.*

ut cum integris hisce duobus Cognominibus in alio apud eundem Fuluium nummo legitur; item M. PLÆTORIUS CESTIANUS. Quorum autem tria, & in postremo nummo duo priora nomina, ad Gentes, in quas illi adoptati transierant, vel *Liciniam*, vel *Quinctiam*, vel *Plætoriam*; postremum vero in iis nomen ad naturalem, e qua iidem orti erant, Gentem *Siliam*, *Sulpiciam*, & *Cestiam*, ut viderunt iam viri præstantes, omnino respicit.

Factum vero subinde, ut, citra additum adoptatæ *Gentis Nomen*, *Prænomen* solum & *Cognomen* eius retinerentur. Ita MAM. (seu *Mamercus*) LEPIDUS LIVIANUS signatus non in Goltziano solum nummo, sed in eo etiam, quem a se visum in schedas, ut ipsemet id prodidit, retulerat præstantissimus Morellus; & similiter ille inter Fuluianos nummos obuius, in quo P. CRASSUS IUNI seu *Junianus*, cuius fit a Cicerone mentio: omisso proinde in priori *Æmiliæ*, in posteriori *Liciniæ* gentis, in quas illi adoptione erant traducti, mentione. Quibus geminus apud Goltzium traditur, ac inde in nouissima celebris Antiquarii collectione, CN. LENTUL. CLODIAN. e *Claudia* nempe Gente in *Corneliam Lentulorum* adoptatus.

Lib. III. ad Q. Fratr. Ep. 8.

2. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Adde, quòd & alii dantur veteres & genuini nummi, in quibus *Gentili*, tam adoptantis quam adoptati, Nomine omisso, *Cognomina* demum utriusque consignantur: quippe quod eadem, uti de iis dictum paullo ante vidimus, essent pridem in Nomen, illustrium nempe Familiarum, versa. Quod utique in memoratis paullo ante Q. COEPIONIS BRUTI nummis cernitur: qui, e Junia *Brutorum* stirpe in *Seruiliam Cæpionum*, ut de eo paullo ante, fuerat adoptatus. Quibus addi continuo hic debet huius M. Bruti gentilis & propinquus, unusque itidem e J. Cæsaris familiaribus simul & percussoribus, *Decimus Brutus*, qui a Q. Postumio Albino similiter adoptatus, utroque tantum adoptati & naturalis parentis Cognomine, in nummis eius quandoque designatur: nempe, ALBINUS BRUTI F. illo scilicet ALBINI Cognomine, quod ex Auctoribus & Fastis Capitolinis itidem liquet, in Nomen clarissimæ in *Postumia* Gente Familiæ similiter immutato. Haud aliter nempe ac Scipio a Metello adoptatus, omisso Gentis *Cæciliæ*, e qua erant METELLI, nomine, Q. METELLUS SCIPIO, aut etiam sine *Prænomine*, METELLUS SCIPIO IMPER. in Romanis id genus monumentis haud semel legitur, non vero *Q. Metellus Cornelianus*, a *Cornelio* Gentili huius SCIPIONIS nomine; prout cæteroquin in alio eiusdem Gentis *Corneliæ* denario, CN. LENTULUS CLODIAN. dicitur, e *Claudia* nempe Gente in *Corneliam*, unde erant LENTULI, adoptatus. Quibus proinde duobus *Decimo* & *Marco* BRUTIS, & huic SCIPIONI, quod nempe e *Cognominibus* duarum

rum clarissimarum apud Romanos Gentium *Juniæ* & *Corneliæ* nata essent, ut ea de re paullo ante Macrobius, hæc duarum in illis insignium Familiarum Nomina, id exstitit peculiare (sicut id eorum nummi continuo ostendunt) ut eadem Gentis ipsius, ad quam illæ Familiæ referebantur; Cognomina Nominum *Juniæ* nempe, BRUTI; *Corneliæ* vero, SCIPIONIS vicem obtinerent. Cur vero, & quod omnino hic addendum est; dicatur in memoratis modo nummis ALBINUS BRUTI F. seu *Filius*, non simpliciter ALBINUS BRUTUS, sicut alter seu *Marcus* dictus in iis Q. COEPIO BRUTUS, silent præstantes Antiquarii. Neque enim id vulgo vel in aliis id genus nummis, vel subinde etiam in Fastis Capitolinis receptum cernimus, ut qui fuerant adoptati, naturalem, qua orti erant, Gentem aut Familiam aliter indicarent, quam formato inde naturalis Gentis, ut supra diximus, & vulgo obuium est, *Cognomine:* sicut præter adductos supra nummos indubiæ fidei ac vetustatis; plures suppeditabunt Fasti Goltziani, in quibus insuper occurrunt, ÆMILIANUS, CLODIANUS, MAMILIANUS, NONIANUS, SERVILIANUS, VALERIANUS; aut adsumpto ipso Familiæ, e qua in eadem Gente orti erant, Cognomine, sicut dicti modo, BRUTUS, SCIPIO, & in Goltzianis nummis, M. TERENTIUS VARRO LUCULLUS, M. PUPIUS M. F. PISO FRUGI; illo *Liciniæ*, hoc *Calpurniæ* Gentis, e quibus in *Terentiam* & *Pupiam* transierant, Cognomine. Immo unde postremus etiam in Fastis Capitolinis cum tertio insuper Cognomine; e naturalis Gentis Nomine formari solito, sit e literarum, quæ ibi legantur, vestigiis dictus M. PUPIUS M. F. PISO FRUGI CALPURNIANUS; idque inde, ut videtur, quod Gente *Pupiâ*; in quam adoptione transierat, nobilior longe esset apud Romanos Gens *Calpurnia*. Adde, quòd nulla utique peculiaris causa suberat, cur idem *Decimus Brutus* a *Postumio Albino* adoptatus, ac inde, quod e Plutarcho, Dione, & Appiano monuit iam eruditissimus Fuluius, *Brutus Albinus*, seu, ut de eo Dio Cocceianus, *Decimus* BRUTUS, *quem* IUNIUM & ALBINUM *vocauerunt*, ΒΡΟΥΤΟΝ τὸν ΔΕΚΙΜΟΝ, ὃν καὶ ΙΟΥΝΙΟΝ ΑΛΒΙΝΟΝ τε ἐπεκάλεσαν, dictus, cur, inquam ille, præter receptum morem, non ALBINUS BRUTUS, sed ALBINUS BRUTI F. seu *Filius* in nummis eius signaretur. Unde eosdem nummos cum memorata illa inscriptione, non ad ipsum *Decimum Brutum* a Postumio Albino adoptatum, uti hactenus a viris præstantibus factum, sed ad eius filium referendos omnino credam: idque ad indicandam parentis BRUTI, & adoptionis eius, unde primum is ALBINUS est appellatus, memoriam. Haud aliter utique ac in duobus apud Goltzium nummis, ac inde a celebri Antiquario inter reliquos Familiarum Romanarum nummos nuper relatis, occurrit unus inscriptus; & quomodo in Fastis Capitolinis itidem legitur, C. LIVIUS MAMILIANI F. DRUSUS; alius vero Q. MAXIMUS ÆMILIANI F. quorum nempe parentes MAMILIANUS, & ÆMILIANUS fuerant e *Mamilia* & *Æmilia* Gente in *Liuiam* ac *Fabiam* adoptione primum traducti. Quæ autem sequentium nummorum obtutus, cum utriusque illius BRUTI, tam CÆPIONIS, quam, post parentis adoptionem, ALBINI, METELLI præterea SCIPIONIS, & Goltzianus Q. MAXIMI ÆMILIANI in Gente *Fabia*, nummi manifesto comprobabunt.

Lib. XLIV. P. 247.

Qui-

Quibus subdere continuo hic licet alium ex eadem, e qua superiores duo BRUTI, Gente *Junia*, sed cum solo etiam, eoque clarissimo in ea stirpe Cognomento, similiter in Nomen pridem verso, nempe SILANI. Idem, qui a Q. Cæcilio Metello Cretico adoptatus, ac inde *Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus* dictus, solo tamen ΣΙΛΑΝΟΥ Nomine consignatus legitur in vulgatis a viris præstantibus Antiochensium, Syriæ quippe tum, ut vel e Josepho constat, Rectoris, nummis. Quod MUCIANO, eique similiter Syriæ sub Nerone Præsidi, contigit; qui e *Mucia* Gente ortus, & ex ea in *Liciniam* adoptatus, inde *Licinius Mucianus*, sicuti [a] Plinio, [b] Tacito semel, ac [c] Suetonio, est dictus, & a priori aliquoties [d] *Licinius Mucianus ter Consul*; passim dein apud [e] Tacitum, [f] Josephum, [g] Dionem, *Mucianus* tantum, e naturali Gente formato pro more adoptatorum Cognomine, dici meruit; ac ita quoque in eorundem Antiochensium nummis, dum in illa Syriæ Metropoli ageret, appellatus est. Haud aliter ac is, qui e Gente *Æmilia* in *Corneliam* Scipionum transiit, ac inde in Liuiana Epitome, & alibi, *P. Cornelius Æmilianus* dicitur, aut *Scipio Æmilianus*, aut integris nominibus, *P. Cornelius Scipio Æmilianus*, vel mutata, qua de re iam ante, nominum illorum sede, *Æmilianus Scipio*, solo *Æmiliani* nomine a Plinio haud semel designatur. Accedit simile in MARCELLINO exemplum, qui e Marcellorum in *Claudia* domo ab uno e Corneliis Lentulis adoptatus, dictus est inde *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus*; uno tamen MARCELLINI, deducti e naturali stirpe, Cognomento, cum alibi, tum in nummis quoque eius vocatur. Quod autem e sequentibus dictorum nummorum SILANI, MUCIANI, & MARCELLINI ectypis fiet continuo manifestum.

Antiq. lib. XVIII. c. 3.

a Lib. VII. c. 4. IX, 18.
b Lib. II. Histor. c. 10.
c In Vespas. c. VI.
d Ut supra.
e Hist. II. c. 4, 5. &c.
f Bell. Jud. l. V. c. 12, 13.
g Lib. LXV. p. 736.
Epitom. XLVIII.

Lib. VIII. c. 16. l. XXII. c. 7.

Ut vel inde abunde liqueat, quod obiter iam supra indicauimus, retenta id genus ab adoptatis prioris fortunæ *Cognomina*, quibus etiam solis consignari

ſignari iidem in antiquis eorum nummis meruerint, *Proprii* proinde eorum *Nominis* vicem omnino tenuiſſe. Quo referri itidem debet Ciceronis familiaris ATTICUS, qui quum *T. Pomponius Atticus* diceretur, dein teſtamento a Q. Cæcilio auunculo adoptatus, *Q. Cæcilius Pomponianus Atticus*, uno tamen ATTICI, quod ante adoptionem tulerat, Cognomine haud minus appellari a Cicerone, aliisque deinceps meruit. A quo utique inſtituto alienum fuiſſe Neronem docet Suetonius, quem nihil æque doluiſſe tradidit, quam quod pro NERONE, quod nomen a Claudio Nerone adoptatus, ut ea de re iam ſupra, tulerat, naturali *Domitiæ* Gentis, e qua ortus erat, AHENOBARBI Cognomine fuerat appellatus. Idem vero iam ante CÆSARI, qui *Auguſtus* quoque eſt dein dictus, contigerat; & quam in rem notabilia Appiani, ſed quæ in mendo cubant, verba merentur omnino, & opportune quidem, hic adſcribi: ubi, quum poſt Julii Cæſaris cædem, *Octauium* profectum ad exercitum tradidiſſet, addit: Καὶ εὐθὺς ὀνομάζετο ΚΑΙΣΑΡ· ἔθος γάς τε Ρωμαίοις τοὺς θετοὺς τὰ τῶν θεμένων ὀνόματα ἐπιλαμβάνειν· ὁ δὲ ΟΥΚ ΕΠΕΛΑΒΕΝ, ἀλλὰ καὶ τὸ αὐτοῦ, καὶ τὸ πατρῷον ὅλως ἐνήλλαξεν, ἀντὶ ΟΚΤΑΟΥΙΟΥ παιδὸς ΟΚΤΑΟΥΙΟΥ, ΚΑΙΣΑΡ εἶναι, καὶ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΥΙΟΣ, καὶ διετέλεσεν οὕτω χρώμενος; quorum verborum, prout in editis ſonant, plane hic eſt ſenſus: *Et confeſtim* CÆSAR *eſt nominatus: Romanis enim mos ille eſt, ut adoptati adoptantium nomina adſumant:* HIC VERO NON ADSUMPSIT, *ſed etiam ſuum & patris nomen omnino immutauit: pro* OCTAVIO OCTAVII FILIO, CÆSAR, *ac* CÆSARIS FILIUS, *& conſtanter quidem, dici deinceps voluit.* In quibus verbis quiuis, nec valde oculatus, continuo videt ea, quæ inter ſe arietant & prorſus ἀσύστατα ſunt, diei, ut mirum ſit id fugiſſe eorum interpretem, neque quidquam a poſtremo ac erudito Appiani editore ea de re in notis monitum. Quod enim *Octauius*, uti paullo ante eum vocauerat Appianus, poſt ratihabitam Julii Cæſaris, eum in filium teſtamento adſumentis, adoptionem, confeſtim, ut id quoque apud Dionem legitur, adoptiui parentis *Cognomine*, (& quidem præter matris, & amicorum, ut ex eodem [a] Appiano ac [b] Velleio inſuper conſtat, voluntatem) CÆSAR eſt dictus, in familiam quippe NOMENQUE, ut de eo Suetonius, a Julio Cæſare adoptatus; inde utique adoptatorum apud Romanos adoptantium nomina adſumendi conſuetudini eſt continuo obſequutus; adeo ut ne quidem OCTAVII, quod antea tulerat, & OCTAVII FILII, adde nec OCTAVIANI, præ recepto alioquin adoptatorum, de quo hactenus, more, ac prout a Cicerone aliisque ille eſt poſt adoptionem dictus, nomina retinuerit; ſed CÆSAR demum & CÆSARIS FILIUS vocari deinceps voluerit. Unde in iis Appiani verbis ſupplenda eſt duntaxat vox μόνον, ut proinde legendum ſit: ὁ δὲ οὐκ ἐπέλαβεν MONON, ἀλλὰ καὶ &c. *hic vero* (Octauius nempe) *Cæſaris*, a quo fuerat adoptatus, Cognomen *non adſumpſit* SOLUM, *ſed etiam &c.* quibus planus iam eſt ac ſibi conſtans loci illius ſenſus. Res autem ea vel in nummis eiusdem Cæſaris, qui magno numero etiamnum, ac in omni metallorum genere conſpiciuntur, & quales a Goltzio aliisque antiquariis ſunt diuulgati, eſt potiſſimum obuia ac manifeſta; in quibus ille CÆSAR DIVI, vel DIVI IULI F. ſeu *Filius*, nuſpiam vero OCTAVIUS, aut OCTAVII, naturalis nempe parentis, F. *Filius*; immo ubi, pro ſolito alioquin adoptantium more, ne

Corn. Nepos in Attici vita.

Vide lib. III. ad Att. Epiſt. 20.

In Neron. c. VII. & XLI.

Bell. Ciuil. l. III. p. 532.

Lib. XLV. p. 271.

a Bell. Ciuil. lib. III. p. 534.

b Lib. II. c. 60.

In J. Cæſar. cap. LXXXIII.

Bell. Ciuil. l. III. p. 586.

OCTAVIANUS quidem inscribitur. Ut iam mittam, quod alibi ab Appiano de eodem Cæsare dicitur; eum non contentum priore illa adoptione per testamentum Julii Cæsaris facta, rursum se in patris (adoptiui nempe) familiam inseruisse curiatis comitiis, hoc est per plebiscitum: quæ orborum, quod continuo addit, adoptio sit maxime legitima, & adoptatis idem quod natiuis filiis ius erga patrum suorum adoptiuorum cognatos & clientes tribuat. Quibus autem, ad pleniorem horum hactenus e nummis illustratorum lucem, licet adhuc subdere; quod Prænominis etiam, non vero Cognominis vicem occupet subinde naturale adoptati *Cognomen*, ut COSSUS LENTULUS in *Cornelia*; vel PAULLUS LEPIDUS in *Æmilia*; vel PAULLUS FABIUS MAXIMUS in *Fabia*. Quorum prior e COSSORUM in *Cornelia* stirpe in aliam eiusdem Gentis Familiam, LENTULORUM nempe, transierat; alter ex ea, quæ PAULLI Cognomine in *Æmilia* dicebatur, ab aliis *Æmiliis*, Cognomine LEPIDIS, adoptatus; aut denique ex iisdem *Paullis Æmiliis* in *Fabiam* erat traductus; COSSI vel PAULLI inde Cognomina, quod viderunt iam viri præstantes, ac obiter nos iam ante, in Prænomen commutarunt.

In Claudio cap. XXV.

Transiere autem, ne hisce diutius immoremur, id genus cum adoptatorum, tum alia insuper, de quibus paullo ante egimus, veterum Quiritium vestrorum *Cognomina* ad eorum posteros simul, & ad extraneos, cum longa accessione non unius, sed plurium quandoque *Cognominum*; ac aliunde, a Diis puta, Ventis, Nascendi sorte, Ordine, Conditione; ab Oppidis, Regionibus, Fluuiis, aliisque id genus fontibus hausorum. *Neque enim Edictum Claudii Imp. diu tenuit*; *qui*, auctore Tranquillo, *peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat Gentilitia*. Cæcus alioquin, ut hoc addere mihi liceat, in campo Historiæ veteris incedit, qui hæc non distinguit, aut præterit; qui nominum ac appellationum id genus originem, gradus, situm, discrimina, ætates, non obseruat; qui tempora & homines non semel confundit: maxime qui inductam paullatim sub Cæsaribus, & labente imperio, eandem nominum con-

confuſionem ac varietatem, iuxta priorum temporum normam, non diiudicat. Et tamen quoties hic impegerunt oculatiſſimi alias viri, in via quippe lubrica & perplexa, ignoratione aut incuria adſumendorum eiusmodi comitum vel ſubſidiorum?

III.

De DIGNITATIBUS *Populi Romani, quæ in Nummis Familiarum Romanarum conſignantur.*

NEque vero minus adtendi hic merentur DIGNITATES, omnis ordinis, quæ in iisdem denariis Gentium Romanarum deſignantur, & quidem *Sacræ*, *Ciuiles*, *Urbanæ*, *Prouinciarum*, *Municipales*, *Maritimæ*, *Militares*, *Patritiæ*, *Plebeiæ*, & *Extraordinaria Imperia*. Unde equidem agnoſcimus, cum a ſingulis, quibus ea tribuuntur, adminiſtrata publica id genus munia, quod aliunde ſæpius non conſtat, aut unde ea, quæ alibi de iis forte occurrunt, haud parum illuſtrantur; tum labente Republica, ac prima Cæſarum ætate, in omni publico Urbis ære, auro, argento inſculpta fuiſſe hæc honorum inſignia. Id enim ſolemne olim noſti Quiritibus veſtris, ut MAGISTRATUUM ac DIGNITATUM nomina *Gentilitiis* eorum Nominibus aut *Cognominibus* continuo adderentur: unde illa Ciceronis contra M. Antonium expoſtulatio: ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI. *Neque ſe* IMPERATOREM, *neque Hirtium* CONSULEM, *nec* PROPRÆTORE CÆSAREM: *ſatis hoc quidem ſcite: deponere alienum nomen ipſe maluit, quam ipſis ſuum reddere.* Quibus addi poteſt illud eiusdem Tullii alio loco, ubi is omiſſos, pro more cæteroquin conſueto, in literis J. Cæſaris ad P. Clodium Magiſtratus, quem uterque tum gerebat, titulos tangit, ac inde Clodium amori id in ſe Cæſaris tribuentem ſugillat: *Literas in concione recitaſti, quas tibi a Cæſare miſſas diceres*, CÆSAR PULCHRO: *cum etiam es argumentatus amoris hoc eſſe ſignum, cum nominibus tantum uterentur, neque adſcriberent* PROCONSUL, *aut* TRIBUNO PLEBIS. Unde receptæ apud Romanos conſuetudini, & cuius luculenti etiamnum teſtes ſunt tot antiqua marmora, obſequebatur iunior Plinius; dum ad Seuerum ſcribit, ut Corinthio, quod emerat, ſigno, baſis e marmore fieret, *quæ* NOMEN *meum* HONORESQUE *capiat*. Quomodo etiam factum videas, ut priſcis id genus nummis, non una, ſed multiplex, qua quis ornatus erat, Dignitas inſcribatur; ſicut in nummis Julii Cæſaris, idem IMPERATOR, AUGUR, PONTIFEX MAXIMUS, CONSUL, DICTATOR, immo quibus ille ſit aliis Dignitatibus functus, & qua de paullo poſt plenius, legitur.

Philipp. XIII. cap. 10.

Orat. pro Domo cap. IX.

Lib. III. Epiſt. 6.

Ad SACRAS vero DIGNITATES quod adtinet; ad quas nempe ſacrorum in urbe procuratio, Deorum vultus, & Religionis ac Auſpiciorum cura ſpectabat; haud mediocris lux quædam iisdem ex iis denariis adfulget. Græcam equidem ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΜΕΓΙΣΤΟΥ, ſeu PONTIFICIS MAXIMI appellationem nummi Græci Julii, Lepidi, Auguſti, aliique arguunt. Neque tamen ideo viro docto accedo, qui grauem duobus grauiſſimis auctoribus dicam ſcribit, Dionyſio nempe Halicarnaſſenſi & Dio-

1. Dignitates Sacræ *e nummis:*

Jac. Gunth. de Jure Pontif. lib. I. cap. 8.

ni Cocceio, quòd scilicèt Pontificiæ huius Dignitatis nomen ignorarint aut male expresserint; dum hic solo Αρχιερέως nomine eos designat, ille frequenter vocat Ιερονίμυς, Ιεροφύλακας, Ιεροφάντας. Quis enim ferat illi Consulari, Romani utique moris & antiquitatis promicondo, crassam illam ignorantiam aut incuriam impingi, vel in iisdem accusandis tam infelix acumen? Quasi vero vel solum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ nomen supremam Sacerdotii dignitatem non designet, aut reliqui illius Collegii sacerdotes, ut Romanis Pontifices, sic Græcis, ut ille existimat, Αρχιερεῖς vulgo dicerentur. Immo & alibi, ab eodem Dione, Julius Cæsar Αρχιερεὺς τῶν Ποντιφίκων vocatur; quo nomine satis, ut opinor, eum a reliquis sacerdotibus distinguebat. Unde etiam hoc nomen Αρχιερέως, summo Asiatici conventus sacerdoti, præter auctores, tribuunt antiquissima numismata, de quibus alibi. Ut mittam præter Dionem, [a] Plutarcho, & [b] Appiano, eundem Cæsarem Pontificem Maximum, Αρχιερέα, citra attributum aliud, vocari; Lepidum vero itidem Pontificem Maximum solo etiam Ιερέως nomine designari ab eodem Appiano. Sic alter eodem antiquior & illius proavus M. Lepidus, de quo alicubi Tullius: *Es M. Lepide Pontifex Maxime, M. Lepidi Pontificis Maximi pronepos*, apud Polybium Αρχιερεὺς seu Pontifex Maximus legitur designatus cum in [a] Excerptis Legationum, tum in Valesianis; & apud [b] Josephum J. Cæsar & Augustus non semel literis suis ac decretis solum Αρχιερέως nomen adscribunt. Alias vero eidem Appiano hæc Dignitas non μεγίστη sed μεγάλη ἱερωσύνη aliquoties vocatur, & Julianus Cæsar de se Pontifice Maximo μέγας Αρχιερεύς. Ita solo PONTIFICIS nomine designatur ille nonnunquam Latinis scriptoribus, quod ignorare non debuerat Pontificii Juris Scriptor. Livius certe auctor luculentus inquit: *Regem Sacrificulum creant, id Sacerdotium Pontifici subiecere*, alibi: *Cætera quoque omnia publica priuataque Pontificis scito subiecit*, qui non alius quam Pontifex Maximus. Nec minus opportunè, aut ex usu linguæ Græcæ, vel ratione muneris, Ιεροφάντας, Ιερονόμυς, Ιεροφύλακας, Sacrorum nempe interpretes, præsides, custodes, eosdem vocat Halicarnassensis; quibus nominibus supremos sacerdotes Ægyptiorum, aliosque præcipuos sacrorum Antistites, veteres auctores passim indigitarunt. Sed de his appellationibus alibi accuratius. Inter nummos autem Marci Antonii, unus occurrit Patinianæ collectionis cum effigie Dianæ Ephesinæ, ac inscriptione ΑΡΧΙΕΡ. Quo nomine eundem Antonium huius Dianæ Flaminem adsumptum credam omnino designari; cuius apud Ephesinos moram & theatralem ingressum tradentem Plutarchum haud ignoras. Neque ignota peregrina id genus sacerdotia a Cæsaribus etiam ambitiosè nonnunquam suscepta; haud aliter ac vel Archontis, Agonothetæ, aliorumque insuper Municipalium Magistratuum tituli, ut de Hadriano inprimis notant [a] Dio ac [b] Spartianus, ac de Gallieno [c] Trebellius. Nec enim M. Antonius Pontifex erat Maximus, sed ea ætate Collega eius in Triumuiratu M. Lepidus.

AUGURIS vero Dignitas non lituo solum frequenter designata est in nummis antiquis, sed ipso etiam nomine expressa in nummis M. Antonii iam Triumuiri; ut inde Sacerdotii illius prærogatiuam abunde liceat æstimare. Ut nec mirum proinde sit, quod in Commentariis belli Gallici legitur, Cæsarem profectum in Italiam, ut appellaret Municipia, *quibus M. Antonii Quæstoris sui commendaret Sacerdotii petitionem*, hunc ipsum nempe Au-

Lib. xxxvii.

a In Jul. Cæsare.
b Bell. Ciuil. lib. 11.

Lib. v. p. 743.

Philipp. xiii.

a Exc. xxxvii. pag. 167.
b Lib. Antiq. 15. c. 17.

Epist. lxii.

Lib. 11. c. 2.

Lib. 1. c. 20.

a Apud Xiphil. p. 795.
b In Hadrian. c. 13.
c In Gallien. c. 11.

Lib. viii.

Auguratum. Tanti enim habitus Auguratus apud Maiores vestros, ut lituus Auguralis in nummis Cæsarum, maxime Julii, etiam consecrati, exhibeatur; immo, ut in nummis etiam aliquot Græcis Titi ac Domitiani ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ, in Romanis itidem AUGUR, cum aliis supremi fastigii appellationibus coniungatur. Huius generis est Vespasiani nummus Gazæ Augustæ Viennensis cum inscriptione AUGUR TRI. POT. Unde certe liquet haud immerito magnifice adeo de iure ac auctoritate Augurum agere non semel Augurem ipsum [a] Tullium, cui & solo [b] *amplissimi Sacerdotii* nomine eadem Dignitas non semel designatur; aut [c] Sulpicium apud eundem referre, ut præcipua honorum insignia, *se Patrem suum Prætorem, Consulem, Augurem vidisse*; aut denique cur [d] Plinius, ubi Auguratum, quem iam Consularis a [e] Traiano studiose efflagitaverat, fuisset consequutus, serio eo nomine alicubi triumphet, indicata etiam eius rei caussa: [f] *Gratularis mihi, quod acceperim Auguratum; iure gratularis, & quod Sacerdotium cum priscum & religiosum, tum hoc quoque plane Sacrum & insigne est, quod non adimatur viuenti.*

a Lib. II. de Legib.
b L. ad Att. VIII. Ep. 3.
c Lib. III. Ep. 10. ad Appium.
d Lib. IV. Epist. 5.
e Lib. X. Ep. 8.
f Lib. IV. Ep. 8.

Proximum huic Dignitate sacerdotium SEPTEMVIRATUS EPULONUM, ut vel ex eodem Plinio colligas, qui vel istud vel Auguratum a Traiano sibi indulgendum contendebat: *Rogo ut dignitati, ad quam me proxit indulgentia tua, vel Auguratum vel Septemuiratum, quia vacant, adiicere digneris.* Ut non immerito eiusdem Sacerdotii memoriam expressam videas in denario Gentis Cœliæ, cum figura Septemuiri in Iouis epulo lectum eidem Deo pro more sternentis, & cum inscriptione L. CALDUS. VIIVIR EPUL. Sic, inter diuersos FLAMINUM ordines, munus FLAMINIS MARTIALIS inter insignia Gentis Corneliæ relatum occurrit cum inscriptione L. LENTULUS FLAMEN MARTIALIS.

Epist. l. x, 8.

Meminit eiusdem Metellus apud Macrobium, & simul luxuriosæ illius cœnæ, ac diei insuper, qua Flamen a L. Julio Cæsare Augure renuntiatus est: *Ante diem nonum Kalendas Septembris, quo die* LENTULUS FLAMEN MARTIALIS *inauguratus est, domus ornata fuit:* & quæ plura ibi leguntur de sumptuoso cœnæ apparatu. De hoc Lentulo Flamine videtur etiam Cicero intelligendus in Epistolis ad Atticum, ubi non semel Flaminis Lentuli mentionem facit. Sic alium insuper Flaminem Martialem, nempe L. Valerium Flaccum, apicis insigne designat in denariis Gentis Valeriæ. De FLAMINE etiam QUIRINALI Numerio Fabio Pictore quædam iam in superioribus delibauimus, qualis nempe signatur in sequenti denario.

Lib. II. Saturn. c. 9.

Lib. II. Epist. 14.
Lib. XII. Epist. 8.

Figura illa Quirini Fuluio videtur, mihi, ut verum fatear, Romæ potius galeatæ, quod innuit infra scriptum urbis nomen. QUIRINI autem vox clypeo inserta, ad denotandam Sacerdotii illius memoriam, non autem imaginem nummo insculptam. Alia etiam Quirini effigies, ab ista haud parum diuersa, visitur in denario Gentis Memmiæ.

Alterius rursus Sacerdotii, hoc est, QUINDECIMVIRORUM, signata in denariis Gentis Manliæ est memoria, sub Sibyllæ effigie, cuius libris inspiciendis iidem, ut notum, vacabant.

Immo, quia Quindecimuiri Sacrorum Apollinis Antistites erant, hinc ad indicandum illud sacerdotium Tripus in auersa nummi parte signatus. Notat id Seruius loco supra iam allegato; ac ante eum Liuius de iis agens, dum adhuc erant inferiori numero: DECEMVIROS *sacris faciundis Carminum* SIBYLLÆ *& fatorum populi huius interpretes*, ANTISTITES *eiusdem* APOLLINARIS *Sacri, ceremoniarumque aliarum plebeios videmus.* En luculentum scilicet utriusque partis huius denarii commentarium. Quamquam idem Sacerdotium in nummo argenteo Vitellii Augusti designatum etiam videas, quem supra alia occasione adtulimus; ut vel inde de illius Sacerdotii dignitate abunde possit constare, qua Cæsares etiam se ornari patiebantur.

Lib. x. c. 8.

Verum, ut ad CIVILES in urbe Gentium domina, aut in Prouinciis MAGISTRATUS, aliasque DIGNITATES, aut EXTRAORDINARIA etiam IMPERIA, quibus insigniuntur in eorum nummis Quirites vestri, me conuertam; occurrunt primo loco Maiores, & ex iis aliquot Curules, iique cæteroquin ordinarii in urbe Magistratus, CONSULES, CENSORES, PRÆTORES, ÆDILES CURULES, inducta sub Augusto TRIBUNITIA POTESTAS, ÆDILES PLEBIS, QUÆSTORES URBANI, PRÆFECTI URBIS, TRIUMVIRI, QUATUORVIRI AURO ARGENTO ÆRE FLANDO FERIUNDO, PROTRIUMVIRI, CURATORES DENARIORUM FLANDORUM; & extra ordinem constituti DICTATORES, TRIUMVIRI REIP. CONSTITUENDÆ AD FRUMENTUM EMUNDUM. E Magistratibus autem, seu Dignitatibus extra Urbem, leguntur itidem in Familiarum Romanarum

narum nummis dicti iam liberæ urbis temporibus IMPERATORES, PROCONSULES inſuper, PROPRÆTORES, LEGATI AUGUSTI, LEGATI PROPRÆTORE, QUÆSTORES, PROCONSULES, PROQUÆSTORES, TRIBUNI MILITUM, PRÆFECTI CLASSIS, PRÆFECTI CLASSIS ET ORÆ MARITIMÆ, TRIUMVIRI & QUATUORVIRI Coloniis deducendis, aut reficiendis ſacris Ædibus, DUUMVIRI QUINQUENNALES, REGUM denique TUTORES. Adde, quod paullo ante diximus, congeſtos ſæpe in iisdem nummis plures Honorum, quibus quis functus erat, aut ſungebatur adhuc, titulos.

I. *De* ORDINARIIS DIGNITATIBUS *Populi Romani, & de primo de* CONSULARI *in nummis.*

1. *De Conſulum Inſignibus, ac primo de Sella Curuli.*

Supremum equidem inter *Ordinarios* liberæ urbis *Magiſtratus* CONSULUM faſtigium, quis dubitat monumentis id genus, haud minus ac in Faſtis; & unde etiam ſuppleri iidem poſſunt ac illuſtrari, fuiſſe conſignatum? Quam in rem non adſcripta ſolum in Conſularibus dictis vulgo nummis, COS. ſeu *Conſulis* Dignitas traditur; ſed eadem inſuper *Sellâ Curuli*, *Faſcibus*, & quibus *Secures* erant illigatæ, aut etiam *Coronæ*, ipſoque *Conſulis* cum *Lictoribus* proceſſu, ut de *Prætexta* nunc, ſeu veſte Conſulari, ſileam, in iis expreſſa cernitur. Opportune proinde tangit alicubi Liuius [a] *Conſulares Faſces*, *Prætextam*, *Sellamque Curulem*, tanquam præcipua *Maieſtatis* illius *Conſularis* (ut alibi ab eodem [b] Liuio, adde & a [c] Cicerone, dici eadem meruit) inſignia. SELLA equidem CURULI nemo mirabitur in his monumentis deſignari *Conſulare* faſtigium, qui *Sellam Curulem* non ſolum, vel *Curule ebur*, *vitam* etiam *Curulem*, pro *Conſulatu* & vita *Conſulari*, apud [a] Horatium, [b] Statium, [c] Silium, [d] Claudianum, & [e] Symmachum legit aliquoties; aut apud Græcos Scriptores, ἐς ὑπάτων δίφρον ἀναβαίνειν, *Conſulum Sellam adſcendere*. Haud aliter nempe ac Ἐφορικοὺς δίφρους, ſeu *Sellas Ephoricas* vocat Xenophon; quibus nempe Ephori, ſupremus Lacedæmoniorum Magiſtratus, inſidere erant ſoliti. Romæ vero in Campo, Quæſtoriis comitiis, Sellam Curulem Q. Maximo, tanquam Conſuli, poſitam, eo autem mortuo nuntiato, conteſtim ſublatam, e Cicerone diſcimus. Inde vero obuii etiamnum Conſularis illius Dignitatis, & quidem deſignatorum etiam Conſulum, indices priſci dictique vulgo Conſulares nummi, cum *Sella Curuli* iis impreſſa. Cuiusmodi inter alios occurrit ſequens nummus, qui duos Conſulatu ſimul functos exhibet CORNELIUM SULLAM, & Q. POMPEIUM RUFUM; ac inde, quod alias in his nummis haud conſuetum, cum *Sella Curuli* ſignata in utraque nummi area, & COS. ſeu *Conſulis* adſcripta etiam ambobus Dignitate. Alter vero nummus inter Gentis *Manliæ* denarios e Faſtis Goltzii a celebri Antiquario illatus, *Sellam* itidem *Curulem* exhibet, cum ſignatis nominibus A. TORQUAT. A. F. COS. M. MESSALA M. F. EX S. C. ſeu *Aulus Torquatus Auli Filius ex Senatusconſulto*. In quibus præterea aliisque id genus nummis formam *Sellæ Curulis* continuo cernimus, & cur *incuruis pedibus Sellæ*, δίφροι ἀγκυλόποδες dicantur a Plutarcho; aut ex ebore etiam factæ, eodemque, quod alii quoque nummi etiamnum comprobare videntur, ſculpto, ut ex Ouidio monuit iam Lipſius.

a Lib. II. c. 54.
b Ibid. cap. 57.
c In Piſon. cap. XI.

a Lib. I. Epiſt. VI. ℣. 53.
b Lib. I. Sylu. Carm. 2.
c Lib. VIII. ℣. 487.
d De Mall. Conſul. ℣. 334.
e Lib. VIII. Ep. 23.

In C. Mario p. 408.

De Lacedæm. Rep. Lib. VIII. Ep. Fam. 30.

Quum

2. *De* Fascibus *ac* Securibus Consulum.

Quum vero ius illud *Sellæ Curulis*, quod contritum, ad alios etiam Magistratus, eosque cum ordinarios, ut Censores, de quibus paullo post, Prætores, dictosque inde Ædiles Curules, ac ad Præfectum quoque Urbis, quod vel e nummis etiam deinceps liquebit, transierit (ut de [a] Pontifice Maximo, reliquisque etiam [b] Pontificibus, quibus Sellam Curulem itidem concessam, e nummis colligunt viri docti, nunc silcam) tum ad Extraordinarios, ut Dictatorem, ac Magistrum Equitum, quod postremum docebit etiam Dio, Decemuiros legum ferendarum caussa constitutos; Tribunos insuper Militum Consulari Potestate: hinc etiam, ad *Consulare* fastigium indicandum, *Fasces* continuo, præter *Sellam Curulem*, & quibus *Secures* erant illigatæ; aut vero, citra Sellam, *Fasces* demum cum *Securibus*, veluti proprium & singulare summæ illius potestatis indicium, iique *Consulares* inde alicubi apud [a] Liuium dicti, apud [b] Josephum similiter ὑπατικοὶ ῥάβδοι, *Consulares Fasces*, in aliis id genus nummis consignantur. Nempe ad discrimen *Fascium*, quibus gaudebant etiam, sed minori, sex nempe, numero Prætores; quique inde [c] *Prætorii Fasces*, & [d] *Urbanæ Prætur Fasces* dicuntur apud Symmachum: ac unde etiam illustratur, ut obiter hoc addam, Rutilius, dum inde *summos Fasces*, quibus nempe inferiores erant *Prætorii*, vocat *Consulares:*

a Bosius. b Guther. lib. 1. c. 38.
Lib. XLIII. p. 238.
a Lib. II. c. 54. b Bell. Jud. l. IV. c. 16.
c Lib. VIII. Epist. 14. d Ibid. Epist. 70.
e Itiner. v. 175.

[e] *Sedula promisit* SUMMOS *imitatio* FASCES,
Si fas est meritis fidere, CONSUL *eris.*

Cuiusmodi autem *summos* seu *Consulares Fasces* exhibent quatuor sequentes nummi: in quorum altero *Sella Curulis* insuper; in singulis autem *Fasces* cum *Securibus*, aut cum *Coronis* etiam, conspiciuntur: *Lictores* præterea in primo nummo, qui eos ferre consueuerant, ac addita singulis ipsa CONSULUM nomina: ut in priori, BRUTUS; in altero, M. ÆMILI L. F. BARBULÆ COS; in tertio CN. PISO COS; in quarto CINA COS ITER: iidem autem in Gentibus *Junia*, *Æmilia*, *Calpurnia*, & *Cornelia* conspicui sunt.



In

In quibus vero nummis, quippe in urbe cusis, additas continuo *Fascibus Secures* mirari forte quispiam posset Romani moris adprime gnarus; atque ideo, quod Romæ, & quidem a P. Valerii Poblicolæ, atque ita inde a primis liberæ urbis temporibus, demptæ sint in urbe Consularibus *Fascibus Secures*; atque inde Consulibus Fasces sine securibus in urbe præferrentur: quibus vero extra urbem, ac in militaribus expeditionibus ii tantum uterentur. Id enim non uno demum loco, quod monuerunt pridem viri præstantes, [a] Antonius Augustinus, ac [b] Onuphrius, nuper autem doctissimus desideratissimusque [c] Græuius, sed tribus apud [d] Dionysium Halicarnassensem locis traditur: tum e Liuio, & quod viderat laudatus modo Antonius Augustinus, itidem liquet, ubi apud eum de Q. Fabio tum Consule III. dicitur: *Lictores ad eum accedere Consul iussit; & quia in urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit cum* SECURIBUS *sibi* FASCES PRÆFERRI. Adde rursus eundem Liuium, ubi seditione in exercitu maioris Scipionis orta in Africa, ipse pro concione, conscenso tribunali, milites adloquutus, inter alia id velut ingens illorum seditiosorum scelus tangit: *Sederunt in tribunali P. Scipionis; lictor apparuit: submoti incesserunt:* FASCES *cum* SECURIBUS PRÆLATI *sunt.* Unde etiam præter morem id a C. Claudio Consule factum notat alibi Patauinus idem Auctor: *Quod* SINE LICTORIBUS *&c. præceps in prouinciam abiisset*; qui proinde Romam paullo post reuersus, inde *cum Lictoribus in prouinciam* abiisse dicitur; a quibus nempe, recepto extra urbem more, ei *Fasces* cum *Securibus* præferrentur. Neque vero redargui continuo [a] a viro insigni, nostro nuper ac literarum delicio, [b] Onuphrius debuit; „ dum ille creatis primis Consularibus, Bruto & Collati„ no, cautum tradit, ne si ambo Fasces cum Securibus haberent, du„ plicatus terror videretur, ut alter Consul XII. adligatas Fascibus Secu„ res: alter vero virgarum Fasces tantum cum Lictoribus haberet, idque „ alternatim singulis mensibus facerent. Idem enim omnino a Dionysio Halicarnassensi, ac totidem fere verbis, traditum videas: pulsis nempe Regibus, & creatis Consulibus, uni Consulum duodecim Fasces cum illigatis Securibus prælatos; *alteri vero Consuli duodecim apparitores* (seu *lictores*, ut ea de re mox) *cum* SOLIS VIRGIS, seu FASCIBUS, *&, iuxta nonnullos, cum coronis etiam præiuisse:* Τοῦ δὲ ἑτέρου δώδεκα ὑπηρέτας ΡΑΒΔΟΥΣ ΕΧΟΝΤΑΣ ΜΟΝΟΝ, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ κορώνας. Adeo ut nec ibi, nec aliis apud Dionysium locis, creatis primis post electos Reges Consulibus, Bruto & Collatino, adempti continuo legantur in urbe alteri Consulum sine Securibus Fasces; ut nempe iidem alternis demum mensibus uni Consulum a duodecim Lictoribus præferrentur: quum tamen id velut a prima Consulum institutione, Bruti nempe & Collatini, inductum adserere videatur Liuius: *Omnia iura, omnia insignia* (Regum nempe modo urbe pulsorum) *primi Consules tennere. Id modo cautum est, ne si* AMBO FASCES HABERENT, *duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente Collega* (Collatino) FASCES HABUIT. Quod proinde de *Fascibus*, quibus illigatæ erant *Secures*, ut hæc narratio sit iis consentanea, quæ ea de re aliquot locis a Dionysio dicuntur, ac unde terror ille *duplicatus* oriebatur, debet omnino intelligi: ut ita Brutus primus, recepto Regum more, duodecim Fasces cum illigatis Securibus priore illo

3. *Cur additæ* Fascibus Secures *& Coronæ in adductis ac similibus nummis.*

a De Legib. Rom. ad Juliam & Valeriam.
b De Ciuitat. Rom. cap. LXV.
c Præfat. Antiq. Rom. To. I.
d Antiq. l. V. p. 292, 338. & l. X. p. 682.

Lib. XXIV. cap. 9.
Lib. XXVIII. cap. 27.

Lib. XL. cap. 10.

a I. G. Græuius ut supra.
b Ut supra itidem.

Antiq. lib. V. p. 278.

Lib. I. cap. 8.

mense habuerit: alter vero Consul, Collatinus, ne pro uno Rege duo velut Reges plebi Romanæ terrorem incuterent, Fasces demum sine Securibus, quas alternis dein mensibus reciperet. Ubi est obiter notandum, *Fasces* sæpe a Romanis Scriptoribus, ac a Liuio quidem, tum in adductis verbis, tum alibi, appellari, quibus illigatæ erant, etsi nulla fiat earum mentio, *Secures*; a Græcis autem, qui ea de re agunt, Auctoribus, Πελέκεις, seu *Secures* de iis in genere dici, tam *Securibus* nempe, quam *virgarum fascibus* cum iunctis Securibus, cuiusque rei aliquot adhuc se mox offerent exempla; ac prout inde etiam Εξαπελέκεις, seu *securigeri* a Græcis dicti, qui *sex Fascibus* in urbe etiam usi Prætores. *Fascibus* vero in urbe omnino caruisse alternis mensibus unum e Consulibus, post demptas etiam *Fascibus* a P. Valerio *Secures:* immo utriusque illius popularis instituti, demptarum prorsus in urbe Consularibus Fascibus Securium; tum ne etiam Fasces sine securibus utrique simul, sed uni demum Consuli, ac per vices præferrentur, non e Suetonii solum, quæ adducuntur a viris præstantibus, eam in rem verbis constat, de renouato nempe a J. Cæsare prisco ritu: *Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense* FASCES NON HABERET, *Accensus ante eum iret, Lictores ponè sequerentur:* sed e diuersis maxime, ut obseruo, Senatus Actis, quæ a viris eruditissimis sunt vulgata, [a] Pighio, [b] Dodwello, [c] Græuio, ubi id continuo in fronte id genus Actorum legitur: V. K. APRILES FASCES PENES ÆMILIUM &c. aut IV. K. APRILES FASCES PENES LICINIUM, quomodo apud Liuium etiam: *Æmilius, cuius tum* FASCES ERANT, *Collegam Dictatorem dixit.* Immo quod utrumque de demptarum a populari Consule P. Valerio, utrique Consulum non *Securium* duntaxat omni in urbe usu; sed de *Fascibus* etiam alteri Consulum, & quos per vices ii haberent, demum relictis, a Valerio Maximo traditum constat: *P. Valerius inuidiosum Magistratus fastigium moderatione ad tolerabilem habitum deduxit,* FASCES SECURIBUS *vacuefaciendo, & in concione populi submittendo; numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, ultro Sp. Lucretio Collega adsumpto, ad quem, quia minor natu erat,* PRIORES FASCES *transferri iussit.*

In I. Cæsar. c. xx.

[a] Annal. P. II. p. 378.
[b] Prælect. Cambden.
[c] Not. ad Sueton. in I. Cæsar. p. 778.

Lib. VIII. cap. 12.

Lib. IV. cap. 1, 1.

Quod vero in adductis paullo ante Consularibus nummis, *Fasces*, quibus illigatæ erant *Secures*, conspiciantur; de eo equidem nemini, ut opinor, faceſſet negotium nummus, qui in PRIMI CONSULIS BRUTI, prout is in alio insigni nummo, de quo mox, dicitur, memoriam est cusus. Ab eius enim obitu a P. Valerio Publicola demptas demum in urbe *Fascibus Secures* modo vidimus, ac erat iam obuium. Ut mittam, quod eundem Brutum in aciem extra urbem, contra regium Tarquinii exercitum profectum; immo quem Aruns Regis Tarquinii filius, EX LICTORIBUS *procul* CONSULEM *esse* coniecerit; utrumque vero mutuis vulneribus cæsum, e [a] Liuio, [b] Dionysio, ac aliunde constet: unde etiam eidem, etsi mos ille fuisset iam ante in urbe abolitus, illigatas tamen Fascibus Secures tribui in eius nummis potuisse quiuis videt. De tribus vero reliquis Consularibus nummis, M. ÆMILII BARBULÆ, CN. PISONIS, & CINNÆ, cum addito in singulis Cos. seu *Consulis* dignitate; in quibus illigatæ itidem Fascibus Secures conspiciuntur, recepto cæteroquin eorum æuo ac pridem ante, more, ut securibus carerent in urbe Consules; id

[a] Lib. II. cap. 6.
[b] Antiq. l. v. p. 285.

id factum inde statuendum est, quod ad profectiones eorum extrà urbem susceptas, & de quibus fidem faciunt prisci Romanorum Scriptores, respicere statuendi sint iidem nummi. Signatum vero in tertio nummo CN. PISONEM inter duos *Fasces* cum illigatis *Securibus* & *Coronis* insuper, ad eum pro suggestu & cum decempeda, ceu veteranos, quibus agros in Italia adsignaret, adloquentem, retulit in Annalibus [a] Pighius, & iuxta eum, indicto tamen Pighio, [b] celebris Antiquarius. Id equidem de illo Pisone tradit [c] Liuius, eum, sed necdum Consulem, unum e Triumuiris delectum, qui coloniam in agrum Etruscum deduceret, quinis iugeribus agri unicuique datis. Illigatæ vero duobus in nummo illo Fascibus non *Secures* solum, sed *Coronæ*, egregiè, ut obseruo, illustrant id, quod a Dionysio Halicarnassensi traditum videas loco iam ante indicato: quòd pulsis Regibus & creatis Consulibus, uni Consuli duodecim Secures, Fascibus nempe illigatæ, præferrentur; alterum vero duodecim Lictores anteirent, *qui solum haberent Fasces, atque etiam, ut nonnulli tradunt*, CORONAS; Ῥάβδους ἔχοντες μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, ΚΑΙ ΚΟΡΩΝΑΣ. Immo quas *Coronas* Fascibus etiam, quibus illigatæ erant *Secures*, & quibus extra urbem uti Consulibus mos erat, adnexas itidem, dictus modo nummus clarissime arguit.

a Pag. 483. To. II.
b Vaill. Fam. Rom. p. 201. To. I.
c Lib. XL. cap. 29.

Antiq. lib. V. p. 278.

Exstant vero alii adhuc, ne hoc præteream, in Familiarum Romanarum collectione nummi, cum impresso in iisdem *Fasce* cum *Securi*, in *Licinia* nempe, ac *Norbana:* ac in priori cum solo CRAS. seu CRASSI cognomine; in *Norbana* vero duo conspiciuntur nummi, præter *Fascem*, itidem cum *Securi*, *Spica*, & *Caduceo*; ac in postremo cum prora insuper: in anteriori vero utriusque illius nummi area, C. NORBANUS; additis literis numeralibus XI. & XXXVI.

4. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Ad priorem nummum quod adtinet, quem primus in lucem protulit in nupera collectione celebris Antiquarius, quum aliæ Romanorum Gentes seu Familiæ fuerint, quibus illud CRASSI cognomen, quod solum ibi comparet, præter *Liciniam*, in nummis etiam tribuitur, ut in *Claudia* iam ante vidimus, ut de *Crasso Frugi* apud Suetonium sileam, ac proinde e Gente *Calpurnia* in *Liciniam* adoptato; hinc ad quem *Crassum* referri debeat idem nummus, haud licet continuo statuere, aut quæ eius dignitas *Securi* cum *Fasce* designetur, an Consulare nempe vel Prætorium demum extra urbem imperium. Neque enim audiendus hic est celebris Antiquarius, qui *Fascem* illum cum *Securi* putat esse symbolum alicuius e Gente Licinia *Crassi*, qui Ægypto sub quopiam e Cæsaribus præfuerit. Id vero fugere non debuerat virum præstantem, ad regendam Ægyptum non Proconsules aut Senatores missos; sed ex Equestri tantum ordine, ut id ex [a] Arriano, [b] Tacito, & [c] Dione, ac aliunde notum est: quibus proinde nullum ius fuerit *Fascium* vel *Securium*, quique non *Proconsules*, aut *Prætores*

In Claudio cap. XVII.

Vaillant Fam. Rom. p. 17. To. I.

a Exped. Al. lib. III. cap. 5.
b Annal. XII. c. 60. Hist. I. c. 11.
c Lib. XLIII. p. 504.

res, sed a Græcis [a] Επαρχοι, vel [b] Υπαρχοι, a Romanis vero *Præfecti Augustales*, ut vulgo notum, dicebantur. Adeo etiam, ut quum Gallienus Imperator, teste Trebellio Pollione, Theodoro cuidam vellet imperium Proconsulare in Ægypto decernere, a Sacerdotibus sit prohibitus, *qui dixerint* FASCES INGREDI ALEXANDRIAM NON LICERE: additque: *Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis scriptum, tum demum Ægyptum liberam fore, quum in eam venissent* ROMANI FASCES, *& prætexta Romanorum:* nempe post subactam ab Augusto, ac redactam ab eo in prouinciæ formam, Ægyptum. Cæso enim prius in Ægypto Pompeio, Alexandriam cum antelatis Fascibus erat ingressus, ut ipsemet id tradit, Julius Cæsar: additque, ideo concursum ad eum factum: *Quod* FASCES ANTEFERRENTUR. *In hoc omnis multitudo* (Alexandrinorum scilicet) *maiestatem regiam* (Ptolemæi & Cleopatræ) *minui prædicabat.* Unde id unum de hoc nummo, cum Fasce, cui illigata Securis, & cum CRASSI Cognomine, licet statuere; respicere illum ad aliquem, ut id celebri Antiquario haud difficulter largiar, Licinium (quod nempe familiare esset eidem Genti illud cognomen, maxime ubi solum illud, ut hoc addam, sine alio Gentili nomine vel cognomine, uti in hoc nummo effertur) qui in prouinciam aliquam Populi Romani Prætor vel Proconsul fuerit missus, aut expeditionem aliquam militarem, alterutra illa Dignitate ornatus, extra urbem susceperit. Duo vero reliqui nummi, non ad NORBANUM *Quæstorem* cum celebri Antiquario, ad quem utique *Fascis* cum *Securi* neutiquam respicit, sed ad C. NORBANUM *Consulem*, qualis eo nomine haud unus in Romanorum Fastis, ac apud Auctores legitur, & cuius militares fuerint extra urbem expeditiones, quòd prora in altero e duobus illis nummis sculpta ostendit, sunt omnino referendi. Quomodo etiam de *C. Norbano*, Asiæ sub Augusto Proconsule, mentio fit apud [a] Josephum. Proconsules autem, ubi Consulatu erant functi, duodecim, ubi præturâ demum, & qua de re postea dicetur, sex *Fasces* habuisse cum totidem *Securibus*, aliunde notum; ac unde de iisdem Asianis, seu Asiæ Proconsularis incolis alicubi a [b] Cicerone dicitur: *Quibus odio sunt* NOSTRÆ SECURES: a [c] Josepho autem alio loco, quingentas Asiæ Proconsularis urbes, *uni Rectori & CONSULARIBUS FASCIBUS submisse paruisse:* Ενα προσκυνοῦσιν Ηγεμόνα, καὶ τοῦς ΥΠΑΤΙΚΟΥΣ ΡΑΒΔΟΥΣ. Unde etiam de Narbonensi Gallia, sub Romanorum imperio, exstant Critognoti Aruerni verba apud Cæsarem: *Respicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis,* SECURIBUS SUBIECTA, *perpetua premitur seruitute.* A quo tamen seruitutis, & SECURIUM metu, seu Romani Præsidis iurisdictione, immunes a Strabone dicuntur in eadem prouincia, caput illius prouinciæ Narbo, ac præterea Massilia. Adde illud in genere de Prætoribus Populi Romani in Siciliam missis, alibi apud Liuium: *Syracusas, atque in alias Siciliæ urbes,* PRÆTOREM *quotannis cum imperio &* VIRGIS (seu *Fascibus*) *&* SECURIBUS *mittitis.* Sed de *Prætorum* in urbe *Fascibus*, & extra urbem *Securibus*, aliorumue ad prouincias Populi Romani regendas missis Rectoribus, agetur paullo infra. Id vero de *Consularibus Fascibus* singulare omnino præteriri hic non licet, quòd *Fasces* utrique Consulum, uti etiam *Scipio*, dari a Senatu consueuerant; isque mos ad se-

a Strabo l. XVII. p. 797. b Arrianus ut supra.

In Æmiliano.

Bell. Ciuil. l. III. c. 106.

Vaillant ut supra.

Vaillant Fam. Rom. To. II. p. 175.

Vid. Dion. l. XXXVIII. p. 483. & l. XLIII. p. 515. l. LVII. p. 611.

a Antiq. lib. XVI. c. 10.

b Pro Flacco cap. VIII. c Bell. Iud. l. II. c. 16.

Bell. Gall. lib. VII. cap. 77.

Lib. IV. pag. 181.

sequentia Romanorum tempora sit traductus; adeò ut ipsi etiam Imperatores Consulatum ineuntes *Scipionem* ac *Fasces* a Senatu accipcrent. Docet id Valerianus Imperator in Epistola ad Aurelianum, designatum ab eo Consulem, apud Vopiscum: *Nam te* CONSULEM *hodie designo, scripturus* AD SENATUM, *ut tibi deputet* SCIPIONEM, *deputet etiam* FASCES. *Hæc enim Imperator non solet dare, sed* A SENATU, *quando* FIT CONSUL, *accipere:* siue postrema hæc verba ipsi Valeriano, seu Vopisco, iuxta magnum Casaubonum ad eum locum, sint tribuenda. Quum cæteroquin, ad Imperatores quod adtinet, inter alia summi imperii insignia, Consularem potestatem Augusto in perpetuum datam, utque eidem duodecim *Fasces* præferrentur, a Senatu decretum, tradat Dio Cocceianus. In Aureliano cap. XIII. Lib. LIII. p. 327.

Neque vero in adducto primo Bruti Consulis nummo, ut de illo visum est eximio Begero nostro, statuendum est, præter hunc Brutum, duosque cum Fascibus Lictores, alterum Bruti collegam *Collatinum*, aut qui eum mox excepit, *Publicolam* signari: ita ut, qui primus Lictori anteire cernitur, non *Accensus*, sed alter e duobus illis Consul depingatur. Unum certe Brutum inter duos Lictores stantem, & quem agnoscit quoque in eodem nummo eruditissimus Ursinus, ac nouissime celebris Antiquarius, abunde arguit inscriptum infra unum eius nomen BRUTUS, ac in prima nummi area expressum LIBERTATIS, cuius idem fuit auctor & adsertor, nomen & signum: tum gradientis ante primum Lictorem non Consulis, sed *Accensi* demum, adspectus. Quo autem insigni huius Bruti nummo, qualis a Traiano Imperatore restitutus etiam cernitur, comprobari censuit celebris Antiquarius, quod de renouato a Julio Cæsare, tum Consule, antiquo more apud Suetonium, & de quo iam ante, legitur: *Ut quo mense* FASCES NON HABERET, *Accensus ante eum iret, Lictores pone sequerentur.* Quamquam in iisdem huius BRUTI nummis, cum ante eum incedit *Lictor*, tum alius *pone* demum *sequitur*; ambo præterea *Lictores* cum *Fascibus* non solum, sed cum illigatis etiam *Securibus*; ac eo mense proinde, quo *Fasces haberet*, ut de eo Liuius, idem Brutus; seu potius, quo superstite adhuc penes utrumque Consulem, iuxta [a] Dionysium ac [b] Valerium Maximum, ut paullo ante vidimus, erant *Fasces*. Vaillant Fam. Rom. p. 5. To. II. Ibidem. In J. Cæsare cap. XX. a Antiq. Lv. p. 278. b Lib. IV. cap. I, I.

Quæ proinde quam diuersa sint ab iis, quæ tradit dictis modo verbis Suetonius, quiuis, ut opinor, videt; si mittas quod de *Accenso* tangit, qui anteiret, & quòd unus etiam *Lictor* pone sequatur in eodem nummo. Quod postremum equidem singulare veluti, ac diuersum a recepto alioquin more, prodere videtur idem nummus; quum cæteroquin duodecim cum Fascibus Lictores vulgo anteiuisse Consulibus dicantur a Græcis Latinisque, qui ea de re agunt, Scriptoribus: in eo autem nummo unus Lictor præcedat Brutum, alter pone, ut vidimus, sequatur; uti in tertio nummo supra adducto CINNA COS. ITERUM stans inter duas Secures Fascibus illigatas cernitur. Obuia sunt cæteroquin apud Dionysium loca, quæ anteiuisse Consulibus duodecim Lictores cum Fascibus, nullum vero pone sequutum, manifesto utique euincunt: ut quum loquentem pro concione ad populum Brutum inducit, ut duobus, de quibus egerat, Consulibus, e Regum, qui tum urbe pulsi, insignibus, aliis quibusdam

5. *De numero* Fascium a Lictoribus *præladorum* Consuli.

amotis, eburnea sella; prætexta, & *duodecim Secures* (cum *Fascibus*,
Antiq. lib. IV. p. 268. nempe Græcorum more, de quo paullo ante) *quæ iis per vias* PRÆFERRENTUR, *relinquerentur:* Καὶ ΤΟΥΣ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΟΥΣ ἐν ταῖς ἐξόδοις ΔΩΔΕΚΑ ΠΕΛΕΚΕΙΣ καταλιπεῖν. Quomodo idem alibi, ubi de Decemuiris agit, legum ferendarum caussa summo cum imperio constitutis, ac recepto prius Consulum more, Fasces per vices mutantibus, ut ita penes unum essent e Decemuiris, qui Senatum conuocabat, addit continuo; quòd iidem, potestate illa in tyrannidem uersa, prælatis ante singulos Decemuiros Fascibus cum iunctis Securibus, procederent; nempe
Ibidem pag. 682. *quos unicuique* PRÆFEREBANT *duodecim numero Lictores*, οὓς ἕφερον οἱ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΟΙ τῶν ἀνδρῶν ἑκάστῳ δώδεκα ὄντες. Quod de iis tradit similiLib. III. cap. 36. ter Liuius: *Centum viginti* LICTORES (duodecim nempe ante singulos Decemuiros) *forum impleuerant*, & FASCIBUS SECURES ILLIGALib. II. cap. 18. TAS PRÆFEREBANT. Sic de Dictatore idem Liuius: *Creato Dictatore primum Romæ, postquam* PRÆFERRI SECURES (a Lictoribus nempe) *viderunt &c.* Ac prout de Sulla Dictatore tradit similiter Appia-
Bell. Ciuil. lib. I. p. 412. nus: ΠΕΛΕΚΕΙΣ γὰρ ἐφέροντο ΠΡΟ ΑΥΤΟΥ, εἶτα Δικτάτωρος, εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ΗΓΟΥΝΤΟ, SECURES *cum* (cum Fascibus nempe) EI PRÆFEREBANTUR, *tanquam Dictatori, viginti & quatuor, quot olim Regibus* ANTEIBANT. Quod vero ibi dicitur de *viginti quatuor Securibus*, quæ prælatæ olim fuerint Romanorum Regibus, & quorum exemplo idem fit a Dictatore Sulla usurpatum, iis continuo aduersatur, quæ de duodecim demum Lictoribus cum totidem Fascibus, iunctisque Securibus, idque recepto ab Etruscis, qui constabant e duodecim populis, more, cum aliis regiis eorum insignibus, a Romulo
a Lib. I. cap. 8. b Antiq. l. III. p. 195, 196. primum, aut, iuxta alios, a Tarquino Prisco desumptis, a [a] Liuio, ac [b] Dionysio, haud uno loco, traditur. Ac de Romulo quidem Liuius: *Quum*
Lib. I. cap. 8. *cætero habitu se augustiorem, tum maxime* LICTORIBUS DUODECIM *sumptis fecit:* de eodem, aut iuxta alios de Tarquinio Prisco, similiter Dionysius ait, πελέκεις δώδεκα πρὸ τῶν βασιλέων, *duodecim Secures Regibus* præferri:
Antiq. l. III. p. 196. Ibidem. ac paullo post: Καὶ οἱ ΔΩΔΕΚΑ ΡΑΒΔΟΥΧΟΙ ΤΟΥΣ ΠΕΛΕΚΕΙΣ φέροντες ἅμα ΤΟΙΣ ΡΑΒΔΟΙΣ, δικάζοντί τε αὐτῷ παρίσταντο, καὶ πορευομένῳ ΠΡΟΗΓΟΥΝΤΟ, & DUODECIM LICTORES SECURES *cum* FASCIBUS *ferentes ei iudicanti adstabant, & per vias eunti* ANTEIBANT. Quod alibi rursus idem innuit, ubi agit de demtis primum uni Consulum duodecim, ut vidimus, Securibus, quas alternis demum mensibus haberet; hancque eius rei caussam adfert; quod, si utrique Consuli simul præferrentur, falsa opinio animis plebis innascceretur, pro uno Re-
Ibidem l. V. p. 278. ge duos esse Reges creatos, quod *uteruis Consul* DUODECIM SECURES *haberet*, *ut ante* REGES HABEBANT, ἑκατέρᾳ τῶν Ὑπάτων ΤΟΥΣ ΔΩΔΕΚΑ ΠΕΛΕΚΕΙΣ ἔχοντος, ΩΣΠΕΡ ΕΙΧΟΝ ΟΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ. Verum, ut non opus fuisset aliis eam in rem testibus hic uti, quod ab ipso Appiano alibi quoque adstruitur, ubi de *Prætorum* & *Consulum* agens
Syrac. p. 95. discrimine, de hisce tradit: Οτι τῶν Ὑπάτων ΔΥΟΔΕΚΑ ΠΕΛΕΚΕΣΙ καὶ ΔΥΟΔΕΚΑ ΡΑΒΔΟΙΣ, ΩΣΠΕΡ ΟΙ ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ, χρωμένων, *quod Consules* DUODECIM SECURIBUS *ac* DUODECIM FASCIBUS, SICUT OLIM REGES, *utantur*. Quod vero attinet ad viginti quatuor Secures, quas Dictatori prælatas tradit adductis supra verbis

Ap-

Appianus, ea de re poſtea dicetur, ubi de *Dictatore* nobis erit ſermo. Sicut autem utriuis Conſulum duodecim Secures, iuxta Polybium, atque ita utriquc Conſuli viginti quatuor Secures prælatas, ubi nempe ambo extra urbem prodirent, diximus; ita totidem Lictorum numerum cos habuiſſe, e quibus duodecim uni Conſulum Faſces in urbe alternis menſibus, extra urbem vcro viginti quatuor cum illigatis Securibus utriquc ſimul Conſuli antcferrent, docebit idem Liuius, qui Romanam plebem inducit alicubi dicentem: *Quatuor & viginti Lictores adparere Conſulibus, & ipſos plebis homines.* Quomodo etiam, ut hoc addam, *Apparitores* inde alibi dicuntur ab codem Liuio, duodecim primi Lictores, quales duo in primo Bruti nummo conſpiciuntur, qui more ab Etruſcis, uti ea de re paullo ante, ſumpto, Romulo cum Faſcibus ac Securibus anteibant: *Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus &* APPARITORES, *&* HOC GENUS *ab Etruſcis finitimis, unde Sella Curulis, unde Toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet; & ita habuiſſe Etruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato Rege, ſingulos ſinguli populi* LICTORES *dederint.* Ad quem autem locum Batauo Critico *parum ſententiæ* videtur in his verbis, *quibus & apparitores, & hoc genus*, quaſi, ut ait, lictores non eſſent genus vel ſpecies apparitorum; ac proinde ut rem expediat, alteram particulam *&* delendam putat, ut legatur, *quibus & apparitores hoc genus &c.* Qua notatione, ncque paucis verbis ibi ad eum Liuii locum adducta, ſuperſedere equidem potcrat, quum & plura omnino eſſent *Apparitorum*, qui Regibus olim, ac dein Romæ Magiſtratibus, ad iuſſa eorum adimplenda, præſto eſſent, genera. Quomodo *omnes apparitores regii* dicuntur paullo poſt ab codem Liuio, qui in Regiæ Tarquinii Priſci veſtibulo hærebant: ad ſequentia vero tempora quod adtinet, vel obuius de *Apparitoribus Proconſulis* titulus in utroque Codice abunde oſtendit; ac ibi inter alia quadringenti *Apparitores* Proconſuli Africæ leguntur Honorii Imperatoris conſtitutione deputati. Ex eorum autem genere fuiſſe omnino, qui Secures ac Faſces Regibus olim, uti dein Conſulibus, aliisue etiam nonnullis Magiſtratibus præferrent, res erat itidem liquida; ac unde *apparere* dicti in memoratis paullo ante verbis apud eundem Liuium, qui Conſulibus anteibant, *Lictores*; ac prout eadem in re ὑπηρέται, ſeu *Apparitores*, qui alias ῥαβδοῦχοι, vel ῥαβδοφόροι, a Dionyſio, loco ſupra iam adducto, fuerunt appellati. Unde clare cam in rem, & citra ullam particulæ *&* omiſſionem, ſe *haud pœnitere* corum *ſententiæ* tradit Liuius, qui in genere *Apparitores*, ſeu Regios miniſtros, *&* nominatim *hoc* corum *genus*, ſeu *Lictorum*, qui Secures ante Reges ferrent, eosque duodecim numero, ab Etruſcis ſumptos ſtatuebant. Ut proinde *ſua* conſtet Liuio, prout ea verba ſunt edita, ac in antiquis cius codicibus leguntur, ea de re *ſententia.*

Lib. 11. c. 55.

Id. lib. 1. c. 8.

Jac. Gronou. in Not. ad Liuium.

Lib. 11. cap. 40.

Leg. 11. C. Juſt. de Apparitor. Proconſ.

Antiq. l. v. p. 278.

Duodecim vero illos Lictores cum Faſcibus, ut Romanorum olim Regibus, ſic Conſulibus etiam per vias anteiuiſſe, non vero pone ſequutum ex eorum numero quempiam, cuiusmodi in ſuperiore Bruti nummo, cernitur, præter adducta clariſſima Dionyſii ac Liuii cam in rem verba, teſtabitur inſuper Valerius Maximus. Id enim duobus ac illuſtribus inprimis firmat Fabiorum exemplis; nempe ubi ait: *Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe* INTER CONSULEM ET PROXI-

Lib. 11. cap. 11, 4.

PROXIMUM LICTOREM, *quamuis officii causſa una progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero,* ANTE PATREM *Conſulem ambulandi ius erat. Qui mos adeo pertinaciter retentus eſt, ut Q. Fabius Maximus quinquies Cos. vir etiam pridem ſummæ auctoritatis, & tunc ultimæ ſenectutis, a filio Conſule inuitatus; ut* INTER SE ET LICTOREM PROCEDERET, *ne hoſtium Samnitum turba (ad quorum colloquium deſcendebant) elideretur, id facere noluerit.* Quod de Q. Fabio Rulliano, qui filio Conſuli Fabio Gurgiti legatus fuerat bello Samnitico, intelligendum monuit Pighius. Huic vero illud continuo ſubdit Valerius, & quidem alterius Fabii, Q. nempe Maximi Verrucoſi, (ut ad eum bene monuit idem Pighius) factum: cuius occurrit itidem, ut de Claudii Quadrigarii ab A. Gellio eam in rem adducti teſtimonio nunc fileam, apud Liuium, ſequentibus nempe verbis, mentio: *Pater filio Legatus ad Sueſſam in caſtra venit: quum obuiam filius progrederetur,* LICTORESQUE *verecundia maieſtatis eius taciti* ANTEIRENT; *præter* UNDECIM FASCES *equo præuectus ſenex, ut Conſul animaduertere* PROXIMUM LICTOREM *iuſſit, & is ut deſcenderet ex equo, inclamauit: tum demum deſiliens, experiri (inquit) volui, fili, ſatisne ſcires Conſulem te eſſe.* Memorabilia utique loca de Conſulari apud Romanos, de qua cæteroquin hic agebatur, maieſtate, integra huc adferre haud inconſultum duxi. Quibus & illud viciſſim de Dictatoris præ Conſulari dignitate faſtigio obiter addendum eſt; quod via Flaminia profectus obuiam venienti Conſuli exercituique idem, de quo modo, Dictator Fabius viatorem miſerit, qui, ut alibi Liuius, CONSULI *nunciaret, ut* SINE LICTORIBUS *ad Dictatorem ueniret. Qui cum dicto paruiſſet &c.* E prioribus autem Liuii, uti & adductis Valerii Maximi verbis, mos ille utique, ut omnes duodecim Lictores ante Conſulem, & quidem ſingulatim, præcederent, nullus pone ſequeretur, ſicut in adducto Bruti nummo, clariſſime utique comprobatur. Quomodo alioquin, ut hoc addam, quum Prætores Romæ ſex habuiſſe Faſces, ſicut Conſules duodecim, abunde conſtet; hinc eosdem illis a totidem Lictoribus prælatos, vel e Cicerone conſtare poteſt, ubi de Campanis apud Capuam ait, in ea urbe non coloniarum more appellatos eſſe *Duumuiros*, ſed eos *Prætores* ſe appellari voluiſſe: *Et deinde*, quod addit, ANTEIBANT *Lictores, non cum bacillis, ſed, ut hic* PRÆTORIBUS ANTEEUNT, *cum Faſcibus duobus.* Quæ autem ideo ad maiorem aliquam adductorum paullo ante, & inſignium quidem, nummorum lucem adferenda duximus; quod de hisce ſileant, qui eos cæteroquin diuulgarunt, præſtantes Antiquarii, & aliquod ſpicilegium hic nobis reliquerint eruditi antiquitatum Romanarum promicondi. Quibus tamen & hoc addendum eſt, id alioquin obtinuiſſe, quo de renouato a Julio Cæſare antiquo illo more tradenti, ut antea vidimus, Suetonio ſua fides conſtet: nempe, ut quo menſe Faſces non haberet Conſul, anteiret eidem Accenſus, pone autem Lictores, ſed ſine Faſcibus, ſequerentur.

Lib. II. cap. 2. Lib. XXIV. cap. 44.

Lib. XXII. cap. II.

Orat. II. de Leg. Agr. c. 34.

Præclarus vero eſt omnino alius dicti modo L. IUNII BRUTI nummus, in quo delata eidem poſt eiectos Reges, PRIMI CONSULIS dignitas, cum eiusdem capite in corona querna, expulſa tyrannide, tanquam *ob Ciues ſeruatos* conſignatur, cum epigraphe L. BRUTUS PRIMUS COS.

Ille

Ille vero est in nupera Familiarum Romanarum e nummis illustratarum collectione, quod equidem sciam, primum vulgatus. In auersa autem nummi parte, ortus aliquot post sæculis e Gente itidem *Junia*, M. Brutus in corona itidem querna, velut Julii Cæsaris nece Liberator similiter Ciuium, conspicuus, ibique inscriptus M. BRUTUS IMP. & Legatus eius, a quo idem nummus, paullo post conspiciendus, est in illius honorem cusus, quod monuit iam ibidem celebris Antiquarius, COSTA LEG. *Pedanius* nempe *Costa* eiusdem Bruti *Legatus*. Neque vero mirabitur, ut opinor, quispiam *Primi Consulatus* prioris Bruti, & quo insigni adeo generis auctore (quamquam refragantibus, iuxta Dionysium Halicarnassensem, accuratissimis rerum Romanarum Scriptoribus) renouatam in eodem nummo, post quinque scilicet sæculorum decursum, memoriam, ac potiori quidem iure, quam a Liuio alicubi dicitur: [a] *L. Sextius de plebe* PRIMUS CONSUL; aut [b] *Pompeius* CONSUL PRIMUS SINE CONLEGA in Fastis, ac apud [c] Pædianum traditur; ac in prioribus similiter, NERO &c. SOLUS SINE CONLEGA; aut quomodo alibi Liuius: [d] *T. Lartium*, *Dictatorem* PRIMUM, *Sp. Cassium Magistrum Equitum*, *creatos inuenio:* alio autem loco: [e] *Caius Licinius Stolo*, PRIMUS (de plebe nempe) *Magister Equitum*; ac, ut alia mittam, [f] *Q. Publilius Philo Prætor* PRIMUM *de plebe*. Sic alibi in Fastis Capitolinis, [g] *Censores Q. Cæcilius Metellus Q. Pompeius* AMBO PRIMI *de plebe*: Immo inferiorum etiam Magistratuum, quos quis *Primus* gesserit; aut aliarum rerum, quas quis *Primus fecerit*, consignata est subinde in illa nummorum penu memoria. Ita, prius quod adtinet, legitur in Gentis *Flaminiæ* denario, L. FLAMINI CHILO IIIIVIR PR. FL. seu *Quatuoruir Primus Flauit*, nempe *Quatuoruir Monetalis*. In aliis vero nummis occurrunt SEX NONIUS PR. LUD. V. P. F. *Sextus Nonius Prætor Ludos Votiuos Primus Fecit:* aut, MEMMIUS ÆD. (Ædilis) CEREALIA PRIMUS FECIT: ac in denariis Gentis *Seruiliæ*, FLORAL. PRIMUS, nempe *Floralia Primus Fecit*. Ut vero PRIMI CONSULIS facta est in superiori nummo mentio; ita in aliis a repetito eodem summi in Republ. honoris fastigio quæsitum clarissimis viris aut Familiis apud posteros decus. Sic in iis M. Antonius COS. DESIG. ITER. ET TER. aut *Iterum & Tertium:* aut M. AGRIPPA COS. TER; vel L. ATRATINUS COS. DESIGN. TER; Claudius vero Marcellus COS. QUINQ. seu *Consul Quinquies*. Ita Julius Cæsar COS. QUINT. similiter, ut de prioribus eius Consulatibus, qui in aliis eius nummis itidem signantur, nihil dicam; neque de repetitis postea magno numero; quod est alterius loci, sequentium Imperatorum Consulatibus. Adde, quòd Valerio Messalæ, Ædili Curuli, nihil ad prodendam apud posteros gloriam maius sit visum, quam ut se PATRE COS. seu *Consule* munus illud Ædilitium gessisse publico id genus ære vel argento testaretur: ut docebit sequens nummus, & cui ille, de quo modo, præmittendus venit, in quo L. BRUTUS PRIMUS COS. signatur; in altera vero nummi area, M. BRUTUS IMP. COSTA LEG. uterque vero Brutus in corona querna, ut diximus, conspicuus.

Antiq. lib. v. p. 292.

a Lib. VI. c. 42.
b Ad A. V. C. 701.
c Argum. Pison.
d Lib. II. c. 18.
e Lib. X. c. 8.
f Lib. VIII. cap. 15.
g Ad A. V. C. 622.

Mitto hic alium, ac inferioris longe ævi, labentis nempe Romani imperii sub Honorio Imperatore, *Valerium Messalam:* & quidem quem velut a *primo Consule*, qui tertius demum exstitit, *Valerio Publicola* (ni de *primo* Gentis *Valeriæ Consule* id intelligi debeat) genus ducentem, celebrari videas a coævo eidem poëta Rutilio,

Itiner. v. 271.

Hic est qui PRIMO *seriem de* CONSULE *ducit*,
Usque ad PUBLICOLAS *si redeamus avos.*

Ne iam addam haud hunc *Valerium Publicolam*, PRIMI, & quidem non solum prolati modo nummi, sed omnium insuper veterum Auctorum ac monumentorum fide, CONSULIS BRUTI Collegam, sed M. HORA-
Lib. III. c. 22. TIUM aperte tradi alicubi a Polybio: nempe Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον, ΤΟΥΣ ΠΡΩΤΟΥΣ καταστάντας ΥΠΑΤΟΥΣ, μετὰ τῶν βασιλέων κατάλυσιν, *Lucium Junium Brutum & Marcum Horatium* PRIMOS *creatos* CONSULES, *post Reges exactos.* Qui alioquin *M. Horatius* cæso demum Bruto, & quartus, etsi primo adhuc post Regifugium anno, in eo Consulum ordine, post Collatinum nempe, Publicolam, & Sp. Lucretium, ac Publicolæ, non Bruti, Collega vulgo apud Auctores, Liuium, Dionysium, Plutarchum, aliosque, ac in Fastis Capitolinis con-
Lib. II. c. 8. signatur. Tradit quidem Liuius, se apud quosdam Auctores non inuenisse Sp. Lucretium Consulem, sed qui, ut addit, *Bruto statim Horatium suffecerunt.* Quæ tamen a Polybio abeunt, alterum ab exactis Regibus ac statim una cum Bruto Consulem, non *Collatinum* vel *Publicolam*, sed illum *M. Horatium* statuente. De quo miror, ob Polybii auctoritatem ac nomen, nihil ad Liuium, vel uno verbo, a viris eruditis tangi; aut vero ab iis, quos equidem viderim, qui in illustrandis Romanis antiquitatibus ac Fastis sedulam cæteroquin operam nauarunt. Et hæc quidem dudum notaueram, quum consultis, si quid forte ea de re monitum foret, doctissimi clarissimique Dodwelli Notis Chronologicis in calce Dionysii Halicarnassensis, nuper admodum singulari viri eruditissimi ac numerandi inter præclara Athenæi Oxonienſis decora Joannis Hudson operâ vulgati, fa-
Not. ad Chronol. Dionys. Halic. p. 81. circa finem To. II. ctam Polybiani huius loci mentionem continuo deprehendi: ac inde id de *M. Horatio* ab eo dictum statui, quod *Regifugii* Epocham a Templi Capitolini dedicatione & fixis in eo clauis, quod ab hoc M. Horatio fa-
Lib. VII. c. 3. ctum tradit alibi Liuius, deducit Polybius; atque ita secundum Horatii Consulatum, unde claui procedebant, pro *Regifugii* Epocha habuerit Polybius.

II. *De*

II. *De* CENSORUM *dignitate in nummis.*

1. *De Censorum dignitate apud Romanos, & transuectione Equitum.*

Consulari fastigio addemus hic continuo CENSORIUM; prout etiam in Fastis Capitolinis addi Consulum nominibus, e quibus Fasti iidem constant, CENSORUM nomina cernimus. Immo quem Magistratum absolutum ac ἀνυπεύθυνον, seu *nulli reddendæ rationi obnoxium*, vocat [a] Dionysius Halicarnassensis, omnium maxime sacrum a Romanis habitum, ac plurimum potuisse, eumque inde ab iis in maxima veneratione habitum tradit [b] haud uno loco Plutarchus: & [c] alibi summum vocat in urbe Magistratum, ac Reipublicæ gerendæ quasi culmen: unde etiam [d] Pompeium a Crasso dignitate Censoria superatum idem alibi obseruat. Ut proinde idem Magistratus [e] ad Augustum fuerit cum aliis summi imperii titulis ac iuribus delatus; & quem cum is aliis priuatis in speciem detulisset, ab eo tamen maiori ex parte exercitum docet [f] Dio; ac dein ab aliis quoque Imperatoribus, qua de re alibi agetur. Unde utique haud verisimile videbatur, ut, quum alii ferme omnes in urbe Magistratus, in antiquis nummis liberæ urbis temporibus, aut paullo post, cusis, consignati reperiantur; nulla conspicuæ adeo in eâdem, & Curulis quidem, ut e Liuio paullo ante vidimus, Dignitatis, ac aliarum, iuxta Plutarchum, velut fastigii expressa memoria cerneretur. Ad quam vero spectare omnino mihi visus est, ut iam olim monui, sequens denarius Gentis *Liciniæ*, quem ad P. Licinium Crassum, Equitatui in Gallia a Julio Cæsare Præfectum, referebat eruditissimus Fuluius. Verum liquebit facile, eodem nummo designari potius transuectionem Equitis (qui equum nempe ipse pedes capistro tenet, & cuiusmodi transuectio coram Censoribus, ut vulgo notum, fieri consueuerat) quam ipsam Equitatus Præfecturæ Dignitatem. Unde continuo respicere eundem denarium olim monui ad *Censuram* a P. Licinio Crasso cum L. Julio Cæsare gestam, ut e Fastis Capitolinis, [a] Cicerone præterea, [b] Plinio, ac aliunde constat. Quod a celebri Antiquario in nupera editione huius penus Familiarum Romanarum nummariæ monitum quoque lubens video; etsi huius rei a me pridem obseruatæ nulla fiat ab eo mentio. Id vero ibidem diximus firmari insuper singulari Claudii Imperatoris nummo; in quo ipse Imperator sedens pro tribunali, ante eum vero similis Equitis transuectio spectatur; adscriptus vero infra, ne id dubium cuipiam deinceps foret, ac pro more Imperatorum ea adhuc ætate, ut id a Dione traditur, & qua de re, ubi de Imperatorum Censura, agetur, recepto, nempe CENSOR. Quamquam de priori illo P. CRASSI denario olim addideram: nempe eo forte designari eundem CRASSUM Principem iuuentutis, quales vulgo nobilissimi adolescentes, ut aliunde notum, creabantur. Quod egregie utique firmaret Commodi nummus, quem possidebat magnus harum antiquitatum cultor Cardinalis Leopoldus Mediceus; in quo visebatur similis plane typus stantis figuræ, quæ equum tenet; ut eo innueretur idem Commodus inter *Principes Iuuentutis*, quod e Lampridio discimus, cooptatus. Mitto vero, quod eximius Morellius de dicto *Liciniæ* Gentis nummo alicubi obseruat; nempe, quod figura in eo galeata & equum ducens, sit muliebris, eaque ad pedes habeat modium, ut vix referri ad *Censorem* eadem possit. Etsi enim singulari

a Excerpt. ult. ed. Oxon. p. 748.
b In Camillo p. 135. & Coriolano p. 275.
c In Catone p. 347.
d In Crasso p. 566.
e Dio Cass. l. LIII. p. 508.
f Ibid. p. 521, 522.
Lib. XL. cap. 45.

a Pro Archia cap. 5.
b Lib. XIII. cap. 3.
Vaillant Fam. Rom. p. 31. To. II.

Lib. LIII. p. 509.

In Commodo cap. II.

gulari omnino, ac merito peruulgatæ viri illius, nunc τῦ μακαρίτε, in versandis nummis antiquis fidei ac peritiæ, mihi coram, cum per annos aliquot in Galliarum metropoli olim agerem, tum dein in Germania, pridem notæ in primis & compertæ, nemo equidem, quam ego facio, plus tribuat: illud tamen aduertendum venit, quòd, ut alia iam mittam, non muliebrem figuram, sed virilem equum capistro ducentem signari, eandemque, uti factum a me olim fuerat, de equitis coram Censore transuectione, a celebri, & qui in tractanda veterum nummorum penu ætatem triuit, Antiquario, in nouissimo opere, quod paullo ante iam indicaui, similiter adduci & explicari videam. Exstat vero alius insuper nummus, & qui primo loco memorari ante duos priores debuisset, ni ille primum a celebri Antiquario e Goltzii Fastis in nouissimum Familiarum Romanarum opus, & quidem in Gentem *Tulliam*, fuisset illatus. Exhibet vero ille in primi nummi area, quod supra iam vidimus, caput Regis Seruii Tullii vinctum diademate, cum inscriptione SERVI, & addito M. Tullii signati in altera nummi area, quique Consul exstitit, cognomine DECULA: illinc vero, & quod hic demum respicimus, figuram stantem, quæ equum capistro tenet, & cum dicto *Deculæ* prænomine ac gentili nomine, M. TULLIUS M. F. In memoriam autem instituti ab illo Rege SERVIO, & a quo se originem ducere, ut supra vidimus, testaretur, *Census* (quem *pacis longe maximum opus, & rem salubberrimam tanto futuram imperio* vocat, ubi ea de re agit, Liuius: Dionysius autem, σοφώτατον ἁπάντων πολιτευμάτων, *sapientissimum omnium ciuilium institutorum*, & quod addit, *maximorum* Reipubl. bonorum caussam) expressa cernitur illa, quæ in Censu faciendo vel primas tenuit, Equitum transuectio. Merentur vero huc adferri Plutarchi de illa Equitum transuectione coram Censoribus verba, quæque memoratis illis tribus, & qui mox hic subiicientur, nummis, commentarii vicem præstant: *Mos est Equitibus Romanis, ubi legitimum stipendiorum tempus expleuerint,* EQUUM *in forum* AD CENSORES ADDUCERE, *enumeratisque singulis, sub quibus meruerant, ducibus ac imperatoribus, militiæ vacationem petere. Ibi & honor habetur & ignominia, pro cuiusque vita acta. Sedebant tum decenter pro tribunali Censores Gellius & Catulus, &* TRANSVEHEBANT EQUITES. Ἦθος γάρ ἐστι Ῥωμαίων τοῖς ἱππεῦσιν, ὅταν στρατεύσωνται τὸν νόμιμον χρόνον, ΑΓΕΙΝ εἰς ἀγορὰν ΤΟΝ ΙΠΠΟΝ ἐπὶ τοὺς δύο ἄνδρας, οὓς ΤΙΜΗΤΑΣ καλοῦσι· καὶ καταριθμησαμένους τῶν στρατηγῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἕκαστον ὑφ' οἷς ἐστράτευσαντο, καὶ διδόντας εὐθύνας τῆς στρατείας ἀφιέσθαι· νέμεται δὲ καὶ τιμὴ καὶ ἀτιμία προσήκουσα τοῖς βίοις ἑκάστων· τότε δὴ προσεκάθηντο μὲν οἱ τιμηταὶ Γέλλιος καὶ Κάτυλος (non Λέντυλος, ut vidit Interpres) καὶ ΠΑΡΟΔΟΣ ἦν ΤΩΝ ΙΠΠΕΩΝ ἐξεταζομένων. Quibus addit, conspectum mox Magnum Pompeium, reliquis Magistratus insignibus ornatum, equum vero manu trahentem, quem rostris coram Censoribus admouerit; a quibus rogatus, an omnia stipendia impleuerit, responderit, omnia se impleuisse, & quidem se ipso Imperatore. Solitam vero Censorum ad singulos transuehentes coram iis Equites, citatos prius e Censoriis tabulis a præcone, ac ubi iidem nullam erant Censoriam notam meriti, formulam, docebit, ut obseruo, Valerius Maximus: nempe, *traduc equum.* Ubi vero in ea transuectione notati erant a Censoribus equites, *adempti* tum iis *equi*, sicut

Vaillant.

Lib. I. cap. 42.

Antiq. lib. IV. p. 221.

In Pompeio pag. 630.

Lib. IV. cap. I, 10.

L.

L. Scipioni Asiageni factum a Censoribus M. Porcio Catone & L. Valerio tradit Liuius: *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni* ADEMPTUS EQUUS, alibi: *Censores Q. Metellum Quæstorem proximo anno* ADEMPTO EQUO *tribu mouerant, atque ærarium fecerant*; & in simili facto iam ante Cicero, unde utrique Auctori lux accedit: *Censor Lepidus, cum M. Antistio Pyrgensi* EQUUM ADEMISSET. Ut vere proinde sit ab Asconio Pædiano de Censoribus monitum: *Ii ciues sic notabant &c. ut qui Eques Romanus, equum publicum perderet.* Immo, ut hoc insuper addam, nec alieno utique loco, vendere equum iidem a Censoribus iussi; quo nempe pecunia ex ea emptione in ærarium publicum inferretur. Constat id utique e singulari omnino apud [a] Liuium, ac [b] Valerium etiam, duorum Censorum, M. Liuii & C. Claudii, facto: qui ex residua vetere inter ipsos simultate, alter alterum, ubi census equitum ab iis actus est, *vendere equum* iussit. En trium vero dictorum paullo ante nummorum icones, quæ nobilem hanc *Censuræ* Romanorum partem, illam nempe *Equitum transuectionem* nobis adhuc conspiciendam præbent:

Lib. XXXIX. c. 44.
Lib. XXIV. c. 43.
De Orator. l. II. c. 71.
In Diuination.
a Lib. XXIX. c. 37.
b Lib. II. c. IX, 6.

Ad CENSORIAM vero dignitatem indicandam, unum insuper POSTUMIÆ Gentis nummum, eumque primum a se vulgatum, retulit Cl. Patinus, quique inde est a celebri Antiquario, etsi, ut ei videbatur, foret ille ad Coloniarum seriem potius ablegandus, similiter inter Gentis *Postumiæ* nummos positus. In quo autem nummo vir togatus, seu Censor dictis Antiquariis, stans dextrâ vas cum lustrali aqua, sinistrâ oleæ ramum tenet; quod proprium foret Censorum, ut obseruat Patinus, ac suffragante eidem laudato modo Antiquario, adspergine oleæ rami populum lustrare. Constat certè singulis quinquenniis, quod apud Auctores rerum Romanarum est vulgo obuium, urbem, seu ciues, in fine peracti Census lustrasse Censores piacularibus quibusdam sacrificiis, quæ *Suouetaurilia* a [a] Varrone ac [b] Liuio, ubi de hac Populi Romani, non proinde agri solum, ut apud [c] Catonem, vel areæ restituti sub Vespasiano Capitolii, apud [d] Tacitum, lustratione agitur, vocantur. *Solitaurilia* vero, non in genere solum de solemnibus quibusdam Romanorum sacrificiis, ut apud [e] Quintilianum, [f] Festum, & in Glossis, quod viderunt iam [g] viri docti, sunt dicta, sed ab Asconio Pædiano nominatim, ut obseruo, de hoc Censorum lustrali sacro appellata: [h] *Iidem* (Censores) *completo quinquennio urbem lustrabant*, & SOLITAURILIA *sacrificia de sue, oue, tauro faciebant.* Quod autem *lustrale sacrum*, Dioni καθάρσιον, & *conditum lustrum* a Romanis Scriptoribus appellatum constat, auctore quoque illius instituti, qui Censum primus induxit, signatus autem & effictus cernitur in priori eiusdem nummi area, ut supra vidimus, SERVIO. Cuius autem Censorii sacri conditique simul a Censore, minore Scipione Africano, lustri meminit

½.
De Lustro *ab uno e* Censoribus *condito.*
Vaillant Fam. Rom. p. 312. To. II.

a De R. R. l. II. c. 1.
b Lib. I. c. 44.
c De R. R. c. 141.
d Hist. l. IV. c. 53.
e Inst. lib. I. c. 5.
f In Solitaurilia.
g Vid. Lipsi. ad Tacit. Hist. IV. c. 53.
h In Diuination.

Lib. IV. c. 1, 10.

Valerius Maximus ; & lustratæ quoque urbis , non tamen a Censore & in acti census fidem , sed ob prodigia sub initium belli ciuilis inter Cæsa-
Lib. I. v. 593. rem ac Pompeium Romæ visa , & quidem a Tusco vate , Lucanus. Ut hoc addam insuper , ad maiorem nummi modo memorati lucem , quòd etsi in genere *lustrum* dicatur passim apud eundem Liuium aliosque , a *Censoribus conditum* , ac in Fastis Capitolinis , CENSORES LUSTRUM FECERUNT , aut vero NON FECERUNT : ut postremum de *Censoribus* L. Antonio & P. Sulpicio in iisdem Fastis legitur , ad annum V. C. DCCXII : ab uno tamen Censore , ac sortitione quidem inter eos præuia , id factum.
De L. L. lib. v. Quod utique docet Varro : *Ubi Prætores Tribunique plebei , quique in consilium vocati sunt , venerunt* ; CENSORES *inter se sortiuntur* , UTER LUSTRUM FACIAT , *ubi templum factum est. Post autem conuentionem habet* , QUI LUSTRUM CONDITURUS EST ; ubi *conuentionem* pro *concione* dici , antiquo more , e Festo obseruat magnus Scaliger. E quo loco autem continuo illustratur , quod non duo Censores in dicto *Postumiæ* Gentis nummo , sed unus demum *Censor* populum peracto censu lustraturus conspiciatur. Immo prout etiam post decretum a Censoribus M.
Lib. XXIX. cap. 37. Liuio Salinatore & C. Claudio Nerone censum , dici etiam a Liuio videas : *Censa cum iis ducenta decem quatuor millia hominum :* CONDIDIT
Lib. XXXIII. cap. 9. LUSTRUM C. CLAUDIUS NERO. Idem quoque Liuius alibi : *Censores priore anno erant creati , Sex. Ælius Pætus , & C. Cornelius Gracchus* , CORNELIUS LUSTRUM CONDIDIT.

3. *De* Censoribus *in Coloniis.* *Censores* vero fuisse itidem in Coloniis (ad quos etiam spectat , ut mox dicetur , hic *Postumiæ* Gentis nummus) populi Romani , ac in Municipiis , qui in iis Censum quoque agerent , e Cicerone pro [a] Cluentio , ac [b] Liuio , a quo postremo de *Censoribus* duodecim in Italia *Coloniarum* , haud uno loco agitur , monuit pridem Sigonius. Quod e Neapolitana apud diligentissimum Sponium inscriptione illustratur :

a Cap. IV.
b Lib. XXIX. c. 15. & 37.

Miscell. pag. 169.

S. P. Q. NEAPOLITANUS
D. D. L. ARRONTIO L. F.
GAL. BÆBIO CENSORI
REIPUB. NEAP.

In Verrem II. cap. 53. Adde Ciceronem de *Censoribus* in Sicilia , ac proinde extra Italiam , agentem , iisque summa cura a Siculis deligi solitis. Hoc autem *Censorum* , in Coloniis id genus , munus , ad dictos in iis *Duumuiros Quinquennales* spectare , quòd uti Romæ , ita illi etiam in iisdem urbibus singulis quinquenniis crearentur , ad hunc *Postumiæ* Gentis nummum , qui id ipsum com-
Vaillant. Fam. Rom. To. II. p. 312. probat , vidit iam celebris Antiquarius , in quo nempe circum Censorem stantem cum vase & ramo lustrali , inscribuntur M. POSTUM. ALBIN. L. PORC. CAPIT. IIVIR. Q. *Marcus Postumius Albinus Lucius Porcius Capito Duumuir Quinquennalis.* Sequitur vero eiusdem nummi , qui de eo dictis fidem adstruat , typus , cum AUGUSTI capite in priore nummi area.

Mitto

Mitto quòd, quum L. Licinius & Cn. Domitius ſimul Cenſores, ut e Faſtis Capitolinis conſtat, exſtiterint, inde iuncta eorundem in aliquot Gentium Romanarum nummis nomina, ut in *Aurelia*, *Caſconia*, *Domitia*, *Licinia*, *Poblicia*, in geſti nempe ab utroque magiſtratus illius memoriam, ſtatuit eruditiſſimus Fuluius; etſi absque ullis cæteroquin typis vel ſymbolis, quibus Cenſoria illa Dignitas, unde eandem illuſtrare præterea liceat, in iis deſignetur.

III. *De* PRÆTORIBUS *in Nummis.*

1. *De* Prætorum *inſignibus in nummis.*

Proximam vero Conſulari apud Romanos Dignitatem, immo quæ abſentibus Conſulibus eorum munus ſuſtinuiſſe a [a] Cicerone ac a [b] Dione Cocceiano dicitur, PRÆTORUM nempe, haud minus conſignant veteres id genus nummi; ceu decus inde illuſtribus, quæ illâ fungebantur aut functi erant, Quiritium Familiis partum. Unde, uti Familiæ *Conſulares*, ſic aliæ *Prætoriæ* apud eundem Tullium dictæ: [c] *Hic Familia* CONSULARI *eſt*, *ille* PRÆTORIA: *reliquos video eſſe ex Equeſtri loco.* Quum vero, ut vulgo notum, Curulis foret itidem Magiſtratus, neque unum paulatim conſtitutum ſit PRÆTORUM in urbe genus; verum eorum primo, qui ius Romæ dicerent, dein, qui ad regendas Populi Romani prouincias, aut cæteroquin cum militari imperio mitterentur; tum qui prius Quæſtiones publicas de certis criminibus in urbe exercerent; ita promiſcue iidem initialibus primis illius Magiſtratus literis PR. ſeu *Prætoris*, & communibus præterea *Sellæ Curulis*; *Bilancis* ſubinde, vulgati Juſtitiæ, ut ſimiliter in aliquot Cæſarum nummis, ſymboli; *Faſcium* præterea, quandoque & *Securium*, inſignibus: *Urbani* autem *Prætores* nominatim *Ludorum*, quibus Romæ præerant, *Apollinarium* indicibus ſimulacris, in priſcis Gentium Romanarum nummis etiamnum deſignantur. Ut vero ſeorſim ac paullo adtentius de iis aliquid tangam, quæ intacta ferme reliquerunt præſtantes Antiquarii, aut minus vere vel accurate non iidem ſolum, ſed alii viri inſuper præclari adtigerunt: priora illa, *Sellam Curulem* nempe, ac *Bilancem* deſuper, continuo ante oculos ponent ſequentes nummi, quorum duo priores a Goltzio in Faſtis primum vulgati, inter Gentium Romanarum *Flaminiæ*, ac *Fuluiæ* denarios ſunt nuper a celebri Antiquario adducti: tertius autem nummus ab eruditiſſimo Urſino in Gente *Licinia*, ac inde a me iam olim quoque eſt prolatus.

a Lib. x. Epiſt. Fam. 9.
b Lib. LIX. p. 659.
c Pro Plancio cap. VI.

Quo-



2, *De* Fascibus & Securibus Prætorum, *ac eorum numero.*

Quorum autem symbolorum vel insignium ratio, quum plana sit ac obuia, haud adtinet ulterius iis immorari. *Fasces* vero & *Secures* quod spectat, iis præter Consules, aut Dictatores, summi quippe imperii insignibus, nec promiscue tamen, uti de Consulibus quoque paullo ante vidimus, & qua de re mox, usos Prætores constat. Quum vero infra Consulare imperium esset illud *Prætorium*, etsi iidem *Collegæ Consulum* fuerint dicti, quod e [a] Liuio, ac Messala apud [b] Gellium monuerunt iam viri docti; ita minorem etiam *Fascium*, prout de *Securibus* mox dicam, tam in urbe, quam extra urbem, concessum *Prætoribus* numerum, nemo in Romanorum antiquitatibus haud plane hospes ignorat. Unde ut *Consulares* subinde, quod iam supra vidimus, ita [c] *Prætorii* etiam, ac [d] *Prætoræ Fasces* dicuntur sequiori adhuc æuo apud urbis Prætorem Symmachum: ac similiter in Constantii Imperatoris ad Senatum de Prætoribus Oratione, & constituta inde lege, quæ exstat in Codice Theodosiano: [e] *Oportuit adpeti splendidos* FASCES. Mox: *A vobis ergo* PRÆTORES *placuit designari, & vestro eligi arbitrio iussimus, qui suscipiant* FASCES. Quamquam, an *duo* demum, vel plures, & quidem *sex*, fuerint *Fasces*, quibus Prætores sint in urbe usi; adde, an tum ii cum additis *Securibus*, vel sine illis, sint iisdem Prætoribus prælati, haud ita liquere videatur: maxime, si celebrem Antiquarium consulas in nupera explicatione veterum id genus nummorum, in quibus non *Prætorii* solum *Fasces*, sed *Secures* etiam *Prætoriæ* conspiciuntur. Ibi etiam: „ [f] Prætorum insigne fuisse *duos Fasces*, qui„ bus utebantur: [g] alio loco, „ *Secures* ibidem conspici, ut ius vitæ se ha„ bere significarent, quas *Duo Lictores* ante eos tulerint: ac prout alio adhuc loco tradit, ut de Urbanis Prætoribus, seu ius Romæ inter ciues dicentibus, eum ibi loqui intelligas: „ [h] *Duobus Lictoribus* usum esse Præ„ torem Urbanum, docente id Censorino. A quibus tamen idem alibi, & in eodem quidem opere, discedit, dum ait: „ [i] Censorinus de Die Nata„ li, Prætorem Urbanum Lictoribus duobus usum esse narrat, sed Poly„ bius & Plutarchus sex illis datos fuisse scribunt; quod confirmat denarius. Adeo ut, ea equidem in re, haud sibi constare præstantem Antiquarium, nimis utique liqueat. Quamquam, ad prius quod adtinet, de *duobus* demum *Fascibus*, aut *Lictoribus*, quibus Prætores in urbe uterentur, id a duobus veteris cæteroquin Romanorum πολιτείας præclaris omnino enarratoribus, Manutio ac Sigonio, adde, qui eorum hic, ut alibi, legit vestigia, [k] Pighio, tradi continuo videas: & quidem, vel e Legis Lætoriæ apud Censorinum, vel e Ciceronis insuper verbis, iuxta Manutium [l] duobus locis id adferentem; nec de Urbano solum Prætore, ut [m] Sigonius, sed in genere de iis, qui in urbe erant, Prætoribus. Ac Legis quidem Lætoriæ hæc sunt apud Censorinum verba: [n] PRÆTOR URBANUS, *qui*

a Lib. VII. c. I.
b Lib. XIII. c. 15.
c Lib. VIII. Epist. 14.
d Ibidem Epist. 70.
e Leg. XV. Theod. de Prætoribus &c.
f Vaill. Fam. Rom. p. 84. To. II.
g Idem p. 474. To. I.
h Idem p. 87. To. II.
i Idem p. 57. To. II.
k Annal. l. IV. p. 266. To. I.
l Com. ad Orat. de L. Manil. c. XII. & ad Orat. II. de L. Agrar. c. XXXIV.
m De Judiciis lib. I. c. 7.
n De Die Natali cap. XXIV.

qui nunc eſt, quique poſthac fuerit, DUOS LICTORES *apud ſe habeto: isque ſupremum ad ſolem occaſum ius inter ciues dicito.* Unde etiam Sigonius, ubi agit de his Prætoris Urbani inſignibus, *duos* tantum *Lictores*, iuxta hæc Legis Lætoriæ verba, adducit; nulla cæteroquin *Faſcium*, ut a Manutio factum, minus autem, quod nec decuit, *Securium*, iuxta celebrem, ut modo vidimus, Antiquarium, quas nempe iidem Lictores huic Prætori Urbano præferrent, iniecta mentione. Ciceronis vero locus, quem indicat, tanquam eiusdem rei teſtem, Manutius, exſtat in ſecunda Oratione de Lege Agraria; ubi de Campanis apud Capuam ait, non *Duumuiros* ab iis, cæterarum Coloniarum more, appellatos fuiſſe, ſed *Prætores:* quibus, quod ſubdit, *anteibant Lictores non cum bacillis, ſed, ut hic* PRÆTORIBUS *anteeunt, cum* FASCIBUS DUOBUS. Juxta Polybium vero & Plutarchum, quod ibidem memorat Manutius, non id ad Prætores in urbe reſpicit, qui *duos* tantum, ut ille exiſtimat, *Faſces* habuerint: ſed & vere quidem, ad Romanos Prouinciarum Prætores, qui *ſex Faſcibus*, qua de re mox, ſint uſi. Quot vero, *ſex Faſces*, non celebris ſolum Antiquarius, & poſtremo quidem, quem adduximus, loco, Prætoribus in urbe tribuit; ſed nominatim *Prætori Urbano*, ac totidem inſuper *Secures*, iuris publici priuatique Romanorum bene cæteroquin peritus Hotomannus, qui id ſcilicet ſtatuit a Polybio & Plutarcho tradi (de quibus modo Manutius) unde illum magiſtratum ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν, id eſt *ſex Securium*, appellarint. Qua equidem viri doctiſſimi notatione, ut mox patebit, nihil dici potuit minus vero conſentaneum.

Ut ſupra.

Cap. xxvi.

Fam. Rom. p. 57. To. II.

De Magiſtrat. Roman. cap. de Prætore Urbano.

3. *Continuatio eiusdem argumenti, ac de discrimine ea in re inter* Prætores in Urbe *&* Prouinciales.

Unde, ut ea de re, ſeu de *Faſcium*, vel *Securium*, quibus PRÆTORES olim Romæ, aut in prouinciis ſint uſi, numero ac discrimine aliquanto liquidius conſtet; certiorque inde lux ſequentibus poſtea aliquot nummis, cum ſolemnibus illis Prætorum inſignibus, continuo accedat: id equidem liquet, Romanos *Prætores* cum Στρατηγοὺς vulgo, ac ſolemni eam in rem voce, tum ſpeciatim Ἐξαπελέκεις etiam, ſeu *ſex Securium*, a Græcis, ubi res Romanas tangunt, Auctoribus, uti non a [a] Polybio ſolum, nec uno quidem loco, ſed a [b] Diodoro inſuper in Excerptis Valeſianis, [c] Appiano, ac [d] Dione Cocceiano, ſubinde appellatos: imperium vero illud, ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν, *ſex ſecurium magiſtratum*, a [e] Polybio itidem, & cui Plutarchum addunt Hotomannus, Pighius, aliique dein, & de quo poſtea, nuncupari. Verum eo Ἐξαπελεκέων nomine, ii demum Romani Prætores ab illis deſignantur, qui extra urbem militarent, ſeu ad regendas prouincias cum militari imperio mittebantur; non vero ii, qui Romæ ius dicerent, & quos vulgo dicto Στρατηγῶν (de cuius vocis primæua origine ac uſu, pro *populi duce*, [f] alibi egimus) nomine demum vocant. Unde etiam utrumque ſubinde, ut obſeruo, nempe Ἐξαπέλεκυν Στρατηγὸν, ubi iis de militari Prætore, ut prouinciæ alicuius Præſide, ſermo, coniungunt Græci id genus Auctores. Sic Polybius, ubi agit de L. Poſtumio Prætore in Galliam a Romanis, ſecundi belli Punici temporibus, miſſo: Αὐτοὶ δὲ Λεύκιον μὲν Ποστούμιον ΕΞΑΠΕΛΕΚΥΝ ὄντα ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ, στρατόπεδον δόντες, ἐς Γαλατίαν ἐξαπέστειλαν· *Ipſi vero* (Romani nempe) *L. quoque Poſtumium, habentem* SEX SECURES PRÆTOREM, *data ei legione* (quæ poſtrema omittit ibi ὁ πάνυ) *in Galliam miſerunt.* De quo nempe Poſtumio tradit Liuius, creatis Romæ pro recepto iam more, duobus Prætoribus,

a Lib. II. c. 24, l. III. c. 40. & c. 106.
b Pag. 305, 347.
c Syriac. p. 95.
d Lib. XLIII. p. 505.
e Lib. III. cap. 40.
f Not. ad Juliani Imp. Orat. I. p. 76. & Diſſert. IX. de Præſt. Num. p. 697. To. I.

Lib. III. cap. 106.

qui ius inter ciues, aut inter ciues & peregrinos dicerent, duos Prætores additos, eosque itidem absentes; nempe *M. Claudium in Siciliam*, *L. Postumium in Galliam*. Ita Ἑξαπέλεκυν Στρατηγὸν vocat quoque aliquoties Diodorus in dictis supra Excerptis Valesianis; uti Tib. Sempronium Gracchum in citeriore Hispania Prætorem; aut L. Plautium, cui eadem quoque prouincia sorte, ut e Liuio constat, obtigerat. Polybius vero alibi Ἑξαπέλεκυν Ηγεμόνα, *Prætorem* aduersus Gallos in Etruria constitutum; ac similiter L. Atilium aduersus Boios missum. Quem *sex Securium* similiter numerum *Prætoribus* ad militare imperium obeundum, liberæ urbis temporibus missis, sicut *duodecim*, Consulibus exercituum itidem Ducibus, tributum docet similiter Plutarchus: ubi L. Paullus Æmilius, tum Prætor (quo respexit loco supra indicato Manutius, ac Sigonius dein, aliique) οὐκ ἐξ ἔχων πελέκεις, ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, *non cum sex Securibus, quot habere soleant id genus Prætores*, sed, ut addit, quo *dignationem haberet Consularem*, *cum duplicato numero*, ad ortum in Hispania bellum administrandum dicitur missus. Prout de L. Gellio similiter statuendum est, & cuius etiam eam in rem meminit ad Liuium Sigonius, de quo Cicero: *Gellium familiarem tuum*, *cum Proconsule ex Prætura in Græciam venisse*. Ad eum vero Plutarchi locum respicit procul dubio Manutius, ubi *sex Fasces* Prætoribus in prouinciis datos, Polybio non solum, sed Plutarcho etiam auctore, tradit: etsi ἀρχὴ ἑξαπέλεκυς de eo *Prætorum* id genus militarium imperio a Plutarcho ibi nominatim dicatur; neutiquam vero de *Prætore Urbano*, iuxta Hotomannum, aut de aliis etiam in urbe *Prætoribus*, iuxta Pighium, dicta haud occurrat. Quod cæteroquin *Securium*, inter *militares* id genus *Consules* ac *Prætores* traditum a Plutarcho discrimen, utrosque proinde extra urbem agentes, tangit itidem Appianus, insigni eam in rem loco, cuius aliquot verba iam ante alia occasione adtulimus. Etsi vero eum alibi a [a] Sigonio, ac dein ab [b] Hotomanno quoque, adductum postea viderim, quod male sit a postremo ac erudito Appiani editore acceptus, ac superiora valde firmet ac illustret, meretur omnino integer hic adscribi. Nempe ubi ille agit de *Prætoribus*, qui, occasione imminentis ab Antiocho M. belli, sunt cum copiis in prouincias Populi Romani continuo missi: Στρατιὰν ἐφ' ἅπαντας ἐφεδρεύειν εἰρηνικῶς αὐτοῖς, καὶ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΣ ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ΕΞΑΠΕΛΕΚΕΑΣ, ὅτι τῶν ὑπάτων δυόδεκα πελέκεσι καὶ δυόδεκα ῥάβδοις (ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς) χρωμένων ΤΟ ΗΜΙΣΥ τῆς ἀξιώσεως ἐπὶ τοῖς δὲ ΤΟΙΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΙΣ, καὶ τὰ ΗΜΙΣΕΑ ΠΑΡΑΣΗΜΑ. *Ad omnes miserunt certam militùm manum, qui pacate agerent, simulque* PRÆTORES, *qui illis militibus præessent, quos ipsi vocant* SEX SECURIUM *Magistratum, quod quum Consules duodecim Securibus ac duodecim Fascibus utantur, sicut olim Reges*; DIMIDIAM *vero haberent illius dignationis partem* PRÆTORES, *ac inde etiam* DIMIDIAM INSIGNIUM: sex proinde tantum *Fasces*, ac totidem *Secures*. Quæ valde negligenter vertit ibi interpres, ut vidit in notis ad eum locum vir doctus: sed quod eum fugisse videtur, quæ bene reddiderat iam ante, ac ubi Romanis tantum verbis eum inducit loquentem, Sigonius; uti etiam ex parte, quique Appianum a se Latinè versum ibidem tradit, Hotomannus. Verum, & quod hic monendum fuit, ubi, quæ ab Appiano dicuntur ibidem de Prætoribus, qui militaribus copiis in prouinciis Populi Romani

Lib. xxii. cap. 35.
Excerpt. p. 305.
Ibidem p. 346.
Lib. xxxvii. cap. 50.
Lib. ii. cap. 24.
Lib. iii. c. 40.
In P. Æmilio p. 256.
Ad lib. xxviii. cap. 38.
De Legib. lib. i. cap. 20.
Ut supra.
Ut supra.
a De Antiq. Jur. Prou. l. ii. c. i.
b De Magistr. Rom. Cap. de Procurat. Cæs.
Syriac. p. 95.
Ut supra.

mani præeſſent quique dicti ſimiliter fuerint, apud Polybium, aliosque Græcos Scriptores, Ἐξαπελεκεις, ad quosuis *Prætores* Romanorum, dictumque etiam *Prætorem Urbanum*, male, uti plenius adhuc conſtabit, continuo in notis ad eadem Appiani verba refert vir doctus. Unde etiam, quod vidit dicto paullo ante loco Sigonius, *ſex* apud Tullium *Lictores* Verris, poſt Urbanam Prætoram, Siciliæ Prætoris, quique ibidem dicuntur, virgarum quippe faſcibus ac ſecuribus armati, *valentiſſimi, & ad pulſandos verberandosque homines exercitatiſſimi*. Quem cæteroquin morem Ἐξαπελεκέων, ſeu eorum, qui in prouincias Populi Romani Prætorias, ex Auguſti inſtituto, mittebantur, ſed cum conſulari imperio, viri Prætorii, ac inde etiam *Proconſules*, ut cum e Dione tum aliunde etiam conſtat, appellati, ſub Cæſaribus itidem obtinuiſſe, docebit præterea Joſephus, ubi de Græcis ait ſua ætate, quod Ἓξ Ῥωμαίων ὑπακούουσι ῥάβδοις; *ſex obediunt Romanorum Faſcibus*, nempe *Achaiæ*, etſi unius e *Prætoriis* populi Romani prouinciis, *Proconſuli*, ita dicto, cum apud [a] Auctores, tum in [b] Reſcriptis Principum, ac in lapidibus ac nummis etiam; & qua de re alibi, antiquis; adde & ſequiori æuo in [c] Notitia Imperii. Quamquam, ut obiter hoc addam, dicatur ſub Tiberio apud Tacitum [d] *Prætor Achaiæ* Atidius Geminus. Unus forte exſtat Plutarchi, ut obſeruo, locus, qui dubium poſſet hic aliquod movere, an non Romæ etiam prælatæ ſint *Prætoribus Secures*, ſeu *Faſces* cum iunctis *Securibus*. Quærit nempe ille in Romanis Quæſtionibus: Διά τι ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ ΑΙ ΡΑΒΔΟΙ συνδεδεμέναι περισηρτημέναι ΤΩΝ ΠΕΛΕΚΕΩΝ; *cur* PRÆTORUM FASCES *colligati feruntur appenſis* SECURIBUS? additque tum eius rei rationem, ut mora aliqua exigendo ſupplicio adferatur; qua factum ſubinde, ut de eo ſumendo mutetur ſententia: quumque vitiorum alia ſanabilia ſint, alia inſanabilia, virgis ſeu *Faſcibus* corrigantur, quæ emendari poſſunt; *Securibus* vero amputentur inſanabilia. Quam utique eorundem omnino inſignium, ſeu illigatarum cum Faſcibus Securium, rationem tradit ſimiliter Caſſiodorus, ut ad eum Plutarchi locum reſpexiſſe videatur: *Hinc eſt, quòd etiam* FASCES *atque* SECURES *tantæ poteſtati* (Conſulari nempe) *præceptæ ſunt illigari: ut cum tardius ſoluerentur, moram deliberationis acciperent, ſi de cæde aut nece hominis aliquid cenſuiſſent*. Cur vero, omiſſis *Conſularibus Faſcibus*, niſi quod ii in urbe forent ſine adligatis Securibus, de *Prætoriis Faſcibus* quærit Plutarchus, quamobrem *Secures* iidem haberent iunctas, ſi Prætores quoque Romæ Securibus caruiſſent: quum equidem Securibus tam adligati forent Faſces Conſulares ſeu Proconſulum, (quod vel ex adductis antea Conſularibus nummis vidimus) quam Prætorum, qui nempe ad regendas prouincias, cum libera adhuc urbe, tum Plutarchi etiam ætate, mittebantur? Verum haud minus eadem eius verba, ut cum recepto, de quo aliunde conſtat, more concilientur, de poſtremo hoc prouincialium *Prætorum* genere omnino debent intelligi: qui nempe urbis pomœrio egreſſi, quod docet Dio Cocceianus, *Secures* continuo, ut præcipua poteſtatis illius ac imperii inſignia, una cum iis, quos iam in urbe habuerant, Faſcibus adſumebant. Unde, ſicut iam ante liberæ urbis temporibus, qua de re mox, Ἐξαπελέκεις, ſeu *ſex Securium* Magiſtratus Prætores illi prouinciales ſunt continuo appellati; ita etiam ex Auguſti inſtituto, poſt factam ab eo populi ac Cæſaris prouinciarum diuiſionem, ſit ab iis retentum, quod vel e Dione conſtat in narratione huius

Alex. Tollius Not. ad Appian. Syriac. p. 95.

In Verrem v. cap. 54.

Bell. Jud. l. II. c. 16.

a Tacit. Ann. I. c. 76. Plin. l. v. Epiſt. b Leg. x. §. I. de Off. Proconſ. c Theſ Grut. CCCXXII, 7. d Annal. l. IV. c. 13.

Pag. 283. To. II.

Vatior. lib. VI. cap. I.

Lib. LIII. pag. 505.

Ibidem.

rei, ut, cum totidem nempe Fascibus, quot in urbe habuerant, additis totidem tum *Securibus*, ad regendas Populi Romani prouincias mitterentur viri *Prætorii:* etsi etiam iidem *Proconsulum* titulo ornarentur. Unde vero lucem mutuatur, & qui hæc simul haud parum illustrat, Festi, ut obser-

In vocibus *Prætor ad portam.*

uo, peculiaris eam in rem locus: PRÆTOR *ad portam nunc salutatur is, qui in prouinciam* PROPRÆTORE *aut* PROCONSULE *exit.* Hinc vero frequens ille Fascium cum iunctis Securibus conspectus, quos hi *Prætores*, sub alterutro illo dein *Proprætoris*, seu *Legati Augusti*, in prouinciis Cæsaris, aut *Proconsulis* in prouinciis Populi nomine, urbe egressi continuo adsumebant, Plutarcho in rationem eorundem insignium anquirendi ansam dare utique potuit; ac *Prætores* similiter eos, qui iis uterentur, uti Romæ etiam factum, ut ex adductis modo Festi verbis liquet, appellandi. Neque vero prætereundus hic est Polybius, apud quem non ἐξαπελέκεις solum, quod vidimus, & viderunt iam alii, a totidem *Securium* numero dicti *Prætores* ad militare imperium, aut ad regendam prouinciam missi; sed voce insuper, quæ cæteroquin *Lictores* eorum potius, quam *Prætores* ipsos indicaret, πελεκυφόροι, nempe *Securigeri*, seu Ouidiana voce, *bipenniferi*, vocantur: & quidem ubi Prætores illos a Consulibus distinguit, qui tum similiter exercitibus præerant, ac erant proinde itidem πελεκυφόροι, immo, ut vidimus, cum duplo maiori *Securium* numero: unde autem Plutarchi, de quo hic agitur locus, insigniter quoque illustratur. Cuius proinde Polybii verba debent omnino hic legi: Ρωμαῖοι δὲ ὡς θᾶττον ἤκουσαν τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι τὰς Αλπεις, Λεύκιον καὶ Λιμίλιον ΥΠΑΤΟΝ μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστειλαν ὡς ἐπ' Αριμίνῳ τηρήσαντα ταύτῃ τῶν ἐναντίων τὴν ἔφοδον· ΕΝΑ ΤΩΝ ΠΕΛΕΚΥΦΟΡΩΝ ἐς Τυρρηνίαν· ὁ μὲν γὰρ ΕΤΕΡΟΣ ΤΩΝ ΥΠΑΤΩΝ Γαΐος Ατίλιος προεξεληλυθὼς ἔτυχεν εἰς Σαρδόνα μετὰ τῶν στρατοπέδων. *Romani audito Gallos traiecisse Alpes, quantocyus L. Æmilium* CONSULEM *cum copiis Ariminum miserunt, qui hostis impetum illic obseruaret;* UNUM *vero e* PRÆTORIBUS (ut πελεκυφόρον, ac bene, per *Prætorem* vertit ibi ὁ στάρ) *in Etruriam:* ALTER *enim* CONSUL C. *Atilius iam ante ex Sardinia cum exercitu erat profectus.* Vides utique per πελεκυφόρους, seu *Securigeros*, non *Prætores* solum dici cum militari imperio agentes in prouinciis Populi Romani; sed etiam, quod iidem ea voce a *Consulibus*, qui tum quoque exercitibus præerant, continuo distinguerentur; quos tamen constat non solum fuisse itidem πελεκυφόρους, sed insuper cum duplo *Securium* numero. Id nempe in Consulibus minus nouum aut singulare videbatur, quod Secures iis extra urbem præferrentur, quibus illi continuo ab exactis Regibus in urbe erant usi; & quas, eà cum imperio egressi, semper habuerint: quum primus creatus fuerit *Urbanus Prætor* anno demum urbis conditæ CCCLXXXVII: alter vero, qui inter ciues & peregrinos ius itidem in urbe diceret, anno DX; breui autem, seu anno DXXVI, duplicatus sit eorum numerus, ac duorum quidem *Prætorum*, qui in prouincias Siciliam ac Sardiniam mitterentur. Unde, & quod aduerti hic meretur, sequenti anno factum est, id quod refert adductis modo verbis Polybius; nempe de L. Æmilio & C. Atilio Consulibus, ac de *Prætore*, quem dicta πελεκυφόρους *Securigeri* voce ibidem innuit, in Etruriam missō: ac proinde quum quatuor tum forent *Prætores*, ac duo quidem recenter creati, qui in prouincias populi

Metam. l. IV. v. 22. & Trist. l. V. Eleg. 3.

Lib. II. cap. 23.

Ro-

Romani eum mero ac militari imperio, mittebantur; iique cum *senis Fascibus* non solum, quos in urbe habebant iam ante *Prætores*, ius in ea ciuibus aut peregrinis dicentes, sed eum totidem etiam *Securibus*. Quamquam id iam ante contigisse statuendum est, & quidem quum unus adhuc in urbe foret Prætor, isque haud minus subinde cum militari imperio aduersus hostes populi Romani missus, uti, quo de aliis nunc sileam, *Appius Claudius Prætor cum exercitu Decciano* aduersus Samnites, iuxta Liuium; aut in eius Epitome: *L. Cæcilius Prætor cum legionibus*, aduersus Senones, *idemque ab iis cæsus*, uterque autem tum *Prætor Urbanus:* quum haud alius adhuc daretur apud Romanos Prætor, ac prout postremus etiam Στρατηγὸς est a Polybio dictus, quod monuit iam ad Liuianam Epitomen Sigonius; male autem, non *Prætor*, sed *Consul*, a magno Polybii interprete redditur, ut vidit iam, indiee eius rei filio ad eundem Polybium, doctissimus Jo. Frid. Gronouius. Quomodo etiam *Proprætorum*, seu Prætura iam functorum, quique militaribus eopiis similiter præessent, facta est haud semel iis temporibus apud Liuium mentio; ac proinde, qui singuli totidem forent Ἐξαπελέκεις, seu *cum sex Securibus:* Qua ratione autem maior quædam vis imperii, & eo spectabilior in hisce *Prætoribus* continuo apparuit: quomodo post obitam Romæ a Verre Præturam Urbanam, ae dein eum in Siciliam Prætorem Prouincialem missum, ait Cicero: *Secura prouincia est, in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi idcirco* FASCES ET SECURES, *& tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam &c.* ac iam ante in eadem Oratione de Verris Prætura in Sicilia, ae eius defensore Hortensio: *Dicit Remp. administrari sine metu ac securitate non posse: quæret, quamobrem* FASCES PRÆTORIBUS *prælati; cur* SECURES *datæ; cur carcer ædificatus; cur tot supplicia sint in improbos more maiorum constituta:* quæ Plutarchi adductis paullo ante ea de re verbis, seu ubi quærit ac rationem simul reddit, *cur Secures sint Prætoribus datæ*, sunt plane consentanea. Immo prout alibi ab eodem Oratore dicitur: DUODECIM SECURES *in prædonum potestatem peruenerunt:* ubi nempe dicuntur *duodecim Secures*, de *duobus Prætoribus* extra urbem eum imperio missis, ut e Plutarcho primus ibi vidit Manutius, Sextilio & Bileno, qui eum eorum Lictoribus fuerant a Piratis abducti. Immo ad quos Prætores respicit quoque, ut obseruo, ac inde ille Ciceronis locus illustratur, Appianus: qui agens de illa prædonum seu piratarum per prouincias ac maria populi Romani deprædatione, tradit ab iis PRÆTORES *aliquot Romanorum victos nauallibus præliis, ac in iis etiam Prætorem Siciliæ:* Καὶ γὰρ τινὰς ἤδη Ῥωμαίων ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΣ ναυμαχίᾳ νενίκησαν, ἄλλους τε καὶ τὸν Σικελίας. Adeo *ut duodecim Secures*, de *Prætore* illo *Siciliæ*, illoque insuper eum imperio militari, dixerit adductis modo verbis Cicero; totidem proinde, iuxta Polybium aliosque, Ἐξαπελέκεσι, aut Πελεκυφόροις, *sex Securium*, seu *Securigeris*. Quo postremo exteroquin nomine, non *Prætores* utique, uti iam ante monui, sed eorum *Lictores*, qui *sex Secures* iis præferrent, veri totidem proinde *Securigeri*, dicendi potius fuerant; sicut inde ab iis, quos similiter gestarent, *Fascibus*, eum ῥαβδοῦχοι, tum etiam ῥαβδοφόροι sunt vulgo id genus *Lictores* a Græcis Auctoribus, ae etiam ubi iunctas iis Fascibus *Secures* intelligunt, appellati. Quomodo, ut alios

Lib. x. cap. 31.
Epitom. xx.
Lib. xi. cap. 19.
Vid. lib. x. cap. 23, 26, 29, 30.
In Verrem v. cap. 15.
Ibidem cap. 9.
Pro Manil. cap. xii.
Mithridat. p. 235.

iam mittam, apud Dionysium Halicarnassensem, ubi de *Lictorum*, secures cum iunctis Fascibus Romanorum Regibus præferentium, deducto ab Hetruscis more, agit; apud quos nempe obtinuit, ἑκάστῳ τῶν κατὰ πόλιν βασιλέων ἕνα πρηγεῖσθαι ΡΑΒΔΟΦΟΡΟΝ, ἅμα τῇ δεσμῇ ΤΩΝ ΡΑΒΔΩΝ ΠΕΛΕΚΥΝ ΦΕΡΟΝΤΑ; seu Polybiana, ut vidimus, voce, Πελεκυφόρον, *ut in unaquaque* Hetruriæ *ciuitate Regi* LICTOR *unus præcat, simul cum virgarum* FASCE SECURIM FERENS. Quo loco id obiter dicendum est, & ne id cuiquam sit hic fraudi, a Græcis eas voces ῥάβδοι, vel ῥαβδοῦχοι, aut ῥαβδοφόροι, a Romanis vero Scriptoribus *Fasces*; modo de solis *virgarum Fascibus*, quiue eos ferrent *Lictoribus* dici (quoties de Consulum vel Prætorum in urbe, aut Quæstorum, de quibus postea, in prouinciis *Fascibus*, est iis sermo) modo de iunctis simul seu illigatis *Securibus*, sicubi de Regum olim, vel Dictatorum dein, eorumque tam in urbe, quam extra urbem; Consulum vero, Prætorum, vel Proconsulum aut Proprætorum extra urbem demum, *Fascibus* agitur; uti in adductis supra Josephi de Achaiæ Prætore vel Proconsule, aut Dionysii paullo ante, de illis Regiis apud Hetruscos, ac dein apud Romanos, insignibus. Quod utique apud Romanos Scriptores obuium; uti, ut pauca hæc tangam, apud Liuium, de primo Consule Bruto, loco supra iam adducto, *Brutus prior, concedente Collega*, FASCES *habuit*, ante sublatas nempe in urbe a Valerio Consule Secures; aut apud Ciceronem ad Quintum Fratrem, tum prouinciæ Asiæ Prætorem, scribentem: *Ut remoto imperio ac vi potestatis & FASCIUM*; aut apud Ulpianum: *Proconsul* SEX FASCES, *& non amplius, habeat*, nempe, quod aliunde constat, cum iunctis totidem *Securibus*. Unde etiam *terribiles Fasces*, & quidem ob iunctas tum iis *Secures*, quibus continuo ius necis ipso earum adspectu declarabatur, dicuntur alicubi apud Cassiodorum: *Alii honores habeant, & terribiles* FASCES: ac pridem ante a Cicerone de populorum metu e Decemuiris agrariis, qui, P. Seruilii Tribuni plebis lege, *mittantur summo cum imperio in orbem terrarum, & quorum cum aduentus graues, tum* FASCES *formidolosi:* quippe necis inferendæ, ut ibi ait Manutius, adde ob additas tum iis Secures, potestatem indicantes. Quomodo similiter πελέκεις, ἐξαπελέκεις, πελεκυφόροι, ἀρχὴ ἐξαπέλεκυς, & apud Latinos *Secures*, ubi de illis Magistratibus populi Romani agitur, tam de *Fascibus*, quam de *Securibus*, quæ erant iis iunctæ; nusquam vero de solis *Securibus* sine *Fascibus* debeant intelligi.

Antiq. l. III. p. 196.

Lib. II. cap. I.

Lib. I. Epist. I. c. 12.

Leg. XIV. D. de Off. Proconsl.

Varior. lib. V. Ep. 21.

Orat. I. de Leg. Agrar. cap. 3.

4. *Eadem de* Fascibus *& Securibus Prætorum prouincialium e nummis illustrata.*

Quæ autem, nec alieno utique loco, hic præmittenda veniebant; quod eadem nec dum satis accurate expensa viderem, immo minus vere subinde a viris præstantibus monita, qui de hisce Romanorum magistratibus diligenter cæteroquin sunt commentati; aut qui in explicandis priscis, qui de iis agunt, Auctoribus versantur: tum, ut certa lux iis inde accederet, ac simul nummis aliquot Gentium Romanarum, in quibus *Prætorii Fasces* non solum, sed *Secures* etiam *Prætoriæ* consignantur; & in quibus enarrandis aberrare videbam ac a se dissentire, ut ea de re iam ante, celebrem, qui eosdem nuper illustrare adgressus est, Antiquarium. Sunt vero in ea collectione duo potissimum nummi, iique Gentium Romanarum *Furiæ* ac *Mamiliæ*, qui *Sellam Curulem* exhibent inter *duos Fasces* cum illigatis *Securibus*; præter duos alios, qui postea sequentur, cum *Sella Curuli* itidem, & *sex*, seu tribus hinc inde, citra ullas *Secures*, *Fascibus*.

Pri-

Primum nummum Fuluius, ob Sellam Curulem, & Cereris ſpiciferæ in priore nummi area imaginem, ad *Ædilem* aliquem *Curulem*, qui *L. Furius Brocchus* in eo dicitur, continuo retulit: celebris vero Antiquarius, eodem, e Sella Curuli ac e duabus Securibus, *Prætorem* indicari exiſtimat; quibus, ut addit, (*Securibus* nempe) ius vitæ ſe habere ſignificaret, quasque duo Lictores ferrent. Ne vero cum eruditiſſimo Fuluio, *Ædilis Curulis* eo nummo deſignatus intelligatur, obſtant equidem duo *Faſces* cum totidem *Securibus* in eodem conſpicui: quales neutiquam *Ædilibus Curulibus*, qui inter minores Magiſtratus cenſebantur, prælatos conſtat. Adde, quòd, quum Auguſti temporibus, ob paupertatem eorum, qui hoc munus Ædilitium, propter ſumptus in ludis faciendis, poſſent ſuſtinere, deeſſent, qui Ædiles Curules fierent; inde eorum munia obiuiſſe Prætores ac Tribunos plebis tradit [a] Dio: immo [b] alibi, duos ab Auguſto, qui ante quinquennium Prætores fuerant, frumento diuidendo quotannis conſtitutos. Unde etiam ſpiceum Cereris caput *Ædilitatem* haud continuo in iis nummis indicat: quum illud in nummo Gentis *Muſſidiæ* itidem obuium ad extraordinarias procurationes frumentarias retulerit idem Fuluius; ad agrorum autem diuiſionem nummum Gentis *Caſſiæ*, cum ſpiceo itidem Cereris capite, celebris Antiquarius. Mclius proinde ſuperiorem nummum ad *Præturam*, qua functus ſit ille dictus in eo, aliunde autem ignotus, L. Furius Brocchus, e Sella Curuli, additisque geminis præter totidem Faſces Securibus, idem retulit. Id vero conſtat, ut viderunt iam viri præclari, qui de hisce Romanorum Magiſtratibus egerunt; poſt conſtitutas Romæ Quæſtiones perpetuas, indictosque, qui eas in urbe exercerent, Prætores, factum, ut non *Urbanus* ſolum aut *Peregrinus Prætor*, ſicut ſubinde iam ante; ſed tum omnes, tam qui in urbe ius dicerent, quam qui Quæſtionibus præeſſent, *Prætores*, poſt exactum Prætoræ annum, fuerint ad regendas prouincias miſſi. Quod proinde huic *L. Furio Broccho* ſimiliter contigiſſe ſtatuendum eſt; ac unde ſpiceum Cereris caput, ad aliquam frugibus feracem, qualis utique erat Sicilia, aut Africa, cui hic *Furius* præfuerit, prouinciam referendum ſit; ſi non ad quampiam frumentariam extra ordinem in Italia procurationem referendus ſit eius nummus. Ne etenim eadem Sellæ Curulis, ac duarum cum totidem Faſcibus Securium in hoc nummo inſignia, quæ (ſi forte excipias primi Conſulis Bruti, cum iisdem illis, quæ duo lictores gerunt, Faſcium ac Securium inſignibus) ad Conſulare extra urbem imperium indicandum, in quibusdam aliis Gentium Romanarum nummis ſignari paullo ante diximus; ſtatim hic ad Conſulatum huius *L. Furii Brocchi* declarandum referantur, obſtat, quòd nullus cum eo Brocchi cognomine Conſul e Gente *Furia* legatur in Romanorum Faſtis aliisue mo-

Vaillant Fam. Rom. p. 474. To. I.

[a] Lib. LIX. p. 401.
[b] Lib. LIV. p. 521.

Vaillant Fam. Rom. p. 84. To. II.

monumentis antiquis. Sed minus tamen prouide idem præstans Antiquarius, non *Prætorem prouincialem*, sed *Urbanum*, aut aliquem ex iis, qui Romæ cæteroquin agerent, iisdem insignibus designari, videtur statuere; ac ante quem, ut addit, duas Secures totidem Lictores ferrent, quibus ius vitæ illum habere significaretur. Quod ille ad alterum C. MAMILII TURRINI nummum, cum *duobus* similiter *Fascibus* ac *Securibus* in eo conspicuis, obseruat itidem; quemque eundem cum *Manilio Limitano* exstitisse colligit, ob aratrum supra Sellam Curulem expressum: idque, ut existimabat, in memoriam legis de Limitibus, quum esset Tribunus plebis, latæ. Verum quale *Aratrum* verius ad deductam, vel nouâ agrorum diuisione, nouisue colonis, uti sæpius factum, frequentatam Coloniam referre liceat: cuius rei obuium in nummis symbolum, Colonus cum iugo boum aratrum ducens: atque hinc etiam illud LIMITANI cognomen, quod in aliis Familiæ huius nummis legitur; in hoc autem nummo ei, qui primus illud adeptus est, pro more in eadem penu nummaria obuio, tribui potius debuit. Unde securius omnino eundem nummum ad C. *Manilium* respicere dicas, cui *Prætori* Siciliam obueniisse tradit Liuius: ut proinde non ad Præturam in urbe obitam, ad quam non spectabant utique *Secures*, sed ad prouincialem similiter, ut aliunde constat, ac superiora arguunt, referri eædem debeant. Neque obstat signatum Justitiæ caput in priori nummi area: quum ad prouinciales Prætores haud minus, ac ad urbanos, iurisdictio pertineret: adeo etiam, ut ad Quintum fratrem, Asiæ tum Prætorem, scribat Cicero: *Ac mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administratione Asiæ, sed ea* TOTA IURISDICTIONE *maxime sustineri.* Quamquam, præter *iurisdictionem*, alia insuper, de quibus mox, prouincialibus illis Prætoribus incumberent, non autem Urbanis seu ius Romæ dicentibus; quibus nec *ius Vitæ* foret, priuata duntaxat iudicia, non publica vel capitalia, in urbe exercentibus; quale tamen hic iis tribuit celebris Antiquarius, ac ideo *Secures* iis prælatas, quæ id continuo significarent. Adde, neque continuo *ius Vitæ*, præter alia, ob prouocationis ad populum beneficium, Prætoribus in urbe agentibus, quibus Quæstio aliqua constituta de certo demum crimine, uti repetundarum, vel ambitus, vel peculatus, aut alius cuiuspiam publici & grauioris criminis, cognoscendo forte obtigerat, concessum fuisse; neque illud etiam prælatis ante eos Securibus indicatum. Unde non audiendus est, publici quamquam Romanorum iuris ac ritus consultissimus Sigonius, qui non *Urbanis* quidem *Prætoribus*, qui ius in urbe priuatis dicerent; sed iis, quibus Quæstiones id genus publicæ exercendæ incumbebant, *ius Gladii* tribuit: ita ut priorum, *Hastam*; posteriorum, *Gladium* exstitisse statuat: & quidem, ut euersâ Republicâ *merum imperium*, *Quæstio* id genus fuerit dicta. Nec utique id euincunt ad ducta ab eodem, ac duobus quidem locis, quæ id adstruerent, Cypriani verba: *Forum litibus mugit insanum:* HASTA *illic*, & GLADIUS, & *carnifex præsto est.* Neque enim ibi Carthaginienſi Antistiti, quod non aduerit vir præclarus, de *Urbano* Romæ *Prætore*; vel ad Quæstionem publicam ibi tum exercendam constituto, sermo; sed (quod non fugit ibi, ad alia huius Cypriani ad Donatum Epistolæ loca, postremum ac omni laude cumulatum editorem, Joannem Fellum Epiſcopum) de Carthagine, Romana Colo-

Vaillant Fam. Rom. p. 84. To. II.

Lib. XXVII. cap. 36.

Lib. I. Epist. I. cap. 7.

De Judiciis lib. I. c. 6. & l. III. c. 4.

Ut supra.

Ad Donatum.

Colonia, ac de Romano, qui in illa Africæ prouinciæ metropoli agebat; Rectore seu Proconsule. Ad quos autem prouinciarum Romani imperii Præsides, *Hastam* & *Gladium*, seu *ius Gladii*, iurisdictionem nempe ac in facinorosos quosuis, non vero unius tantum vel alterius criminis reos (uti Romæ ad *Prætores*, quibus Quæstio aliqua, ut paullo ante diximus, obtigerat) animaduertendi potestatem spectasse, abunde constat. Quod utique de iurisdictione, cuius *Hasta* erat insigne, obuium: de *Gladio*, nominatim ait Ulpianus: *Qui uniuersas prouincias regunt, ius gladii habent*; ac porro de illorum promiscue in quosuis suæ prouinciæ facinorosos homines animaduertendi potestate consuli potest, in alia eiusdem tituli lege, idem Ulpianus. Unde illud Ciceronis ad Quintum fratrem, tum Asiæ, ut de eo paullo ante, Prætorem, seu, ut e Cicerone alii colligunt, Proconsulem, etsi necdum Consul fuerat, ac proinde *ex prætura*, ut idem alibi, & quod ante vidimus, de L. Gellio: *Tot ciuitates unius hominis nutum intuentur, ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus Senatus, nulla concio*; in quibus nempe singulis erat aliquod Romæ aduersus Magistratuum sæuitiam præsidium: non idem vero in prouinciis aduersus Prætorum aut Proconsulum potestatem ac imperium. Quomodo etiam, de *mero* eorundem Præsidum Prouincialium *imperio*, constare itidem potest ex aliis eiusdem Ulpiani verbis: MERUM *est* IMPERIUM, *habere* GLADII *potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam* POTESTAS *appellatur*. Qualem autem *potestatem*, ac proinde *ius Gladii*, aut *merum imperium* Prætoribus ius Romæ dicentibus, aut unam in urbe Quæstionem de aliquo tantum constituto crimine, aut quandoque binas, ad summum, Quæstiones exercentibus, haud fuisse libera adhuc urbe concessum, sat vel ex ante dictis liquet; minus autem euersa Republica, quod statuebat cæteroquin Sigonius: quo tempore imminuta est paulatim, ac ad alios etiam translata præcipua *Prætorum* in urbe Cognitio, vel iurisdictio. Equidem ad Præfectos Urbi, Seueri Imp. epistolâ, quam Ulpianus retulit, omnium omnino criminum, nec quæ intra urbem tantum, sed extra urbem quoque (hoc est intra Italiam, iuxta interpretes, seu intra centum potius milliaria) delata est Cognitio: uti postea insuper *omnis prouocatio*, seu *appellationes omnium potestatum & omnium dignitatum*, a Floriano Imperatore, ut apud Vopiscum legitur, ad Præfectum Urbi sunt itidem delatæ, quique ibidem *Princeps Senatus* dicitur. Neque vero, quod a Cypriano adductis supra eius verbis continuo additur, & *carnifex præsto est*, de *Prætoribus*, a quibus aliqua id genus Quæstio Romæ exercebatur, dici potuit: quum etiam supplicii de capite damnatis in urbe sumendi ius ad Triumuiros capitales spectaret; qui, ut de iis Pomponius, *carceris custodiam haberent, ut cum animaduerti oporteret, eorum interuentu fieret*.

Leg. VI. §. 3. D. de Offic. Præsid.

Leg. XIII. D. eodem.

De Legibus lib. I. cap. 20. Lib. I. Ep. I. cap. 7.

Leg. III. D. de Iurisdiction.

Leg. I. D. de Off. Præf. Urb.

In Floriano cap. VI.

Leg. II. §. 30. D. de Orig. Jur.

Neque vero, quod *duæ* demum *Secures* cum totidem *Fascibus* signantur in duobus adductis paullo ante nummis, id factum ideo cum celebri Antiquario statuendum est, quod *Prætoribus duæ* demum *Secures* ac proinde duo solum Fasces, quibus eædem illigabantur, a totidem Lictoribus in urbe præferrentur. Quod utique haud magis inde colligas, quam e *duabus* itidem *Securibus*, quæ cum *Fascibus* quoque conspiciuntur in prolatis supra Consularibus nummis Gentium *Æmiliæ*, *Calpurniæ*, & *Corneliæ*,

5. *An* Prætoribus *in urbe duo anteirent cum* Fascibus *&* Securibus Lictores.

immo etiam *Juniæ*, in quo postremo, quod supra vidimus, primus Consul L. Brutus procedere cernitur inter duos Lictores Ραβδοφόρους & Πελεκυφόρους, *Fascium* ac *Securium latores* id contra manifesta veterum Auctorum testimonia colligas, *duas* demum *Secures* vel Bruto primum in urbe, vel Consulibus dein extra urbem, non vero *duodecim* singulis *Secures* cum totidem *Fascibus* esse prælatas. Ad PRÆTORES quoque, de quibus hic agitur, quod adtinet, uti *sex* cum totidem Fascibus *Secures* iis, qui ad imperium aliquod militare, vel ad regendam exteroquin prouinciam, ac unde iidem Ἑξαπελέκεις *sex Securium*, sunt a Græcis, ut vidimus, Auctoribus dicti, concessas liquet; ita *sex* demum *Fasces*, sed sine *Securibus*, Urbanis, seu qui Romæ iudicia vel priuata vel publica exercerent, Prætoribus prælati demum fuerunt. Quod, præter alia eam in rem iam adducta, adstruit insuper Dio Cassius, dum agens de constitutis ab Augusto Consularibus, aut Prætoriis, qui prouincias Romani imperii deinceps regerent, tot Lictores tradit illis omnibus concessos, quot iis in urbe uti licuit: ac proinde pro receptа iam ante inter *Consulares* seu *Proconsules*, ac *Prætores* vel *Proprætores*, in libera urbe, discrimine; uti e Polybio, Plutarcho de Paullo Æmilio, ac Appiano de Prætoribus in prouincias Populi Romani, imminentis cum Antiocho belli temporibus, missis, clarissimis eam in rem verbis supra vidimus. Expressa sunt certe eam in rem, seu de retento eodem sub Augusto more ac discrimine, præter Josephi ac Appiani adducta iam ante testimonia, Dionis Coccciani, tam de *Consularibus*, quam de *Prætoriis*, qui ad regendas prouincias mittendi deinceps erant, verba:

Lib. LIII. pag. 504. ΡΑΒΔΟΥΧΟΙΣ τε σφᾶς ἑκατέροις, ΟΣΟΙΣ περ ἂν ἐν τῷ ἄστει νενόμισται χρῆσθαι, LICTORIBUS *etiam*, QUOT *utrisque habere in urbe licet*, *uterentur*: quales autem in urbe duodecim Consulibus, Prætoribus vero sex constat adparuisse. Quibus mox addit de *sex Securibus*, quas totidem Lictores Proprætoribus, seu ad regendas prouincias Prætorias missis, præferrent; prout legenda esse omnino apud Dionem verba viderunt eruditi eius editores, ac unde etiam sat liquet id de Prouincialibus demum, & qui Ἑξαπελέκεις inde, ut iam antea vidimus, non vero de *Urbanis* seu Romæ *iurisdictionem* vel *Quæstionem* publicam exercentibus Prætoribus intelligi:

Ibidem pag. 505. ΡΑΒΔΟΥΧΟΙΣ δὴ ΕΞ πάντες ὁμοίως ΟΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΙ χρῶνται, καὶ ὅσοι γε οὐκ ἐκ τῶν ὑπατευκότων εἰσὶ, καὶ ἀριθμοῦσιν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἀριθμοῦ ΕΞΑΠΕΛΕΚΕΙΣ, SEX *vero* LICTORIBUS *omnes pariter* PROPRÆTORES, *quique non sunt e Consularibus*, *utuntur*, *ac ab eo etiam numero appellantur* SEX SECURIUM *Magistratus*.

Quamquam eundem insignium illorum in libera urbe numerum, *duodecim* nempe, cum totidem iunctis *Securibus*, *Fascium*, Proconsulibus denuo restitutum docere videatur memorabili eam in rem, & quantum equidem sciam, indicto hactenus viris eruditis, qui de hisce sunt quidpiam hactenus commentati, loco, Cyprianus: *Eant nunc Magistratus*, *& Consules*, *siue* PROCONSULES, *annuæ dignitatis insignibus*, *&* DUODECIM FASCIBUS *glorientur*. Vides utique non *sex*, sed *duodecim Fasces Proconsulibus*, ac post Ulpiani ætatem, aperte adhuc ibi tribui: ni id *Proconsuli Africæ* demum velut proprium tribuendum sit, ad quem respexerit ibi Carthaginiensis Antistes, & in qua urbe agere consueuerant iidem prouinciæ illius Proconsules; ad quam etiam prouinciam, quod e Dione

Epist. XXXVII. Moysi & Maximo Presbyteris.

Lib. LIII. pag. 505.

etiam

etiam & aliunde constat, uti & in Asiam, non nisi consulatu functi; & Consulares proinde, Rectores mittebatur: unde retentus etiam fuerit idem ab iis, quos in urbe habuerant, duodecim nempe Fascium numerus. Accedebat magna eiusdem Africæ prouinciæ dignitas & amplitudo, de qua alibi ab eodem Afro Antistite dicitur: *Latius fusa est nostra prouincia: habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes:* quas cæteroquin constat peculiares fuisse in Africa prouincias, ab eaque diuersas, quæ proprie *Africa*, & in qua erat Carthago, eaque *Proconsularis*, dicebatur. Unde etiam κατ' ἐξοχὴν illo *Proconsularis* nomine, ac Rectores eius solo *Proconsulum* titulo designati leguntur in aliquot legibus utriusque [a] Codicis, ac præterea in Conciliis Africanis; ut ad [b] Theodosianum Codicem adnotauit doctissimus eius editor. Unde etiam factum est, ob dignitatem illius Proconsularis Africæ, ut Carthaginiensis Episcopus, quod ille quoque ibi obseruat, ac veteris Ecclesiarum Christianarum regiminis haud plane ignaris aliunde notum est, in omnes reliquas Africæ Diœceses, ac nominatim in memoratas a Cypriano Numidiam, ac diuisam in duas prouincias Mauritaniam, obtinuerit: & quo proinde respexisse in adductis eius verbis Carthaginiensem hunc Antistitem statuendum est. Quomodo de *L. Aradio Proculo*, qui Constantinianeo sæculo vixerit, dicitur in veteri inscriptione apud Gruterum, inter alios honorum, quibus functus est, titulos: *Legato. Prætore. Prouinciæ. Numidiæ:* Item *Proconsuli. Prouinciæ. Africæ. Vice. Sacrâ. Judicanti. Eidemque Judicio. Sacro. Per. Prouincias. Proconsularem. Et. Numidiam. Byzacium. Ac. Tripolim. Itemque. Mauritaniam. Sitifensem. Et. Cæsariensem. Perfuncto.* Ubi vides *Numidiam* a *Proconsulari* prouincia, *Africâ* nempe proprie dictâ, distingui; tum hunc *Aradium* prioris, seu *Numidiæ*, *Prætorem*, alterius vero Proconsulem dici; eundem denique *Judicio Sacro*, (prout ea ætate dicebatur, seu *Judex Sacrarum Cognitionum* in aliis priscis lapidibus) per *Proconsularem*, non solum, *Africam*, in qua erat Carthago, & quæ, ut de ea Valentinianus Junior, *omnium intra Africam prouinciarum obtinet principatum*; sed per reliquas etiam quinque prouincias, in quas Africa, ut e Sexto Rufo, ac aliunde constat, erat tum diuisa, esse perfunctum: unde superiora haud parum illustrantur. Quod ad *duodecim* vero *Fasces* adtinet, quos sui ævi *Proconsulibus* adhuc tribuit Cyprianus, contra superiorem Ulpiani de iis legem, id tenendum videtur, quòd *Proconsules* ex Augusti instituto, ut docet nos Dio Cocceianus, non duo solum *Consulares*, a quibus duæ demum prouinciæ Asia & Africa speciatim dictæ deinceps regerentur; sed omnes etiam viri *Prætorii*, nec Consulatu functi, qui ad decem reliquas populi Romani prouincias administrandas mittebantur, sint appellati: unde *Proconsulum* non *Asiæ* solum vel *Africæ*, sed *Achaiæ* itidem, uti iam supra vidimus, adde *Bithyniæ*, *Cretæ*, *Cypri*, aliarumue prouinciarum occurrit mentio in Auctoribus, aliisque, qua de re alibi, monumentis antiquis: ac inde etiam factum est, ut penes Asiæ ac Africæ dictos vero & antiquo nomine *Proconsules*, Consulatu quippe prius functos, & quidem ob utriusque illius prouinciæ dignitatem & amplitudinem, *duodecim Fasces* cum totidem *Securibus*, & quot iis Augustus, ut paullo ante vidimus, ac pro recepto pridem apud Romanos Consularium ad prouincias regendas missorum more, reliquerat,

Epist. xlviii. Cornelio Fratri.

a Leg. xxii. C. Th. de Tyronib. Leg. xxvi. de Erogat. Annon. Leg. xi. C. Just. eodem: b Iac. Gothofr. Com. ad Leg. xxii. de Tyron.

Thes. Grut. cccl xi, 1. & cccxii, 2.

Ibidem p. cxcj. 9. ccl xxi, 4. &c.

Leg. xxii. C. Th. de Tyronib.

Lib. xlvii. p. 505.

deinceps remanserint; non vero penes reliquos decem prouinciarum populi Romani, etsi sub eodem *Proconsulum* nomine, Rectores; quippe non Consulares, sed Prætorios, quique inde *sex* demum habuerint *Fasces*. Quamquam, ne quid dissimulem, hisce obstare videatur, quod id in genere de *Proconsulibus* obseruet Ulpianus, eos *non amplius uti* quam sex Fascibus: quodque eos videtur potius respicere, qui pluribus antea utebantur, quam qui sex demum, Prætores nempe ac viri Prætorii, seu vero & antiquo nomine, quod vel ex Liuio, ut vidimus, constat *Proprætores*, cum libera adhuc urbe, tum ab Augusti temporibus, & ex eius etiam scito, fuerant hactenus semper usi. De quibus autem sit penes eruditos, ac in hisce publici Romanorum iuris seu πολιτείας disquisitionibus exercitatos iudicium.

6. *Continuatio eiusdem argumenti.*

In Bruto cap. xv.

E quibus autem liquet, quod non celebri solum Antiquario, *duas Secures* inde in adductis duobus nummis signari, ut antea vidimus; statuenti, quod scilicet totidem demum Secures Prætoribus Romæ, idque ut ius vitæ se habere significarent, a duobus Lictoribus præferrentur; sed diligentissimis cæteroquin, ut Ciceronis de Varrone eam in rem verbis utar, Romanarum antiquitatum inuestigatoribus, Manutio, Sigonio, adde & Pighio, fides sit continuo deroganda: dum, quod supra & indicatis, ubi id ab iis traditur, locis diximus, e Legis Lætoriæ apud Censorinum, aut Ciceronis etiam secundæ Orationis de Lege Agraria verbis, *duos* fuisse tantum *Lictores Prætori Urbano*, ac proinde *duos* solum *Fasces* prælatos Sigonius, reliquis etiam in urbe Prætoribus, Manutius ac Pighius, statuunt. Quod enim adtinet ad legis illius seu plebisciti Lætorii verba, quibus dicitur: *Prætor Urbanus, qui nunc est, quique posthac erit*, DUOS LICTORES *apud se habeto*; haud male vir doctus eadem ad locum Appiani supra a nobis adlato, & in quo explicando errare illum cæteroquin vidimus, ea mente capienda censet, ut minimum duo Lictores dein in Prætoris Urbani tribunali semper forent, eique adparerent. Maxima equidem Romæ, qua de re paullo post, erat *Prætoris Urbani* præ aliis Prætoribus, qui eidem postea nec uno tempore sunt additi, dignatio; eiusque assidua in iure inter ciues dicendo, neque pro tribunali solum, sed de plano etiam, uti e [a] libris iuris Romanorum ciuilis, ac [b] aliunde notum, opera: unde illud de eo peculiariter lege illa Lætoria statutum videtur, ut e sex Lictoribus, qui cum totidem Fascibus eidem in urbe anteirent, duo ex iis, ubicunque is Romæ ageret, præsto semper essent, ad iussa eius quæcunque protinus obeunda. Nisi potius dicendum sit, creato primum in urbe, & solo quidem, Prætore Urbano, qui loco Consulum, ius in urbe diceret, tum a M. Lætorio Tribuno plebis, illud scitum, de quo Censorinus, fuisse latum, quo Prætoris iurisdictio, prout ad eandem legem obseruat doctissimus Antonius Augustinus, primum videtur constituta; atque ita ut duos Lictores penes se continuo haberet idem Prætor: id vero ad maiorem summi in urbe post Consules, quique vices eorum, ut e Cicerone iam ante ac Dione vidimus, obiret, Magistratus honorem immutatum fuisse; ut nempe pro duobus Lictoribus, sex postea eidem, dimidio proinde, quam Consuli Fasces in urbe habenti, numero, quum & dimidiam, iuxta adducta eam in rem Appiani verba, haberet ille dignitatis Consularis partem, uti & reliquis dein constitutis Romæ

Al. Tollius Not. ad Appiani Syriac. p. 95.

a Leg. XVIII. §. 10. D. de Quæstion. b Senec. de Clement. l. 1. Sueton. in Tiber. cap. XXXIII.

De Legib. Roman.

Præ-

Prætoribus, & cum totidem proinde Faſcibus, anteirent. Ciceronis vero verba, ad quæ reſpiciunt viri præſtantes, & quæ ſupra itidem adtulimus (unde duos non Urbano ſolum, ſed etiam reliquis in urbe Prætoribus Lictores fuiſſe colligunt) id inferunt tantum; eadem fuiſſe ſupremi Capuæ Magiſtratus ſeu *Duumuirorum*, prout ii in aliis populi Romani Coloniis dicebantur, quæ *Prætorum* Romæ nomina & inſignia; ut *Prætores* nempe ſimiliter dicerentur, non *Duumuiri*, iisque anteirent Lictores, non cum bacillis demum, ſed quod addit, *ut hic Prætoribus anteeunt cum Faſcibus duobus.* Non proinde, quòd totidem numero Prætores Romæ fuerint, quot Capuæ, quum Ciceronis ætate [a] decem fuiſſe, aut iuxta [b] alios octo in urbe Prætores aliunde conſtet; ſed quod eos, qui *Duumuiri* Capuæ, ſicut in aliis Coloniis vel Municipiis, dicendi fuerant, *Prætores* tamen vocari placuit non pronæ ſolum in luxuriam, ut de ea Liuius, ſed in ſuperbiam, velut quæ Romæ foret æmula, ciuitati; prout de ea, in ſuperiori Oratione de eadem Lege Agraria, dixerat Cicero: *Capuam deduci colonos volunt, illam urbem huic urbi rurſus opponere:* mox, *qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque omnium rerum* SUPERBIAM *& crudelitatem genuiſſe dicitur.* Qua ratione proinde factum, ut ſupremus apud eos Magiſtratus, non *Prætores* ſolum, pro *Duumuiris*, a Capuanis vocarentur; ſed inſuper Romano Prætorum, quos Lictores cum Faſcibus anteibant, more, duo Faſces ſimiliter, bacillorum loco, a totidem Lictoribus præferrentur. Quamquam poſtea Duumuiros, & quod obiter ad ſuperiorem Ciceronis locum notari merebatur, in coloniis vel municipiis Faſcibus quoque uſos, liqueat omnino ex Honorii conſtitutione, quæ in utroque Codice legitur: DUUMVIRUM *impune non liceat extollere poteſtatem* FASCIUM *extra metas propriæ ciuitatis*; ubi id inſuper ex Apuleio a doctiſſimo Codicis Theodoſiani interprete, Jac. Gothofredo, adſtruitur. Duos cæteroquin Lictores, ut obiter hoc addam, Agrippinæ a Senatu decretos, auctor eſt Tacitus; unum vero Liuiæ, quem recuſauit filius eius Tiberius: ſed quod non eſt iam huius loci, ubi de *Prætorum* demum *Lictoribus* agitur.

a Vid. Pompon. de Origin. Jur. Leg. 1. §. 2.
b Lipſ. Excur. D. in Tacit. Ann. 1. c. 14.
Lib. XXIII. c. 4.
Cap. VI.
Leg. CLXXIV. C. Th. de Decurion. & Leg. LIII. C. Juſt. eodem.
Annal. XIII. cap. 2.
Annal. 1. c. 14.

Quod vero de *ſex Faſcibus*, iisque ſine iunctis Securibus, qui *Prætoribus* Romæ a totidem ῥαβδοφόροις *Lictoribus* præferrentur, eſt a nobis aliquanto hic plenius adſertum ac vindicatum, firmant egregie ac illuſtrant duo ſequentes nummi, præter alios iis ſimiles, ab eruditiſſimo Fuluio in Gente ſeu Familia *Regulorum Liuineia* primum prolati: in quorum anteriore area ſignatur L. REGULUS PR. ſeu *Prætor*, ne de eius dignitate dubitare nobis liceat: in altera vero, *Sella Curulis & ſex*, ſeu tres hinc & inde, *Faſces* ſine Securibus, cum inſcriptione in priore nummo REGULUS F. PRÆF. URB. *Filius Præfectus Urbi*; in poſteriore autem L. LIVINEIUS REGULUS.

7. *De ſex* Faſcibus, *qui* Prætoribus *Romæ ſine* Securibus *præferrentur.*

In iis autem nummis *Præturam Sellâ Curuli* designari statuit Ursinus; & *sex Fascibus* insuper, præter *Sellam*, celebris Antiquarius: quibus addit, uti iam antea vidimus, „ a Censorino quidem tradi, Prætorem Ur-„ banum Lictoribus duobus usum esse; sed quod Polybius & Plutarchus „ sex illis datos fuisse scribant, quod confirmat denarius. De Censorino, seu Legis Lætoriæ apud eum verbis, iam diximus: uti de Polybii etiam & Plutarchi, ad quæ ibi respicit, locis; in iisque non agi de *sex Fascibus*, qui Prætoribus in urbe fuerint dati, sed de iunctis *sex Securibus*, quibus Prætores, ἐξαπελέκεις inde etiam, iuxta Polybium, dicti, ad militare aliquod imperium, aut ad regendam prouinciam extra urbem missi, uterentur. Bene tamen, quòd non *duas* iam *Secures*, ac *duos* demum, qui eas ferrent, *Lictores*, ut aliis aliquot locis factum ab eodem celebri Antiquario vidimus; sed *sex Fasces* Prætoribus, qui in urbe agerent, prælatos, quique inde signentur in hisce Gentis *Liuineiæ* nummis, idem demum hic statuat. Accedit, quòd PRÆTOR utique in priori utriusque nummi area dicitur, atque quidem insuper cum L. seu *Lucii* prænomine, REGULUS. Quod vero in altera prioris nummi parte Filius, eodem quo pater cognomine, REGULUS, dicatur PRÆF. UR. *Præfectus Urbi*, haud immerito id inde profectum statuit celebris Antiquarius, quod a Julio Cæsare apud Suetonium legatur factum, ut Consulatus sui tertii quartique *medio tempore comitia nulla habuerit, præter Tribunorum & Ædilium Plebis:* PRÆFECTOSQUE *pro* PRÆTORIBUS *constituerit, qui præsente* (alii *absente*) *se* RES URBANAS *administrarent*. Quod de constitutis a Cæsare id genus *Præfectis*, iisque qui cum Lepido Magistro Equitum, se absente, res urbis curarent, a Dione similiter adstrui viderunt ibi ad Tranquillum viri docti. Id vero omitti non debuit a viris præstantibus ad priorem nummum, & quo ille insigniter illustratur, quod a Dione ibidem traditur; nempe accusati inde iidem *Urbi Præfecti*, ὅτι καὶ ΡΑΒΔΟΥΧΟΙΣ, καὶ τῇ ἐσθῆτι, ΤΩΓΕ ΔΙΦΡΩ, τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ Ἱππαρχος ἐκέχρητο, ἀφείθησαν, *quòd* LICTORIBUS, *vesteque*, *ac* SELLA CURULI, *summi magistratus insignibus* (nempe τοῖς ἀρχικοῖς, quæ non tangunt istic interpretes) *haud aliter ac Magister Equitum, usi essent; absoluti sunt:* & quidem, ut ibi continuo additur, quadam lege se defendentes; qua illis insignibus uti iis omnibus est concessum, quibus Magistratus aliquis a Dictatore est commissus. Ut proinde sibi mutuo hic facem commodent cum hic Auctor, tum adducti prioris nummi pars auersa, cum *Sella Curuli* & *Fascibus*, quos totidem nempe Lictores ferrent, cum adscripto *Præfecti Urbi* Magistratu. E quibus autem Dionis verbis liceret cæteroquin colligere; non ideo, quod *Prætorum* loco fuerint habiti tum iidem *Præfecti*, eos consuetis illis dignitatis Prætoriæ insignibus usos; sed hæc vi demum delati sibi a Dictatore Julio Cæsare Magistratus, & legis eam in rem pridem latæ, usurpasse. Verum nihil obstat, quin *Sella* illa *Curuli*, *sex*que *Fascibus*, qui, sine addito *Præfecturæ Urbanæ* honore, in secundo, ac in duobus insuper aliis apud Ursinum, ac inde etiam apud celebrem Antiquarium, nummis conspiciuntur, cum Parentis, *L. Liuineii Reguli* PR. seu *Prætoris*; tum Filii, cum iisdem nominibus, quippe *Præfecti Urbi* Magistratus ex æquo designetur: ac eadem illa solemnia *Præturæ* insignia, tum *Præfectu-*

Vaillant Fam. Rom. To. II.

In Cæsare cap. LXXVI.

Lib. XLIII. p. 238.

fecturæ etiam *Urbicæ* forent communia: maxime quod *Præfectos Urbi* pro *Prætoribus* a Cæſare conſtitutos aperte, iisque temporibus propior, tradit, ut vidimus, Suetonius. Ut mittam, quod alibi rurſus apud Dionem legitur, ſub eodem Auguſto *Præfectum Urbi*, pro receptо cæteroquin more, ad ferias haud creatum fuiſſe, ſed *Prætores* officium eius peregiſſe. Quum poſtea, mutatis rerum vicibus, pleraque *Prætorum* in urbe munia ad eosdem *Præfectos Urbi*, ſequentium Imperatorum conſtitutionibus, fuerint delata: uti de Cognitione omnium omnino criminum ſub Seuero, iam ante vidimus; ac Valentiniani dein lege, quæ exſtat in Codice Theodoſiano, ipſorum *Prætorum*, qui nominati erant, ob magnos in editionibus ludorum faciendos ab iis ſumptus, excuſationes ad unam *Præfecti Urbi* Cognitionem ac iudicium ibidem deferri. Quomodo etiam non controverſa fuiſſe amplius, uti pridem factum ſub Auguſto ac temporibus pereuſſi, quem adduximus paullo ante, nummi, *Faſcium*, quibus iidem *Præfecti Urbici* uterentur, inſignia, docebit Caſſiodorus, apud quem, de quodam ad dignitatem *Præfecturæ* illius *Urbanæ* euecto, inter alia dicitur: *Hinc eſt quod nunc te, per indictionem feliciter tertiam, ad* PRÆFECTURÆ URBANÆ *culmen erigimus, tribuentes tibi in ea ciuitate* FASCES, *ubi perpetui ſunt honores.* Exſtant vero, ut hoc obiter addam, duo alii M. ÆMILII LEPIDI & L. PLANCI in Gente *Munatia* nummi, in quibus eadem illa PRÆF. URB. dignitas, quam iidem geſſerant, conſignatur; ſed ſine illis *Faſcium* inſignibus.

Lib. XLIX. p. 401.

Leg. XXII. C. Th. de Prætorib.

Varior. lib. I. cap. 42.

Quum autem non *iurisdictionem* ſolum inter eiues PRÆTORI URBANO conceſſam ſupra diximus, ſed *Ludorum* inſuper *Apollinarium* Romæ celebrandorum poteſtatem; id utique e priſcis Gentium Romanarum nummis, quibus lux inde etiam aeeedit, & geſtæ illius *Præturæ Urbanæ* notitia, ſimiliter illuſtratur. *Prætoris* nempe illius *Urbani*, quique ultra ſæculum ſolus in urbe, iisdemque maioribus, quo Cenſores ac Conſules, auſpiciis erat creatus, maxima, uti obiter paullo ante adtigi, manſit in urbe præ aliis additis ei dein Prætoribus, etſi ii ſimilibus auſpiciis itidem fierent, dignatio. Unde ille *maior Prætor*, iuxta [a] Feſtum, & *honoratus* ab [b] Ouidio, quod viderunt iam viri docti, dici meruit. Quin *maximus* etiam *Prætor*, qui nempe eum maximo imperio ſit, alibi occurrit apud eundem [c] Feſtum, & quidem, ut apud Liuium legitur, nec omitti ibi ad Auctorem illum ab eruditis eius interpretibus debuit, de quo in lege vetuſta & priſcis literis ſcripta dicitur, *ut qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clauum pangat*; ac unde creatus ſuit, qui clauum figeret, non *Prætor* quidem, ſed Dictator, cuius utique ſummum erat apud Romanos imperium, L. Manlius Imperioſus. Hinc, quod in genere ſupra de *Prætoribus* diximus, eos nempe abſentibus Conſulibus eorum munia ſuſtinuiſſe, de *Urbano* debet potiſſimum intelligi; ita Cicero: *Placuit ſtatim, ut ad Cornutum* PRÆTOREM URBANUM *literas deferremus, qui, quod Conſules deerant,* CONSULARE MUNUS *ſuſtinebat.* Quod ſub Cæſaribus etiamnum a Frontino, *Prætore* itidem *Urbano*, factum, ut alios iam mittam, refert [a] Taeitus: nempe recitare in Senatu aceeptas a Conſulibus tum abſentibus, aut aliunde ſcriptas literas (uti de Urbano quoque Prætore M. Atilio apud [b] Liuium legimus) Epiſtolis vero Senatus Edictisque nomen ſuum, ut de Cæſare Domitiano tum Prætore a [c] Taci-

8. Prætoris Urbani *præ aliis in urbe* Prætoribus *dignatio.*

Liuius lib. VIII. c. 32. & lib. XL. c. 59.

a In *Maior Conſul.*
b Faſt. lib. II. v. 52.
c In *Maximum Prætorem.*

Lib. VII. c. 3.

Ad Att. lib. X. Ep. 12.

a Hiſt. IV. cap. 4.
b Lib. XIII. cap. 8.
c Ut ſupra.

to

to dicitur, præponere; sociorum præterea (iuuabit enim, ut opinor, hæc uno veluti obtutu percipere) legationes in Senatum introducere, pro-
Lib. XLII. cap.8. ut Liuius de illo M. Atilio, Urbano, seu solo Romæ adhuc Prætore,
Idem lib.XLIII. cap.8. alibi; reponsa legatis eorum dare, quomodo Senatus iussu Chalcidensibus Q. Mænius Prætor respondisse ab eodem Liuio dicitur; aut vero
Idem ibid. c.1. Legatos ex Senatu nominare, qui ad absentem tum Consulem Senatus mandata perferrent. Adde hisce, & quod ad Consulare munus itidem spectabat, pro parta aliqua victoria supplicationes decernere: cuius rei utique illustre exemplum suppeditat Cicero, a quo dicitur: *Obres bene, fortiter, ac feliciter gestas C. Pansa & A. Hirtius Consules, alter, amboue, aut*;
Philipp. XIV. cap.4. SI ABERUNT, *M. Cornutus* PRÆTOR URBANUS (idem, de quo iam in superioribus eiusdem Tullii verbis fit mentio) *supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria decernat*. Quæ autem omnia, de uno tum Prætore P. Sempronio, complectitur duobus aut tribus verbis Liuius:
Lib. X. cap.22. *Summæque rerum Prætor L. Sempronius præerat:* duobus nempe Consulibus, Appio Claudio & L. Volumnio, bellum in Italia gerentibus; idemque alibi, quum quatuor Prætores tum forent, quod Comitiis Prætorum
Lib. XXIV. c.9. perfectis, Senatusconsultum sit factum, ut *L. Fuluio extra ordinem* URBANA *prouincia esset, isque potissimum Consulibus* (nempe Q. Fabio Maximo IV. M. Marullo III.) *ad bellum profectis* URBI PRÆESSET. Quomodo etiam factum intelligimus, ut non *Prætura* solum, quod vulgo obuium, proximus esset ad Consulatum gradus; sed ut Consulatu etiam functi inde *Prætores Urbani* continuo fierent: prout de eodem Appio Claudio, alibi de L. Papirio, quos post res feliciter ab iis in Consulatu gestas, *Prætores* (*Urbanos* nempe, quum nec alius daretur adhuc
Lib. X. cap.22. Prætor) protinus creatos, docebit similiter Liuius; Appium scilicet anno V.C. CCCCLVIII; Papirium vero CCCCLXI, & de quo postremo
Lib X. cap.47. ait: *Comitia Consularia L. Papirius* (de quo Consule iam ante egerat) *habuit: creauit Consules Q. Fabium Maximi filium Gurgitem & D. Junium Brutum Scæuam: ipse* PAPIRIUS PRÆTOR *factus*. Immo quod factum etiam, ubi *quatuor* tum erant Romæ *Prætores*, & quidem post gestam insuper Censuram, quæ post Consulatum deferri demum consueuerat,
Lib. XXIII. cap.30. constare potest ex eodem Liuio: PRÆTORES *Q. Fuluius Flaccus, qui antea* CONSUL CENSORQUE *fuerat*, URBANAM; *M. Valerius Læuinus peregrinam sortem in iurisdictione habuit:* ubi memorat dein duos alios Prætores, qui Siciliam Sardiniamue prouincias fuerant sortiti. Ut ita liquidius percipere liceat, & quod e modo dictis lucem aliquam mutuatur, cur, post retentos sub Cæsaribus liberæ Reipublicæ ordinarios magistratus, ipsi Imperatores Consulatum vulgo adsumerent; *Præturam* autem, eamque *Urbanam*, ut dignitate ei proximam, filiis aut nepotibus, una cum secundi fastigii, *Cæsaris* nempe, titulo, subinde relinquerent. Quod de Domitiano obiter paullo ante adtigi, ac prout a Tacito utrumque, nempe de Consulatu Imperatorum, & prætura filii, simul traditur:
Histor. IV. cap. 4. *Ipsi* (Vespasiano nempe Imperatori renuntiato) *Consulatus cum Tito filio*; DOMITIANO PRÆTURA *& Consulare imperium decernuntur*; ac
In Domitiano cap. 1. de Domitiano similiter Suetonius: *Et Cæsar consalutatus, honorem* PRÆTURÆ URBANÆ *Consulari potestate* (absentibus nempe tum utroque Consule patre ac fratre) *suscepit*. Etsi vero addit Tranquillus *titulo*

tenus

tenus ſuſceptam illam a Domitiano *Præturam*, *quam iurisdictionem ad proximum Collegam*, cui nempe ſors peregrina obtigerat, *transtulit*; haud eo minus a Tacito alio dein loco, & quem ſupra iam indicaui, dictum, quòd a Domitiano, vi nempe illius *Præturæ Urbanæ*, quum abeſſent Conſules, ſuum *nomen epiſtolis edictisque præponebatur*: adde, eandem eius *Præturam*, publica etiam urbis moneta, ad duraturam eius Magiſtratus memoriam, conſignatam. Exſtat utique etiamnum Veſpaſiani nummus argenteus a præſtantibus Antiquariis memoratus, hinc cum Veſpaſiani capite & IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUG. illinc cum aduerſis Titi ac Domitiani capitibus, in quibus uterque, ſuppreſſis cæteroquin, quod in ea penu nummaria valde ſingulare, eorum nominibus, ſed memoratis, quibus tum ii fruebantur, honoribus, CÆSAR & AUGUSTI F. ſeu *Filius*; Titus Cos. *Conſul* inſuper, alter vero, ſeu Domitianus, PR. *Prætor* deſignantur: nempe CÆSAR AUG. F. COS. CÆS. AUG. F. PR. Sed de quo nummo, eademque *Præturæ Urbanæ* dignitate, iuniori Gordiano duorum Auguſtorum Filio ac Nepoti, ac *Cæſaris* ſimiliter nomine conceſſis, alius erit dicendi locus, ubi nempe de hisce primi vel ſecundi Principum Romanorum, qui in veteri Cæſarianorum nummorum penu etiamnum leguntur, faſtigii Titulis agetur.

Hiſtor. IV. cap. 39. Num. Vaill. Com. Biragi Impp. p. 110. Numism. Præſt. Arg. in Veſpaſ.

E quibus autem facile nunc adſequimur, cur de *Prætura* illa *Urbana*, utpote magis honorata, ſeu quam dicit Plutarchus, τὴν μέγιστον ἔχουσαν ἀξίωμα, *maximam habentem dignationem*, contendiſſe dicantur Prætores a Julio Cæſare deſignati, etſi adfines & conſiliorum ſocietate iuncti, M. Brutus & C. Caſſius; ac vere quidem, ut vel ex Plutarchi ea de re narratione conſtare poteſt, non vero ſimulatè, ut id in dubio relinquit Appianus. Adde, quòd quum *Ludorum primum initium procurandis religionibus*, ut id a Liuio alicubi dicitur, *datum* fuerit; haud mirum ſit utique, ſi ludorum, in quibus rite celebrandis urbis populique Romani ſalutem, ac de eorum hoſtibus victoriam verti, & quidem, iuxta vetus vatis cuiusdam Marcii carmen, de quo idem [a] Liuius, ac poſt eum [b] Macrobius, ſtatuebant Quirites veſtri, ſi, inquam, *Ludorum Apollinarium* faciendorum munus, iuxta vetus illud carmen, *Prætori Urbano* demandandum cenſuerint: *Nempe iis ludis faciendis præerit* PRÆTOR IS, *qui ius populo plebique dabit ſummum:* atque ita eodem anno, quo primum voti fuerant hi Ludi, iis P. Cornelius Sulla, *Prætor* tum *Urbanus*, præfuerit. Qua ratione etiam factum, ut vix elapſo ab inſtitutis hisce Ludis ſæculo, mortuo Prætore Urbano C. Decimo, Prætoris vero in eius locum ſurrogandi comitia, pertinaciâ petentis Q. Fuluii Flacci Ædilis Curulis iam deſignati, impedirentur, decretum ſit a Senatu, ut is, cui proxima poſt Urbanam Prætura obtigerat, nempe iurisdictio inter ciues & peregrinos, ſiue qui, ut ea de re Liuius, *utramque in urbe iurisdictionem haberet*, APOLLINARES LUDOS FACERET. Unde præcipuam quandam *Urbanæ* illius *Prætura* dignationem in illa horum Apollinarium Ludorum procuratione habitam, liceat continuo adſequi: atque inde inter alia eſt, quod, nouo tum ac inſolito cæteroquin ſpectaculo, *Urbanus Prætor* triumphali veſte indutus quadrigis per Circum ſublimis veheretur. Quam utique eius pompam notis illa de re verſibus deſcribit, ſeu verius ante oculos ponit, Juuenalis:

9. Prætor Urbanus *Curator in urbe* Ludorum Apollinarium.

In M. Bruto p. 986. Bell. Ciuil. l. II. p. 498. Lib. VII. cap. 3. [a] Lib. XXV. cap. 12. [b] Lib. I. Saturn. c. 17. Liuius ut ſupra

Lib. XXXIX. c. 39.

Satyr. x. v. 36. &c.

Quid, si vidisset PRÆTOREM *curribus altis*
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi,
In tunica Iouis, pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?

ac alibi rursus:

Satyr. xi. v. 192.

Similisque triumpho
Præda caballorum PRÆTOR *sedet.*

Unde insuper lucem mutuatur, & qui hæc modo dicta illustrat quoque, sequens Plinii locus: *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui* PRÆTURA FUNCTI *curru vecti essent per Circum.* Quod eximium proinde priuilegium, ac ne æquarentur potestati maiori, nempe *Urbanis* hisce *Prætoribus* (uti bene monuit ad Tacitum Lipsius, a quo etiam occupatus fuit adductus modo Plinii locus) denegatum ab Augusto Tribunis plebis, etsi proprio sumptu ludos Augustales edere petentibus, curru nempe per Circum vehi, e [a] Tacito ac [b] Dione constat. Ad quam proinde singularem *Urbanæ Præturæ* præ aliis prærogatiuam, edendi nempe Apollinares ludos, respicit Cicero, ubi de Murenæ, quam gesserat, Prætura Urbana agit: *Egregia est & ad Consulatum apta prouincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum* LUDORUM *voluptate concluditur:* priora nempe ab eo ibidem dicta sunt intuitu iurisdictionis inter ciues; posterius vero, ob solemnium ludorum illorum Apollinarium editionem: quod utrumque ad hanc Præturam spectabat. Quum vero die adhuc anni incerta fierent primum iidem Apollinares Ludi, lata dein a P. Licinio Varo lege, solemnis ante diem *III. Nonas Quintiles* (in uno vel altero vetere urbis Kalendario, die sequenti, seu *Prid. Non. Quintil.*) dies eam in rem institutus, ac deinceps, quod addit Liuius, seruatus. Quod editorum Romæ horum Ludorum tempus exstitisse, ex alio insuper Liuii loco constare potest, ubi ad bellum Asiaticum profectus dicitur L. Cornelius Scipio, *Ludis Apollinaribus ante diem quintum Idus Quintiles*; qui non primus, ut hinc collegit vir doctus, horum Ludorum dies, sed septimus, iuxta superiorem Liuii locum, ac vetus urbis Kalendarium sub Imp. Constantio conditum; aut sextus, iuxta alia urbis Kalendaria, quæ non III. Non. sed Prid. Non. Quintil. edi cœptos Apollinares Ludos indicant. Unde autem minus recte a viro eruditissimo, & harum antiquitatum eximie perito, monitum videas, *a Nonis Juliis ad IV. Idus* hosce ludos Apollinares, idque auctore eius rei Cicerone, editos: quum iuxta Liuium & dictum Constantii Kalendarium, *ad diem Prid. Id. Jul.* atque ita per dies nouem, uti Romani olim Ludi, & iuxta alia antiqua Kalendaria, *ad diem III. Idus Jul.*, seu per dies demum octo, agerentur iidem Ludi. Quod vero Ciceronis auctoritate hic nititur vir eximius, de eo paullo post, ac ubi de Venatione, in his quoque ludis exhibita, dicetur. Haud vero moror hic Ciceronis Philippicarum interpretem, a quo forte notari video, debuisse Brutum ludos Apollinares ad quintum Nonas Quintiles celebrare: id quod non solum nullo auctore nititur, sed

a Ut supra.
b Lib. LVI. p. 600.

Lib. XXXIV. c. 5.

Com. ad Annal. l. I. c. 15.

Pro Murena cap. XX.

Lib. XXXVII. c. 25.

Ibidem cap. 3.

Th. Dempster. ad Kalend. Rom. p. 120. Antiq. Rom. To. VIII.

I. Masson. in Vita Plin. Iun. p. 15 ante Plin. Epist. Oxon.

Nic. Abraham. in Philip. I. c. 15. edit. Græun.

sed cum dictis hactenus, tum priscis urbis Kalendariis manifesto aduersatur.

Actos vero eosdem Apollinares Ludos in *Dei* illius, ita a Græcis Romanisque appellati, honorem, vel eorum nomen satis arguit, vel, quod de iis Maro, *festosque dies de nomine Phœbi:* unde & Ἀπολλώνεια a Græcis, iidem uti ea de re mox, sunt appellati. Eosdem vero non Apollini solum sed Dianæ etiam dicatos statuit, ac inde plures Gentium Romanarum nummos, in quibus, præter radiatum Apollinis caput, soror eius Diana insuper sub Lunæ bicornis specie depicta cernitur, ad *Apollinares Ludos* ab iis Prætoribus Urbanis editos, quorum nomina leguntur ibidem inscripta, retulit nuper [a] celebris Antiquarius: additque alicubi, quòd id in dubium reuocare nemo amplius videatur. Quum tamen unius, in cuius nempe honorem vel laudem institituti sint ac celebrati, & a quo etiam denominati sint iidem Ludi, *Apollinis* nempe, facta sit a [b] Cicerone, [c] Liuio, [d] Virgilio, [e] Aristide, [f] Dione Cassio, [g] Festo, [h] Macrobio, [i] Seruio, aliisque, qui de iis agunt, ac in priscis etiam urbis Kalendariis, nulla vero *Dianæ*, mentio, ut fieri cæteroquin solet, ubi communia duobus tribusue Numinibus sacra Festa, Ludiue commemorantur. Apud Græcos equidem alia sunt appellata ΑΚΤΙΑ, ΔΗΛΙΑ, ΔΙΔΥΜΕΙΑ, ΗΛΙΑ, ΚΑΡΝΕΙΑ, ΠΥΘΙΑ, *Actia*, dicti nempe *Actii Apollinis*, item *Delia*, *Didymea*, *Carnea*, *Pythia*, & *Solis*, seu *Phœbi*, solemnes Ludi: alia vero ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ, ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΑ, ΕΦΕΣΙΑ, seu sacra *Dianæ*, eidemque *Ceruorum Venatrici*, aut *Ephesiæ*, Festa. Ita Ἐφεσιγνίαι, seu *Mensium Kalendæ Apollini* peculiariter, & quidem quatenus is pro Sole habebatur, erant sacræ, iuxta veteres ad [k] Pindarum Criticos: non vero ei cum *Diana* communes. Hinc diuersis etiam Hymnis cultum utrumque, etsi uno partu, quod urget aliquoties indicatis iam locis celebris Antiquarius, editum numen, ex iis, qui adhuc supersunt & Orpheo, ac Homero vulgo tribuuntur, uti e Callimachi itidem Hymnis, liquet; immo, quòd peculiaribus etiam nominibus sint appellati, sicut ex antiquis Auctoribus & Criticis discimus, eorum Hymni; Apollinis quidem vulgo [a] Παιᾶνες dicti, item, iuxta [b] Menandrum Rhetorem, ubi agit de priscis & singularibus Deorum Hymnis, Ὑποχήματα. Dianæ vero, ut præter [c] Athenæum, tradunt eruditi ad [d] Apollonium Rhodium Critici, ac iam ad Battiadem monui, Οὔπιγγοι, quod Οὖπις diceretur eadem Dea. Adde, quòd apud [e] Liuium, ubi de horum *Apollinarium ludorum*, iuxta vetus vatis Marcii, aut, iuxta [f] Seruium, Marciorum fratrum carmen, institutione agitur, Senatusconsulto decretum legatur, quibus hostiis sacra tum Apollini, ac Latonæ insuper eius matri, a Decemuiris deinceps fierent, nulla prorsus Dianæ, cui tamen locus omnino ibi fuisset, facta mentione; neque etiam, ubi ille a Prætore, qui primus erat eos Ludos facturus, edictum tradit, *ut populus per eos Ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret:* ac similiter Festus, & iis quidem verbis, quæ uni Apollini sacros eosdem satis arguunt: *Apollinares Ludos, hoc est* IN LAUDEM APOLLINIS *populus laureatus spectabat, stipe data pro cuiusque copia.* Erant quidem alii apud Romanos, ac aliunde sat noti, communes Apollini ac Dianæ Ludi, *Sæculares* nempe: quos, etsi omnino diuersos ab *Apollinaribus* proprie dictis, confudisse celebrem Antiquarium, conii-

10. Ludi Apollinares, *an Apollini ac Dianæ* sacri; *iique male cum* Ludis Sæcularibus *confusi.*

[a] Vaillant Fam. Rom. p. 132, 141, 282, 283, 426. To. II. p. 141, 207, 373, 475.
[b] In Bruto c. XX.
[c] Lib. XXV. c. 12.
[d] Aneid. VI. v. 70.
[e] Serm. Sacr. IV. p. 382.
[f] Lib. XLIII. p. 238. XLVII, 368. XLVIII, 377.
[g] In *Apollinares*, &c.
[h] Lib. I. Saturn. c. 17.
[i] Ad Aen. VII. v. 70.
[k] Schol. Neme. Od. III. v. 4.

[a] Vid. Platon. in Ione. p. 534. Schol. Eurip. Phœn. v. 1109. & Schol. Aristoph. Plut. p. 68.
[b] Ab Aldo editum p. 594.
[c] Lib. XIV. p. 619.
[d] Schol. ad l. I. v. 37.
[e] Lib. XXV. c. 12.
[f] Ad Aen. VI. v. 70.

Lib. XXV. c. 12.

In *Apollinares* &c.

cere mihi facile licuit. Id vero ab eo factum, ipsomet eius rei indice, aduertere mihi postea contigit, dum unum e nummis paullo ante memoratis, hinc cum radiato Apollinis capite, illinc cum Luna bicorni septemque Trionibus, sicut alibi aliarum Gentium Romanarum cum iisdem symbolis nummos, ad *Ludos Apollinares*, a Prætoribus tum Urbanis editos, refert, idque Zozimi auctoritate it ibidem adsertum. Quum tamen de *Sæcularibus Ludis* agere ibi Zozimum, & quidem de eorum origine, instituto, tempore, victimis, Superis Inferisque Numinibus, quibus iidem erant sacri, sit eruditis notum. Illud vero inter alia ibi a Zosimo dicitur: sequente primam sacrorum illorum Sæcularium noctem die, conscenso Capitolio, & consuetis oblatis in eo solitis victimis, ad extructum inde theatrum venientes *Apollini ac Dianæ spectacula* seu *ludos celebrasse*, τὰς θεωρίας ἐπιτελοῦσιν Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι; additque, die horum tertio seu ultimo, hymnos ac pæanas a patrimis matrimisque pueris ac virginibus Græca Romanaque lingua, in templo Apollinis Palatini, in utriusque nempe illius Numinis laudem, cantari solitos. Quibus autem induci neutiquam debuit celebris Antiquarius, ut dictos a Romanis *Apollinares Ludos* cum *Sæcularibus* illis confunderet, pro iisdemque habendos duceret; qui tamen origine, instituto, tempore, ac dierum numero, quibus iidem edebantur, aliisque solemnibus, ut vel ex ante dictis ac aliunde insuper liquere potest, erant prorsus diuersi: ac primi etiam, seu *Apollinares*, uni, ut vidimus, Apollini; *Sæculares* vero Apollini demum ac Dianæ forent sacri. Quod postremum, præter adducta Zozimi ea de re verba, vel e proœmio Sæcularis apud Horatium Carminis constare potest:

Vaillant Fam. Rom. p. 141. To. II.

Lib. II. p. 71. & seq. Edit. Oxon.

Ibid. p. 74.

Phœbe, syluarumque potens Diana;

duabusque insuper apud eum Odis, quibus ad celebrandas itidem Apollinis ac Dianæ laudes, ac in una etiam ex iis facta Sæcularis Carminis illius mentione, inuitantur similiter virginum ac puerorum chori, sicut in priore:

Lib. I. Od 21.

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium;

in altera quoque:

Lib. IV. Od. 6.

Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam;

ut proinde ad eandem Ludorum Sæcularium festiuitatem in duobus iis carminibus respici omnino liqueat. Neque vero, quod de actis eo tempore Apollini ac Dianæ Ludis a Zozimo, ut vidimus, traditur, debuerat viro docto negotium facessere; cuius de Anno & Ludis Sæcularibus commentatio prostat in præclara illa Romanarum Antiquitatum penu, quam collegit ac illustrauit magnum nuper meliorum literarum decus, utinam adhuc noster, Græuius: quasi nempe ad Apollinares Ludos, qui tamen duobus & ultra sæculis post institutos a P. Valerio Publicola Ludos Sæculares, id agnoscente viro docto, fuerint demum facti, respicere ibi potuerit, vel debuerit, Zozimus. Unde nec sollicitum eum esse decuit, ad

P. Taffinus de An. & Lud. Sæc. c. VIII. p. 504, 505. Antiq Rom. To. VIII.

quos

quos alios statos Romanorum Ludos iidem Sæculares in laudem Apollinis ac Dianæ forent continuo referendi. Neque enim, quod aduerti omnino a viro illo erudito, qui de iis data opera commentabatur, omnino debuit, ac erat utique obuium, nullatenus ibi a Zozimo respicitur ad *Ludos Apollinares*, aliosue in *Dianæ* honorem, statis solemnibusque diebus, Romæ quotannis celebrari, post primam eorum institutionem, solitos; verum ad eos demum, qui uno festiuitatis huius Sæcularis intuitu, ac anno demum, quodcunque temporis interuallum foret ei constitutum, Sæculari fieri consueuerant. Mitto, quòd idem, de quo paullo ante, celebris Antiquarius, nummum Gentis *Postumiæ*, quamquam cum eodem illo radiati Apollinis ac Lunæ bicornis typo, ad *Ludos Apollinares*, prout de aliis id genus Gentium Romanarum nummis ab eo factum diximus, ideo haud referendum tradit, quòd, auctore Liuio, Ludi illi primum editi sint anno V.C. DXLI, inscriptus vero in eo nummo L. ALBINUS A. F. A. N. *Auli Filius Auli Nepos*, Ædilis Curulis iam fuerit anno DXIV. Qua ratione ille a Zozimo abit, qui aliam, ac ducentis ferme annis vetustiorem tradit Ludorum apud Romanos Sæcularium, ac proinde qui Apollini ac Dianæ tum fiebant, institutionem; nempe anno V. C. CCCLII. Ut illud insuper obiter hic tangam; quod ab eodem celebri Antiquario alibi ac vere dicatur, *Ludos Apollinares* (non tamen, ut ibi ait, Apollini ac Dianæ, sed *uni Apollini* sacros) editos ante diem III. Nonas Quinctiles, sicut id a Liuio, ac in vetere etiam Kalendario Romano, in duobus aliis die sequenti; seu Prid. Non. Quinct., traditur: alibi tamen, & duobus quidem eiusdem operis locis, dicat, eos Ludos pridie Nonas Aprilis celebratos, quo die tamen non Apollinares, sed *Megalenses*, *Matris Magnæ* Ludi signantur in vetustis illis urbis Kalendariis. Sed quod μνημονικὸν viri præstantis ἀμάρτημα statuendum videtur, quodque præteriissem lubentius, ni id eorum nummorum, quos iam hic expendimus, ratio a nobis exegisset.

Vaillant Fam. Rom. p. 304. To. II.

Lib. II. p. 71.

Vaillant Fam. Rom. p. 475. To. II.

Adeo equidem ut ad ea non horum *Apollinarium*, sed *Sæcularium Ludorum* solemnia indicanda spectare illos æui Augustæi nummos, cum utriusque illius Numinis, Apollinis ac Dianæ, simulacris, omnino sit statuendum. Factos equidem sub Augusto *Ludos Sæculares*, non e dictis modo Horatianis carminibus, sed e [a] Plinio insuper, [b] Tacito, [c] Suetonio, [d] Dione Cassio, [e] Censorino, [f] Zozimo, tabulis etiam Capitolinis; sed e priscis insuper & coæuis nummorum, quos vulgarunt iam præstantes antiquarii, monumentis, inscriptis, & subinde cum Augusti effigie, AUG. D. F. LUD. SÆC. FEC. *Augustus Diui Filius Ludos Sæculares Fecit*, & de quibus alius occurret dicendi locus, liquidum est ac manifestum. Nec mirum utique solemnium adeo Ludorum ab Augusto renouatorum memoriam, Quindecimuirorum, qui iis præerant, operâ studioue a Triumuiris vel Quartumuiris Monetariis publico ære, argento, auroue signatam intueri. In quibus proinde nummis obseruare etiamnum licet, cum immolatas ab ipso Principe, iuxta Quindecimuiros, ut ea de re Zozimus, in Templo victimas, variumque insuper sacrorum apparatum; tum, ob decursum illud tot annorum, illudque recurrens, interuallum, ac statam insuper dierum & noctium vicissitudinem, *Apollinis* ac *Dianæ*, quibus inde iidem Ludi erant potissimum sacri, & quapropter cantari solebant

II. *De nummis Familiarum Romanarum, qui non ad Apollinares sed ad Sæculares Ludos erant referendi.*

a Lib. VII. c. 48.
b Annal. XI. c. 31.
c In Aug. c. 31. in Claud. c. 11.
d Lib. LIV. p. 553.
e De Die Natal. c. XVII.
f Lib. II. p. 72.
g Ibidem p. 73.

lebant in eorum laudes solemnes Hymni, simulacra in nummis id genus sæcularibus expressa. Qualia utique, hinc nempe *Apollinis* seu *Solis* radiatum caput, illinc *Dianam* seu *Bicornem Lunam* cum *Stellis* aliquot, exhibent (ac unde imposita hic nobis, non aliunde arcessita, de iis agendi occasio) aliquot veteres Familiarum Romanarum nummi, uti *Aquiliæ*, *Asiniæ*, *Claudiæ*, *Fabiæ*, *Lucretiæ*, *Minuciæ*, *Porciæ*, *Postumiæ*, *Semproniæ*, *Titiæ:* quibus autem typis, excepto forte uno vel altero ex iis nummo, designari dictos proprie *Apollinares* eosque annuos *Ludos*, a *Sæcularibus* utique diuersos, statuebat, ut vidimus, celebris Antiquarius. Id vero de uno Gentis *Claudiæ*, cum iis Apollinis ac Dianæ, seu Solis ac Lunæ Bicornis symbolis nummo, obiter iam monuisse Cl. Patinum postea animaduerti, indice mihi eius rei eximio Begero nostro, qui, an aliquid forte ab eo monitum ea de re fuisset, in explicandis Thesauri Brandenburgici Familiarum Romanarum nummis consulendus mihi visus est. Verum ibi ab eo adferri ac improbari simul hanc Patini de illo Gentis *Claudiæ* nummo coniecturam deprehendere mihi continuo licuit: quod scilicet in eo Lunæ Bicorni addantur Stellæ; *quid autem*, ut continuo addit, *ad Sæculares Stellæ?* unde tutius ei videtur septem in utraque illius nummi parte Planetas agnoscere, quorum nempe numerum Sol, Luna, & quinque Stellæ in eodem nummo conspicuæ complere videantur: cur autem easdem ibi expresserit P. Clodius, se non facile dicturum profitetur. Neque tamen erat difficile, facta iam opportune a clarissimo Patino Ludorum Sæcularium eodem nummo indicatorum mentione, id adsequi. *Apollo* nempe ac *Diana* illis Sæcularibus, seu faustis noui sæculi auspiciis, celebrati, quatenus iidem pro *Sole* (uti de Apolline in Sibyllinis de hisce ludis carminibus apud Zozimum dicitur) ac *Luna* censebantur; unde in initio Sæcularis apud Horatium Carminis, invocatur sub *Phœbi* nomine *Apollo*; mox autem ad eundem:

Fam. Rom. Paris. an. 1663. edit. p. 74.

Contin. Thes. Brand. p 543.

Ἀπόλλων ὅτε καὶ Ἥλιος κικλήσκεται p. 76. ed. Oxon.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliusque & idem
Nascéris;

tum ab initio Carminis, *Diana*, *Lucidum cœli decus*; dein:

Siderum Regina bicornis audi,
Luna, puellas.

Adeo ut ad similes nummos respicere videatur in eo Sæculari Carmine idem Venusinus; in quibus *Apollo* sub radiati *Solis*, *Diana* sub *Bicornis Lunæ*, cum aliquot Stellarum comitatu, velut *Siderum Reginæ*, effigie depinguntur: ac unde, ut ad illud carmen obseruat vetus Interpres, tribus diebus, totidemque noctibus, quod tangit ibi quoque Horatius, acti fuerint illi Ludi Sæculares. Ut proinde morari neutiquam eximium Begerum additæ *Bicorni Lunæ* in nummo Appii Claudii aliquot *Stellæ* debuerint; immo id suadere potius, ut ad Sæculares Ludos ille omnino referretur. Quomodo etiam modo *quinque sexue Stellæ*, ut in Goltzianis Familiarum *Fabiæ*, *Porciæ* ac *Titiæ* nummis; modo etiam *septem*, seu fulgentes *Triones*,

nes, apparent, qui Bicornem illam Reginam ambiunt, ut in alio Gentis *Claudiæ* denario, item in *Aſiniæ*, *Lucretiæ*, *Minuciæ*, *Porciæ*, *Poſtumiæ*, *Semproniæ*, nummis. Nempe prout Diana hæc *Noctiluca* Μήνη ἀτροχίτων, *Luna ſtellis amicta*, in Orphei ſeu Onomacriti Argonauticis, Verſ. 511. dicitur; aut εὐάστερος, & ἀστράσχη, *ſplendida ſtellarum inſtar*, ſeu *cum ſtellis lucens*, ſeu, iuxta Horatium, *ſiderum Regina*, inuocatur in adtributis eidem[a] Orpheo Hymnis, apud[b] Euripidem vero ἄστρα δὲ ὁμάστει θεᾷ, *Stellæ vero comitantur Deam.* Nempe iuxta Manilium:

a Hymn. Σελήνης &c. p. 184. ult. ed.
b In Jone v. 1112.

Cum Luna ac ſtellæ volitent per inania mundi; Lib. I. v. 209.

de ſeptem autem illis *Trionibus* in maiore Urſa:

Quam ſeptem ſtellæ primam iam Sole remoto
Producunt, nigræ præbentem lumina Nocti. Lib. I. v. 618.

Quæ lucidius adhuc ante oculos ponent, quæque e modo dictis claram quoque lucem fœnerantur, ſequentes aliquot dictorum modo nummorum icones, primi in Gente *Claudia*, alterius in *Minucia*, tertii in *Sempronia* conſpicui, quorum duo poſteriores ſunt e Goltzio demum in nuperam collectionem a celebri Antiquario, uti alii etiam nonnulli iis ſimiles, illati.

Primum autem ex iis, Gentis *Claudiæ*, nummum alter mox ſequitur in eadem illa collectione nummus, idemque in Fuluiana iam ante ſignatus; in quo hinc non radiatum, ſed laureatum Apollinis caput, retro lyra; illinc autem, iuxta eruditiſſimum Fuluium, ac vere quidem, *Diana* utraque manu facem tenens; iuxta dictum vero præſtantem Antiquarium, *Ceres*; adeo ut *Apollinis* capite in prima illius nummi area, *Apollinares ludos*; poſteriori tediferæ Cereris typo, *Cereales Ludos* ab eodem illo, & quidem, ut exiſtimat, Ædili Curuli P. Clodio celebratos idem ſtatuat; addatque eam in rem: " quanta lux Hiſtoriæ veteri e nummis affulget. Quod lubenter utique viro præſtanti, & qui inſignem ad eam rem operam contulit, ac viam ſtrauit, vulgatis tot inſignibus huius veteris memoriæ cimeliis, concedimus: non vero *Cererem* depingi in altera nummi illius parte, ac proinde factos tum ab illo Clodio *Cereales Ludos* deſignari. Neque enim *tedifera* ſeu δαδοῦχος ſolum *Ceres* apud Auctores, vel in monumentis id genus antiquis; ſed *Diana* inſuper cum a Græcis, ut quæ Hecate, Δαδοῦχος ſimiliter ſeu [a] Δάειρα; tum [b] Φαεσφόρος, ſeu Φωσφόρος· a Romanis vero, uti in [c] nummis etiam ac [d] lapidibus antiquis; DIANA LUCIFERA, immo apud Sophoclem [e] ἀμφίπυρος, ſeu *utraque manu facem ferens*, ut ibi veteres Critici, ac apud [f] Ariſtophanem Διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας, *du-*

Vaillant Fam. Rom. p. 283. To. I.

a Apollon. Rh. l. III. v. 848.
b Eurip. Helen v. 575. Pauſan. l. IV. p. 276.
c Fauſtinæ M. Regin. Chriſt. Lucillæ Reg. Gall. &c.
d Reinef. Synt. p. 105.
e Trachin. v. 218.
f In Ranis v. 1408.

duplices faces tenens, ac prout in illo Gentis *Claudiæ* nummo conspicitur, est appellata: immo prout eadem apud Callimachum adhuc tenella, & ad parentis Jouis genua prostrata, Φαεσφορίην ab eo, uti iam ante seruandæ virginitatis decus, petiisse dicitur. An vero eodem illo nummo *Apollinares Ludi*, qui quotannis, & statò quidem tempore, a Prætore Urbano edebantur; an vero *Sæculares*, qui demum, ut de iis Horatius, *Sæculo festas referente luces* fiebant, designentur, ut quid sentiam, hìc tangam: id equidem arbitror, percussum quidem illum eodem anno sæculari, quo priores commemorati modo nummi, cum aliis *Apollinis* velut *Solis*, ac *Dianæ* ceu *Bicornis Lunæ* symbolis; sed tempore *Ludorum* eiusdem anni, quique non ita diu post edi consueuerant, *Apollinarium*. Unde præter caput Apollinis non iam radiati, sed laureati (qualis nempe in iis ludis colebatur, & a laureata etiam spectatorum, quod e Festo paullo ante vidimus, turba) addita sit insuper *Dianæ* φωσφόρου *tediferæ*, seu, ut in dictis nummis, LUCIFERÆ effigies, in memoriam nempe *Ludorum Sæcularium* paullo ante in utriusque numinis illius honorem editorum.

Hym. in Dian. v. 11.

Lib. IV. Od. 6.

12. *De nummo Gentis* Postumiæ, *qui ad* Sæculares ludos *respicit.*

Qua vero occasione alium insuper eiusdem Gentis *Postumiæ* nummum præterire hic haud licet, quem ad eosdem *Ludos Sæculares* sub Augusto actos retulit iam ante doctissimus [a] Fuluius; & ex eo, uti ad eundem nummum tradit, [b] celebris quoque Antiquarius. Exhibet nempe ille Dianæ caput in anteriore nummi area, cum Arcu eius & Pharetra, ac bicornis supra eius verticem, de qua silent viri præstantes, Lunæ effigie: in auersa vero nummi parte cernitur vir togatus, seu sacerdos, monti insistens, dextrâ supra caput bouis cum corona protensâ, & accensâ in medio arâ. Quem nummum percussum existimat Fuluius in memoriam A. Postumi Albini, qui, ut scribit Liuius, Decemuir sacris faciendis fuerit anno DLXXXI, quique *Ludis Sæcularibus* quartis Magister Decemuirorum, aut certe Quindecimuirorum, interfuerit. Ad hos enim *Ludos Sæculares* spectant ea, ut de eodem nummo Fuluius, quæ in eodem denario sunt impressa, *Dianæ* scilicet imago, in cuius honorem ludi illi celebrabantur: bos ad aram in monte, Auentino nempe, ubi Dianæ templum, erectam, ac his ludis Apollini ac Dianæ mactari consuetus, ut ex adductis itidem aliquot ex Sæculari Horatii Carmine versibus comprobatur; Magister vero Decemuirorum aut Quindecimuirorum aræ adstans. Quamquam, ad bouem quod attinet, immolatum quidem hoc animal in sacris illis Sæcularibus, sed Joui, & quidem in eius templo, seu in Capitolio, legitur in Sibyllinis versibus apud Zozimum: sed ubi Apollini easdem victimas quoque oblatas mox dicitur; ac de Diana, cui dicata iuxta Apollinem erant eadem sacra, potest similiter intelligi. Accedit, quòd, auctore eodem Zozimo, quod ad illustrationem huius nummi plurimum facit, horum sacrorum Sæcularium tempore populus uniuersus, cum in Capitolio ac in Templo Apollinis Palatini, tum in Dianæ templum, quod erat in Auentino colle, quique conspicitur in hoc nummo, conueniret, nocturna peruigilia Parcis caste decenterque obiturus. Adde, quòd nominatim de Diana dicatur in Sæculari Horatii Carmine, ac iis inter cæteros, qui ab eruditissimo Fuluio sunt iam adducti, versibus:

[a] Famil. Rom. ed. Rom. & ed. Patin. Paris. 233.

[b] Vaill. Fam. Rom.

Lib. XLII. cap. 10.

Lib. II. p. 75, 76.

Ibid.

Quin-

Quindecim Diana preces virorum
Curet.

Unde in eodem denario hinc *Diana* conspicitur, eademque, ut obseruo; *bicornis*, sub Lunæ proinde specie, de cuius cultu tum, ut iam vidimus, agebatur; illinc, unus ex illis Quindecimuiris, seu *Quindecimuirorum Magistris*, Aræ adstat, quique coronam Boui, seu victimæ ad sacrificium paratæ, dextrâ protensâ imponit. E quibus autem, ut hoc addam, illustratur; quique dicto etiam nummo lucem commodat, alius eiusdem Gentis *Postumiæ* denarius; quem ad Ludos itidem Sæculares, iuxta alios cum iisdem typis, hinc nempe *Apollinis* seu *Solis radiati*, illinc *Bicornis Lunæ* cum additis *Trionibus*, respicere iam ante diximus: quem autem nummum celebri Antiquario ad Ædem Apollinis ac Dianæ a memorato ibi L. Postumio, eoque Ædili tum Curuli, restauratam, referre visum est. Quum tamen nulla Romæ eiusmodi Ædes Apollini ac Dianæ communis, apud Sex. Rufum vel P. Victorem, in Descriptione veteris Romæ aliosue antiquos rerum Romanarum Scriptores legatur exstitisse, nisi quis eo referat Templum Solis ac Lunæ, quod in quarta Urbis Regione apud P. Victorem legitur. *Dianæ* vero Templum, de quo paullo ante, in monte Auentino, *commune* quidem ab eodem Victore dicitur; non *Apollini* tamen & *Dianæ*, sed quod communibus omnium Latinorum & Romanorum sumptibus esset extructum, ut a [a] Liuio, [b] Dionysio, [c] Aur. Victore aliisque traditur. Quamquam, & quod non erat hic prætereundum, id celebri Antiquario posset suffragari, isque se inde & Maronis auctoritate tueri, dicentis:

Vaillant Famil. Rom. p. 304. To. II.

a Lib. I. c. 45.
b Antiq. l. IV. p. 250.
c Vir. Ill. c. VII.

Tum Phœbo & Triuiæ solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.

Æn. VI. v. 69.

Quod autem non de Templo illo *Solis* & *Lunæ*, de quo forte unus P. Victor loquitur, sed de *Palatini Apollinis* extructo ab Augusto in Palatio templo dici obseruat ibi Seruius; ac similiter ad alium eiusdem Poëtæ locum, ubi de eodem templo legitur:

In Quarta Regione Urbis Romæ.

Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi;

Æneid. VIII. v. 720.

de quo loquitur etiam Propertius:

Musa Palatini referamus Apollinis ædem.

Lib. IV. Eleg. 6.

Cur vero illud non solum *Phœbi* seu *Apollinis* sed *Triuiæ* insuper seu *Dianæ* templum priori loco a Marone dicitur, silet ibidem Seruius, nec obuia occurrit eius rei ratio: quum utique non Poëtæ solum, sed qui præterea eiusdem Palatini templi meminere, illiusque, tanquam bibliothecis, porticibus, aureis cortinis, & statuis ab Augusto ornati, [a] Suetonius, [b] Dio, aliique, *Apollinis* demum illud vocent, nusquam facta *Dianæ*, cui illud similiter dicatum esset, mentione: neque vero alterius, uti diximus, in urbe Templi, quod Apollini ac Dianæ, nisi forte memoratum paullo

a In Aug. c. XXIX.
b Lib. LIII. p. 496.

ante, sed alioquin ferme ignotum, Solis ac Lunæ Templum, foret commune. Mitto, quòd antiqui dentur Maronis codices, qui in adducto illo, de quo hic agitur, loco, pro *templum* legunt *templa:* ut ita non de uno; sed de duobus diuersis *Apollinis* ac *Dianæ* Templis id a Poëta dicatur. Verum haud opus est, ut eo recurratur; maxime quum ille venerandæ vetustatis codex Mediceus, aliique antiquissimi *templum* ibi retineant: exstet vero apud Varronem locus, qui fugit eruditos poëtæ interpretes, unde cum Maro, tum Horatius insuper, ac Plinius haud parum illustrantur.

L.L. lib. IV. Nempe ubi ab illo togatorum doctissimo dicitur: LUNA, *quod sola lucet noctu, itaque ea dicta* NOCTILUCA *in palatio. Nam ibi* NOCTU LUCET *templum: hanc, ut* SOLEM APOLLINEM, *quidam* DIANAM *vocant.* Obuia proinde hinc ratio, cur Apollinis ac Dianæ, seu *Phœbi* ac *Triuiæ*, *Solis* nempe ac *Lunæ*, templum illud Palatinum ibi a Marone dicitur: quod in eo quoque *Luna*, seu Diana *Noctiluca* coleretur, *noctu*

Lib. XXXIV. c. 3. nempe *luccute* eodem templo; & quidem, ut e Plinio constat, *pensili lychnucho: placuere*, nempe *lychnuchi*, ut addit, *arborum modo mala ferentium* LUCENTES, *qualis est in* TEMPLO APOLLINIS PALATINI. Unde Horatio similiter noua lux continuo accedit, cur in carmine, quo ad *Sæculares Ludos* respicere eum diximus, & quo tempore in Æde illa Apollinis Palatini Hymnis celebrari utrumque Numen, Apollinem ac Dianam, seu Solem ac Lunam, e Zozimo id tradente vidimus, ea leguntur inter alia, quæ iam ante adtulimus: *Rite crescentem face* NOCTILUCAM, quo nempe nomine *Dianam* seu *Lunam dictam in Palatio* docet in adductis modo verbis Varro; quinimo *noctu* idque *pensili lychnucho*, ut a Plinio insuper traditur, *lucentem. Noctiluca* cæteroquin videtur, hoc enim addendum, dicta eadem a Romanis Græcorum imitatione, prout non solum a Simonide, iuxta eruditissimum Dacerium, νυκτιλαμπὴς, sed etiam νυκτιφανὴς

a Exc. de Rer. Natur. p. 135. ed. H. Grot. Μήνη in veteri incerti vatis carmine apud [a] Stobæum; ac similiter νυκτιφαὴς Μήνη, *Noctiluca Luna* in aliis prisci itidem poëtæ versibus, ad Manethonem

b Jac. Gronouius Not. ad Maneth. l. I. p. 267. nuper ab eius [b] editore adductis, dicitur. Adde, quòd, etiamsi Palatinum illud extructum ab Augusto templum, Apollini & Dianæ commune statuatur; nihil inde omnino accedat firmandæ celebris Antiquarii coniecturæ, de nummo, quo a L. Postumio Albino tum Ædili Curuli, & quidem anno V. C. DXIV. vel sequenti, atque ita duobus elapsis propemodum ante Palatinam hanc Ædem extructam sæculis, refectæ ab eo *Apollinis* ac *Dianæ* Ædis memoria signaretur. Maxime quum ne *Apollinares* quidem *ludos*, ad quos alioquin is typos in illo nummo expressos, ac in aliis Gentium Romanarum nummis, ut vidimus, obuios referre consueuit, ibidem designari posse censeat, quod iidem annis circiter viginti sex aut septem serius essent primum editi. Σύνναοι cæteroquin, ut obiter hoc dicam, Σύμβωμοι, Σύνεδροι ac Σύνθρονοι etiam dicuntur subinde in lapidibus antiquis, ut eruditis notum, Dii, qui communia haberent Templa, communes Aras, communes etiam Statuas aut Sedes. Quomodo, ut alia nunc mittam, commune *Cereri*, *Libero* ac *Liberæ* in Urbe Templum, apud

Lib. III. cap. 55. In Verrem v. c. 14. Liuium legimus, ludosque etiam inde iis communes, se Ædili Curuli designato faciendos, tradit in Verrinis Tullius. Iis vero, quæ de utroque illo *Postumiæ* Gentis denario, qui in memoriam *Ludorum Sæcularium*, ut de priore iam viderat Ursinus, sunt percussi, diximus, fi-

den-

dem lectori liquidius sequens istorum nummorum conspectus, ut opinor, faciet.

Quum vero, de quibus hic agebatur, *Apollinares Ludi* per dies octo, aut, sicut dicti *Romani* olim Ludi, per nouem etiam, iuxta unum e priscis urbis Kalendariis, ut paullo ante vidimus, a *Prætore Urbano*, cuius hoc erat munus, ederentur: id equidem certum, Ludos Equestres, seu Circenses, in iis potissimum ac solemniter actos: unde eosdem *Ludos Apollinares* in Circo maximo a *Prætore* tum *Urbano* primum factos tradit, ubi de eorum institutione agit, Liuius. Cuius insuper rei idoneus auctor erit Aristides: Εορτὴν Απόλλωνος εἶναι ΑΠΟΛΑΩΝΙΑ, ἐν ᾗ ΤΗΝ ΙΠΠΟΔΡΟΜΙΑΝ Ρωμαῖοι ποιοῦσι τῷ θεῷ, *esse Apollinis festum dictum* APOLLONIA (seu *Apollinares Ludi*) *quibus* EQUIRIA (seu *Circenses*) *Deo celebrant Romani:* ac prout Απολλώνια itidem, vel Απολλωνεῖα, non solum dicuntur iidem *Apollinares* apud Romanos *Ludi*, aliquot apud Dionem Cassium locis; sed ubi etiam, sicut modo ab Aristide factum, Ιπποδρομίας, *Equestrium ludorum* seu *Circensium*, qui tum acti sint, occurrit simul mentio; Ita, ubi Agrippam tum *Prætorem*, *Urbanum* nempe, edendis *Apollinaribus ludis* occupatum dixisset, idem Dio, addit continuo: Τὴν Ιπποδρομίαν ἐπὶ δύο ἡμέρας ἐποίησε, *Equestres ludos biduo præbuit*, præter dictum Troiam ludum magnifice ab eo celebratum: quum, ut ex antiquis rursus urbis Kalendariis discimus, ac unde ille Dionis locus illustratur, uno demum & ultimo quidem Apollinarium Ludorum die, iidem Circenses agerentur: III. (nempe EID. IUL.) LUDI IN CIR. Idem vero Dio paullo post, horum *Apollinarium Ludorum* ac *Circensium* in iis, seu Ιπποδρομίας, similiter meminit; quum dicit, quòd ἐν τῇ τῶν Απολλωνείων (non, uti ibi hactenus, Απολλωνιείων, neque enim Απολλωνίεια, sed Απολλώνια, ut alibi apud eundem Dionem, dicebantur iidem Ludi) Ιπποδρομίᾳ, *in Ludorum Apollinarium Equestri certamine*, confectæ sint, quod ibidem sequitur, & qua de re paullo post, ab equestribus viris feræ: adeo ut mirum videri neutiquam debeat, si Equestrium id genus Certaminum, modo Equo singulari vectorum seu Celetum, modo Bigarum, aut Quadrigarum imaginibus, cum Palmarum insuper vel Coronarum præmiis, totidem proinde Ιπποδρομίαις, horum *Apollinarium Ludorum*, quos *Prætores Urbani* celebrarent, atque cuius Præturæ memoria ita variis Gentium Romanarum nummis consignata etiamnum cernitur. Quod de quibusdam id genus nummis opportune iam monuerat, cui adserta denuo prisca Familiarum suarum decora, ac vetustas imagines, debent Quirites vestri, eruditissimus Ursinus, nempe ad *Celetes*, seu singulares Equites, prout ii dicuntur in Glossis antiquis, cum *palma* & cum *laureato Apollinis capite* in anteriore nummorum area in Gente *Calpurnia* depictos. Unde a singulari forte in hunc Apollinem,

13. *De Ludis Apollinaribus, qui in nummis per Equestres & Curules Agones designantur.*

Lib. xxv. c. 12. Serm. Sacr. iv. p. 582.

Lib. xliii. p. 238 lib. xlviii. p. 368, 377.

Lib. xlviii. p. 368.

Lib. xlviii. p. 377.

ac in celebrandis eius ludis (neque certe alia Romanorum Gens plures id genus nummos suppeditat) studio, factum videatur, ut APOLLINARIS cognomen eadem *Calpurniorum* Familia tulerit: prout constare potest e vetere inscriptione a doctissimo Reinesio, dein etiam in Felsinea marmora ab illustri eorum editore Carolo Maluasia relata, C. CALPURNIO SP. F. APOLLINARI &c. Quamquam illud *Apollinaris* cognomen, sicuti *Martialis*, *Mercurialis*, adde *Augustalis* &c. aliis etiam Romanis Gentibus commune apud Romanos exstitisse e lapidibus itidem antiquis constet. Exstat vero cum alibi, tum in Gente *Licinia* haud dissimilis nummus, cum *Apollinis* capite cincinnato in priori parte, & cognomine NERVA; illinc cum Equite decurrente cum palma: & qua occasione olim monui, cum singularibus id genus equis *Ludos Apollinares* designari, tum lege a P. Licinio Varo Prætore Urbano ad populum lata, eosdem Ludos, qui antea fiebant die incerta, stata deinceps ac solenni die, docente id Liuio, celebratos. *Palmas* autem e Græco more in dictos proprio nomine *Romanos Ludos* primum illatas, auctor est alibi idem Liuius: ut haud mirum sit, si & in reliquis dein solemnibus Romanorum ludis, Equestribus maxime seu Circensibus, idem mos quoque obtinuerit, *& palmæ pretium victoribus fuerit*. Unde etiam aliquot e dictis modo *Calpurniæ* ac *Liciniæ* Familiarum nummis iuuabit huc proferre, hinc cum *laureati Apollinis* capite, illinc cum *Celete*, seu qui singulari Equo decurrit, modo Equum flagro ad incitatum cursum, ad palmam ex eo reportandam, urgente; modo palmam, in partæ iam victoriæ signum, præferente: ac prout *Celete* quoque, seu singulari Equo vectorum, dictam a Græcis Ἱπποδρομίαν designari, docebunt veteres ad Pindarum Critici:

Syntagm. p. 552. Marm. Felsin. p. 24.

Lib. XXVII. cap. 23.

Lib. X. cap. 47.

Virgil. Æn. v. v. 111.

In altera vero prioris nummi parte, eam, quæ desuper in eo depingitur, Aquilam equi ibi decurrentis nomen indicare, me eius rei indice in superiore huius operis editione, ad eum obseruat celebris Antiquarius; adductumque tum a me eam in rem e veteri Epigrammate ibi quoque memorat versum:

Vaillant Fam. Rom. p. 212. To. I. Edit. Sup. p. 236.

Ο πρὶν ἀελλοπόδων λάμψας πλέον ΑΙΕΤΟΣ ἵππων,

Quæ prius præ velocibus instar procellarum equis lucebat AQUILA.

Id vero de illis uno equo decurrentibus, seu *Celetibus*, uti a Plinio iidem dicuntur, quo nomine *equos* demum id genus appellabant Græci, seu μονίππους, uti Plato μονίπποις δὲ ἄθλα τιθέντες, *singularibus vero equis præmia decernentes*, ac unde μοναμπυκία de huiusmodi singularis equi certamine est apud Pindarum dicta; id, inquam, obiter obseruandum venit, factam equidem ab Homero eorum *Celetum* mentionem:

Lib. XXXIV. cap. 5.

De Legib. l. VIII. p. 834. ed H. Steph.

Olymp. Od. v. ϒ. 15.

Ὡς δὲ ὅτ' ἀνὴρ ἵπποις κελητίζειν εὖ εἰδὼς, Iliad. O. ϒ. 679.

Uti autem vir ſingularibus equis uti bene gnarus: ſed ubi ad verbum illud κελητίζειν notant vetera ae erudita, quæ olim in hac Angliæ Metropoli verſauimus, Voſſiani Codicis ſcholia: Ἐστὶ δὲ ἀναχρονισμὸς, οὐ γὰρ χρῶνται κέλησιν οἱ Ἕλληνες, *eſt autem anachroniſmus; neque enim ſingularibus* (ad equeſtres nempe agones) *equis utuntur Græci:* Κέλητα enim, quod addunt ibidem, dictum de equo ad iugum ducto; id vero ad Homeri ætatem reſpicit: Græcos enim in ſacris ac ſolemnibus eorum agonibus ſingularibus id genus equis uſos, vel e primæ Pindari Olympicæ argumento liquere poteſt: Ἱέρωνι Συρακοσίῳ, Κέλητι, *Hieroni Syracuſano Celete Victori*; & ex eo, quod Pſaumidi inſeribitur, Ἐπινικίῳ, nempe: Ψαύμιδι Τεθρίππῳ, Ἀπήνῃ, καὶ Κέλητι, *Pſaumidi Quadrigis, Rheda Mulari, & Celete Victori*; & mox, ubi tria illa equeſtria certamina, *Mularum* inter ea relato, coniunguntur, ἵπποις, ἡμιόνοις τε, μοναμπυκίᾳ τε, *Equis, Mulabus, & Celete*, ſeu ad literam, *unius fræni equo.* Ad iſtud autem Homericum κελητίζειν, non prætereundum videtur illud Ariſtophanis: Olymp. Od. v. Argum. Ibid. vſ. 15.

Ἡνίκα δὲ κέλης κέλητα παρεκελητίει, In Pace ϒ. 900.

Florente Chriſtiano interprete, *ubi ſingulator ſingulatorem premit*; nempe *ſingulator* ibi, iuxta veteres Gloſſas: μόνιπποι, *ſingulatores, ſingulares.* Alium quoque in Gente *Marcia* ſingularem itidem decurrentem Equum, & deſuper Caſtorum pileos, eum laureati Apollinis capite in anteriore nummi area, ad hosce *Apollinares Ludos* opportune iam retulit celebris Antiquarius. Exſtabat vero ille pridem in Fuluiana collectione depictus, cum palma præterea & corona deſuper, ſed ſine Caſtorum pileis; quemque ad Cirenſes ludos ſpectare (quales erant etiam *Apollinares*) monuerat ibidem Fuluius. Ad quos itidem ludos reſpiecre Gentis *Aquiliæ* nummum, haud male videtur ſtatuere idem eximius Antiquarius, qui hinc laureatum itidem Apollinis caput, illinc Pegaſum exhibet cum Aſtro ſub eius pedibus ſignato. Quo equidem *Pegaſi*, ceu alati equi, nomine, ut paullo ante de *Aquila*, dictos etiam *celeres equos*, ac in hiſce equeſtribus agonibus decurrentes; eosque inde ob partam victoriam palma coronatos, eaue ornatos, adductis etiam eius rei indicibus antiquis aliquot nummis, in vulgata nuper prima huius operis parte vidimus. Haud vero eum eodem præſtante Antiquario, duobus Gentis *Juniæ & Papiæ* nummis, *Apollinares Ludos* ex alterius alati Equi & Pegaſo haud diſſimilis, *Gryphi* nempe, in iis inſculpti effigie, putem deſignari. Etſi enim Gryphi vulgo habiti ſint Apollini ſeu Soli ſacri, ut id monuit alicubi Seruius, ac prout in præclaris etiam nummis Sol vel Apollo Gryphorum bigis duei conſpicitur; Antinous etiam, ſub Apollinis habitu & eum Lyra, Grypho, quod iam in ſuperiori operis parte vidimus, vehi cernitur: at non ideo ad *Apollinares Ludos* depictum in nummis hinc *Apollinem*, illinc *Gryphum*, uti in *Juniæ* Gentis nummo, licet continuo referre. Idem certe in aliis antiquis nummis typus occurrit, qui aliorſum reſpicit, ut de Idalii in Creta urbis nummo Theſauri Brandenburgici, cum laureati Apollinis capite, & Grypho in altera nummi parte, quemque eximius Begerus noſter edidit ac illuſtrauit, Vaillant Fam. Rom. p. 103. To. II. Idem Fam. Rom. p. 132. To. I. Differt. v. p. 273. To. I. Vaillant Fam. Rom. p. 273. To. I. Ad Virg. Ecl. VIII. v. 27. Diſſ. v. p 271, 272. To. I.

Ut supra pag. 272.

alibi quoque notauimus. De altera vero Gentis *Papiæ* nummo, minus utique *Apollinares Ludos* in eo indicari, cum celebri Antiquario statuendum est; quod in prima nummi parte ne Apollinis quidem, sed Junonis Sispitæ caprina pelle amictum caput conspiciatur; cui autem Deæ in Romanis hisce numnis cæteroquin obuiæ, nihil cum *Apollinaribus Ludis* commune olim exstitit. Adde, quòd, ut aliunde sat constat, non in solis *Apollinaribus* in urbe Ludis, sed in aliis insuper, uti in iis qui *Romani* dicebantur, item *Megalensibus*, aut *Soli Inuicto* sacris, aliisque acti sint Romæ Circenses.

14. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Eosdem vero *Apollinares Ludos*, *Bigarum* aut *Quadrigarum*, seu, ut a Græcis dicebantur, Συναρίδος ac Τεθρίππου certaminibus, ceu totidem rursus Ἱπποδρομίαις, designari in aliis Gentium Romanarum nummis, licet omnino statuere: in quibus nempe hinc *Apollinis* laureatum ut plurimum caput; illinc *Victoria* cum *palma* aut *flagro* Bigis vel Quadrigis, & quidem non gradientibus, sed incitato cursu, ad metam quippe, decurrentibus equis, insistens depingitur. Id vero de aliquot id genus nummis opportune iam monuit celebris Antiquarius, ut in Gentibus *Junia*, *Valeria*, & quibus plures addi insuper possunt, ut Goltzianus Gentis *Furiæ* nummus, aliique. Quorum autem nummorum icones aliquot, qui de reliquis cum iisdem typis fidem faciant, hic subiiciemus; primum, e Gente *Furia*, cuius cognomen ibi insculptum PURPUREO; alterum e Gente *Junia*; tertium vero, qui Quadrigas exhibet, e Gente *Valeria*.

Vaillant Fam. Rom. p. 261. To. II.

Idem ibid.

Neque vero ad *Apollinares* Ludos licet cum celebri Antiquario referre Gentis *Pompeiæ* nummum, qui Sellam Curulem exhibet cum inscriptione Q. POMPEI Q. F. RUFUS COS, idque, ut ille existimat, ob additum Lauri ramum ab una Sellæ latere, & Sagittam ab altera. Haud facilè quispiam, ut opinor, alius ex unius lauri & sagittæ conspectu, nullis aliis additis *Apollinis*, aut qui ad eum unice referantur, typis, *Apollinares Ludos* in eo nummo signari coniectasset. Ad Consulatum certe eius, ut quem eo tempore egerit hic Pompeius, non ad *Prætoram Urbanam*, aut actos in ea *Ludos Apollinares*, eo nummo respici, ex ipsa COS. seu *Consulis* addita itidem dignitate sat liquere videtur. Unde Sella ibi Curulis non *Prætoria*, sed *Consularis*, sicut etiam in altera illius nummi parte, quod supra & alia occasione vidimus, ad designandum Sullæ Consulatum, depingitur: hinc autem cum lituo, ad denotandum eius Auguratum; illinc cum lauro similiter & corona. Adde, quòd nec felicius videatur idem celebris Antiquarius, hinc velatum Pietatis caput, illinc Tripodem, supra quem duo sunt Corui, quæ singula occurrunt in alio eiusdem Gentis *Pompeiæ* nummo, de *Ludis* itidem *Apollinaribus* interpretari; quos nempe descriptus in eo CN. POMPEIUS SEX. F. CN. N. *Sexti Filius Cnæi Nepos*,

Vaillant Fam. Rom. p. 263. To. II.

Nepos, Prætor tum Urbanus, ediderit. Præterquam enim quod insolitus quoque sit ille *Apollinarium Ludorum* in Romanorum nummis typus; verius utique ad Sacerdotium Quindecimuirale illo nummo respici statuisset vir eximius: prout *Tripode* similiter & *Coruis* tale sacerdotium designari in nummo Vitellii Imperatoris norunt antiquarii: ad quod etiam velatum Pietatis caput, in anteriori huius nummi area, opportune omnino referatur. Immo prout alibi signatum in duobus Gentis *Juniæ* nummis *Tripodem*, inter *Capeduncula*m seu *Simpulum*, & *Securim*, aut inter *Simpulum* & *Apicem*, cum epigraphe, Q. CÆPIO BRUTUS PROCOS. de M. Bruti *Quindecimuiratu* interpretatur idem celebris Antiquarius. E quibus vero priorem nummum cum *Tripode* nempe, *Securi*, ac *Simpulo*, uti alium insuper eiusdem Bruti cum *Securi* itidem & *Simpulo*, ad *Apollinares*, quos is *Prætor Urbanus* ediderit *ludos*, referre placuit erudito cæteroquin Areschotanorum nummorum interpreti Rubenio: quæ tamen vulgaria sunt alicuius Sacerdotii in Romanorum nummis symbola; uti, præter alios, in aliquot denariis Gentis *Antoniæ*, cum addito titulo PONTIFEX; ut de quærenda longius illorum typorum explicatione non sit laborandum. Quod similiter de duobus *Cassiæ* Gentis nummis dicendum venit; e quibus unus, a Fulvio iam vulgatus, hinc Tripodem præfert cum inscriptione C. CASSI IMP. illinc Præfericulum ac Lituum: quem autem nummum ob *Tripodem* insculptum, ad *Ludos Apollinares* a Bruto & Cassio, Prætura necdum defunctis, editos spectare censet celebris Antiquarius. Cui autem ea in re præiuerat vir singulari harum antiquitatum studio ac peritia inclytus, P. Seguinus, a quo primum prolatus fuerat eiusdem Gentis nummus, hinc cum Libertatis capite, illinc cum *Tripode*, supra quem *Cortina*, & eadem prioris nummi inscriptione C. CASSI IMP. Quo autem *Tripode* Apollini sacro indicari *Ludos Apollinares*, qui procurantibus Bruto & Cassio celebrati fuerant, ibidem ille monuit: exstitisse etiam ambos Prætores, cum Cæsarem interficerent, ideoque ad eos pertinuisse istorum Ludorum celebrationem, ut Liuius pluribus locis docet; quo munere autem iidem, quamuis absentes, magnifice sint defuncti, sicut e Ciceronis Philippicis constat. Quæ utique nollem excidisse viro eximio, & quod coram olim experti sumus, humanissimo; nec ut ei continuo, nulla tamen facta eius mentione, ea in re suffragatus esset celebris Antiquarius. *Ludos* certe *Apollinares* non a Prætoribus promiscue, sed ab uno *Prætore Urbano*, & quidem facto eam in rem, iuxta vetus vatis oraculum, solemni Senatus decreto, editos, tradente id, ut antea vidimus, ac erat obuium, Liuio, non fugere debuerat viros præstantes, immo quod alibi agnoscit celebris Antiquarius: eosque proinde non a Bruto simul & Cassio, sed ab uno, eoque *Prætore Urbano*, Bruto celebratos, a Cicerone haud uno loco, ut iam vidimus, tradi. Immo, quod antea quoque e Plutarcho, Appiano, ac Dione diximus, id ægre tulisse Cassium, & inde cum Bruto simultatem aliquamdiu exercuisse, ac Cæsari fuisse offensum, quod *Prætura* illa *Urbana* non sibi, sed Bruto fuisset ab eo demandata. Adeo viris etiam perspicacibus, ac notæ probatæque in versandis interpretandisue hisce eruditæ antiquitatis cimeliis industriæ, humanæ naturæ conditione; offundi subinde caliginem videas.

Vaillant Fam. Rom. p. 9. To. 11.

Ad Aresch. Num. Tab. v. n. 6. & 24.

Vaillant Fam. Rom. p. 249. To. 1.

Select. Numism. p. 90. ult. ed.

Vaillant Fam. Rom. p. 245. To. 1.

Neque

15. *De Scenicis Ludis & Venationibus in Ludis Apollinaribus, & harum exemplis in nummis.*

Neque vero *Circenses* solum, seu *Equestres* Ludos, sed *Scenicos* etiam actos, tum *Venationes* quoque in iis *Apollinaribus Ludis*, aut eorum occasione a *Prætoribus Urbanis* exhibitas, ut de *Munere Gladiatorio* iam nihil dicam, e priscis auctoribus Cicerone, Plutarcho, Dione Cassio, aliisque licet itidem colligere. De *Scenicis*, utique fidem facit haud uno loco Cicero: [a] *Nam hoc Prætore* (*Urbano* nempe) *C. Sulpicio Gallo*, LUDOS APOLLINI *faciente*, *cum* THYESTEN *fabulam docuisset*, *Q. Marcio*, *Cn. Seruilio Coss. mortem obiit Ennius*. Ad quos etiam *Apollinares Ludos* referri debet, id quod alibi de acta in iis [b] Ennii Andromache, quibusque Scenicis ludis ipse interfuerit, & de quo loco paullo post, ab eodem Tullio dicitur. Adde, sicut is alibi tradit, quòd *Ludis Apollinaribus Diphilus Tragœdus in nostrum Pompeium petulanter inuectus est*. Quomodo ille etiam Terei, Accii Tragœdiæ, meminit, quæ in Apollinaribus Ludis, a M. Bruto, Prætore tum Urbano, sed absente, editis, acta in urbe fuerit; quæque magnos populi Romani plausus continuo tulerit; nempe: *Quid? Apollinarium ludorum plausus, vel testimonia potius & iudicia populi Romani vobis parum magna videbantur?* mox: *Nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto.* Quod dici de acta tum Accii Tragœdia Tereo, liquet ex eiusdem Tullii epistola ad Atticum, de Bruto tradentis: *Delectari mihi Tereo videbatur, & habere maiorem Accio, quam Antonio* (*Caio* nempe, qui illis Bruti ludis, eo absente, præfuerat) *gratiam*. Singulare etiam eiusdem Bruti studium in Scenicorum artificum delectu, qui nempe fabulam illam agerent, tangit in eius vita Plutarchus: nempe eum Neapolim profectum, plurimos ibi Scenicos artifices conuenisse, ac mandasse, ut Canutium, præstantem tum histrionem, in Scenam adducerent.

a In Bruto cap. xx.
b Lib. IV. ad Att. Ep. 15.
Lib. II. ad Att. Ep. 19.
Philipp. I. cap. 15.
Lib. XVI. ad Att. Ep. 2.
In M. Bruto p. 994.

Qua ratione itidem factum, ut, præter *Circenses* ac *Scenicos* inductos insuper Ludos, *Venatio* quoque, qua populus Romanus impense delectabatur, accesserit *Apollinaribus Ludis:* ubi nempe prolatatis imperii finibus, editorum præterea ambitione, ac Romanæ plebis ad noua spectacula incredibili quadam cupiditate, e peregrinis in primis animalibus, quæsita est id genus Ludis celebritas & magnificentia. Sicut proinde Equestres seu Curules Ludi in Circo, Scenici in Theatro, ita *Venationes* in Circo quoque primum exhibitæ: unde illud apud Liuium legas: *Mos erat tum, nondum hac effusione inducta,* BESTIIS *omnium gentium* CIRCUM *complendi.* Eædem postea in Theatro ad id extructo peragebantur; quodque inde Θέατρον Κυνηγετικὸν, *Theatrum Venatorium*, aut *ad Venationes*, ut viderunt iam [a] viri docti, haud uno loco a Dione dicitur: ubi nempe de eiusmodi theatro a [b] J. Cæsare primum, dein a [c] Statilio Tauro, post a [d] Tito condito, est ei sermo. Quamquam, & in *Circo* quoque post Theatra illa extructa, *Venationes* id genus frequenter exhibitas constat e [e] Scriptoribus Historiæ Augustæ, illasque maxime, quibus [f] *Circo ad syluæ speciem consito*, feræ, eæque mansuetæ, dabantur populo diripiendæ, noxiæ vero conficiebantur: de quo more consuli potest, ad eosdem Historicos [g] ὁ πάνυ, quemque iam adtigerat [h] Onuphrius eiusque commentator. *Venationes* certe *Ludis Apollinaribus* vulgo exhibitas docebit insuper Dio Cassius, a quo, paucis annis post celebratos Bruti

Lib. XLIV. c. 9.
a Lipsi de Amphith. c. v.
b Dio Cass. lib. XLIII. p. 225.
c Lib. II. p. 460.
d Lib. LXVI. p. 757.
e Capitol. in Gord. c. III. Vopisc. in Probo c. 19.
f Vopisc. ibid.
g Salmas. ad Capitol. in Gord. c. III.
h De Circen. l. II. c. 3.

Apol-

Apollinares, dicuntur a viris Equeſtris ordinis feræ ἐν τῇ τῶν Ἀπολλωνείων Ἱπποδρομίᾳ, *in Apollinarium Circenſibus*, confectæ. Ad quem proinde morem ſua ætate obſeruari adhuc ſolitum, *Venationes* nempe, quas Prætor Urbanus edere in urbe tenetur, reſpicere videmus haud uno loco Symmachum; qui, ubi [a] *Urbanæ* filii ſui *Præturæ*, *quam ille proximis Kalendis Januariis ſortiretur*, duobus locis meminiſſet, variis dein ad amicos Epiſtolis ſe in inſtruenda ornandaque illa filii ſui Prætura valde ſollicitum oſtendit: maxime, quo non Curules ſolum [b] Equos in Hiſpania, aut [c] Urſos aliunde, ſed peregrina quæque, unde ſplendidior foret eadem editio, animalia eorum opera compararet: [d] *Ludos Prætorios præparamus*, *quorum ornatus animalia peregrina deſiderat*, *ut nouo cultu Romana ſplendeſcat editio:* alibi, ut inde de more ea in re illorum temporum, Valentiniani nempe ac Theodoſii magni ætate, liquidius conſtet: [e] *Prætura donum nouum*, *Deo iuuante*, *expectat*, *in qua me Crocodilos*, *& pleraque peregrina ciuibus exhibere*, *& aliorum hortantur exempla*, *& propria compellit animoſitas.* Cuiusmodi autem *Prætoriæ Venationis*, a L. Liuineio Regulo, Prætore tum Urbano, de quo iam ante, editæ, & quidem tam noxiarum, quam manſuetarum etiam ferarum, fidem facient duo ſequentes nummi, quorum prior Taurum, cum inſcriptione L. LIVINEIVS REGVLVS; alter unius beſtiarii cum Leone, alterius cum Panthera, & Clypeo quidem præter Jaculum armati, cum adiacente prope Urſo, pugnam exhibet, & cum addito *Prætoris* nomine & cognomine L. REGVLVS.

Lib. XLVIII. p. 377.

[a] Lib. IX. Epiſt. 70, 71.

[b] Lib. VII. Ep. 82, 105.
[c] Lib. X. Ep. 11.
[d] Lib. IX. Ep. 119.

[e] Lib. IX. Ep. 126.

Primo nummo reſpici ad *Taurorum* venationem, quod ſpectaculum primus Romæ, teſte Plinio, dederit J. Cæſar, qui eſt in anteriori huius nummi area depictus, obſeruat [a] celebris Antiquarius, uti ab eo iam [b] alio in opere factum fuerat. A [c] Triſtano etiam eum nummum iam ante adductum memorat, at a quo nihil de illa *Taurorum* venatione ſeu ſpectaculo, quod dederit Julius, monitum videas. Id vero viderat iam ante, eoque etiam hunc Liuineii Reguli nummum primus retulit, in notis ad dictum Plinii locum Dalechampius; quod etiam ab erudito Marmorum Oxonienſium editore eſt adnotatum. Alterum vero eiusdem *Reguli* nummum cum *Leonis* ac *Pantheræ*, non cum *Leonum* ſolum, ut ibi celebris Antiquarius, venatione, immo priorem quoque cum *Tauro* iam memoratum, inſigniter, ut obſeruo, illuſtrat Liuius, ubi agit de *Votiuis Ludis*, qualium facta eſt paullo ante mentio, a M. Fuluio, ob bellum Ætolicum feliciter confectum, in urbe editis: *Per eos dies*, *quibus hæc ex Hiſpania nunciata ſunt*, LUDI TAURILIA *per biduum facti*, *religionis cauſſa. Per dies decem apparatos deinde* LUDOS *M. Fuluius*, *quos vouerat Ætolico bello*, *fecit. Multi artifices ex Græcia venerant*, *honoris eius cauſſa. Athletarum quoque certamen tum primò Romanis ſpectaculo fuit: &* VE-

Lib. VIII. cap. 45.

[a] Vaillant Fam. Roman. p. 50. To. II.
[b] Præſt. Num. p. 4.
[c] Comment. To. I. p. 31.

Fam. Rom. p. 56. To. II.

Lib. XXXIX. cap. 22.

NATIO DATA LEONUM ET PANTHERARUM; *& prope huius sæculi* (quo nempe exhibita est hæc a Regulo Venatio) *copia ac varietate celebratum est.* Vides hic primo ludos TAURILIA dictos, sesquisæculum ferme prius quam a Julio Cæsare editos; etsi non iuxta Thessalicæ cum Tauris pugnæ, ut id spectaculum ab eo factum tradit Plinius, inuentum: tum *Leonum ac Pantherarum*, cuiusmodi in altero nummo cernitur, *Venationem.* Qualis proinde *Venatio*, ante illam a P. Cornelio Scipione & P. Lentulo, Ædilibus Curulibus, cuius alio dein loco meminit Liuius, exhibitam, & cuius a celebri Antiquario fit ibi mentio, Romæ fuerat visa. Adeo ut singulari illa *Venationis* voluptate haud caruerint memorati supra Bruti, Urbani Prætoris, Ludi; quam nempe *Venationem*, diemque insuper ad eam ab illo proscriptum, tangit in Epistolis ad Atticum Tullius, cuius autem ea de re verba vel inde merentur hic adscribi, quod ea secus sint a viris doctis accepta; de tempore quoque horum *Ludorum*, ac *Venationis* dein exhibendæ, quæ negotium possunt aliquod facessere, fiat in iis mentio: *In Nesida VIII. Idus. ibi Brutus: quam ille doluit de* NONIS JULIIS? *mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut* VENATIONEM *etiam, quæ* POSTRIDIE LUDOS APOLLINARES *futura est, proscriberent* III. ID. QUINT. E quo autem loco vir eruditissimus, de quo supra, tempus horum ludorum Apollinarium proscriptum censuit, *a Nonis Julii a. d. IV. Idus* eiusdem mensis: quod utique ab iis abit, quæ ea de re, seu stato horum ludorum tempore, e Liuio ac priscis urbis Kalendariis, paullo ante notauimus. Neque moror hic alios quosdam eiusdem Tulliani loci, qui nihil ad eum viderunt, interpretes, dum in postremis verbis *III. Id. Quint.*, *IIII. Id.* reponendum putant; factos enim *Ludos Apollinares* V. Idus: fieri tamen, ut addunt, potuisse, ut per duos dies sint celebrati. Unde, quo de tota huius loci ratione penitius constet, id equidem recte a Manutio, aliisque dein viris eruditis, monitum constat; magnum illum Bruti dolorem de *Nonis Juliis*, & cuius obiter in prima huius ad Atticum libri epistola occurrit mentio, inde profectum, quod proscripti essent hi ludi, ut viris doctis videbatur, *A Nonis Juliis*, seu potius *A. III. Nonis Jul. Ad III. Idus*, quum *Nonis Quintilibus* dicendum fuisset, ne tyranni nomen recens a Bruto cum aliis percussoribus cæsi, ac mensis a M. Antonio *Julii* pro *Quintilis* appellati memoria, se auctore vel consciо, renouaretur. Unde etiam id a Bruto prouisum addit Tullius, ut *Venatio*, quæ postridie Ludos Apollinares futura erat, non *III. Idus Julii*, sed *III. Idus Quintiles* proscriberetur. Id vero ex adductis iam ante & luculentis Liuii ac veterum & antiquissimorum etiam urbis Kalendariorum testimoniis vidimus; non *Nonis Iuliis*, seu *Quintilibus*, sed *III. Nonas Quint.* ut apud Liuium ac in vetere Kalendario sub Constantio edito; vel, iuxta alia antiqua urbis Kalendaria, *Prid. Non.* edi cœptos eosdem *Apollinares Ludos.* Unde, ne hisce aut Ciceroni fides continuo derogetur, illud statuendum est, *Nonas Iulias* ibi demum, ac in superiore Epistola, ab eo dici (omissa forte diei ante *Nonas* illas, III. nempe, aut *Prid.* de quo ibi non agebatur, mentione, sed de sola voce *Iulii*, quæ *Nonis* erat addita) pro *Nonis Quint.* seu *Quintilibus.* Neque enim aliter conciliari possunt indubia & clarissima prisci æui monumenta, quæ uno vel duobus ante *Nonas illas Iulias* seu *Quintiles*, diebus edi cœptos

Lib. VIII. cap. 45.

Lib. XLIV. c. 18.

Vaill. Fam. Rom. p. 96. To. II.

Lib. XVI. ad Att. Ep. 4.

Jo. Masson in vita Plin. Jun. ut supra.

Seb. Corradum in edit. Cl. Græuii ad hunc locum.

cœptos Apollinares Ludos docent. Haud nouum vero contigit, quòd a Ludis proprie dictis, Circensibus nempe & Scenicis, *Venatio*, etsi pars, & postrema quidem, huius Apollinaris festiuitatis, in adductis paullo ante Ciceronis verbis distinguatur. Quod vel ex alia insuper eiusdem Ciceronis ad Atticum Epistola constare potest, ac inde insigniter illustrari: ubi ille se Fonteii caussa Romam reuersum ait, *a. d. VII. Id. Quint.* (quinto proinde, iuxta Liuium, Ludorum id genus Apollinarium, qui iuxta eundem *ad III. Non. Quint.* inciperent, die) in spectaculum venisse; & Ludis Scenicis, quibus acta, de qua paullo ante, Ennii Andromache, interfuisse: quibus tandem subdit: LUDI *magnifici & grati*; VENATIO *in aliud tempus* DILATA. Ubi vides similiter post actos id genus Ludos Apollinares, Circenses nempe & Scenicos, *Venationis*, quæ sequi eos debuerit, eum ibidem meminisse. Unde, quod prima horum Ludorum ratio in Equestribus ac Scenicis foret sita, iisque sit addita dein, ut vidimus, *Venatio*; inde quoque *postridie* demum *Ludos Apollinares*, *Venationem proscribendam*; seu edicendam, iubet superioribus apud Tullium verbis Brutus. Idque pro more apud Romanos recepto, ut ludorum editores proposito libello diem futuri muneris apparatumque eius, quo maior foret illius exspectatio, designarent; quod *munus pronunciare* a Suetonio dicitur, & de quo more, ut ibi iam adnotarunt viri docti, consuli potest in Saturnalibus Lipsius. Quibus vero, vel Suetonii vel Senecæ, adductis ab illo ea de re locis ea Tullii verba addenda omnino veniunt. Unde insuper liquet, non in munere solum Gladiatorio, sed in aliis etiam Ludis, ac in *Venatione* quidem, præter quam ab Augusto quandoque nihil editum in Circo tradit Suetonius, eundem hunc morem, de propositis futuris id genus spectaculis, indictâque ad eadem die, populo Romano constare. Non vero a Bruto proscriptum solum, seu propositum, *Ludis* eius *Apollinaribus* exhibendæ *Venationis* diem, sed eandem vere & magnifice quidem editam docet Plutarchus, quique, quo editio illa foret splendidior, non coëmptos solum ab eo plurimos ferarum greges tradit, sed iussisse eundem insuper, ut omnes illæ nullâ seruatâ conficerentur.

Lib. IV. ad Att. Ep. 15.

In J. Cæsare cap. XXVI.

Lib. II. cap 18.

In Augusto cap. XLII.

In Bruto p. 994.

Eadem vero occasione, qua de tempore ac diebus, quibus edebantur hi *Apollinares Ludi*, e Cicerone, Liuio, priscisque urbis Kalendariis modo egimus, emendandus insuper ac illustrandus venit, qui id quoque tangit, ut obseruo, Capitolini in Maximo & Balbino locus; in quo perperam dies *VII. Kal. Iunii*, ac proinde XXVI. Maii, exstitisse dicitur tempore Ludorum Apollinarium, nempe: *Senatus pertrepidus* (acceptis Maximini literis) *in Ædem Concordiæ* VII. KAL. IUNII *concurrit*, *Ludis Apollinaribus*. Ad quem locum, quum bene e Liuio ac vetere urbis Kalendario, & quibus addere poterat in adductis supra verbis Tullium, monuisset magnus Casaubonus, mense Iulio seu Quinctili actos Romæ Apollinares Ludos, & quidem *a. d. III. Nonas Quintiles*; emendationem vero ibi apud Capitolinum leui unius literæ mutatione vetus Puteani codex continuo indicaret, in quo, eodem id monente Casaubono, legebatur VII. *Id. Iun.* nempe pro *Iul.* hoc est quinto horum Apollinarium die; idem tamen retineat VII. *Kal. Iulii* (ni forte ea typothetarum sit ibi culpa, *Kal.* pro *Idus*) quum ita non *Julio*, ut ipse tamen agnoscit, sed *Junio*, mense acti forent iidem Ludi. Quibus autem subdit ὁ πάνυ, "ita olim,

16. *De tempore ac primo die* Ludorum Apollinarium.

In Maxim. & Balbin. cap. I.

„ olim, nempe mense Quintili, iuxta Liuium; postea aliter constitutum, „ ut ostendit hic Capitolini locus, nempe VII. *Kal. Junii* (seu, ut dixi- „ mus, XXVI. Maii) modo, ut addit, sanus sit & erroris purus. De quo, haud esse sanum utique eundem Capitolini locum, dubitare neutiquam debuit vir maximus, qui ante oculos habuerat Liuii locum & illum veteris urbis Kalendarii, de vero mense ac primo horum *Ludorum Apollinarium* die, immo veteres etiam Capitolini libros, propius ad veram lectionem, ut modo diximus, accedentes. Ab altero vero, incomparabili quamquam horum Historiæ Augustæ Scriptorum commentatore, nihil quidquam hic auxilii, qui id unum ibi notat, sed valde alienum a vera lectione huius loci; nempe pro VII. *Kalend. Junii*, in Palatino Codice & veteri editione legi *Kal. Junias*. Neque vero hærere ibi debuit doctissimus Casaubonus, an forte Capitolini tempore mutatus foret non dies solum, sed mensis horum in urbe Apollinarium: quum id præter morem hoc genus solemnium, statique temporis ad ea celebranda instituti, ac deinceps religiose seruati, omnino contigisset: tum quod obstent vetera urbis, quæ adhuc supersunt, Kalendaria, ac illud vel in primis, quod ibi ab eodem τῷ πάνυ indicatur, ac sub Constantio Imperatore, diu proinde post Gordianorum tempora, fuit adornatum. Cui etiam emendationi apud Capitolinum, & iuxta veteris eius eodicis vestigia, suffragatur idem insuper Apollinarium Ludorum dies in adductis supra Ciceronis verbis VII. *Id. Quint.* seu *Iul.*; tum alieubi etiam apud Liuium: *Per eos dies, quibus ad bellum profectus est Consul* (L. Cornelius Scipio) LUDIS APOLLINARIBUS ANTE DIEM QUINTUM IDUS QUINTILES; ut diebus illis *Iulii* mensis seu *Quinctilis*, & quidem per octo aut nouem dies, iuxta vetera urbis Kalendaria, non vero per sex demum, iuxta Manutium, actos esse *Ludos Apollinares* constaret. E quo cæteroquin Capitolini loco, si memorata urbis Kalendaria abunde iam non euincerent, id insuper liquet, eâ Maximi ac Balbini Imperatorum ætate, actos adhuc in urbe *Apollinares Ludos*; uti paullo iam ante sub Alexandro Seuero, qui eorundem Ludorum, sicut aliorum quorundam, quæ a Lampridio ibidem commemorantur, solemnium festorum diebus, phasianum unum, ac interdum duos, ut singulare frugalitatis eius exemplum, comedisse dicitur.

Salmas. ad dictum Capitolini locum.

Lib. XXXVII. cap. 4.

Comm. ad lib. XVI. ad Att. Ep. 1.

In Alexandr. Seu. c. XXXVII.

17. *De Ludis Votiuis a Prætore Urbano editis eidem editis.*

Quemadmodum vero stata illa & solemnis *Ludorum Apollinarium* cura ad *Prætorem Urbanum* spectabat; ita *Votiuos* etiam, seu extraordinarios quosdam a *Sextio Nonio Prætore* editos *Ludos*, docet obuius iam in Fuluiana collectione nummus: in quo figura togata spoliis insidens, ac dextra hastam tenens, retro a Victoria coronatur, cum inscriptione SEX. NONI. PR. L. V. P. F. *Sextus Nonius Prætor Ludos Votiuos Publicos Fecit*, ut bene Fuluius, non *Primus Fecit*, ut duas postremas literas interpretatur, sed qui mox *Publicos*, iuxta Fuluium, legendum ibidem vidit, celebris Antiquarius. A quibus autem aliquantum abit in Annalibus Pighius, qui easdem literas interpretatur: *Sextus Nonius Prætor Ludos Victoriæ Primus Fecit*. Quum tamen a Fuluiana explicatione non sit recedendum: neque enim hunc *Sex. Nonium Sufenatem*, prout istud cognomen ei tribuitur in altera eiusdem nummi area, *Primum Ludos Votiuos*, aut vero *Victoriæ Primum Feciſſe*, quispiam equidem statuet, qui tot antea *Votiuos* id genus

Vaillant Fam. Rom. p. 172. To. II. Annal. To. III. p. 265.

Lu-

Ludos, ac inter alia ob insignem aliquam de hostibus victoriam, & ab antiquis quidem urbis temporibus, editos, ut a Rege Tarquinio Prisco post deuictos Latinos, apud Liuium legit. De *Publicis* autem *Votiuis* id genus *Ludis* nonnulla iam erudite ad hunc nummum adtulit doctissimus Fuluius: quibus addam insuper, eos olim ita dictos, qui *Voto publico*, ut de Ludis ob bellum Macedonicum contra Regem Philippum votis, dicit [a] Liuius; seu qui, ut idem alibi de aliis id genus Ludis, [b] *ex Senatusconsulto*, seu [c] *auctoritate Patrum*, erant decreti; ac prout *votos* a Postumio Dictatore *Ludos* Senatum decreuisse tradit [d] Dionysius: idque, tanquam ad placandos vel exorandos Deos ac ad eorum honorem, [e] *arbitratu Pontificum*, aut verba solemnis voti præeunte Pontifice Maximo, quod e [f] Liuio rursus constat. Qua ratione etiam, quo ritu, quibusue hostiis *Ludi* illi *Votiui*; iique *Publici*, faciendi essent, decernebatur: prout de *Ludis Apollinaribus* primum votis, antequam solemnes ac annui iidem sancirentur, apud eundem Liuium dicitur: [g] *Sacra* GRÆCO RITU *facerent*, IISQUE HOSTIIS: *Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis; Latonæ boue femina aurata.* Idem Liuius alibi de *Votiuis Ludis*, quos vouerat Dictator T. Manlius, si per quinquennium Respubl. eodem statu fuisset: [h] *Ludi in Circo per quatriduum facti*, HOSTIÆQUE, *quibus votæ erant Diis, cæsæ.* Mitto, quod iam monuit Fuluius, e pecunia publica editos *Publicos* id genus ac *Votiuos Ludos*; non vero eos, *quos*, ut hoc addam, *inconsulto Senatu ex sua unius sententia vouisset* (*priuatos* proinde, non *publicos*) *eos uti de manubiis, si quam pecuniam ad id reseruasset, vel sua ipse impensa faceret*, nempe P. Cornelius Scipio; quos etiam per dies decem, suis nempe sumptibus, fecit. Hosce vero *Publicos* & *Votiuos* a Sex. Nonio Prætore, iuxta memorati nummi fidem, *Ludos*, ob victoriam aliquam ab Augusto reportatam, factos censet Fuluius; [k] celebris vero Antiquarius, & cui ea in re præiuerat [l] Pighius, in memoriam victoriæ a Sulla, Nonii huius auunculo, de Mithridate relatæ: quod postremum videtur vero magis consentaneum. LUDOS cæteroquin VOTIVOS legimus in antiquis lapidibus PRO REDITU IMP. CÆSARIS DIVI F. AUGUSTI, prout quoque in notis, & vulgatis iam ab antiquariis, veteribus dicti modo Cæsaris nummis, cum epigraphe, VOT. P. SUSC. PRO SAL. ET RED. I. O. M. SACR. *Vota Publica Suscepta Pro Salute Et Reditu, Ioui Optimo Maximo Sacra.* Ita *Ludos Votiuos* a Pompeio, quos ille in Hispaniam contra Sertorium missus vouerat, ac diem simul, quo iidem inciperent ac desinerent, tangit in Verrinis Cicero: *Nonæ sunt hodie Sextiles*, mox: *Decem dies sunt ante* LUDOS VOTIVOS, *quos Cn. Pompeius facturus est: hi Ludi dies quindecim auferent.* E quo loco primum diem horum Ludorum fuisse XVIII. Kal. Septembris, non, quod ibi colligit Hotomannus, XVII, e subducto decem dierum a Nonis Sextilibus, seu quinto illius mensis, calculo continuo liquebit. Quum alioquin in vetere urbis Kalendario Constantii Imp. temporibus edito, a. d. VI. Idus Sextiles, ac præterea III. Kal. Nouembris, & V. Idus eiusdem Nouembris, LUDI VOTIVI consignentur. Alia vero significatione dicti sequiori Cæsarum æuo, uti apud Symmachum, [a] *Votiui Ludi*, seu [b] *Votiua editio*, [c] *Votiua functio*, aut *Votiua largitas:* quòd nempe, ut ad Honorii Imp. legem in Codice Theodosiano, ubi [d] *Votiui sumptus* fit similiter mentio,

Lib. I. cap. 36.
[a] Lib. XXI. c. 9.
[b] Lib. V. c. 3.
[c] Lib. VII. c. 11.
[d] Antiq. l. VII. p. 475.
[e] Lib. XXXIV. c. 44.
[f] Lib. XLII. c. 28.
[g] Lib. XXV. c. 12.
[h] Lib. XXX. cap. 27.
[k] Ut supra.
[l] Ut supra.
Thes. Gruter. XI, 1.
Action. I. c. 10.
[a] Symmach. l. IX. Ep. 14, 20.
[b] Ibid. Ep. 12.
[c] Lib. VII. Epist. 19.
[d] Leg. XXXVI. C. Th. de Prætoribus.

monuit iam doctissimus commentator, maxime in votis populi forent id genus ludi; & qua ratione etiam *Votiua caussa Prætoræ* alibi apud Symmachum dicitur. Ut mittam *Voti* alicuius *Publici* soluendi caussà, susceptas olim quandoque ac decretas, dictasque inde, *Votiuas Legationes*; prout de se alicubi Cicero: *Ego me a Pompeio ita legari sum passus, ut nulla re impedirer, quod ne, si vellem, mihi esset integrum, aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere posse, aut* VOTIVAM LEGATIONEM *sumsisse prope omnium fauorum, lucorum: sic enim nostræ rationes postulabant.*

Lib. IX. Epist. XXII.

Lib. IV. ad Att. Epist. 2.

18. *De editione omnium in urbe* Ludorum *ad* Prætores *tandem delata.*

Id vero sub Augusto factum videas, ut receptorum inter statos ac solemnes Romæ Ludos, *Augustalium* nempe, curatio proximo post *Urbanum Prætori*, cuius iurisdictio erat inter ciues ac peregrinos, uti ea de re Dio Cocceianus, deinceps incumberet: immo a quo Principe id postea prouisum alibi idem docet, ut omnium insuper Ludorum, ac eorum proinde, quorum editio ad Ædiles Curules, de quibus mox, aliosue Magistratus hactenus spectauerat, Prætoribus deinceps sit delata: ΤΟΙΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΙΣ τὰς παηγύρεις πάσας συνέταξεν· ἐκ τε τοῦ δήμου δεδόσθαι τὶ αὐτοῖς κελεύσας; *Ludorum etiam omnium curam* PRÆTORIBUS *iniunxit, iubens simul, ut iis a populo aliquid*, ad impensas nempe in eos faciendas, *daretur*. Quamquam sub sequutis Cæsaribus solitam Ludorum in urbe procurationem ad eos Magistratus, ad quos illa spectare consueuerat (ut ad Ædiles Curules, de quibus mox dicetur) rediisse, aliunde constet; donec postea tota *Prætoribus* incubuit: nempe si Ludos mittas, quos edere tenebantur, & qua de re obiter paullo ante, ad Consulare fastigium euecti; ac unde etiam *Ludos Consulares*, in adductis supra Symmachi verbis, ac alibi, tum *Prætorios* dici ab eodem vidimus. Immo, e quo Auctore præterea discimus, qua de re obiter iam ante, *Urbanæ* adhuc *Prætoræ* seruatum ea ætate nomen & Magistratum, quem filius eius Symmachus proximis Kalendis Januariis esset sortiturus. Quomodo etiam *Prætoris Ludi Urbani* alibi ab eodem appellantur: *Audiant certe, qui deferunt functiones, quanta impendii mediocritate anni superioris* PRÆTOR *Ædesius* URBANOS *fecerit* LUDOS. Id equidem certum Constantinianeo & proximo eidem æuo, plures *Prætores*, tam Romæ quam Constantinopoli, exstitisse, quibus illa in genere Ludorum edendorum, tam Circensium, quam Theatralium, cura incumberet; quique [a] *Editores*, uti etiam apud [b] Vopiscum in Carino, inde dicerentur. De quorum proinde numero, nominibus, officio, munere, sumptibus, agitur in pluribus Imperatorum illius ætatis Constitutionibus in Codice Theodosiano, sub titulo *de Prætoribus & Quæstoribus*; adeo ut tota ferme *Prætorum* functio in mera illa Ludorum editione foret tum posita: ac unde eadem [c] *Prætoria functio* aliquoties a Symmacho, haud minus ac [d] *Prætoria editio* dicitur. Sicut etiam, ut hoc addam, [e] *Quæstoriæ*, filii nempe sui, *editionis*, & [f] *Quæstorii muneris* idem alibi meminit; quod a Quæstoribus, etsi minore apparatu ac sumptu, Ludi quoque ederentur, *Prætoris* vero *iurisdictio* ad pauca quædam tum foret redacta, quorum fit mentio in Constantii lege, quæ in utroque [g] Codice legitur. Ut haud mirum sit, si ea ætate de Lampadio dicat Ammianus Marcellinus: [h] *Quum magnificos Ludos ederet Prætor, & uberrime largiretur &c.* ad quem locum quædam erudite, nec vulgo obuia,

a Leg. V. VII, XXXI. C. Th. eodem. Tit.
b Cap XXII.
c Lib VII. Epist. 105.
d Lib. IX. Ep. 25.
e Lib. VII. Ep. 106. & l. IX. Epist. 23.
f Lib. II. Ep. 76. l. X. Ep. 3.
g Lib V l. p. 21.
g Leg. XVI. C. Th. de Prætorib. Leg. I. C. Just. de Off Prætor.
h Lib. XXVI. c 3.

Lib. VII. Ep. 8.
Lib. IX. Ep. 119.

Lib. X. Epist. 4.

obuia, de editionibus id genus illorum temporum, quæ fierent propriis Magiſtratuum ſumptibus, & cuiusmodi editio *Candida* diceretur, aut *ex Arca publica*, monuit in poſterioribus notis doctiſſimus Valeſius. Et hæc de priſcis Gentium Romanarum nummis, quibus veteris *Præturæ* apud Romanos, & quidem cum *Urbanæ*, tum *Prouincialis* dignitas, discrimen, inſignia, munia, ludi conſignantur, dicta plus ſatis. Nempe dum hæc nobis commentantibus, præter exſpectationem, plura eam in rem ſuppeditauit priſca veterum nummorum, uti vulgo eos vocant, Conſularium ſeu Familiarum Romanarum ſupellex, quæ erant a præſtantibus antiquariis præterita, vel ſecus ab iis aliisque viris eruditis animaduerſa, huc vero adferenda & expendenda veniebant. Ut mittam, quòd aliquot dictorum nummorum decades, eadem opera, hic declarentur ac illuſtrentur.

IV. *De* Ædilibus Curulibus, *de* Ædilibus Plebis, *& de* Ædilibus Cerealibus *in antiquis Nummis.*

1. *De Ædilibus Curulibus.*

Ut vero Prætura, quod ſupra diximus, ad Conſulatum, ita Ædilitas Curulis, quod de illa ait [a] Cicero, *ad honoris amplioris gradum*, Præturam nempe, ac dein Conſulatum, *primus* erat ſeu proximus *adſcenſus*. Quomodo poſt Tribunatum Plebis [b] *Ædilitatem Maiorem*, hanc nempe *Curulem*, petiiſſe continuo Marium, ſed repulſam paſſum, tradit in eius vita Plutarchus. Rufum vero Egnatium dicit Velleius, [c] *ſperantem, ut Præturam Ædilitati, ita Conſulatum Præturæ ſe iuncturum.* Unde, quum prima eſſet illa dignitas, ac unde additum ei nomen, quæ eam adepto ſingulare illud, ſicuti Conſules ac Prætores, & quo carebant Tribuni Plebis, Sella Curuli ſedendi priuilegium tribueret; hinc videas etiam inter deſignatos Romæ ordinarios annuosque Magiſtratus, ſub cuiusque anni auſpicium, a Liuio commemorari *Conſules*, *Prætores*, ac *Ædiles Curules:* nempe a tempore, quo hi primum ſunt conſtituti; etſi illi non iisdem comitiis, priores nempe duo Centuriatis, ut Maiores Magiſtratus, *Ædiles* autem *Curules*, ceu Minores, Tributis tantum comitiis crearentur. Ut proinde haud mirum videri debeat, ſi in nummis Gentium Romanarum frequens occurrat iisdem partum illud ab hac *Curuli Ædilitate* decus; ſeu inſcripti legantur, qui hoc Magiſtratu ſunt ex iis functi, Ædiles Curules, & cum iis inſuper ſymbolis ſeu imaginibus, quæ geſti illius Magiſtratus indicia ac memoriam ad poſteros etiam proderent. Quum enim eſſent iidem, ut de illis primo loco Cicero, *Urbis*, ſeu, ut de iis Varro, ac unde illis nomen, *Ædium* ſacrarum & priuatarum, aliorumque, quæ ad tutelam urbis ſeu ornamentum facerent, *Annonæ* præterea, *Ludorumque ſolemnium Curatores:* hinc, præter *Sellam Curulem*, qui honor, iuxta memoratos hactenus Conſules, Cenſores, Prætores, erat his *Ædilibus* communis, alia addita in nummis id genus ſymbola, uti

1. Ædilitas Curulis *proximus ad* Prætu-ram *gradus*; *illius in nummis inſignia.*

a De Legib. lib. III. c. 7.

b Ἀγορανομίαν τὴν μείζονα, in Mario p. 408.

c Lib. II. c. 92.

Ut ſupra. De L. L. lib. IV.

uti *Ædium Sacrarum* ab iis extructarum vel refectarum; *Spicarum* præterea & *Cornucopiæ* prope Curulem Sellam; *Coronarum* quoque, vel *Simulacrorum*, aliorumque, quæ factos ab illis Ædilibus haud unius generis; quos nempe edere iidem tenebantur, solemnes *Ludos* huic vel illi Numini, uti Matri Deûm, sacros, continuo euincerent.

2. *Ædium sacrarum cura* Aedilibus Curulibus *commissa.*

In Æmilia n. 22. In Claudia n. 37. Vaillant Fam. Rom. To. I.

Idem ibid. p. 384. To. II.

Ad *Ædes* quidem *sacras* seu *Templa* quod adtinet, celebre illud, siue *Commune* dictum, uti de eo paullo ante, Latinorum nempe populis ac Romanis, Dianæ Templum in Auentino, ab Ædilibus refectum, viderunt iam præstantes Antiquarii, e nummo, qui in Gentibus *Æmilia* & *Claudia* conspicitur; hinc autem Dianæ caput exhibet cum falcata Luna supra verticem, & cum pharetra a tergo; illinc rotundum Deæ templum cum eius simulacro in medio, adscriptisque duorum Ædilium, ex utraque nobilissima illa Gente, nominibus, M. LEPIDUS M. MARCEILUS AED. CUR. *Aediles Curules.* Ad quodpiam vero Iouis templum, a *M. Sempronio Tuditano*, Ædili tum Curuli, refectum, respicere Gentis illius nummum, qui est a Goltzio prolatus, vidit quoque celebris Antiquarius; in quo Templum quatuor columnarum, cum Sella Curuli in medio, a læua autem parte Fulmen.

3. *Item Curatio ludorum urbis solemnium, & quorum potissimum.*

a De Legib. l. III. c. 7. Verrin v. cap. 14.

Quum vero potissimum horum *Ædilium* munus in edendis solemnibus quibusdam in urbe Ludis esset positum, ac unde etiam [a] *Curatores Ludorum solemnium* sunt iidem a Cicerone dicti; alibi vero, *Prætores ius dicunt*, ÆDILES *Ludos parant:* inde quoque, variis editorum id genus Ludorum symbolis, adserta testatâque in priscis Gentium Romanarum nummis eorundem Ædilium procuratio cernitur. Quales vero forent in primis, & quibus Diis sacri, quaque religione & cura a se Ædili Curuli designato celebrandi forent iidem Ludi, docet alio, ac noto eam in rem loco, idem Cicero: *Nunc sum designatus* ÆDILIS: *habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi Ludos sanctissimos maxima cum cæremonia* CERERI, LIBERO, LIBERÆQUE *faciundos: mihi* FLORAM *Matrem populo plebique Romanæ Ludorum celebritate placandam: mihi Ludos antiquissimos, qui primi* ROMANI *sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione* IOVI, IUNONI, MINERVÆQUE *esse faciundos.* Adeo ut tres hic ab eo commemorentur solemnes in urbe Ludi, quos *Ædiles Curules* summa, ut vel hinc liquet, religione & cura celebrare tenerentur: CEREALES nempe, iidemque LIBERO & LIBERÆ communes; FLORALES, *Floræ* Deæ sacri; quique primi & antiquissimi, in honorem tutelarium urbis Numinum, *Iouis*, *Iunonis*, ac *Mineruæ* instituti, iique ROMANI proprio nomine appellati. In quibus autem verbis id mirari continuo subit, cur omissa sit ibi ab eodem Ædili designato omnis *Ludorum Megalensium* mentio; qui tamen in honorem Matris Magnæ, seu Cybeles, maxima itidem cura ac religione, idque per sex dies, iuxta vetera urbis Kalendaria, a Curulibus Ædilibus celebrari, ut aliunde constat, consueuerant. Adeo etiam ut iidem, *primi*, non institutione, sed religione ac celebritate, Romanorum *Ludi* ab Ouidio dicantur:

Fast. lib. IV. v. 357.

Instituram quare PRIMI *Megalesia* LUDI
Urbe forent nostra;

quod

quod ea nempe, ut continuo additur, Deorum foret mater, cui proinde iidem ut parenti ceſſerint:

Illa Deos, inquit, peperit; ceſſere parenti;
Principium dati Mater honoris habet.

Eosdem vero *Megalenſes Ludos* ab Ædilibus Curulibus continuo editos docet Liuius: *Megaleſia, Ludos Scenicos, Atilius Serranus L. Scribonius Libo*, ÆDILES CURULES, *primi fecerunt.* Hinc in priſcis Terentii didaſcaliis, *Ludis Megalenſibus*, & ſub quibus tum *Aedilibus Curulibus* actæ ſint tres priores illius Comici fabulæ, traditur. *Megaleſia* vero dicta inde de *Ludis Scenicis*, e quibus nempe illa tum conſtabant, non ex iis ſolum Liuii, ſed ex aliis adhuc eius [a] ea de re verbis, ac e [b] Feſto præterea, immo ex [c] Ouidio, de iisdem *Megaleſiis* agente, occuparunt iam ad Feſtum viri docti. Id vero ſemel factum docet [d] Dio Caſſius, ut *Ludi Megalenſes*, ſed extra ordinem, & ex Senatusconſulto, ut ibidem tradit, ab *Aedilibus plebis*, non *Curulibus* proinde, ederentur. Quod autem inde contigiſſe e Suetonio licet colligere, & qui proinde hic lucem Dioni commodat, quòd Dictatore tum Cæſare, eoque bellis extra Italiam implicito, ille *comitia nulla habuerit præter Tribunorum & Aedilium plebis*, nulla proinde *Aedilium Curulium*, qui *Megalenſes*, pro recepto cæteroquin more, celebrarent. Quomodo conſtitutis etiam tum *Prætorum* loco *Præfectis Urbi*, non a Prætore Urbano, ad quem ea cura ſpectabat, aut eius vice ab uno ex Ædilibus Curulibus, ut male ibi Dionis interpres, ſed ab uno ex illis Præfectis editos tum Apollinares Ludos iam ante vidimus.

Lib. xxxiv. cap. 54.

a Lib. xxxvi. cap. 36.
b In *Seculari*.
c Faſt. lib. iv. ℣. 107.
d Lib. xliii. p. 238.

In J. Cæſar. cap. lxxvi.

FLORALIA vero, ſeu *Florales Ludi*, quorum a ſe Ædili Curuli deſignato edendorum curam ſuſcipiendam tradit in adductis ſupra verbis Cicero, ſumma licentia laſciuiaque, quod aliunde conſtat, peragebantur: adeo ut præſente Catone indicere eos, certe iubere, ut quæ in iis maxime erant obſcœna ac flagitioſa ſpectarentur, plebs Romana præ pudore non ſuſtinuerit. Ludi nempe, de quibus Lactantius: *Celebrantur cum omni laſciuia, conuenientes meretricis.* Adeo ut de iis haud ſeuerus utique vates, vel pudicitiæ cæteroquin præco, dixerit:

4. *Florales Ludi ab Ædilibus Curulibus editi.*

Inſt. lib. i. c. 20.

Quærere conabar, quare laſciuia maior
His foret in Ludis, liberiorque iocus.
Sed mihi ſuccurrit, numen non eſſe ſeuerum;
Aptaque deliciis munera ferre Deam.

Ouid. Faſt. lib. v. ℣. 331. &c.

Unde quis non videt, decuiſſe magis talem Augurem, qualis hic Cicero; quodque ad teſtandam Ædilitii illius muneris dignitatem magis foret opportunum, edendorum a ſe *Megalenſium* (de quibus alibi ait: *Megalenſium tanta religio eſt, ut ex ultimis terris arceſſita in hac urbe conſederit*) quam *Floralium* meminiſſe. Adeo ut, ni conſtans omnino veterum hic librorum lectio obſtaret, *Idæam matrem*, pro *Floram matrem*, leui equidem mutatione, ac adfinibus primarum literarum, in voce *Floram* pro *Idæam*, ductibus, legendum poſſet quis arbitrari: quomodo *matris Idææ*

Haruſp. Reſponſ. cap. xi.

fit mentio duobus apud Liuium locis, ubi de ea [a] Romam euocanda, [b] eidemque Deæ ludis instituendis agitur: & apud Nasonem similiter: [c] *Idææ festa parentis erunt.* Verum, præter constantem veterum librorum, a quo non nisi summa ac manifesta omnino ratione recedendum unquam censui, in adductis Tullii verbis, prout edita sunt, consensum, quæ ibi *Floram matrem* constanter exhibent; addi potest, quòd, ut vel ex Ouidio de iis agente constare potest, ad annuam ac solemnem horum Ludorum, qui ubi semel acti tantum fuerant, ac inde omissi, ultricis Deæ iram in agros & hortos Romanorum excitauerant, institutionem omnino respiciant, quæ, de eadem matre Flora *populo plebique Romanæ ludorum celebritate placanda*, ibi a Tullio dicuntur. Ut mittam, quòd *Megalenses Ludi* ante *Cereales* ederentur; quos postremos tamen primo ibi loco tangit Cicero: *Florales* autem post *Megalenses* & *Cereales*, & ultimis quidem eiusdem mensis Aprilis, ac iuxta Ouidium, & vetus Kalendarium illius Poëtæ Fastis addi solitum, primis etiam Maii diebus fuerint celebrati:

[a] *Consultatio de Matre Idæa accipienda.* l. XXIX. c. 14.
[b] *Ædes Matris magnæ &c. ludique ob dedicationem facti.* l. XXXVI. c. 36.
[c] Fastor. IV. ℣. 182.

Fast. lib. IV. ℣. 947. *Exit & in Maias sacrum* FLORALE *Kalendas:*

dein:

Ibid. lib. V. ℣. 185. *Incipis Aprili, transis in tempora Maii.*

5. *De primo Floralium editore, in nummo Gentis Seruiliæ, ac duplici Romæ institutione.*

Qua occasione haud prætereundus hic venit non ignotus *Seruiliæ* Gentis nummus, in quo hinc Floræ Deæ caput floribus ornatum cernitur, retro lituus, cum epigraphe FLORA. PRIMUS, seu *Floralia Primus* edidit, signatus nempe in altera denarii parte, C. SERVIL. C. *Seruilius.* E quo equidem nummo præstantes Antiquarii annum institutorum primum Romæ *Ludorum Floralium* patere existimant, qui tamen hic in diuersa abeunt. Eruditissimus Vrsinus, qui primus insignem nummum in lucem protulit, censet id contigisse anno V. C. DXLV, non, ut corrupte apud Plinium, DXVI: signatum quippe in eo C. *Seruilium*, qui, ut e Liuio constat, esset Ædilis Curulis, idemque T. Manlii Torquati Dictatoris Magister Equitum, a quo hi Ludi sint primum editi. Celebris vero Antiquarius, nulla Pliniani illius loci, de quo mox, facta mentione, a C. Seruilio, eoque Ædili Plebis, L. Postumio Albino & M. Popillio Lænate Consulibus, anno Urbis DLXXX, aut, quod eodem redit, DLXXXI, hæc *Floralia* Romæ cœpisse existimat. Ubi primo loco habenda hic ratio fuit a viris præstantibus, eaque declaranda, duplicis nempe, illiusque sat longo annorum interuallo distinctæ, horum *Ludorum Floralium* originis. Prima equidem, quum ex mulctatitia pecunia Floræ, quod ea magnarum opum partem Populo Romano testamento reliquisset, tum Ædes a Lucio & Marco Publiciis Ædilibus plebis est, ut hoc e Tacito discimus, constituta; tum Ludi etiam publici sunt ab iisdem, e pecunia mulctatitia pecuariorum, in huius Floræ honorem editi. Unde Ouidius:

Lib. XLVIII. cap. 33.

Vaillant Fam. Rom. p. 409. To. II.

Annal. II. cap. 49.

Fast. V. ℣. 287. *Plebis ad Aediles delata licentia talis*
Publicios;

pascentium nempe in publico pecuariorum; dein:

Ibid. ℣. 291. *Mulcta data est ex parte mihi, magnoque fauore*
Victores LUDOS *instituere* NOVOS.

Factum

Factum vero id anno Urbis DXIII. C. Claudio Centhone & M. Sempronio Tuditano Consulibus. Ad quam primam horum *Floralium* originem respexerunt Velleius ac Plinius: dum ille, postquam dixerat deductam a Torquato Sempronioque Consulibus Brundusium, & post triennium Spoletium coloniam, addit: *Quo anno* LUDORUM FLORALIUM *factum est initium.* Plinius vero: *Itaque iidem* FLORALIA *quarto Kalendas eiusdem instituerunt, Urbis anno* DXVI. (vel, ut in Harduini, de qua mox, editione DXIV.) *ut omnia bene defloresceret.* Unde liquet humanitus quid passum esse eruditissimum Fuluium; dum, quod modo vidimus, memoratam hanc a Plinio primam *Floralium* in urbe institutionem, ad annum demum DXLV. reuocandam putat, quo *C. Seruilius*, ut nummus eius indicat, *primus Florales Ludos* Romæ ediderit. Quum tamen ibi Plinius ad antiquiorem eorum in urbe originem, post Velleium, respexerit, qui non ab illo *C. Seruilio*, sed a *M.* & *L. Publiciis*, iisque Ædilibus Plebis, ex pecunia mulctatitia, dicto paullo ante anno DXIII, sunt instituti. Unde nuperus ac eruditus Plinii interpres, & bene quidem, eum ex adductis supra Velleii verbis illustrandum vidit, ac inde pro anno DXVI, non pluribus annis recentiorem, nempe DXLV, sed potius DXIV, pro diuerso nempe, & qui eodem redit, unius anni calculo, emendandum censuit: male autem in notis ad eum locum, eo respicere putat dictum Gentis *Seruiliæ*, quem viderit, nummum, & ex illo constare aliquem ex ea Gente primum tum Florales ludos edidisse. Quum tamen non ad eum annum, illamque horum *Floralium* Romæ primum editorum, cuius Velleius ac Plinius meminerint, celebritatem referri debuerit a viris eruditis, Ursino ac Harduino, idem *Seruiliæ* Gentis nummus; sed ad alteram, LXVI. aut LXVII. annis recentiorem, eorundem Ludorum institutionem: qui, quum interea temporis neglecti fuissent ac omissi, annui & perpetui iidem, ad placandam scilicet Deæ iram, sunt tum in urbe voti. Unde Ouidius, post ea, quæ de primo horum Ludorum in urbe editione, a *Publiciis* fratribus iisdem & Ædilibus plebis, facta, aliaque dein de Deæ ira & vindicta ob eos neglectos commemorasset, addit:

Velleï. lib. i. cap. 14.

Lib. XVIII. cap. 29.

Conuenere Patres: &, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vouent.
Annuimus voto: Consul cum Consule LUDOS
POSTUMIO LÆNAS *persoluere mihi.*

Fast. lib. v. ℣. 527.

Ut vel illinc abunde constet, quo Urbis anno id contigerit, nempe DLXXX, quo, iuxta Liuium & Fastos Capitolinos, Consules fuerunt memorati ibi ab Ouidio *L. Postumius Albinus*, & *M. Popillius Lænas.* Quorum autem Consulum præcipuam quondam fuisse in iisdem *Floralibus* instituendis, seu post longum temporis lapsum renouandis, operam, vel inde constat. Quod utique a Consulari maiestate vel officio haud alienum fuisse, non adtinet hic obuiis in Romanorum historia exemplis comprobare: nempe, siue quod his Consulibus & auctoribus, id sit a Senatu decretum, ut annui ludi Floræ deinceps celebrarentur, uti sæpe factum legimus; seu, quod hi noui Ludi a Consulibus, vel altero Consu-

Lib. XLII. cap. 1.

lum, præeunte Pontifice Maximo, sint voti: prout id in apparatu belli Macedonici locum habuisse tradit Liuius. Iidem vero Florales Ludi, quod ex adductis supra Plinii verbis, ac priscis urbis Kalendariis liquet, eodem sunt anni tempore iisdemque diebus instituti, seu IV. Kalendas Maii, quo ii ab Ædilibus plebis *Publiciis*, anno urbis, ut vidimus, DXIII. fuerant primum editi. Ad quam autem postremam ac statam dein & perpetuam Ludorum Floralium celebritatem, & quos primus tum, Postumio Albino & Popillio Lænate Consulibus, ediderit Ædilis *C. Seruilius*, respicere demum dictum supra nummum sat liquet, ac vidit etiam celebris Antiquarius: sed cui cætera, quæ supra adtigi, & lucem tamen aliquam merebantur, sunt indicta; occupauit vero ex parte in Annalibus Pighius. *Aedilem* vero *plebis*, prout nempe fuerant primi horum ludorum, multis ante annis, editores, fratres *Publicii*, fuisse quoque hunc *Seruilium*, post Pighium statuit itidem præstans Antiquarius. Haud minus tamen vel ex adductis supra Ciceronis verbis manifestum est, ab *Aedilibus Curulibus* ea ætate editos hosce *Florales Ludos*. Quomodo C. Messium, qui Ædilis, spectante Catone, Florales ludos celebrasse apud Valerium Maximum dicitur, quodque duodecim circiter annis post Ciceronis Ædilitatem contigit, non *Plebeium*, iuxta Pighium, sed *Curulem Aedilem* fuisse statuerem: unde etiam eundem *Aedilitia functum potestate* tradit Auctor Belli Africani; quod utique de *Curuli* potius, quam *Plebeia Aedilitate* dictum videtur: maxime quum is biennio iam ante Tribunus plebis, ut e Cicerone liquet, tempore illius ab exilio reditus, fuerat; *Aediles* autem *Plebis*, ut de iis Dionysius, essent velut *Tribunorum plebis administri*, ὑπηρέται τῶν δημάρχων. Quamquam *Aedilis plebis* legatur quandoque exstitisse, qui proximo ante anno *Tribunus plebis* fuerat, ut de L. Halimo tradit alibi idem Dionysius, sed quum nondum creati essent Ædiles Curules; unde postea haud parum imminuta est illa plebis Ædilium dignitas & procuratio. Signatas vero in altera eiusdem nummi parte, in cuius priore FLORA PRIMUS, ut vidimus, cum Deæ Floræ capite cernitur, duas stantes & militares figuras, utraque manu erectum stilum seu pugionem tenentes, ad *P.* & *C. Seruilios Cascas*, inter præcipuos J. Cæsaris interfectores, refert Ursinus; Pighius vero ad *Romulum Tatiumque* Romanorum & Sabinorum Reges armatos, ac in fœdus iunctis dextris coëuntes; celebris vero Antiquarius, nulla facta horum mentione, ad M. & C. Seruiliorum fratrum indicandam, quam uterque gesserit, *Magistri Equitum* dignitatem. Verum quibus obstat continuo, quod neque ullæ ibi, quod existimabat Pighius, Regum Romuli ac Tatii, quæ in aliis, ut antea iam vidimus, denariis conspiciuntur, occurrant imagines, certe valde sint ab iis duorum illorum Regum, quas in aliarum Gentium Romanarum nummis expressas supra vidimus, diuersæ; immo nec ii dextras ibidem, in pacti fœderis fidem, iungant. Ita nec ulla *Magistri Equitum* dignitatis, ad statuendam celebris Antiquarii coniecturam, occurrant ibi symbola; nec etiam pugiones seu stili in eo nummo conspicui ac erecti, quidquam utique ad eandem indicandam conferant. Quum vero haud militaris fuerit, qui tamen in eo nummo comparet, Cæsaris percussorum habitus, prout gladio, clypeo, galea, vesteque militari instructæ cernuntur in eodem nummo duæ illæ figuræ; hinc de Ursini, ad duos *Seruilios* e Cæsaris percussoribus hasce figuras re-

Lib. xxxi. cap. 9.

To. II. pag. 71. & 360.

Lib. II. cap. x, 8.

Cap. xxxiii.

Orat. de Redit. in Senat. cap. VIII.

Antiq. lib. VI. p. 411.

Ibid. lib. X. p. 677.

Annal. p. 361. To. II.

Fam. Rom. p. 409. To. II.

referentis, ſententia liceret aliquantum dubitare : ni id forte ſtatuatur; ita depingi eosdem *Seruilios*, non eo quidem, quo Cæſarem percuſſerunt, habitu, verum quo illi ex urbe egreſſi ſalutem ſibi armata manu quæſiuerunt, prout unum ex iis M. Seruilium ad Caſſium eorundem percuſſorum anteſignanum, profectum, docent alii eiusdem Gentis nummi; cum Libertatis capite, & CASSII IMP. nomine. Unde, iuxta ſignatos in nummis Marci ac Decimi Bruti eiusdem cædis indices duos pugiones; ita duo illi *Seruilii* eiusdem facti gloriam; ſeu præſtitam a ſe in patranda illa cæde operam, hisce quoque denariis inſculptam voluerint. Certe duos *Caſcas*, quod erat *Seruiliorum* cognomen, eosque, iuxta Plutarchum, fratres, inter coniuratos illos fuiſſe docet etiam Tullius, ubi illius cædis meminit, ac vidit iam Urſinus : *Quid duos Seruilios, Caſcas dicam, an Ahalas?* E quibus tamen verbis, ut obiter hoc dicam, non duos ſolum, ſed quatuor *Seruilios*, inter percuſſores illos exſtitiſſe perperam in præclara iſtarum Orationum editione, quam vir iucundæ ac immortalis memoriæ haud ita pridem adornauit, monitum a viro docto video; & quod cenſoriam procul dubio notam ibi meruiſſet, ni obuiam horum verborum mentem in Commentario, qui ſeorſim ibi proſtat, iam indicaſſet Manutius. Neque vero hic prætereundum, quòd non galeatæ adeo quam pileatæ videantur in eodem nummo duæ illæ cum erectis pugionibus figuræ; quod proinde opportune ad pileum ſimiliter, in Libertatis Julii cæde recuperatæ ſignum, in memoratis M. Bruti nummis præter duos pugiones depictum reſpicit. Verum æquum eſt, ne inſignis illius nummi, qui dictis hactenus fidem adſtruat, aut unde is viciſſim illuſtretur; adſpectu hic careamus.

In J. Cæſare p. 749.

Philipp. II. cap. II.

Quæ autem de hiſce *Ludis Floralibus* præter inſtitutum, & nata eius rei occaſione, dum de *Aedilibus Curulibus*, qui eosdem edere conſueuerant, agendum incumberet, hic adtigimus. Id vero de ea Ludorum id genus ſolemnium, quæ iis incubuit, editione obiter hic quoque dicendum; quòd eam plures Gentium illarum nummi, etiamnum viſendi, cum ſignatis *Circenſibus*, ſeu Equeſtribus, vel Curulibus, Celetum ac Bigarum non ſolum, & Quadrigarum, ſed Trigarum quoque, agonibus, ut obſeruo, exhibeant, quas, etſi eæ in deſuetudinem in ſacris Græcorum Ludis abierant, a Romanis retentas docet Dionyſius. Adde ſignatos cum *ſpiciferæ Deæ*, ſeu *Cereris*, aut *Matris Magnæ* ſeu Cybeles, bigis Leonum vectæ effigie; aut cum *Tigride*, *Thyrſo*, *Larua*, *Liberalium* ſymbolis; ſubinde cum *Sella Curuli*, ac deſuper *Corona* Ludorum præmio, nummos, & quidem cum adſcripta etiam frequenter in iisdem nummis ipſa ÆD. vel ÆDIL. CUR. ſeu *Aedilium Curulium*, quam gerebant Ludorum id genus editores, dignitate.

6. Ædiliuni Curulium *in edendis* Ludis *procuratio, quibus ſymbolis in nummis deſignatur.*

Antiq. l. VII. p. 479.

tate. Cuius equidem rei indices erunt aliquot sequentes nummi in denariis Gentium *Norbanæ*, *Papiriæ*, *Vibiæ*, signati.

E qua autem Ludorum id genus, quæ Ædilibus Curulibus incubuit, procu-
Lib. II. cap. 16. ratione illud factum, quod tradit in Officiis Tullius; nempe, *in nostra ciuitate inueteraſſe iam a bonis* (h. e. antiquis) *temporibus*, *ut* SPLENDOR ÆDILITIUS, in edendis nempe id genus Ludis, *postularetur:* quodque firmat adductis ibidem aliquot Aedilium exemplis, ut P. Crassi, dein L. Crassi, C. Claudii Appii, Luculli, Hortensii, Silani, P. Lentuli denique, qui *magnificentissima Aedilitate*, ut ibidem ait, & quam alibi *ornatissimas Aedilitates* vocat, sint functi. Unde Casca Aedilis Curulis, iuxta Dionem, laudatus, quod Romanos Megalensesque Ludos magnificentissime fecerat. Quod sequiori etiam Cæsarum æuo adhuc obtinuisse, e
In Verrem IV. cap. 59. Lib. XXXVIII. p. 33. In Gordian. c. III. Gordiano Patre constare potest, quem AEDILITATIS *suæ tempore duodecim populo Romano munera, id est per singulos menses, de suo singula exhibuisse* tradit Capitolinus. Qua ratione etiam contigit, ut ob immensam sumptuum magnitudinem in iisdem Ludis edendis, Circensibus nempe, Scenicis, Gladiatoriis, Venationibus, Navalibus quandoque præliis, & temporariis proinde Theatris, Scenarum apparatu, peregrinarum ac e remoto orbe arcessitarum ferarum prouentu; ut, inquam, inde multi e Senatoribus, propter paupertatem, quod e [a] Dione discimus, & [b] alibi adhuc idem tangit, nollent Aedilitatem Augusti temporibus petere: ac unde etiam factum sit quandoque, sicut is [c] alio docet loco, ut ex iis, qui Quæstores, vel Tribuni plebis fuerant, adacti sint, qui Aediles fierent: quin etiam, ut ab eo rursus [d] traditur, cuidam Oppio, qui Aedilitatem paupertatis causa omittere cogeretur, stipes a plebe collata fuerit, quo ille muneris ædilitii impensas ferret. Quamquam ab eodem Augusto prouisum auctor sit idem [e] Dio, ut is Prætoribus quidem, quod antea vidimus, omnium ludorum curam iniunxerit; ita tamen, ut iis ex populo aliquid daretur: edicto etiam addito, ne plus reliquis ex suis facultatibus in eos impenderent.

[a] Lib. XLIX. p. 431. [b] Lib. LIII. p. 597. [c] Lib. LV. 565. [d] Lib. XLVIII. p. 390. [e] Lib. LIV. p. 522.

De Annonæ curatione Ædilibus Iuſce itidem commiſſa.

Sicut vero non *sacrarum* solum *Aedium*, ac *Ludorum solemnium*, sed *Annonæ* etiam *Curatores*, ut de iis Cicero, ac aliunde obuium, fuerunt Aediles Curules: inde idem etiam hoc eorum munus subinde in antiquis Romanorum nummis, uti supra id obiter diximus, est itidem consignatum. Quod manifesto utique indicant ii, in quibus *Sella Curulis* ac utrinque

que *Spica*, & additum ſubinde *Cornucopiæ*, ut viderunt iam præſtantes Antiquarii, cernitur; ut in denariis Gentium *Lolliæ*, *Plautiæ*, *Quinctiæ*, & *Rutiliæ*, & quidem cum ſignata in tribus poſtremis Æd. Cur. dignitate; aut vero cum *Modio* inter duas *Spicas* in nummo Gentis *Liuineiæ*. Quæ utique adſtruunt depictæ hic ſequentes eorum, ſi *Quinctiæ* nummum mittas, de quo mox, icones.

Quem poſtremum nummum, cum depictis in eo *Modio* ac *Spicis*, illuſtrat inter alia Liuius: Frumenti *vim magnam ex Africa aduectam* Ædiles Curules *M. Claudius Marcellus & Sex. Ælius Pætus binis æris* in Modios *populo diuiſerunt*. Nempe pro conſueto horum Aedilium munere, quo aduectum in urbem e transmarinis oris frumentum populo in modios certo pretio diuidebant; ac unde *modiatio* ſequiore æuo dicta ea, quæ per modios fiebat tum menſura, prout *certa modiatio tritici* dicitur de certo modiorum numero in [a] Gordiani Imp. conſtitutione, ac alibi in conſtitutione [b] Theodoſii Junioris, quæ exſtat in utroque Codice. Quo ſpectat itidem alius Gentis cum *Quinctiæ*, tum *Valeriæ* nummus, quemque rurſus, & quod occupauit iam [c] celebris Antiquarius, ſingulariter illuſtrat Liuius, cuius proinde verba hic præmittenda eam in rem veniunt; ubi nempe Ludos Romanos Scenicos magnifice ab Aedilibus Curulibus *L. Valerio Flacco*, *& L. Quinto Flaminino* factos tradiderat, addit: Frumentique *vim ingentem*, *quod ex Africa P. Scipio miſerat*, *quaternis æris* (in ſingulos nempe modios) Populo *cum ſumma fide & gratia* Diviserunt. Nummus vero, qui eſt in eius rei memoriam cuſus, hinc Cereris caput ſpicea corona redimitum exhibet, cum inſcriptione Aed. Cur. hinc duos viros togatos ſedentes, ac utrinque Spica, adſcriptaque eorundem Aedilium nomina, T. Flaminin. T. F. L. Flac. P. F. ex S. C. omiſſis nempe, pro obuio, & qua de re iam ſupra, apud autores & in hac nummorum ſupellectile, ipſarum Gentium *Quinctiæ* & *Valeriæ* nominibus; eosdem proinde, qui a Liuio, ut vidimus, dicti ſunt *Titus Quinctius Flamininus* & *L. Valerius Flaccus*, ille *Titi* hic *Publii Filius*, *ex Senatusconſulto*.

Lib. xxxi. cap. 50.

a Leg. xvi. Cod. Juſt. de Uſuris.
b Leg. xxxii. C. Th. de Nauicular. leg. iv. C. Juſt. eodem.
c Vaill. Fam. Rom. p. 326. To. ii.

Lib. xxxi. cap. 4.

Unum

Unum hoc, & de quo silet celebris Antiquarius, aliquod potest negotium facessere, quòd, quum ambo *Aediles Curules* inscribantur in priori nummi area, tales etiam dicantur a Liuio; non Sellæ tamen Curuli, dignitatis illius, ac unde ei nomen, in his cæteroquin nummis insigni, sed vulgari tantum subsellio insideant, haud aliter ac *Aediles Plebis*, & de quibus mox, conspiciuntur in Gentis *Faniiæ* denario. Ut proinde, an id Goltzii forte incuriæ, qui eum nummum vulgauit, & e cuius Fastis illum, iuxta alios inde depromptos, protulit celebris Antiquarius, adscribi debeat, penes eruditos huius eruditæ elegantiæ arbitros esto iudicium. Factum vero postea, ut πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν, *ad frumenti distributionem* (quales ἀποδέκται, nempe οἱ σῖτον ἀπομετρούμενοι, Athenis, ut docet Pollux, decibantur) duos extra ordinem, & quidem e viris Prætoriis, non Aedilibus, Annonæ Præfectos ab Augusto constitutos tradat Dio; ac similiter inter noua officia ab Augusto excogitata, *curam* quoque *frumenti populo diuidendi* enumeret Suetonius. E quorum proinde, non vero *Ædilium*, numero, penes quos erat ordinaria illa frumentaria curatio, signatur in adducto supra nummo *L. Liuineius Regulus*. Prætorem certe fuisse eo nomine, & Augusti quidem temporibus, ex adductis iam ante nummis vidimus.

Lib. LIV. p. 521. Lib. VIII. cap. IX. §. 114.

In August. cap. XXXVII.

2. *De Ædilibus Plebis, seu Ædilibus Cerealibus.*

1. ÆDILES PLEBIS *signati quoque in nummis Gentium Romanarum.*

Neque vero, etsi *Curulibus* dignitate inferiores, dicti AEDILES PLEBIS minus in hac veteris memoriæ penu consignantur. Præterquam enim quod hæc antiquior foret *Aedilitas*, & una, quod obuium, ac docet præ aliis [a] Dionysius, cum Tribunis Plebis nata; haud imminuta fuit omnino eius, post *Curulem* inuectam, potestas; aut ab ea Aedilitate capessenda, suæque Gentis decoribus adnumeranda, sunt inde deterriti illustribus apud Romanos Familiis orti. Cuius utique rei fidem facient duo sequentes nummi, in quibus totidem *Aediles Plebis* sellis vulgaribus, non vero Curulibus, insidentes conspiciuntur; utrinque autem Modius cum Spica; in priori vero inscripti cum literarum compendiis SEXTUS ATILIUS MARCI FILIUS SERRANUS, L. MANCINUS AULI FILIUS, nempe omisso *Hostilii* Gentili posterioris nomine, in altero, CN. CARBO C. F. M. SILANUS L. F. præteritis itidem nobilissimarum Gentium, quibus orti iidem erant, PAPIRIÆ & IUNIÆ nominibus. Mitto obuium Cereris caput in anteriori prioris nummi parte, Genii autem in altera expressum.

a Antiq. lib. VI. p. 401.

E qui-

E quibus autem aliisque nummis id insuper constat, quod, quum ad hosce *Ædiles*, ac unde iis, ut obseruat Dionysius, inditum est nomen, præter *Annonam*, *Ædium Sacrarum*, publicorumque insuper locorum, *Ludorum* quoque cura antiquitus spectaret; factum dein sit, ut harum rerum procuratione ab Ædilibus Curulibus suscepta, sola ferme *Annonæ* cura sit *Plebis Ædilibus* concessa; idque arguant omnino addita in antiquis nummis *Modiorum* cum *Spicis*, & subinde cum *spiciferæ Cereris* capite, symbola. Quod firmant insuper duo sequentes nummi; prior Fulvianæ collectionis, in quo hinc spiciferæ Deæ caput, cum ipsa *Ædilium Plebis*, a quibus nummus est cusus, mentione, nempe Æd. Pl. illinc duo viri togati sellis vulgaribus insidentes, ante *Spica*, retro P. A. infra M. Fan. L. Crit. *Marcus Fannius Lucius Critonius.* Alter nummus e Fastis Goltzii a celebri Antiquario prolatus, in cuius anteriori parte caput, ut idem existimat, Genii cincinnatum cernitur; in auersa vero duæ figuræ togatæ, & quæ sellis itidem vulgaribus insident, utrinque autem Modius spicis refertus, cum inscriptione Cn. Carb. C. F. M. Silan. L. F. *Cnæus* Papirius *Carbo Caii Filius*, *Marcus* Iunius *Silanus Lucii Filius.* Quibus addendus adhuc venit singularis nummus æreus, & ex eorum numero, qui *Ratiti* olim dicti; hinc cum Jano bicipite, illinc cum prora nauis, ac literis L. P. D. A. P. quas explicat celebris Antiquarius, a quo primum nummus ille est vulgatus, *L. Papirius Designatus Aedilis Plebis:* quomodo alioquin non *Consules* solum, sed etiam *Quæstores Designati* leguntur subinde in antiquis nummis, & quidem, ne de eo dubitare liceat, cum maiore postremæ illius vocis parte, nempe Desig.

2. *Annonæ curæ iis Ædilibus relictæ exempla in nummis.*

Vaillant Fam. Rom. p. 213. To. II.

Opportune vero facta est ab [a] Appiano, ut viderat iam [b] Pighius, ac monuit dein [c] celebris Antiquarius, *Ædilis Critonii*, qui in priori nummo legitur, ac ludorum præterea, quos editurus erat, mentio: quem autem non *Aedilem Curulem* fuisse, sed *Plebis*, arguit omnino hic nummus. Certe ab *Ædilibus Plebis*, post Curules Aediles institutos, Ludos haud minus celebratos; eosque *Plebeios* vulgo dictos, docet passim præter alios Liuius. Literas vero A. P. in eodem nummo signatas, modo [d] *Argento Publico*; modo [e] *Ædiles Primi*, *Cereales* nempe, interpretatur celebris

a Bell. Ciuil. l. III. p. 544.
b Annal. To. III. p. 167.
c Vaillant Fam. Roman. p. 376. To. I.
d Idem ibid.
e Ibid. p. 455.

Antiquarius: quum prior explicatio, nempe *Argento Publico*, potior omnino habenda sit; quomodo A. PU. vel EX A. PU. *Argento* vel *Ex Argento Publico* in denariis Gentium *Fabiæ* & *Luciliæ* explicat eruditissimus Fuluius, ac præstans etiam Antiquarius; nisi quod in priore, nempe Gentis *Fabiæ*, eas reddit *Argento Puro*, pro *Publico*. Neque vero *Aediles Primi*, & quidem *Cereales*, designantur duabus in superiori nummo literis P. A.; quum in priori eiusdem nummi area *Aediles Plebis* essent iam inscripti; nulla vero *Cerealium* ibi occurrat indicatio. E creatis autem, quorum ibi post Ursinum meminit celebris Antiquarius, a Julio Cæsare Dictatore sex *Aedilibus*, quorum duo essent *Patricii*, quatuor vero *Plebeii*, male ibidem, duos illos Patricios Aediles, dictos *Cereales* statuit. Verum qua in re præeuntem habuerat Dionis, a quo hæc Cæsaris institutio traditur, interpretem; ipsumque præterea, ad ultimum Gentis *Calpurniæ* [a] nummum, eruditissimum Fuluium; qui tamen [b] alibi dein, re melius, ut liquet, expensa, non duos *Patricios Aediles*, sed duos demum e quatuor *Plebeiis*, *Cereales*, iuxta Dionem, appellatos agnoscit, adstruitque insuper manifestis veterum, quas ille ibidem adfert, Inscriptionum testimoniis. Quibus aliam insuper, ac unde Gordiani Imp. temporibus id adhuc in urbe retentum liquet, adiunget Thesaurus Gruterianus, quam nempe coniugi eius FURIÆ SABINIÆ TRANQUILLINÆ dicasse leguntur DECURIALES ÆDILIUM CEREALIUM. Mitto, quòd alibi quoque, Ursini exemplo, *Cereales* illos de duobus *Aedilibus Plebis*, quales in adducto ante nummo designantur, *Fannio* & *Critonio*, interpretatur celebris Antiquarius. Neque vero ad eosdem creatos a Cæsare *Aediles Cereales*, uti ab eodem factum, referri continuo debet insignis Gentis *Memmiæ* nummus, inscriptus, CEREALIA PRIMUS FECIT MEMMIUS AED. Ante hosce enim duos *Cereales Aediles* a Cæsare appellatos, instituta pridem erant, ac ab antiquis temporibus, in urbe *Cerealia*; quæ etiam a se, tum Aedili Curuli designato, celebranda dixerat in adductis supra verbis Cicero: ab hoc autem *Aedili Memmio*, ut ex præclaro illo nummo demum constat, forent, post illa aliquamdiu intermissa, edita denuo ac instaurata.

Vaillant Fam. Rom. p. 428. To. 1.

Ibid. p. 376.

Lib. XLIII. p. 139.

a Fam. Rom. in edit. Patini p. 60.
b Ibid. p. 110.

Thes. Grut. p. CCLXXII, 6.

Vaillant Fam. Rom. p. 436. To. 1.

3. *De extraordinariis Rei Frumentariæ Curatoribus. Exempla itidem in nummis.*

Id vero sæpius contigit, ut præter ordinariam illam Annonæ in urbe procurationem, quæ ad *Aediles*, tam *Curules* quam *Plebis*, adtinebat, vel ad illos annuos Annonæ Præfectos, e viris prætoriis ab Augusto, ut vidimus, constitutos, ut præter illos, inquam, peculiares Rei Frumentariæ Curatores sint subinde creati, quibus in annonæ caritate vel inopia frumenti, in frumentariis prouinciis, Sicilia, Aegypto, Africa, coëmendi, ac ad urbem mittendi munus ex Senatusconsulto deferebatur. Quomodo expressa occurrit similis demandatæ curationis memoria in nummo insigni Gentium *Calpurniæ* ac *Seruiliæ:* in quo hinc Saturni caput, retro falx, infra tridens, ac nomina PISO, CÆPIO, quæ sunt nota, prius *Calpurniæ* Gentis, posterius *Seruiliæ*, cognomina: illinc dictæ figuræ subsellii insidentes, utrinque Spica, cum inscriptione AD FRU. EMU. EX. S. C. Q. *Ad Frumentum Emundum ex Senatusconsulto Quæstores.* Cui addemus alterum, itidem eiusdem Gentis *Seruiliæ* nummum, qui spicas exhibet naui gio impositas, nempe ad innuendam frumenti, in simili curatione empti, in urbem transuectionem.

Unde

Unde Cicero ad Atticum illustratur, ubi curationis id genus frumentariæ Bruto & Cassio ex Senatusconsulto iiunctæ meminit: *III. Non. vesperi a Balbo redditæ mihi literæ, fore Nonis Senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia* FRUMENTUM EMENDUM, *& ad urbem mittendum, curarent.* De qua autem horum curatione sequenti mox Epistola: *Etenim Seruilia pollicebatur, se curaturam, ut illa* FRUMENTI *curatio* DE SENATUSCONSULTO *tolleretur.* Alibi autem: FRUMENTUM EMERE *in Sicilia debuit Verres* EX SENATUSCONSULTO, *& ex lege Terentia & Cassia frumentaria.* Hinc sequiori etiam æuo *Frumentaria Coëmptio*, ut constat e Codice Theodosiano, dicta est eiusmodi curatio; cui etiam, sub Theodosio Iuniore, certa pecuniæ summa & peculiaris arca dicata in eodem legitur. *Comparationes* autem easdem vocat Paulus iurisconsultus, *& frumento comparando constitutum curatorem.* Quomodo, & haud diu a parta post reges exactos libertate, in caritate annonæ factum a Liuio traditur, *dimissos passim ad frumentum coëmendum*, per superi nempe inferique maris oras; ac similiter, aliquot post annis, inualescente post pestilentiam fame, missis non aliter ad populos, qui Etruscum mare ac Tiberim accolunt, legatis *ad frumentum mercandum*, annonæ fuisse subuentum. Unde liquet erasse Fuluium, diligentissimum aliàs Romani ritus inuestigatorem, qui ad duos e viris Prætoriis ad diuidendum plebi frumentum ab Augusto, & de quibus paullo ante, constitutos, in superiore nummo inscriptos *Pisonem* ac *Cæpionem* refert; aut vero ad *Aediles*, qui, quod ait, creabantur, ut frumentariæ rei præessent. Quomodo nempe apud Athenienses alii erant, qui a coëmendo frumento Σιτῶναι, *frumenti emptores*, & quorum peculiare hoc erat munus, ut vel e Polluce liquet, dicebantur, ac unde, ut hoc addam, Σιτωνίαν τὴν ὑπὲρ τοῦ δήμου, *frumenti coëmptionem pro populo* factam, tangit alicubi Demosthenes. Σιτηγίας vero non solum, seu coëmpti id genus *frumenti transuectionis*, sed legis etiam ab eodem oratore facta est haud semel mentio, qua alio quam Athenas illud *transuehere*, seu σιτηγεῖν, erat vetitum. Ita constituti etiam certi frumenti Athenas aduecti Receptores ac Distributores, iique inde, iuxta Pollucem, Ἀποδέκται, οἱ τὸν σῖτον διαμετροῦμενοι, *Receptores, qui frumentum distribuebant*, ac in genere Κολακρέται ab Atticis, iuxta eruditos Aristophanis interpretes, appellati, nempe ταμίαι καὶ προστάτες τῆς δημοσίας σιτήσεως, *Quæstores & Præfecti publicæ annonæ*, qualis nempe una voce Σίταρχος *Annonæ Præfectus* apud Phigalenses Arcadas, iuxta Athenæum, vocabatur. Quarum diuersarum rei frumentariæ procurationum ratio Romæ quoque est habita; unde iis, quos Augustus instituerat, *Præfectis Annonæ*, vel in genere *Aedilibus*, tam *Curulibus*, ut paullo ante vidimus, quam *Plebis*, id incumbebat, ut frumenti undecunque in urbem adlati

Lib. xv. Epist. ad Attic. 9.
Ibid. Epist. 11.
In Verrem III. cap. 70.
Leg. III. C. Th. de Frum. Urb. Constant.
Leg. XII. eodem.
Leg. XXI. D. ad Municip.
Lib. II. cap. 34.
Lib. IV. cap. 52.
Fam. Rom. ex edit. Patini p. 60.
Lib. VIII. cap. IX. §. 114.
Adu. Phormion. p. 544. ed. Græc. Paris.
Ad Dionysiod. p. 544. & adu. Lacrit. p. 553.
Ut supra.
Schol. Aristoph. Auib. ℣. 1540.
Lib. IV. p. 148.

distributio, quod supra e Liuio, Suetonio, ac Dione monitum, ab iis plebi Romanæ, rite ac certo pondere & mensura fieret. A quibus diuersa erat eorum curatio, quibus, in frugum inopia & caritate annonæ, emendi in transmarinis prouinciis frumenti, illiusque in urbem transmittendi prouincia, extra ordinem & ex Senatusconsulto, mandabatur, ut de Bruto & Cassio paullo ante ex Tullio vidimus; & qualem proinde curationem notat illa prioris nummi paullo ante adlati inscriptio: *Ad Frumentum Emendum ex Senatusconsulto.* Eam curationem *Quæstoribus* demandatam, quod arguit addita litera Q, sed de cuius explicatione silet Fuluius, est autem a celebri Antiquario opportune monitum. Quo etiam respicit alter itidem supra adductus Gentis *Seruiliæ* denarius, cum spicis nauigio impositis; prout dicti id genus curatores *frumentum imponere*, nauibus nempe, quæ illud confestim Romam transueherent, solebant: ut alibi Cicero de dicta Bruti & Cassii curatione frumentaria: *Frumentum imponere, quæ est alia Dionis legatio? aut*, ut continuo addit, *quod munus in Republ. sordidius?* Quod nempe Bruto & Cassio totidem, post Idus Martias, iuxta Ciceronem, heroibus, ac publicæ libertatis auctoribus, indignum ei videretur illud frumentariæ curationis demandatum a Senatu munus; unde de eo contemptim adeo loquitur, & quasi idem in merà frumenti nauibus ad eius transuectionem imponendi cura foret situm. Quum tamen vel ex adducto paullo ante Liuii loco constet, vetustis etiam urbis temporibus, in caritate annonæ, e Senatorum numero missos ad frumentum mercandum e populis, qui Etruscum mare vel Tiberim accolebant, ac ob solitudinem in ægra ob pestilentiam ciuitate, deficiente idoneo Senatorum in urbe numero, coactos fuisse Patres binos iis Equites adiicere. Neque vero *sordidum* adeo aut vile est olim a Romanis habitum illud ipsum non emendi solum, sed transuehendi in urbem frumenti a curatoribus ad eam rem constitutis *munus*; idque, quod, ob incerta marium ac tempestatum, singulari, quantum humano consilio prouideri poterat, opus esset in eo transmittendo diligentia & cura. Hinc illud Tiberii apud Tacitum: *At hercule nemo nescit, quòd Italia externa ope indiget; quod vita populi Romani per incerta maris & tempestatum quotidie voluitur*; alibi autem: *Nauibusque & casibus vita populi Romani permissa est.* Hinc M. Æmilio Lepido Siciliæ Prætori a Senatu iiunctum tradit Liuius, *ut duas decumas frumenti exigeret: id* AD MARE *comportandum deuehendumque in Græciam* CURARET. Idem: *L. Oppio*, Sardiniæ eodem tempore Prætori, *de alteris decumis exigendis in Sardinia imperatum. Cæterum non in Græciam, sed Romam id frumentum portari placere.* Adde, quòd prouidendum erat præterea, ne grauis nimium prouincialibus, ut sæpe aliàs factum, esset cum ea frumenti coëmptio, tum eiusdem postea in urbem, aut in alias Romani orbis prouincias, transuectio. Quod utrumque tangit alio loco idem Annalium scriptor: EMERE *ultro* FRUMENTA *ac* VENDERE *pretio cogebantur. Diuortia itinerum & longinquitas regionum indicabatur, ut ciuitates a proximis hibernis,* IN REMOTA & AVIA DEFERRENT, *donec quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret.* Cui postremæ ac onerosæ prouincialibus frumenti transuectioni sub Nerone prouisum docebit rursus Tacitus: *Temperata apud transmarinas prouincias frumenti subuectio.* Id equidem mandatum Bruto & Cassio

Lib. xv. ad Att. Ep. 10.

Lib. IV. pag. 52.

Annal. III. cap. 54.

Annal. XII. cap. 1.

Lib. XXXVI. cap. 2.

Ibidem.

In Agricola cap. XIX.

Annal XIII. cap. 51.

Caſſio frumenti in prouinciis, quas iidem tum obtinebant, coëmendi, ac dein transmittendi impoſitum a Senatu, ut de eo Cicero iam ante, munus, erat infra extraordinarium illud imperium, quod, ſuaſore eodem Tullio, fuerat annis aliquot ante elapſis Pompeio commiſſum; quo nempe ei, lege a Conſulibus lata, *per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur.* Verum haud opus illuſtriori teſtimonio, quo haud ita *ſordidum* illud emptionis transuectionisue frumentariæ *munus* illâ Ciceronis ætate exſtitiſſe conſtat, quam illo adducto paullo ante nummo, in quo duos nobiliſſimarum apud Romanos familiarum *Calpurniæ* ac *Seruiliæ* Quirites, *Piſonem* ac *Cæpionem*, legimus inſcriptos, cum ipſa illa curationis eiusmodi frumentariæ, ad prodendam eius apud poſteros memoriam, mentione: nempe cum aliquo literarum compendio, AD FRUMENTUM EMENDUM EX SENATUSCONSULTO. Quamquam ſequutis ætatibus, illam ipſam *Annonæ*, aut *rei frumentariæ*, ut a Tacito alicubi dicitur, *Præfecturam*, quam ſub primis Cæſaribus in magna fuiſſe dignatione legimus, immo ab iis quandoque, ut ab [a] Auguſto, [b] Tiberio, [c] Claudio, dein a [d] M. Antonino, & [e] Seuero, ut ea de re Auctores, ſuſceptam, labente imperio viluiſſe tradit Boëthius: [f] *Si quis quondam populo curaſſet annonam magnus habebatur, nunc ea præfectura quid abiectius?* plane tum ad illud Ciceronis, ſed cuius æuo *magnus*, qui eam ſuſceperat, adhuc habebatur, de ea Bruti & Caſſii curatione frumentaria, *quod munus in Republ. ſordidius?* Quamquam, ut hoc addam, non quidem ſocerum huius Boëthii Symmachum, ſed alium paullo vetuſtiorem, ac ipſa magni Theodoſii ætate, *Præfectum Annonæ Urbis Romæ* exſtitiſſe docet dicata in eius honorem, & quæ etiamnum exſtat, inſcriptio.

Ad Att. lib. IV. Epiſt. I.

a Dio lib. LIV. p. 521.
b Tacit. Annal. III. c. 54.
c Sueton. in Claud. c. XVIII.
d Capitol. in M. Anton. c. XI.
e Spartian. in Seuer. c. XXIII.
f De Conſol. Philoſ. l. III. Proſ. IV.
Theſ. Grut. CCCLXX, 3.

4.

De Plebis *vel* Curulibus *deſignatis in duobus nummis* ÆD. *ſeu* ÆDILIBUS.

Verum dum hac *Ædilium* tam *Curulium*, quam *Plebeiorum*, quorum conſignata eſt in antiquis Gentium Romanarum nummis memoria, diſquiſitione defungimur; haud hic ſunt prætereundi, quamquam a celebri Antiquario in nupera collectione omiſſi, duo, qui huc quoque ſpectant, nummi: quorum prior a [a] Cl. Patino fuerat Fuluianæ collectioni additus; alter vero, ab eximio [b] Abbate Seguino eſt pridem quoque diuulgatus. E quibus prior Tiberii caput exhibet in anteriori area, in altera vero Bouis cum inſcriptione, detrito, ut legi nequeat, iuxta Patinum, prænomine, MERULA L. VAL. FLAC. in medio ÆD. Alter vero hinc cum *Scipionis Naſicæ* vultu & nomine NASSICA; illinc cum Bouino itidem capite, & inſcriptione C. VAL. C. SEX. (*C. Valerius C. Sextus*) ÆDILES: cuius autem iconem, ad ſimilem ei nummum, quem protulit Seguinus, a me inter præclara Pembrockiana cimelia obſeruatum, hic effingendam curauimus.

a In Cornelia pag. 92.
b Select. Numism. p. 94. ult. edit.

Ad priorem nummum quod adtinet, & qua occasione sit percussus, nihil ad eum adnotauit Cl. Patinus; neque de altero præstantissimus Seguinus, dum inutilem sibi & superuacuum in eo exponendo laborem futurum statuit, quod ad Illustrium Imaginum librum a Fuluio Ursino vulgatum, erudite iam & copiose id occupasset Jo. Faber. Neque, ut ingenue fatear, in hac monumentorum veterum penuria occurrit, unde noua vel clara quadam luce eosdem nummos illustremus. *Ædiles* quidem in utroque videmus inscriptos, præterita mentione, an *Plebeii* vel *Curules* iidem fuerint; prout alioquin id inter *Ædiles* discrimen notant subinde alii, quos vidimus, Gentium Romanarum nummi: nempe Æ D. vel Æ DIL. CUR. aut Æ D. PL. vel PLE. signati: hi vero tantum Æ D. aut, sicut posterior cum integris literis est a Seguino primum vulgatus, Æ DILES: iuxta vero traditam iam ante a Jo. Fabro eiusdem nummi inscriptionem, Æ D. PLE. seu *Ædiles Plebis*. *Merulæ* quidem, exeso in nummo eius prænomine, & *L. Valerii Flacci*, quos exhibet prior nummus a Patino adductus, nominibus dictos aliquos *Ædiles Curules*, sed non simul, quod tamen ex illo nummo discimus, exstitisse legimus: ac de *Merula*, ut me intra hanc memoriam contineam, fidem facit alius eiusdem Gentis *Corneliæ* nummus apud Goltzium, ac inde in nupera celebris Antiquarii collectione vulgatus, in quo Sella Curulis cum Corona desuper, circum P. VILLIUS TI. F. TI. N. TAPPULUS L. MERULA L. F. Haud vero unius *L. Valerii Flacci*, illiusque *Ædilis Curulis*, exstat mentio, & quidem illius in nummo iam ante adducto signati, qui cum collega *T. Quinctio Flaminino*, tum Ludos Romanos Scenicos magno adparatu fecit; tum, quod supra vidimus, missam a Scipione ex Africa magnam frumenti copiam plebi Romanæ modico pretio ac summa fide diuisit. Neque vero expressa in Seguiniano nummo *Aedilitate*, seu *Curuli* seu *Plebeia*, in Romanorum, quæ supersunt, monumentis vel annalibus leguntur simul functi *C. Valerius* & *C. Sextius*. Id vero e tradita eiusdem nummi supra adducti, C. VAL. C. SEXT. Æ D. PLEB. *C. Valerius C. Sextius Aediles Plebis* inscriptione, dictus supra vir doctus manifesto colligi existimat, quod cura Ludorum Megalensium, qui illo Bouino capite designentur, principio penes Ædiles Plebis fuerit; idque, ut addit, scribat Dio libro XLIII; primosque, qui eos fecerint, fuisse hosce *C. Valerium* & *C. Sextium* Ædiles Plebis, idque anno urbis DXLIX, Consulibus Cornelio Cethego & Sempronio Tuditano. *Naficam* vero in anteriore nummi parte signari, qui primus eorundem Ludorum auctor fuerit. Verum quæ singula, de Megalensibus nempe Ludis primum ab Ædilibus plebis, idque tradente Dione, celebratis, & quidem ab illis in eo nummo memoratis, *C. Valerio* & *C. Sextio*, quique eâ plebis Ædilitate functi sint anno DXLIX; ea, inquam, nulla idonea fide nituntur, immo e monumentis illorum temporum haud obscure conuelluntur. Neque enim ab *Aedilibus Plebis* facta primum *Megalesia*, seu Megalenses Ludos, vel alibi legimus, aut tradit Dio, sed id tantum, quod plurimum mutata sit a J. Cæsare ordinariorum urbis Magistratuum forma, nullisque creatis tum, ut id tradit Suetonius, & alias etiam sub Augusto factum, e Dione liquet, Ædilibus Curulibus, eo demum anno, nempe DCCIX, Megalensis Ludi, ne scilicet iidem plane omitterentur, ex peculiari Senatusconsulto, non proinde con-

Ad Illustr. Imag. Ursini.

Vaillant Fam. Rom. p. 346. To. I.

Liuius lib. XXXI. cap. 4.

Jo. Faber.

Lib. XLIII. p. 238.

In J. Cæsare cap. LXXVI.

Lib. XLIX. pag. 401.

conceſſo iis auito illo iure, ſint ab *Aedilibus Plebis* celebrati. Accedit, quòd eodem anno, quem memorat vir doctus, DXLIX, quo Mater Idæa Romam eſt mari deuecta, ac in Ædem Victoriæ in Palatio perlata, & Ludi dicti *Megaleſia*, quod docet Liuius, ſunt celebrati, neutiquam Ædiles plebis, iuxta eundem, exſtiterint *C. Valerius* & *C. Sextius*, ſed *P. Aelius Pætus* & *P. Villius Tappulus*, ut id ad eundem annum eosdemque Conſules, Cornelium Cethegum & Sempronium Tuditanum, aperte tradit Liuius, ſed alio loco, ac ſub finem eiusdem libri, ac ubi Ludos plebeios per biduum ab illis Ædilibus Plebis factos tangit. Neque aliunde, aut quo anno Ædiles plebis fuerint hi *C. Valerius* & *C. Sextius* in nummo inſcripti ullatenus, quod equidem ſciam, conſtat. Signatus quidem in anteriore nummi area NASSIGA, qui eandem Matrem Idæam ex Aſia aduectam, e mari in Palatium Romæ detulerat: bouis autem caput in auerſa parte, ad indicandum ſolemne ſacrum in honorem eiusdem Deæ celebratum; & quidem eo forte tempore, ſeu tredecim poſt annis, ut tradit alibi Liuius, quo a M. Junio Bruto dedicata eſt Idææ illius Matris Ædes; & quo tempore *Aediles* fuerint, prout in adducta ab eximio Seguino præclari nummi icone iidem dicuntur, *C. Valerius* & *C. Sextius:* Conſul autem, ut ex eodem Liuio & Faſtis liquet, exſtitit idem ille, cuius in eo nomen & effigies comparent, nempe *P. Cornelius Scipio Naſica*, ſeu, iuxta nummum, & pro more veteri, de quo nos alibi, literam S inter alias geminandi, *Naſſica*. Mitto illud ſingulare, quod ſub Auguſto contigiſſe obſeruat alibi idem Dio; ut mortuo quodam Ædili Plebis, C. Calpurnius, qui ante Aedilis Curulis fuerat, quod nuſpiam factum antea, eidem ſucceſſerit.

Lib. XXIX. cap. 27.

Lib. XXXVI. cap. 36.

Lib. LIII. p. 519.

V. *De* QUÆSTORIBUS URBANIS & PROVINCIALIBUS, *ac de* PROQUÆSTORIBUS *in Nummis.*

Inductos iam ſub Regibus, iuxta [a] Tacitum & [b] Ulpianum QUÆSTORES, ac proinde antiquiores memoratis hactenus in urbe Magiſtratibus, ſignatos itidem cernimus in variis Familiarum Romanarum nummis. Veterum equidem Auctorum circa primos *Quæſtores*, pulſis Regibus, conſtitutos, Taciti nempe ac Plutarchi, diſſenſum notauit iam ad priorem [c] Lipſius: quorum ille [d] *Valerium Potitum* & *Aemilium Mamercum*, primum creatos *Quæſtores* tradit; Plutarchus vero, [e] *P. Valerium* & *M. Minucium*. Accedit gemina adhuc, de qua ſilent ibi interpretes, inter duos illos Auctores diſſenſio: prima, quod a Tacito ibidem dicitur, poſt exactos Reges manſiſſe Conſulibus Quæſtores eligendi poteſtatem, *donec*, quod addit, *eam quoque populus mandaret:* quum tamen auctor ſit Plutarchus, [f] Publicolam, ante creatum ab eo in locum defuncti Bruti T. Lucretium, ac proinde primo adhuc partæ libertatis anno, conceſſiſſe populo, ut duos crearet *Quæſtores*, dictos nempe *P. Valerium* & *M. Minucium*. Altera inter eos diuerſitas verſatur, quod ideo, iuxta Tacitum, creati dicantur duo Quæſtores, *ut rem militarem comitarentur:* a Plutarcho vero, ut ærarii curam in urbe ſuſciperent; cui ſuffragatur [g] Pomponius

1. *De primis Romæ* QUÆSTORIBUS, *& quod eorum munus: diſſenſio Auctorum.*

a Annal. XI. cap. 22.
b Leg. Unic. D. de Offic. Quæſt.
c Com. ad Tacit. An. XI. c. 22.
d Ut ſupra.
e In Poplicola p. 303.
f Ibidem.
g Leg. II. §. 23. D. de Orig. Jur.

Liuius lib. IV. cap. 43.

nius iurisconsultus, ac præterea Liuius, & Dionysius; quorum ille annō demum V. C. CCCXXXIV, atque ita a parta libertate annis, iuxta Varronem, LXXXIX, de *duobus Quæstoribus, qui Consulibus ad ministeria belli præsto essent*, nempe præter *duos Quæstores*, quibus data pridem erat Ærarii cura, actum tradit. A Dionysio vero crebra fit *Quæstorum* mentio, & quidem primo iam vel altero post pulsos Tarquinios anno, qui Romanis relictorum a Porsena Rege tentoriorum auctione facta, haud leuem inde pecuniæ summam redegerint: alibi autem, prædam bello partam a *Quæstoribus* vendi solitam, & coactam inde pecuniam ab iis in ærarium inferri solitam obseruat. Unde etiam, aucto dein cum prolatati imperii finibus *Quæstorum* numero, ad aliorum discrimen [a] *Quæstor Aerarii*, & [b] *ab Aerario*, item [c] *Quæstor Urbanus*, *Qui Aerarium Prouinciam Obtinet*, dicantur in antiquis marmoribus. Quamquam postea sub Cæsaribus, & quod iam ad Tacitum monuit [d] Lipsius, translata sit primo ad Prætores, dein ad Præfectos, Ærarii cura, unde iidem similiter *Prætores Aerarii*, & *Præfecti Aerarii*, cum apud [e] iuniorem Plinium, Tacitum, Gellium, & in libris veterum Jurisconsultorum, tum [f] in priscis quoque lapidibus, appellari soleant.

Antiq lib. v. p. 303.

Ibid. lib. VII. p. 468. l. VIII. p. 549. &c.

a Thes. Grut. CCCCLIII, 2.
b Ibidem CCCCXXXVII, 2.
c Ibidem DCXXVIII.
d Excurs. ad Annal. XIII. c. 29.
e Vid. Lipsi. ibidem.
f Thes. Grut. CCCI, 7. CCCLX, 3.

2. *De Quæstoribus Urbanis.*

Idem postea, ad *Quæstores* quod adtinet, in prouinciis, ut vulgo notum, obtinuit: dum creatis dein pluribus *Quæstoribus*, alii dein ex iis *Urbani* dicti, qui eo munere in urbe fungerentur; alii vero, qui ex Senatusconsulto, ut ab [a] Ulpiano dicitur, prouincias sortirentur, in iisque similiter, ut de Quæstoribus illis Prouincialibus tradit [b] Asconius, *curam gererent pecuniæ publicæ in usus diuersos erogandæ*. Illud cæteroquin inter *Urbis & Prouinciarum Quæstores* discrimen docent itidem veteres Familiarum Romanarum nummi, e quibus nonnulli QUÆSTORIS URBANI partam dignitatem ostendunt; sicut duo sequentes denarii, uterque Fuluianæ collectionis: prior, hinc cum galeato Romæ capite, illinc cum Victoria & Trigis (de quarum retento a Romanis in equestribus agonibus usu, supra obiter) & cum inscriptione, T. M. AP. CL. Q. UR. *Titus Manlius Appius Claudius Quæstor Urbanus*. Alter nummus exhibet, iuxta Ursinum, Jouis Propugnatoris, iuxta vero celebrem Antiquarium, Ditis caput, circum NERI Q. URB. *Nerius Quæstor Urbanus*; in auersa parte cernitur Aquila Legionis inter duo signa militaria, in quorum uno litera H, in altero P: *Hastatorum* quippe & *Principum*, cum Consulum *L. Lentuli, C. Marcelli* nominibus, nempe L. LENT. C. MARC. COSS.

a Leg. Unic. §. 2. D. de Offic. Quæst.
b In Verris Diuinat. III. p. 29.

In Claudia & in Manlia. Fam. Rom. ex edit. Patini p. 73. Vaill. Fam. Rom. p. 170. To. II.
In Neria.

Vid. Thes. Grut. Indic. *Magistrat.*
Lib. II. Epist. Fam. 17.
Lib. IV. cap. 43.

Quomodo *Quæstores Urbani* vocantur sæpe in Inscriptionibus antiquis; ac apud Auctores subinde, ut apud Ciceronem: *De præda mea præter* QUÆSTORES URBANOS, *id est populus Romanus, teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam*; & memorato supra apud Liuium loco: *Ut*

Ut, præter duos URBANOS QUÆSTORES, *duo Conſulibus ad miniſteria belli præſto eſſent.* Sicuti vero ibi apud Ciceronem dicuntur *Quæſtores Urbani, id eſt populus Romanus:* inde etiam *Quæſtores populi Romani* vocantur iidem apud Gellium. Lib. XIII. cap. 13, & 14.

3. *De* Quæſtoribus *Prouincialibus.*

Quæſtorum vero *Prouincialium*, ſeu qui ſorte in prouincias populi Romani cum Proconſulibus aut Prætoribus mitti ex Senatusconſulto conſueuerant; & quibus interdum extra ordinem, aut in abſentia prouinciæ Rectorum, præerant, mentio itidem obuia eſt apud antiquos Auctores. Ita Cicero: *Ego de prouincia decedens, Quæſtorem Ciliciæ præpoſui:* alibi, *L. Lucullus in Aſiam Quæſtor profectus*; dein: *Per multos annos admirabili quadam laude prouinciæ præfuit.* Unde non ſolum *Quæſtor Prouinciæ* legitur in lapidibus antiquis, ſed etiam *Quæſtor Proprætore.* Occurrunt vero aliquot Familiarum Romanarum nummi, a Fuluio iam ante vulgati, cum in *Antonia*, tum in *Cocceia*, *Gellia*, & *Valeria*; in quibus *Marcus Valerius Barbatus* & *Lucius Gellius*, qui a partibus Antonii ſtabant, ſignantur, cum additis duabus literis Q. P. quas modo de [a] *Quæſtore Prouinciali*; modo de [b] *Quæſtore Proprætore*; modo etiam de [c] *Quæſtore Publico* interpretatur eruditiſſimus Fuluius; de priori demum, ſeu *Prouinciali Quæſtore*, [d] celebris Antiquarius. Aliam adhuc idem tradit, quæ nonnullis placuerit, *Prætorianorum* nempe *Quæſtoris*, explicationem: prout nempe exſtat apud Goltzium Gentis Antoniæ denarius, cum inſcriptione L. GELL. L. F. PUBLICOLA M. OCTAVI. Q. PRÆTORIA. ANT. *Lucius Gellius Lucii Filius M. Octauius Quæſtor Prætorianorum*, de quo conſuli poteſt, qui eum poſt Goltzium protulit, celebris Antiquarius. E quibus autem discrepantibus ſententiis, eam, quæ per *Quæſtorem Prouincialem*, ſeu verius *Prouinciæ*, has literas Q. P. in adductis nummis reddit, potiorem crederem; prout iſtud ſæpe occurrit itidem in lapidibus antiquis, atque is ita a *Quæſtoribus Urbanis*, qui ærarium in urbe curabant, diſtinguatur. *Quæſtores* vero *Publici* nuſpiam, quod equidem ſciam, leguntur appellati, niſi quatenus hæc *publici* appellatio communis erat Romæ Magiſtratibus, qui a populo Romano creabantur. Niſi *Quæſtorem Publicum* dici in iisdem nummis arbitrari liceat, qua ratione *Quæſtor Pecuniæ Publicæ* legitur ſubinde in [a] antiquis marmoribus. *Quæſtores* vero Prouinciales interdum *Proprætores* dictos conſtat equidem e priſcis Inſcriptionibus, ut [b] *Siciliæ*, [c] *Narbonenſis*, [d] *Africæ*; ac prout in ſequenti [e]:

Thef. Grut. CCCLXXXIII, 5. &c.

a Urſinus Fam. Rom. ex ed Patin. p. 225.
b Ibid. p. 119.
c Ibid. p. 66.
d Vaill. Fam. Rom. p. 90, 94, 188. To. I.

Ibid. p. 108.

a Thef. Grut. CCCCLXVI, 3. CCCCXXXVII, 6.
b Ibidem CCCCXCIV, 8.
c Ibidem CCCLXXXI, 1.
d Ibidem CCCIII, 1.
e Ibidem CCCLXXXIII, 5.

CN. CALPURNIUS
CN. F. PISO
QUÆSTOR PROPR. EX S. C.
PROVINCIAM HISPANIAM
CITERIOREM OPTINUIT.

Verum vix per ſolam illam literam P. illud *Proprætore* nomen fuiſſe in nummis deſignatum licet ſtatuere; ſed per tres ad minimum literas PRP, quibus obuia *Proprætorum* in aliis nummis dignitas ſubinde exprimitur. Adde, quòd exſtant etiam alii Familiarum Romanarum nummi, inſcripti, NERVA PROQ. P., quibus vix quispiam, opinor, arbitrabitur, eundem *Neruam Proquæſtore Proprætore* ibidem dici: quamquam in vetuſtis

marmoribus occurrit passim adscripta plurium id genus, quas quis diuersis temporibus gesserit, dignitatum mentio. Describitur quidem alicubi nummus a celebri Antiquario NERVA PROQ. PR. cum addita proinde litera R, sed quæ in ipso nummo, qui cum in Gente *Antonia*, tum in *Cocceia* apud eum, ac iam ante apud Vrsinum, signatur, nusquam comparet. Quomodo etiam, quod hic mihi occurrit opportune, *Quæstor Proconsule*, sed cum manifesta illius dignitatis mentione, dicitur *M. Silanus*, in denario Gentis *Antoniæ*; ad quam ille, ob caput Antonii in anteriori area signatum, a præstantibus antiquariis refertur, ac ad *Juniam*, e qua oriundi erant, ut vulgo notum, *Silani:* nempe M. SILANUS AUG. Q. PROCOS, idque, iuxta doctissimum Fuluium, quod prouinciam Proconsulari potestate administrasset. Haud aliter nempe ac, decedente, ut paullo ante vidimus, e prouincia Ciliciæ, quam Proconsul rexerat Cicero, eidem Quæstor Cœlius ab eo fuerat præpositus: qui proinde, donec alius ex urbe venisset in Ciliciam Proconsul, eam interea Proconsulari potestate administrabat.

Vaillant Fam. Rom. p. 94. To. I.

Fam. Rom. ex ed. Patin. p. 148.

4. *Alia de Quæstoribus Prouincialibus, qui in aliquot nummis leguntur.*

Neque vero *Quæstorum* solum, sed Prouinciarum etiam, quas ii ex Senatusconsulto sortiebantur, ut apud Auctores ac in antiquis Marmoribus, ita in selectis etiam nummis, consignata occurrit memoria. Quomodo subinde L. Fabius, qui *Hispaniensis* in fragmentis Historiarum Salustii apud Seruium, ut vidit eruditissimus Fuluius, est appellatus, *Hispaniæ Quæstor* dicitur in aliquot denariis Gentis *Anniæ* & *Fabiæ*, & quidem cum Monetæ effigie ac bilance in anteriore eorundem area, quod signandæ in prouinciis pecuniæ cura ad Quæstores spectaret; additoque nomine *C. Annii* tum Hispaniæ *Proconsulis*, C. ANNI T. F. T. N. PROCOS. EX S. C. illinc vero Victoria quadrigis cum palma insistens, circum L. FABI L. F. supra HISP. Q. *Hispaniæ Quæstor.*

Fragm. lib. III. In Fabia ex ed. Patini. p. 108.

Tres vero Græcos nummos, eosque a *Nicæensibus* Bithynis cusos, & quorum duo exstant in Gaza Gallorum Regia, vulgauit in nupera collectione celebris Antiquarius; in quibus *Auli Pupii Quæstoris*, ac in uno ex iis cum *Rufi* cognomine, dignitas & appellatio legitur. E quibus duos hic proferemus, quorum prior, iuxta eundem præstantem Antiquarium, hinc caput Lysimachi cum cornu arietino & nominibus ΑΥΛΟϹ ΠΟΥΠΙΟϹ, *Aulus Pupius:* illinc *Sellam Curulem*, & duos *Fasces*, quod ille ibidem tradit, qui vix tamen in eo aut in sequenti nummo comparent, cum totidem *Securibus* exhibet; & cum voce ΤΑΜΙΑϹ, *Quæstor*. Alter vero nummus caput Iouis Ammonis cum cornu itidem arietino, & inscriptione ΚΤΙϹΤ. ΤΑΜΙΑϹ, *Conditor Quæstor*; in auersa parte *Sellam* quoque *Curulem*, duasque, rursus cum *Fascibus*, *Secures* ostentat, & cum additis nominibus, ΠΟΥΠΙΟϹ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Pupius Nicæensium*. Tertium cum

Vaillant in Famil. Pupia To. II. Ibid. pag. 322. To. II.

cum eiusdem *Pupii*, cognomine *Rufi*, & *Quæstoris* titulo, ΠΟΥΠΙΟC ΡΟΥΦΟC ΤΑΜΙΑC videre insuper licet apud laudatum Antiquarium.

De *Lysimacho*, eoque, ut vulgo in aliis eius nummis, & de quo alibi egimus, cornigero, qui signatur in priori nummi, eoque tanquam *Nicææ*, iuxta [a] Strabonem (adde & [b] Stephanum de Urbibus) restauratore, monuit iam celebris [c] Antiquarius. A *Nicæa* nempe Antipatri filia & Lysimachi uxore, nomen illud *Nicææ* ei urbi inditum tradit ibi Geographus: sed de qua *Nicæa*, Naide seu Nympha, a qua urbi illi nomen, longe diuersam narrationem e Memnone apud [d] Photium ad Strabonem adnotauit iam Casaubonus. Depictum vero in priori alterius nummi parte *Jouem Ammonem*, cum adscripto ibidem ΚΤΙCΤΗC seu *Conditoris* nomine, inde statuit celebris Antiquarius, quod Bacchus sæpe inscribatur in aliis nummis, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΚΤΙCΤΟΥ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Bacchi Conditoris Nicæensium*; Bacchus autem a Diodoro Siculo Iouis Ammonis filius sit habitus. Id equidem de Baccho obuium, quod ille ΚΤΙΣΤΟΥ elogio ornetur in variis horum *Nicæensium* nummis; & quidem subinde citra additum ΔΙΟΝΥΣΟΥ nomen, & quandoque Elephantum quadrigis vectus, uti in præclaris Neronis, Antonini Pii, ac M. Aurelii nummis, cum inscriptione ΚΤΙCΤΗC ΝΙΚΑΙΕΙC, vel ΤΟΝ ΚΤΙCΤΗΝ ΝΙΚΑΙΕΙC. An vero idcirco demum, quod a nonnullis habitus sit idem Bacchus Iouis Ammonis filius, inde ΚΤΙΣΤΟΥ seu *Conditoris* elogio ornatus sit a *Nicæensibus*, Corniger Ammon; ac *Aries*, qui eundem Ammonem designet, in alio eorundem nummo, cum huius *Pupii Rufi Quæstoris* nominibus, sit effictus, haud equidem vellem statuere. Sicuti enim varias ac incertas nobilium id genus urbium origines haud infrequenter tradi a priscis Auctoribus nosti; ita idem huic *Nicææ* videmus accidisse; ut, quæcunque fuerit eius rei caussa, haud aliter ac in aliarum quoque minoris Asiæ urbium nummis factum videmus, eadem Libycum hunc Deum tanquam inter Προπάτορας suos, ac *Conditores* Deos vel Heroas coluerit. Quomodo, præter *Bacchum*, *Herculem* quoque eius Conditoribus adnumerat Dio Chrysostomus; ac adstruere potest Hercules depictus in duobus Commodi nummis Gazæ Gallorum Regiæ, quosque iam indicauit, & simul dicti Dionis locum, eruditissimus Harduinus: quique duo nummi inscriptum habent ΘΗΣΕΑ ΝΙΚΑΙΕΙC, *Theseum Nicæenses*, tanquam itidem unum ex illius urbis Heroibus. Haud aliter, ut hoc addam, ac *Alexandrum M.* præferunt duo eiusdem urbis nummi, quorum unus erat in cimeliis Christinæ Augustæ, ibi a me olim visus, & ab eodem Harduino quoque memoratus, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΝΙΚΑΙΕΙC, *Alexandrum Nicæenses*; sed alius præterea Cimeliarchii Gallorum Regii, hinc cum Alexandri effigie ac nomine ΑΛΕΞΑΝΔΕΡ ΜΕΓΑΣ ΝΙΚ. *Alexander Magnus Nicæensium*; illinc caput M. Aurelii.

Tom. I. p. 385.

a Lib. XII. pag. 565.
b In *Nicæa*.
c Ut supra

d Biblioth. pag. 758.

Vaillant Fam. Rom. p. 323. To. II.

In Gaza Regii Succ.

Orat. XXXIX. p. 485.

Num. Urb. Ill. in Addend. p. 583.

Ibid. p. 353.

5. *Cur* Sella Curulis *& duæ* Secures Quæstori *in nummo Nicæensium tribuantur.*

Id vero in adductis paullo ante horum *Nicæensium* nummis cum *Sella Curuli*, ac duabus in utroque *Securibus*, quibusque iunctos tradit *Fasces* celebris Antiquarius, memorabile omnino cernitur, sed de quo is ibidem silet: quod hæc nempe, & qua de re iam ante, quæ cæteroquin Proconsulum ac Prætorum, qui prouinciis summa cum potestate præerant, forent insignia, *Quæstori* Bithyniæ *Aulo Pupio* tribuuntur. Ad *Sellam Curulem* quod adtinet, eam populi Romani, cui Sellæ illius ius erat, Magistratus una cum reliquis dignitatis ac imperii insignibus, deferre quoque in prouincias, ad quas regendas proficiscebantur, consueuerant: prout eædem ad amicos & fœderatos Reges, insignis muneris loco, quod aliunde notum, mittebantur. Quum vero Sellæ Curulis ius non esset *Urbanis Quæstoribus*, quam tamen huic Bithyniæ *Quæstori Pupio* aperte tribuunt iidem nummi; id inde factum licet statuere, quod hic *Quæstor Proprætore* aut etiam *Proconsule*, ut de aliis Quæstoribus paullo ante vidimus, Bithyniæ tum præfuerit. Quod de duabus *Securibus*, quas iidem eius nummi manifesto præferunt, instar eorum, quibus profectos ad imperium aliquod militare, vel ad regendam prouinciam Consules, vel Prætores designari supra vidimus, dicendum quoque est; & quibus alioquin caruisse certum est Quæstores prouinciales, etsi *Fasces* iidem & *Lictores*, de quibus mox, haberent: ut de *Urbanis Quæstoribus* sileam, qui nec viatorem, nec prehensionis ius, quod e Gellio notum, ac monuerunt iam viri docti, habuerunt. Adeo ut, præter solita cæteroquin *Quæstorum Prouincialium* insignia, *Sella Curuli* ac *Securibus* ornatum fuisse hunc Bithyniæ Quæstorem *Aulum Pupium*, velut qui prouinciæ Proconsulem aut Prætorem tum ageret, arguant omnino iidem nummi. De *Fascibus* vero (& *Lictoribus* proinde, qui eos ferrent) quos habuerint, recepto more, *Quæstores Prouinciales*, & quos præter secures in iisdem duobus huius *Auli Pupii Quæstoris* nummis signari tradit celebris Antiquarius; res ea est iam e duobus Ciceronis locis a viris eruditis obseruata. Unus exstat in Verrinis de duobus Quæstoribus Siciliæ: QUÆSTORES *utriusque prouinciæ, qui isto Prætore fuerant*, CUM FASCIBUS *mihi præsto fuerunt.* Alter locus agit de Quæstore Macedoniæ Cn. Plancio: *Nam, simulàc me Dyrrachium adtigisse audiuit, statim ad me*, LICTORIBUS *dimissis*, INSIGNIBUS *abiectis, veste mutata, profectus est:* ubi per *insignia abiecta*, & quidem post factam *lictorum* mentionem, & quod de *veste*, seu prætexta, *mutata* sequitur, quodque superior eiusdem Tullii locus, ut viderunt quoque eius interpretes, adde & hi duo nummi, euincunt, *Fasces* debent omnino intelligi, ut de *Securibus* sileam; quod tum eidem Macedoniæ Prætori profuisse doceat paucis post verbis Cicero. Id vero apud Romanos receptum aliunde constat, ut coram superiore, aut eo, cuius peculiaris quædam ratio haberi meruit, vel Fasces iis submitterent, sicut populo Romano Consul Publicola; aut vero, iis etiam abiectis, lictores dimitterent: ut hoc utrumque factum est a Quæstore Macedoniæ Plancio ad Ciceronem, qui Consul fuerat, & cuius tum calamitate, exulis quippe, tangebatur, profecto: ac similiter a Consule, qui, ut supra e Liuio vidimus, ad Dictatorem tenderet. Adde, quòd, qui summo cum imperio essent, interdum etiam sine illis insignibus, & sine lictoribus prodierint in publicum, ut [a] M. Antonius Triumuir Reipublicæ Constituendæ Athenis; aut

Lib. XIII. cap. II.

In Verrem II. cap. 4.

Pro Plancio cap. XLI.

Liuius lib. II. cap. 7.

Lib. XXII. cap. II.

[a] Appian. Bell. Ciuil. l. V. p. 716.

aut [a] Tiberius Rhodi; etſi Tribunitiæ Poteſtatis iam eum Auguſto Cenſor; aut cum [b] uno lictore in eadem Athenarum urbe Germanicus cum Proconſulari imperio in Orientem miſſus.

a Sueton. in Tiber. c. xi. b Tacit. Ann. ii. c. 53.

Verum, præter hunc Bithyniæ Quæſtorem *Aulum Pupium Rufum*, ſignatum in adductis duorum nummorum iconibus, aliquot etiam *Macedoniæ Quæſtores* exhibent præclari quidam nummi: cuiusmodi duo occurrunt inter [a] Selecta id genus Cimelia a præſtantiſſimo eorum poſſeſſore Jacobo de Wilde, e diuite Muſei ſui penu edita, inſcripti, in uno in laurea ΓΑΙΟΥ ΤΑΜΙΟΥ ΠΟΠΙΑΙΟΥ, *Caio Quæſtore Popilio*; in altero, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΤΑΜΙΟΥ ΛΕΥΚΙΟΥ ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ, *Macedonum Quæſtore Lucio Folcinnio:* qualem, quod vir ille eximius ibidem vidit, cum adſcripto *Macedonum* nomine adtulerat quoque e Gaza Gallorum Regia eruditiſſimus [b] Harduinus, inſcriptum ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΤΑΜΙΟΥ ΠΟΠΑΙΑΙΟΥ, *Macedonum Quæſtore Publilio.* Similem autem nummum verſare nobis opportune hisce diebus licuit, quem ex peregrinatione in Græciam Aſiamque minorem feliciter ſuſcepta, cum præclaris aliis veterum nummorum & inſcriptionum cimeliis adtulit vir ornatiſſimus ac Medicinæ Doctor Antonius Picenninus Rhœtus. Adeo ut non aliquis e Gente Romanorum *Popilia*, ut præfert vulgatus a laudato Jacobo de Wilde nummus, ſed e *Publilia*, fuerit hic Macedonum Quæſtor; e qua nempe poſtrema Familia, aliunde in Romanorum monumentis nota, erat ſecunda Ciceronis uxor, quam is poſt repudiatam Terentiam duxit. Neque cæteroquin nouum, ut hoc addam, ut ea *Popilia* pro *Publilia* dicatur, ſicut apud Quintilianum, quod ad [a] Ciceronem, de *Publilia* uxore agentem, viderunt iam viri docti: quæ nempe *Popilia* male apud [b] Quintilianum & [c] Plutarchum hodie legitur, ſed apud quos *Poplilia* & Ποπλιλία legendum vere iam monuit ad Ciceronem Boſius: nempe ut *Poblicola* & *Poplicola*, ſic *Publilia* & *Puplilia*, ſeu *Poplilia* dicitur; uti paſſim in lapidibus antiquis, *optinet* vel *optinuit* pro *obtinet* vel *obtinuit.* Cuius autem ſingularis nummi, in quem oportune, dum hæc commentamur, incidimus, iconem hic proferam.

6. *De* Macedoniæ Quæſtoribus *in nummis*; *& de* Quæſtoribus, *qui* Candidati *in Jure dicti.*

a Select. Numiſm. Tab. x. b Num. Urb. Ill. in Addend. p. 579.

a Lib. xii. ad Att. Ep. 12. b Inſt. lib. vi. cap. 3. c In Cicerone.

Duo autem adhuc proſtant eorundem *Macedonum* nummi: unus, quem ex eadem Gaza Regia adducit inſuper Harduinus, nempe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΤΑΜΙΟΥ ΛΕΥΚΙΟΥ ΠΑΚΙΝΝΙΟΥ, *Macedonum Quæſtore Lucio Pacinnio*; vel forte, ut ibidem vir eruditiſſimus, *Paconio.* Cuius utique *Paconiæ* Gentis haud infrequens occurrit mentio in antiquis lapidibus, & quidem inter alia *M. Aurelii Paconii Conſul.*, ſeu *Conſularis*, *Aquarum & Miniciæ.* Sicut vero in adductis modo nummis, *Quæſtorum Macedoniæ* occurrit mentio; ita dictum alicubi a Cicerone de T. Antiſtio, quod *ſorte Quæſtor prouinciam Macedoniam obtineret.* Eiusdem vero

Ut ſupra.

Theſ. Grut. liv, 6.

Lib. xiii. Epiſt. Fam. 29.

Quæstorii in prouinciis muneris (pecuniam nempe ex Ærario acceptam; ut de iis dicto iam ante loco Asconius, in varios prouinciæ usus erogare) index etiamnum, & quod primus ad eum monuit eruditissimus Fuluius, *Plætoriæ* Gentis nummus, in quo hinc Monetæ effigies ac nomen, MONETA; illinc figura cum sacculo, quæ Fuluio miles, celebri Antiquario Monetæ minister, & inscriptio L. PLÆTORI L. F. Q. S. C. *Lucius Plætorius Lucii Filius Quæstor Senatusconsulto:* M. Bruti nempe, ut ex aliis eius nummis constat, *Quæstor*.

Ex illo vero, ut hoc addam, *Quæstorum* numero, qui prouincias sortiebantur, excepti erant, quod monet Ulpianus, [a] *Candidati principis*, qui nempe *Quæstores Candidati*, non a [b] Lampridio solum dicti, sed sæpe in [c] Inscriptionibus antiquis, & apud [d] Sponium Q. KAND. *Quæstor Candidatus*; aut etiam *Quæstor Candidatus Cæsaris*, ut ibi ab Ulpiano, *Candidati principis*. Nota vero est, cur nempe *Quæstores Candidati* prouincias non sortirentur, adducta eius rei ab Ulpiano ratio: quod nempe ii soli Libris principalibus, Epistolis, ut de iis idem postea, ac Orationibus, aliisue quibuscunque principis Mandatis in Senatu legendis vacarent. Nempe qua ratione factum est, ut, præter *Urbanam*, seu *Populi Romani* dictam proprie, ut vidimus, *Quæsturam*, ac *Prouincialem*, tertia adhuc sub Cæsaribus seu *Palatina* exstiterit; uti hæc *Candidatorum Cæsaris Quæstura* a magno Casaubono ad Lampridium dicitur.

[a] Leg. Unic. §. 2. D. de Offic. Quæst.
[b] In Alex. Seuer. cap. XLIII.
[c] Thes. Grut. CCCLII, 5. &c.
[d] Miscell. p. 134.

Not. ad Alex. Seuer. cap. XLIII.

7. *De* Proquæstoribus *in nummis.*

Ut autem QUÆSTORIS, ita PROQUÆSTORIS, quemadmodum *Proconsulis* vel *Proprætoris*, occurrit subinde mentio apud veteres Auctores, & quidem, ut obseruo, apud Ciceronem aliquoties. Ita inscripta ab eo epistola legitur [a] *Caninio Sallustio Proquæstori*; quomodo in nupera editione Græuiana est ibi adserta *Proquæstoris*, non *Proconsulis*, iuxta Manutium, lectio. Idem Cicero alibi: [b] *Faustus Proquæstor*; & Auctor belli Africani: [c] *L. Cæsari, qui tum ei Proquæstore fuerat.* Adde, in memorabili Inscriptione Pisana, *Proquæstorum* nomen, non, quod pridem monueram, *Prouinciæ Quæstorum*, ut existimabat, a me viri docti & elegantis ingenii elogio ibi designatus, Val. Chimentellius. Idem vero decennio post adsertum quoque iuit, a quo Cenotaphia illa Pisana sunt amplo Commentario illustrata, eximius Norisius. Quorum autem *Proquæstorum* haud crebrior ferme exstat hodie, quam in nummis Gentium Romanarum, memoria. Unde, præter eum, de quo obiter iam ante, in quo M. NERVA PROQ. P. legitur, in Gente, ut diximus, *Antonia* & *Cocceia*; occurrunt insuper in eadem penu cum CN. PISO (idem forte, quem Hispaniam Citeriorem cum *Quæstoris Proprætore* dignitate obtinuisse in vetere lapide vidimus) tum L. CESTIUS; vel L. CORNELIUS SULLA; aut L. MANLIUS; aut M. MINATIUS SABINUS; aut

[a] Lib. II. Epist. Fam. 17.
[b] Lib. IX. ad Att. Ep. 2.
[c] Cap. LXXXVIII.

Diss. VI. de Usu Num. p. 552.

Pag. 36.

aut L. SESTIUS; aut denique VARRO, ſinguli illo PROQ. ſeu *Proquæſtoris* titulo in iisdem eorum nummis ornati.

VI. *De* TRIUMVIRIS & QUATUORVIRIS MONETALIBUS *in nummis.*

1. *De* Conſtitutis Romæ TRIUMVIRIS & QUATUORVIRIS Monetalibus.

Quemadmodum vero publici Romæ Ærarii & pecuniæ in prouinciis adminiſtratio Quæſtoribus olim libera urbe, &, quod ex [a] Tacito liquet, ſub Claudio etiam Imperatore, incubuit: ita MONETÆ in omni metallo cudendæ curam ad TRIUMVIROS, & quandoque ad QUATUORVIROS eam in rem conſtitutos, aut ad CURATORES etiam dictos, ſpectaſſe, non aliunde certius vel luculentius, quam ex ipſo nummorum, vulgo Conſularium, conſpectu diſcimus. Crebro etenim in iis occurrunt IIIIVIR AAA. FF. *Triumuiri Ære Argento Auro Flando Feriundo*; vel, ut in Gentibus *Antonia* & *Liuineia*, IIIIVIR A. P. F. *Quartumuir Argento Publice Feriundo*; ita enim mallem poſtremas literas interpretari, quam cum præſtantibus Antiquariis, *Argento Publico* vel *Argento Puro*, præcunte mihi eam in rem Ciceronе: *Æs Argentum Aurumue* PUBLICE *ſignato.* Juuabit vero duos huius notæ nummos Gentis *Liuineiæ* hic adponere: quorum prior hinc tria demum *Triumuirorum* id genus, quibus illi deſignari conſucuerant, Gentium nempe *Liuineiæ*, *Claudiæ*, *Statiliæ* (ut de iis ſupra) Cognomina exhibet, REGULUS PULCHER TAURUS; illinc, incudem ad feriendam monetam, & literas illius muneris indices A. A. A. F. F. *Triumuir*, ut iam diximus, *Ære Argento Auro Flando Feriundo:* alter vero nummus caput M. Antonii in priori nummi arcâ; in auerſa virum nudum ſedentem cum Haſta & Clypeo, in quo caput Herculis cernitur, oſtentat, cum inſcriptione L. REGULUS IIIIVIR A. P. F. *L. Regulus Quartumuir Argento Publice Flando.*

[a] Annal. XIII. cap. 29.

Vaillant Fam. Rom. p. 60. To. II. De Legib. l. III. c. 3.

Quo referri itidem debet ſingularis quidam denarius Gentis *Flaminiæ*, in quo Monetæ caput cum inſcriptione IIIIVIR PRI. FL. *Quartumuir Primus Flauit*; illinc Victoria cum elata Corona in bigis, ac nomine illius *Flaminii*, qui inter primos e *Quatuoruiris* a J. Cæſare *Flandæ Monetæ* conſtitutos exſtitit, L. FLAMIN. CHILO, quique cum eodem IIIIVIRI titulo, ac J. Cæſaris effigie, ſignatur in aliis eiusdem *Flaminiæ* Gentis nummis.

Ita

Ita enim malo hæc verba interpretari IIIIvir Pri. Fl. *Quatuoruir Primus Flauit*, ut olim monui, quam, iuxta priorem Fuluii explicationem, ut *Primus Flamen*, J. Cæsaris nempe, ille L. Chilo designetur. Præterquam enim quod altum sit de hoc *Flamine* eiusque *primatu* silentium; eum utique M. Antonius Diui Julii Sacerdos & Consul potiori iure sibi vindicat. Neque etiam in illo denario ulla *Julii* occurrit mentio, vel effigies, sed expressa Deæ Monetæ, sicut in aliis nummis visitur, imago, & addita *Quatuoruiri Flandæ Monetæ* dignitas, qualis est a J. Cæsare primum institituta, aucto scilicet *Triumuirorum Monetalium*, sicut reliquorum Magistratuum, numero. Quæ totidem ferme verbis a me [a] olim tradita, nupera adsensione [b] celebris Antiquarii, de *Primo Quatuoruiro Flandæ Monetæ* eas illius nummi voces similiter explicantis, etsi indictus forte ibi sim, firmari lubens video. Quamquam haud ignoti sint *primi* id genus *Flamines*, aut vero Πρῶτοι etiam Ἀρχιερεῖς in antiquis lapidum nummorumue monumentis designati, de quibus alio loco dicetur. *Flandæ* autem *Monetæ* mentionem itidem videas apud Symmachum: *Flandæ Monetæ nequitiam decoquat larga purgatio*, ac unde titulus sit in Codice Theodosiano, *Si quis pecunias conflauerit*; & alibi *Flatuariorum* fiat mentio; quibus nempe esset flandæ monetæ cura. Illud vero cudendæ monetæ officium haud mirum quandoque monetalibus instrumentis, neque *Incude* solum, ut in adducto iam nummo, sed *Malleo* insuper ac *Forcipe*, significari, ut in aliquot denariis Gentis *Carisiæ*. Unde adposite Hieronymus: *Per exesum montem haud paucula habitacula, in quibus scabræ iam Incudes & Mallei, quibus pecuniæ olim signatæ, visebantur.* Immo, de quo aliunde, ut opinor, non constat, *Lentulus* quidam in Gente *Cornelia* dicitur *Curator Denariorum Flandorum*, Lent. Cur. X. Fland.

Fam. Rom. ex edit. Patini p. 111.

a Diss. de Usu &c. Num. p. 553.
b Vaillant Fam. Roman. p. 441. To. I.

Lib. x. Epist. 21.
Lib. IX. C. Th. Tit. XXIII. Leg. VI. C. Th. de Falsa Moneta.

In Vita Pauli Eremitæ.

2. *De aliis* Monetariis *Romæ* Curatoribus.

E quibus autem memoratis nummorum inscriptionibus, quinam ferme Julii & Augusti ætate illo *flandæ monetæ* munere sint functi, adhuc constat. Hinc mortuo aut absente *Triumuiro Monetali*, alium in eius locum suffectum cum titulo *Protriumuiri* e denariis, in quibus C. Marius Proiiivir dicitur, collegit eruditissimus Fuluius. Verum non Pro, sed Tro in iisdem legi, ex eorum adspectu mihi cernere licuit, ac vere etiam adfirmat celebris Antiquarius: ut proinde non C. Marii munus, sed cognomen Trogi, aliis quoque Romanarum Gentibus Familiare, indicent continuo eædem literæ. Sequiori autem æuo munus hoc signandæ pecuniæ penes *Procuratores Monetarum* nouimus exstitisse, qui pendentes e nutu Comitis Sacrarum Largitionum, eiusdem auctoritate pecuniam curabant signari. Liquet id cum aliunde, tum ex Ammiano Marcellino, qui eosdem *Monetæ Præpositos* vocat. Immo recepti in urbe Julii & Augusti ætate moris, ac in nummis eorum temporum, ut paullo ante vidimus, passim obuii,

Vaill. Fam. Rom. p. 111. To. II.

Lib. XXVIII. cap. I.

IIIvir

IIIVIR A. A. A. F. F. ſeu *Triumuir Aere Argento Auro Flando Feriundo*, exſtat adhuc mentio ſub Gordiano Imp. in veteri Inſcriptione apud Sponium e ſchedis Barberinis deprompta. Unde, quod ſingularis ſit, nec alibi, quod equidem ſciam, eâdem vel proximâ ætate occurrat id genus *Triumuiri Monetarii* appellatio, illius lapidis verba iuuabit hic adponere:

VENERI SACRUM
PAULLUS I. L. ÆGIUS PAPER.
IIIVIR A.A.A. F.F. PROCURAT.
PATR. IMP. GORDIAN.
AUGUST.
VOTO SUSCEPTO L. M.

3. *De facultate ſignandæ monetæ Coloniis aliisue.*

In Coloniis vero, Municipiis, ac liberis ciuitatibus relicta eſt ſub imperio Cæſarum per aliquot ſæcula illa facultas ſignandæ monetæ. Id vero non arguunt ſolum tot nummi eiusmodi urbium & coloniarum adhuc ſuperſtites cum Cæſarum, quorum ætate erant percuſſi, in anteriori parte effigie; ſed clarius etiam expreſſa in aliquot ex iis legitur eadem facultas, Cæſarum *Indulgentia* vel *Permiſſu*, iis conceſſa. Hinc in nummo *Coloniæ Patrenſis* ſub Auguſto, quem cum ſelectis aliis vulgauit Cl. Scguinus, INDULGENTIA AUGUSTI MONETA IMPETRATA legitur, & in aliis duobus *Coloniæ Romulenſis* ſub Auguſto ac Tiberio: PERM. DIVI AUG. COL. ROM. ſeu *Permiſſu Diui Auguſti Colonia Romulenſis:* conſueto nempe apud Liuium loquendi genere, *Permiſſu Conſulis*, *Permiſſu Imperatoris*. Quo referri etiam debent duo ſingulares nummi, qui ſub Tiberio a totidem Proconſulibus, populi proinde Magiſtratu, datam itidem certis urbibus cudendæ monetæ facultatem tradunt: unus illinc cum capite Tiberii, & inſcriptione PERMISSU DOLABELLÆ PROCOS. alter, in Gaza Reginæ Chriſtinæ, in quo Druſi, Tiberii filii, caput ſignatur, cum inſcriptione PERMISSU L. APRONI PROCOS. III. Alius itidem huc ſpectat eiusdem Regiæ Gazæ nummus, in quo duæ figuræ cum puero ſculptæ, & inſcriptio, quæ præferre videbatur eruditis antiquariis PERM. IMP. GERM. Neque eſt huic diſſimilis eiusdem Domitiani nummus Mediceus, quem olim indicaueram, *Corinthi* percuſſus, PERM. IMP. COR. Occurrit præterea nummus primæ magnitudinis apud Purpuratorum veſtrorum inſigne ornamentum Camillum Maximi, in quo Aquila cum Signis Legionum cernitur, & inſcriptio PERMISSU CÆSARIS TIBERII. Cui ſuffragatur alius eiusdem Tiberii nummus, quem iam poſſidet Muſeum Gallorum Regium, MUNIC. ITALIC. PERM. DIV. AUG. *Municipium Italicum Permiſſu Diui Auguſti.* Quæ cimelia vulgo parum nota, vel obiter hic indicaſſe haud ingratum Lectori fore arbitror. Neque vero repugnant id genus inſcriptiones eorum ſententiæ (ut exiſtimabat ſingulari virtute & horum ſtudiorum peritia inſignis amicus noſter) qui etiam ſub Cæſaribus penes Senatum æris in urbe ſignandi facultatem manſiſſe tradiderunt. Id enim & aperte docent antiqui Auctores, & clariſſime euincit nota S. C. vulgo æreis nummis, immenſa copia adhuc reſiduis, impreſſa. Verum non eadem exſtitit coloniarum & municipiorum ratio; quæ inter alia priuilegia, quibus a

Select. Numi. p. 114.

Vid. Num. Imper. in Colon. J. Vaillant in Domitiano.

Cæsaribus, vel in populi prouinciis ab eius Magistratibus, ornabantur, illud etiam signandæ monetæ, singulari eorundem, quod adducti nummi prædicant, *indulgentia* vel *permissu* sunt consequutæ; quod publice etiam in grati animi monumentum profiteri ambiebant. Quæ autem, nempe præter Inscriptionem de Triumuiro Monetali sub Gordiano Imp. adlatam, totidem ferme verbis (si nummi PERM. DOLABELLÆ PROCOS. signati mentionem mittam) in superiore huius commentationis editione a nobis enarrata, hic reponere haud alienum duximus: quamquam ab eo tempore, ae peculiari eam in rem opere, diuulgati sint ac enarrati a celebri Antiquario Coloniarum ac Municipiorum Romani Orbis sub Imperatoribus nummi, qui hæc ipsa, quæ primi protuleramus, in maiori adhuc luce, plurium id genus nummorum, quos ibi reperiet Lector, accessione confirmata, collocarint. Mitto, quæ exinde adhuc adnotauit eruditissimus Harduinus de moneta in urbibus Romani imperii sub Cæsaribus percussa, variisque officinis monetariis sequiori æuo, quasque indicant eorundem temporum seu labentis imperii nummi, paullatim inductis; nec enim sunt huius loci vel instituti.

Antioch. pag. 15. &c.

VII. *De* PRÆFECTIS FABRUM *in Nummis.*

Post quos ordinarios Romæ, & e Senatorum quidem numero, Magistratus, liceret hic, sed minoris dignationis, PRÆFECTOS FABRUM adducere; quos Ursino arguere videtur *Malleus* in denariis Gentis *Valeriæ* cum ACISCULI cognomine conspicuus. At non *Malleum* eo denotari, sed instrumentum fabrile, quo saxa cædebantur in latomiis, existimabat datis ea de re ad me literis vir inter eximia eruditæ Batauiæ ornamenta numerandus Nicolaus Heinsius; ac firmat veteri Glossario, in quo *Aciscu-lus*, λατόμος redditur. Ut vero de *Mallei* apud veteres forma lectori liceat seeurius iudicium ferre, en tibi cum eundem *L. Valerii Aciscli* nummum, tum alium *Lemniorum*, cum vero *Malleo* & *Forcipe*, Vulcani, utpote Dei Lemnii, instrumentis.

Supra p. 76.

VIII. *De*

VIII. *De* EXTRAORDINARIIS MAGISTRATIBUS; Urbanis *aut* Prouincialibus, *Populi Romani, qui signantur in Nummis* FAMILIARUM ROMANARUM.

1. *De* DICTATORE.

1. *De* DICTATORIS *dignitate; eaque reperta in nummis I. Cæsaris.*

Post expensos vero & illustratos complures Familiarum Romanarum nummos, postremis liberæ urbis temporibus, aut sub primis Cæsaribus cusos; in quibus Ordinarii populi Romani Magistratus consignantur: nunc de iis earundem Familiarum nummis agendum nobis foret, quibus EXTRAORDINARIA, in urbe vel in prouinciis, IMPERIA designantur. Sed præterquam quod longius, ac præter institutum, hæc commentatio de priscis Familiarum id genus nummis, iam processit, quam fert huius operis ratio, ac eorum, quæ de diffusa latius veteris nummariæ penus utilitate dicenda & explananda adhuc nobis veniunt: occurrit insuper illud opportune, quod, si paucos ex iisdem nummis demas, ii sola ferme ac nuda id genus Extraordinaria Populi Romani Dignitatum nomina contineant. Inter quas equidem referri continuo debet summa illa ac ad sex menses instituta DICTATORIS potestas, quæ a Dionysio [a] αἱρετὴ τυραννὶς, *electiua tyrannis*, ipse vero Dictator [b] *Monarcha*; [c] *Tyrannus* autem ab Appiano, dicitur: quem vero Liuius, [d] *moderatorem & magistrum Consulibus adpositum* vocat. Quo autem *Dictatoris* fastigio, a partæ pulsis Regibus libertatis temporibus, ad J. Cæsaris cædem (post quam illa potestas est continuo solemni lege, & cum exsecratione, abolita) per quingentos ferme annos fuerunt plures nobilissimæ in urbe Familiæ, quantum e Fastis & Historiarum monumentis constat ad viginti circiter numerum, illustratæ: *Æmiliam* puta, quæ plures, quam ulla Gens alia, *Dictatores* dedit, *Cæciliam*, *Corneliam*, *Fabiam*, *Furiam*, *Quinctiliam*, *Papiriam*, *Valeriam* &c. Unde, si unam vel alteram mittas, *Coruncaniam*, &, quæ prima Dictatorem habuit, *Lartiam*, reliquarum omnium occurrunt etiamnum veteres nummi; in quibus tamen, ne Sulla quidem, etsi post intermissam per plures annos eam potestatem, *Dictator* citra constitutum tempus & ad lubitum fuerit, sed unus hactenus *J. Cæsar Dictator* in pluribus, neque unius Gentis seu Familiæ nummis, legitur inscriptus. Adde cum *Iterati*, aut *Ter*, *Quaterue*, vel *Perpetui* etiam *Dictatoris* mentione: nempe [a] CÆSAR DICTATOR, vel [b] CÆSAR DICT. ITER. vel [c] CÆSAR DIC. TER., vel [d] CÆSAR DICT. QUART. aut denique [e] CÆSAR DICT. PERPET.

a Antiq. l. v. p. 336.
b Ibidem.
c Bell. Ciuil. l. 1. p. 412.
d Lib. 11. c. 18.

Dio lib. XLIV. p. 267.

a In Fam. Julia.
b Ibidem.
c Ibidem & in Clouia.
d In Julia, Mettia.
e In Æmilia; Cossutia, Julia.

2. *De* Securibus, Dictatorum *insigni in nummis, & quot iidem habuerint.*

Quamquam nec nudum solum illud DICTATORIS nomen tribuant ei omnes id genus nummi; sed unus etiam vel alter, summæ illius potestatis, ac proprium eidem in urbe, insigne, *Securim* nempe: quod iam opportune ad sequentem nummum occupauit, ne debita laude eum defraudemus, [a] celebris Antiquarius. Signatus vero in eo non *Dictator* solum, sed *Consul J. Cæsar*; nempe in priori nummi area, præter alios eius titulos COS. QUINT., in auersa vero DICT. PER. seu *Dictator Perpetuus*, ac proinde cum *Sella Curuli* & *Corona* desuper, additaque ab utriusque

a Vaillant Fam. Rom. p. 513. To. 1.

Sellæ latere cum *Fascibus Securi*: quorum illa, dicta nempe Sella, *Consularis* fastigii, hæ, seu Secures, *Dictatoriæ Potestatis* clarissima sunt insignia.

Prælatas nempe *Dictatori*, tam in urbe quam extra urbem, *Secures* constat; unde illud Liuii: *Creato* DICTATORE *primum Romæ, postquam præferri* SECURES (Consulibus quippe, a primis partæ libertatis temporibus, quod antea vidimus, in urbe ademptæ) *viderunt*; *magnus plebem metus incessit*. De numero vero *Securium*, quæ creato Dictatori Romæ cum totidem proinde Fascibus continuo præferrentur, res haud videtur adeo liquida, si Liuianæ Epitomes ratio habeatur, quæ id velut a Sulla Dictatore primum inuectum tradit, ut viginti quatuor Fasces, ac totidem proinde Secures, ei anteirent: *Sulla Dictator factus, quod* NEMO UNQUAM FECERAT, *cum Fascibus viginti quatuor processit*. Verum quod redarguit continuo Polybius, qui hoc discrimen inter Dictatorem & Consulem exstitisse obseruat, quod utrumuis Consulem DUODECIM SECURES comitarentur: DICTATOREM vero QUATUOR ET VIGINTI: Τῶν μὲν γὰρ ὑπάτων ἑκατέρῳ ΔΩΔΕΚΑ ΠΕΛΕΚΕΙΣ ἀκολουθοῦσι ΤΟΥΤΩ δὲ (*Dictatori* nempe) ΕΙΚΟΣΙ ΚΑΙ ΤΕΣΣΑΡΕΣ. Quibus consentanea tradit Dionysius, ubi rustico operi intento in agro L. Quinctio Cincinnato, Dictatori in urbe renunciato, præter alia summi illius & Regii imperii insignia, viginti quatuor cum Fascibus Secures adlatas memorat: Καὶ πελέκεις ἅμα τοῖς ῥάβδοις εἰκοσιτέσσαρας παρέτηναν, quæ nempe ei in urbem eunti pro more anteferrentur; seu *cum quibus*, ut de eo Liuius, *antecedentibus lictoribus domum deductus est*. Quibus proinde luculentis grauissimorum Auctorum testimoniis adducta modo ex Liuianâ Epitome aperte conuelli quiuis videt. Quod de Appiano dicendum itidem videtur, qui Sullæ quidem ut Dictatori, sed repetito demum a Regibus Romanorum more, ac prioribus proinde Dictatoribus insueto, viginti quatuor Secures prælatas memorat: ΠΕΛΕΚΕΙΣ γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ οἷα Δικτάτωρος, εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ΟΣΟΙ καὶ ΤΩΝ ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΗΓΟΥΝΤΟ. SECURES *etenim* (cum *Fascibus* nempe) *ei præferebantur tanquam Dictatori viginti & quatuor*, QUOT *olim* REGIBUS ANTEIBANT. Neque hic reticendum, quod Polybii ac Dionysii procul dubio (de quibus tamen nulla apud eum, vel in margine, pro more, mentio) auctoritate motus, eruditus Supplementorum Liuianorum Auctor, ita superiora Liuianæ Epitomes verba sit interpretatus, vel interpolarit potius: quod formidabilis inde & noua species prodeuntis in publicum Sullæ fuerit: quum, " UT SOLITUM DICTATORIBUS, quatuor & viginti Fasces procederent: „ quod nemo præsentium unquam viderat: nempe quod, ut a [a] Plutarcho & [b] Appiano itidem traditur, per annos centum & viginti Dictator nemo ex-

Lib. II. cap. 18.

Epitom. LXXXIX.

Lib. III. pag. 37.

Lib. X. pag. 650.

Lib. III. cap. 26.

Bell. Ciuil. lib. V. p. 412.

a In Sulla pag. 173.

b Bell. Ciuil. lib. I. p. 41.

exstitisset. Neque certe ulla idonea subest ratio, ut non Polybii ac Dionysii potior longe ratio habeatur, id aperte, & quidem prioris de re suo æuo obuia ac recepta, adserentis; quam vel Liuianæ Epitomes concinnatoris, vel Appiani forte post Dictaturam solenni lege apud Romanos, & quidem iam ante sesquiseculum in perpetuum, & cum exsecratione præterea, ut Dio id docet, abolitam. Adde, quod, quum utriuis Consuli duodecim Fasces, & quidem ubi erant urbe iidem egressi, cum Securibus præferrentur, ita iis viginti quatuor Secures anteirent, si ambos exire, uti sæpius factum, contigisset. Dictatorem vero, cuius summum erat supra Consulare imperium, immo quem *moderatorem & Magistrum Consulibus appositum* tradit, ut modo vidimus, Liuius, pluribus quoque imperii insignibus, quod innuit etiam dictis paullo ante verbis Polybius, quam alterutrum Consulem, & æquato saltem cum duobus Consulibus numero stipatum processisse, omnino statuendum est: certe apud Ciceronem, in legibus de Magistratibus Populi Romani, de Dictatore dicitur: *Idem ius, quod duo Consules, teneto.* Et id quidem, ubi ille non solum ex urbe contra hostem proficisceretur; sed, quod a primis velut urbis incunabulis neutri licebat Consulum, in ipsa quoque urbe obtinuit. De Sulla cæteroquin liquet, quod, non continuo ob antelatas eidem viginti quatuor Secures, recepto iam ante Dictatorum more, sed quod acerbe & crudeliter primus sit ea dignitate usus, illamque in tyrannidem verterit, odiosum inde *Dictatoris* nomen, ut de eo Dionysius Halicarnassensis loquitur, esse cœperit.

Lib. XLIV. pag. 267.

Lib. XXIII. cap. 14.

De Legib. lib. III. cap. 3.

2. *De* TRIUMVIRIS REIPUBLICÆ CONSTITUENDÆ; *ac* TRIBUNIS MILITUM CONSULARI POTESTATE.

Extraordinariis quoque in urbe, immo in Orbe Romano, Imperiis adnumeranda continuo venit illa TRIUMVIRORUM REIPUBLICÆ CONSTITUENDÆ potestas; eaque [a] obtentu tollendarum ciuilium dissensionum inducta. Cui vero speciosæ appellationi ansam dedisse videtur creatus ante annos haud ita multos, ac in ciuili itidem bello, Sulla; qui in [b] Fastis Capitolinis, ut obseruo, legitur, SULLA DICTATOR REIPUBL. CONSTITUENDÆ; & ad cuius etiam exemplum *feralis* illa *Sullana proscriptio*, ut eadem a [c] Floro dicitur, est ab iis Triumuiris itidem renouata. *Tricipitinam* vero illam a Varrone dictam vere arguunt tria *Octauii Cæsaris*, *Antonii* ac *Lepidi* iuncta in sequenti denario, aliisque id genus, capita.

a Appian. Bell. Ciuil. l. IV. p. 590.

b Ad an. V. C. DCLXXII.

c Lib. IV. cap. 6.

Quum vero Consulum loco, & ne quis e plebeia gente ad eam dignitatem eueheretur, TRIBUNI MILITUM CONSULARI POTESTATE, per annos circiter LXXV. creati fuissent antiquis urbis temporibus, ad eos celebris Antiquarius nummum a Goltzio in Fastis adductum retulit, in cuius auersa parte duo viri togati armorum spoliis insident, quos Victoria a tergo coronat, cum inscriptione K. FABI. AMBUST. C. VALER. POTIT. COS. *Cæso Fabius Ambustus, Caius Valerius Potitus, Consules:* in priori vero nummi parte est caput *Concordiæ*, cum epigraphe L. VOLUSUS IIIVIR, Monetarius nempe, seu A. A. A. F. F. A quo autem, ad antiquitatem POTITORUM in Gente *Valeria* Familiæ, in quam fuerat L. Volusi huius parens adoptatus, indicandam, signati sint, qui simul Tribuni Militum Consulari potestate cum quatuor aliis fuerint, quorum nomina leguntur in Fastis Capitolinis, ac apud Liuium, quorumque operâ Volsci fuerunt tum debellati.

Lib. IV. cap. 61.

In quo nummo id tamen singulare occurrit, ac unde an ad duos illos *Tribunos* tum *Militum* referri idem debeat, haud iniuria dubitari potest; quod nullâ ibi appellationis illius TRIBUNI MILITUM, quæ erat iis propria, sed una COSS. seu *Consulum* occurrat mentio. Verum quum nuspiam alibi in Fastis, aliisue Romanæ historiæ monumentis, horum duorum, qui Consules simul fuerint, signata legantur nomina; vice Consulum autem, ac inde *Consulari Potestate*, dicerentur iidem *Tribuni Militum*, haud mirum forte, si, aliquot post eos sublatos sæculis, & compendii ergo, pro CONS. POT. ut illi in Fastis inscribuntur, sint illi in eo nummo, cuius est hactenus penes Goltzium fides, COS. insigniti.

3. *De* PROCONSULIBUS, PROPRÆTORIBUS, LEGATIS PROCONSULIBUS, *aut* PROPRÆTORIBUS LEGATIS AUGUSTI.

Ordinariis vero aliisque extra ordinem constitutis populi Romani, sed extra urbem, Magistratibus seu Imperiis adnumerari continuo debent, qui PROCONSULES aut PROPRÆTORES liberæ urbis temporibus dicti, in antiquis Familiarum Romanarum nummis leguntur itidem consignati. Neque vero una eorundem, qui tum hisce nominibus censebantur, ratio exstitit, ut e Liuio aliisque rerum Romanarum monumentis constat. Alia nempe fuit eorum, qui unâ rei gerendæ seu belli administrandi caussâ in prouinciam aliquam aut regionem, eamque interdum in prouinciam populi Romani necdum redactam, cum militari demum imperio erant extra ordinem missi; sicut P. Cornelius Scipio, qui dein primus Africani no-

nomen meruit, in Hiſpaniam; aut Cn. Pompeius ad Sertorianum in eadem Hiſpania bellum: alia vero illorum, qui ad regendam conſtitutam iam Romanorum prouinciam, cum poteſtate iuris in ea dicendi, ac militaris ſimul adminiſtrationis, definito eam in rem tempore, ſortito aut ex Senatusconſulto, mittebantur. Liuius lib. xxvi. cap. 18

1. Proconſules *ac* Proprætores *an magiſtratus fuerint.*

De quibus, an *Magiſtratus* utrique illi *Proconſules* ac *Proprætores* fuerint; an vero poſtremi tantum; an potius neutri ex iis, exſtat haud leuis, quod noſti, ut opinor, inter duos diligentiſſimos publici Romanorum iuris interpretes, Sigonium ac Nic. Gruchium diſputatio. Prior nempe, quum primo in genere *Proconſules* ac *Proprætores Magiſtratus* fuiſſe in [a] prima editione librorum de Antiquo Iure Ciuium Romanorum improuide negauiſſet, cautior dein factus, e concertatione ei cum Gruchio orta, cum id in poſteriori illius operis editione omiſit; tum [b] alibi dein hanc diſtinctionem adhibuit, ut *Proconſules* ac *Proprætores* ad ius in prouincia dicendum, & bellum, ſi res tuliſſet, gerendum, miſſos, *Magiſtratus* fuiſſe concederet, non vero illos, qui ex iis ad bellum tantum erant miſſi. Utrosque vero *Magiſtratibus* adnumerandos cenſebat [c] Gruchius; quod omnes, qui in prouincias irent cum imperio, ut ille quidem contendit, *Magiſtratus* fuerint. Qua in re, ut obiter id tangam, illud omnino tenendum videtur, quod eorum *Proconſulum* vel *Proprætorum*, qui rei gerendæ cauſſa cum militari demum imperio in prouincias mittebantur, *Imperium* verius, quam *Magiſtratum* dixeris. Quod utique de memorato paullo ante Scipione, Proconſule in Hiſpaniam, priuato adhuc & extra ordinem, ut diximus paullo ante, miſſo, indeque negato ei triumpho, aperte ac citra ambages docet Liuius: quod Scipio nempe *ſine magiſtratu rem geſſiſſet.* *Magiſtratus* vero exſtitiſſe nemo utique iure negauerit, non *Prætores* ſolum, in ipſo Prætoræ anno, iisdemque, quibus Conſules reliquiue Prætores, auſpiciis creatos, eosque ad regendas extra Italiam prouincias, Siciliam, ac Sardiniam, aut in Italia Ciſpadanam Galliam; utramque dein Hiſpaniam, Citeriorem ac Ulteriorem, miſſos: ſed *Conſulares* itidem ac *Prætorios*, ut agnouit poſtea ac vere adſeruit Sigonius, qui poſt Magiſtratum in urbe obitum, dicto *Proconſulum* vel *Proprætorum* titulo, eodem iure eademue auctoritate, qua *Prætores* antea, iurisdictionis nempe ac militaris imperii, idque pro nata inter prouincias *Proconſulares* & *Prætorias* diuiſione, ſortito ut plurimum, adminiſtrabant. *Magiſtratus* utique eosdem dici apud Salluſtium, Ciceronem, Liuium, quorum exempla eam in rem iam adduxit eruditiſſimus Gruchius, nunc mitto: & quibus præter alios addi poteſt Veileius: *Qui obtinebat Aſiam Magiſtratus populi Romani.* Quomodo etiam appellari illos videas in veteri Senatusconſulto, quo cautum legitur, ut Q. Lutatius Catulus & M. Aurelius Lepidus Conſules, anno proinde in Faſtis Capitolinis V. C. DCLXXVI, LITERAS AD MAGISTRATUS NOSTROS, QUI ASIAM MACEDONIAM PROVINCIAS OPTINENT *&c.* Quamquam, ut obiter hoc tangam, *Magiſtratus* & *Proconſules* vel *Prætores*, ſeu *Proprætores*, qui prouinciis præeſſent, diſtinguere videatur Ulpianus, dum ait alicubi: MAGISTRATUS *autem*, VEL IS *qui in poteſtate aliqua ſit*, (*ut puta* PROCONSUL, *vel* PRÆTOR, *vel alii*, *qui prouincias regunt*) *&c.* Idem vero alibi: *Is qui prouinciæ præeſt*, OMNIUM ROMÆ MAGISTRA-

a Cap. xxi. & Nic. Gruch. Reſp. ad binas Sigon. Repreh. Antiq. Rom. Græu. To. i. p. 721.
b Poſter. eum N. Gruch. Diſp. p. 747. ibidem.
c Refut. Poſter. Diſp. Sigon. c. xxxii. p. 798, 799. ibidem.

Ut ſupra.

Refut. Poſter. Def. Sigon. p. 765. ut ſupra.

Lib. iv. cap. 42.

Theſ. Grut. DIII.

Leg. xiii. D. de Jurisd.

Leg. xii. D. de Offic. Proconſ.

STRATUUM *vice & officio fungitur*. Quod nempe, qui prouinciis, quocunque *Proconsulis*, vel *Prætoris*, ut ibi Ulpianus, seu *Proprætoris*, *Præsidis*, vel *Præfecti*, ut tum Ægypti, titulo præerant, Consulum, Prætorum, Ædilium, Præfectorum Urbis, aliorumque maiorum minorumue in ea Magistratuum potestatem ac imperium in iisdem prouinciis obtinerent; unde illi etiam *Proconsulum*, aut *Proprætorum* appellationem sunt nacti. Verum haud minus inde fuerunt iidem *Populi Romani Magistratus*; uti eos quoque a priscis optimisque Auctoribus, ac in Senatusconsultis dici paullo ante vidimus; non vero *Promagistratus* tantum, uti cæteroquin [a] a doctissimo Valesio de *Proconsulibus* dici in genere obseruo.

a Vid. in Notis ad Liuium l. xxviii. cap. 38. ex ed. J. Fr. Gron. Amst. 1678.

2. *Utriusque generis* Proconsules & Proprætores *in nummis.*

Utriusque autem, quod paullo ante diximus, generis PROCONSULES ac PROPRÆTORES, qui nempe extra ordinem cum militari solum imperio erant missi; aut qui cum iurisdictione insuper prouinciæ præessent, in Familiarum Romanarum nummis consignari diximus. Sic, ut mittam *Pompeium* bello piratico cum proconsulari quidem imperio, sed præterea cum immensa potestate, nec toto solum mari, sed ad quinquagesimum a mari milliarium præfectum, cuiusque exstant eam in rem denarii inscripti MAGNUS PROCOS., occurrit in aliis *Fonteius Capito*, classis sub M. Antonio Præfectus, ab eo autem cum militari imperio, quo Cleopatram ad eum in Syriam adduceret, quod vidit iam celebris Antiquarius, missus. Quam in rem inter eiusdem M. Antonii denarios, ut alibi vidimus, unus occurrit cum *Naui Prætoria*, & inscriptione C. FONTEIUS CAPITO PROPR.; in priore vero nummi area expressa sunt iugata *M. Antonii* & *Cleopatræ* capita, ac prioris nomen, quique in aliis eius nummis similiter leguntur tituli *Imperatoris*, *Consulis Designati Iterum Et Tertio*; ut alibi, *Triumuiri Reip. Constituendæ*. Mitto alterius *Capitonis*, & ex alia Romanorum Gente, *Oppia* nempe, signatos cum Naui itidem denarios, adscriptosque ambos *Proprætoris* & *Præfecti Classis* sub eodem M. Antonio titulos. Cui addi insuper hic potest, *L. Æmilius Regillus*, qui post Præturam peregrinam, quæ ei in urbe obtigerat, obitam, Classis imperium contra Regem Antiochum sub *Proprætoris* titulo nactus, & nauali prœlio victor, triumphasse in Fastis Capitolinis, ac in sequenti quoque denario, quem protulerat Goltzius, legitur, L. ÆMILI M. F. PR. P. *L. Æmilius Marci Filius Pro Prætore*; in altera vero nummi parte cum eius cognomine REGILLUS.

Velleius Paterc. l. II. cap. 31.

Vaillant Fam. Rom. p. 102. To. I.

Proconsulis vero vel *Proprætoris* titulum Prouinciarum Præsidibus in antiquis illis Romanarum Familiarum nummis tributum abunde euincunt ii, in quibus, ut obseruo, additur simul EX SC. seu *Ex Senatusconsulto*; aut vero ipsum Prouinciæ, cui præerat, nomen, ut *Achaiæ*, *Asiæ*, *Galliæ*, *Hispaniæ* &c. Quum enim, quod monuerunt iam dicti paullo ante duo viri

viri prælari, Sigonius & Gruchius, ea eſſet legitima ac ordinaria cernendi prouincias ratio, ut in eas, quas Senatus cenſuiſſet, *Proconſules*, ac *Proprætores*, absque populi comitiis, vulgo e Conſularibus viris ac Prætoriis ſortito *Ex Senatusconſulto*, ut ſæpe ea de re Liuius, mitterentur; hinc in variis illarum Familiarum nummis, utrique illi *Proconſulis* ac *Proprætoris* titulo EX SC. additum ſubinde videas: ac unde id manifeſte eluceſcit. Ita, ad PROCONSULES quod adtinet, occurrit in Gente *Annia* apud Fuluium C. ANNI C. F. C. N. PROCOS. EX S. C. apud Goltzium vero in *Appuleia* SEX APPULEI PR. COS. EX S. C. in *Cæcilia* Q. METELLUS NUMIDICU. PR. COS. EX S. C. ſimiliter in *Junia*, *Manlia*, *Scribonia*, prout e ſequentibus eorum iconibus liquebit, ac ſimili PROPRÆTORIS exemplo in Gente *Anicia*, nempe GALLUS PROPR. EX S. C.

Sicuti nempe ordinaria id genus imperia ex Senatus auctoritate; ita extrà ordinem populi iuſſu dari eadem conſueuerant. Unde Liuius, dum hæc alicubi luculenter adſtruit, continuo etiam illuſtratur: ubi nempe de L. Marcio Equite Romano memorat, cum, cæſo in Hiſpania, ſub quo militauerat, Cn. Scipione, & haud contemnendo e collectis in fuga militibus facto exercitu, ducem illius militaribus comitiis conſtitutum; reportata dein inſigni de hoſtibus victoria, titulo honoris, quem ſuis ad Senatum literis præfixerat, magnam partem hominum offendiſſe; *quod* nempe *imperio*, *non populi iuſſu*, *non ex auctoritate Patrum dato*, PROPRÆTOR SENATUI *ſcripſerat*. Lib. xxv. c. 37. Ibid. cap. 39. Idem lib. xxvi. cap. 2.

3 Prouinciarum, *ſeu* Urbium *nomina*, *quibus illi præerant*, *in nummis adſcripta*.

Ipſas vero prouincias, quarum pro memorata iam ante, ac nota in *Proconſulares* ac *Prætorias* diuiſione, *Proconſules* dicebantur vel *Proprætores*, expreſſas quandoque, ut paullo ante innui, in aliis id genus Familiarum nummis cernimus: uti in *Calpurniæ* nummo Regiæ Gallorum Gazæ L. BIBULUS M. F. PROC. SIC. *Proconſul* nempe *Siciliæ*, quæ alioquin inter *Prætorias* prouincias vulgo adnumerabatur. Sed præterquam quod mutata ſubinde ſit id genus prouinciarum ſors, ut illæ e *Prætoriis Proconſularibus*, ac viciſſim, ſubinde fierent; illud præterea conſtat, & qua de re alibi, Proconſulares a Romanis poſt factam ab Auguſto prouinciarum diuiſionem dictos, qui Prætoriis populi prouinciis præerant. Unde etiam *Proconſulum Siciliæ* obuia eſt ſubinde in Cæſarianorum temporum marmoribus apud Gruterum mentio. Immo non prouinciæ quidem, ſed urbis alicuius in ea primariæ additum ſubinde in nummis, qui in eâdem erant cuſi, nomen; unde cuius prouinciæ foret ille Proconſul continuo intelligitur. Quomodo in Gente *Claudia Appius* PULCHER (notum illius Familiæ cognomen) IMP. PRO. COS. AAO. ſeu *Laodiceæ* dicitur, quæ etſi maioris Phrygiæ, ac inde poſtea Aſiæ Proconſularis, quod aliunde conſtat, urbs foret; illa tamen, ut ex Epiſtolis non ſolum Ciceronis, Thes. Grut. p. cccxxi, 3. cccxxxvi, 7. &c.

eius in ea Ciliciæ prouincia successoris, sed ex ipsius nummo in eadem urbe & cum iisdem literis AAO. percusso liquet, inter Diœceses Ciliciæ Rectori tum adtributas censebatur. Alios, & Græcos quidem, id genus nummos, sed post factam ab Augusto prouinciarum Orbis Romani diuisionem, sub eo, aut sequentibus aliquot Cæsaribus, percussos suppeditabit nouissima Familiarum Romanarum collectio; in quibus vel una ex Asiæ Proconsularis Metropolibus *Smyrna*, ut in Gente *Suillia*; vel Bithyniæ *Nicomedia*, in *Tarquitia*, *Thoria*, *Vitellia*, cum additis earundem prouinciarum *Proconsulibus* consignantur. Cuiusmodi plures alii occurrunt nummi; sed de quibus opportunius agetur, ubi a liberæ urbis temporibus ad Historiæ Augustæ annales vel antiquitates e nummis illustrandas deduxerit nos huius commentationis institutum. Ubi etiam de ipso Augustorum, qui & in aliquot nummis iis quoque tribuitur, *Proconsulatu* dicendi erit locus. Sicut vero sub Republica PROCONSULES, ita PROPRÆTORES huius vel illius prouinciæ exhibent quoque prisci Gentium Romanarum denarii. Sic in schedis eximii desideratissimique Andreæ Morellii visus olim a me nummus inscriptus M. CLODIUS MACER PROPR. AFRICÆ, quæ alioquin Proconsularis erat prouincia. Accedit in Gentis *Antoniæ* nouissimæ collectionis nummo descriptus M. BARBAT. PRO. PR. A. seu *M. Barbatus Proprætor Prouinciæ Achaiæ*, iuxta celebrem Antiquarium. Verum quum ea de re prisci Auctores, aliaue monumenta sileant, unusque illius *Barbati*, velut M. Antonii Quæstoris, & quem is offensum reliquerit, Appianus meminerit; incertum an ille *Achaiæ*, vel *Asiæ Proprætor* in eodem nummo designetur.

Vaill. Fam. Rom. p. 101. To. I.

Bell. Ciuil. l. v. p. 688.

4. Legati Proconsule, *aut* Proprætore, *vel* Augusti *in nummis.*

Verum non *Proconsules* solum, aut *Proprætores* huius vel illius Romani Orbis prouinciæ leguntur in priscis Familiarum Romanarum nummis consignati, sed LEGATI etiam, cum addito interdum prouinciæ nomine; aut LEGATI PROCONSULE vel PROPRÆTORE; ac, post prouinciarum diuisionem ab Augusto institutam, LEGATI AUGUSTI. Priorum equidem liberæ adhuc urbis temporibus, ac ante fundatam Cæsarum dominationem, exempla subministrant varii Familiarum id genus denarii, & cum solo quidem LEGATI titulo, sicut in *Cæcilia* M. EPPIUS LEG. in *Seruilia* M. SERVILIUS LEG. in *Pedania* COSTA LEG. prior nempe ex iis *Q. Metelli Scipionis*, Pompeii soceri; alter *Cassii*, & postremus *Bruti*, utriusque, J. Cæsaris percussoris (quorum nempe nomina leguntur in altera eorundem nummorum area) iique in Africa, Syria, aut alibi, *Legati*. Quibus accedit, sed constituto iam Cæsarum imperio, ac post diuisas ab Augusto Romani orbis prouincias, in Gente *Carisia* inscriptus P. CARISIUS LEG. *Augusti* nempe, ut ex alio eiusdem denario constat, ac e Dione præterea, uti mox dicetur. Additum vero inter complures Gentis *Antoniæ* denarios, ac præterea in *Canidia*, ipsum prouinciæ, cui sub eodem *Legati* titulo præerat *P. Canidius*, nomen: nempe hinc cum M. Antonii capite, adscriptisque, quibus tum is fungebatur, dignitatibus; illinc P. CANIDIUS CRASSUS LEG. A. P. seu, ut vidit iam [a] celebris Antiquarius, *Legatus Armeniæ Prouinciæ*. Unde primo huius *Canidii*, cuius haud obscura est apud [b] Velleium, [c] Plutarchum, [d] Appianum, ac [e] Dionem mentio, cognomen CRASSUS, de quo iidem silent, continuo eruitur. Alterum quoque, quòd nempe M. Antonii

a Vaillant Fam. Roman. p. 105. To. I.
b Lib. II. c. 86, 87.
c In M. Antonio p. 496. &c.
d In Parth. p. 157.
e Lib. XLIX. p. 426.

tonii auſpiciis, ut de hoc *Canidio* tradunt iidem Auctores, & apud quem, teſte Appiano, is plurimum potuit, non ſolum Albanorum, Iberorum, ae Armenorum Reges uſque ad Caucaſum progreſſus, deuicerit; ſed, & quod docet demum hic denarius, qui *Armeniæ Legatus* ab eodem Antonio fuerit inde conſtitutus. E quibus autem, qui de hisce fidem faciant, duos hic proferam denarios: unum, dicti M. Eppii; alterum huius P. Canidii. Ut ſupra p. 163.

Coniunctam vero *Legati Proprætore* appellationem, non ſub Auguſto demum, ae poſt conſtitutos ab eo ſub diuerſis titulis prouincíarum Rectores, ut Dio videtur innuere, ſed iam ante fuiſſe receptam, præter veterum lapidum auctoritatem, adſtruunt quoque, ut obſeruo, veteres id genus denarii: ſicut in *Poblicia*, ae in *Pompeia*, inſcriptus hinc in anteriori parte Cn. Magnus Imp. illine, M. Publici Leg. Propr. Magni nempe Pompeii in Hiſpania *Legatus Proprætore*. Sic in Gentibus *Cæcilia*, ae *Licinia*, Pompei, dicti paullo ante, Soæri, *Q. Metelli Scipionis*, in priori nummi area memorati, *Legatus Proprætore* dictus in Africa P. Crassus Iun. Leg. Pro Pr. Quod abunde itidem adſtruent duæ ſequentes eorundem nummorum, ut Lectori eas alibi quærendi faſtidium minuatur, icones. Πρεσβευτὰς τε αὐτοῦ ἀντιστατήνης ὀνομάζεσθαι. lib. LIII. p. 504.

Quales vero dein ſub Cæſaribus, & ex Auguſti, quod vel e Dione notum eſt, inſtituto, fuere non ſolum *Legati Proprætore*, ſed etiam Legati Augusti, quaſi vicem Cæſaris in prouincíis, quas is ſibi attribuerat, obeuntes: ut prior appellatio curam militaris prouincíæ; altera, demandatam a Cæſare, non a Senatu vel a Populo, ſicut in iis, quas idem Auguſtus iis reliquerat, prouincíis, iurisdictionem argueret. Hinc idem, de quo paullo ante, P. Carisius, qui Leg. *Legatus*, ut vidimus, aut Leg. Propr. *Legatus Proprætore* in aliquot eius denariis inſcribitur; in alio eius nummo P. Carisius Leg. Aug. dicitur, in Hiſpania nempe *Luſitanica*, ae prout in alio eius denario inſcripta Emerita, de qua magnifice poſteriori ævo Auſonius:

Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces; Clar. Urb. Epigr. IX.

quæ autem *Luſitania* ae *Tarraconenſis* a Legato Auguſti, *Bætica* vero

a Lib. XVII. b Lib. LIII. a Populi Magistratu, ut ex [a] Strabone ac [b] Dione liquet, regebantur. Cuius cæteroquin *P. Carisii* apud Cantabros Asturasque in Hispania factum ac crudelitatem, quæ eorum defectionis causa exstiterit, notat Dio. Unde minus opportune ad dictos huius *Carisii* nummos adfertur ab Ursino Antonii Augustini, viri accurati in his literis iudicii, generalis de *Proconsulibus* & *Proprætoribus* explicatio, iuxta quam ille *Legatum pro Prætore* dici demum statuit, qui Legatus in prouinciam primum cum Prætore missus, decedente aut mortuo Prætore, eam dein illius loco administrabat. Quod, sicut liberæ urbis temporibus contigisse ultro agnoscimus, ita Augusti, ac sequenti dein Cæsarum ætate, post institutam ab eo prouinciarum diuisionem, atque ita post cusos, ut vidimus, hosce P. Carisii denarios, dictos deinceps *Legatos Proprætore*, non *Prætorum* in prouinciis *Legatos*, quique iis discedentibus, eorum dein vicem implerent; sed supremos earum Rectores, ad administrandas Cæsaris prouincias missos, ad discrimen *Proconsulum*, qui Populi prouinciis præficiebantur; non e Dione solum, sed e tot residuis adhuc veterum lapidum monumentis, ac proinde vel uno verbo moneri hic ab eruditissimo Fuluio debuerat, obuium erat & contritum. Unde coniuncta etiam vulgo, ut itidem notum, utraque dicta modo, & quæ in nummis huius *P. Carisii* legitur, appellatio: ut nempe iidem *Legati Augusti Proprætores*, quod monuerat etiam Dio, dicerentur. Quod liquet utique haud e priscis solum lapidibus, sed ex aliquot etiam Græcis Cæsarum, iisque percussis, ubi tum agebant id genus *Proprætores*, nummis; in quibus ΠΡΕΣΒΕΥΣ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Legatus Et Proprætor Augusti* legitur. Quibus illud obiter addendum est, quod, etsi illo *Proprætorum* aut *Legatorum Proprætorum* titulo promiscue dicerentur, qui, ut id aperte docet Dio, Consulatu vel Prætura functi, prouinciarum Cæsaris Rectores constituebantur (relicto vicissim Populi prouinciarum Magistratibus *Proconsulum*, uti ea de re paullo ante, etsi ii Prætores tantum fuissent, nomine) subinde tamen priores appellati sint in antiquis marmoribus *Legati Prætorii*, ad discrimen nempe *Consularium* ex eo Legatorum numero; ac prout a Plinio dici alicubi videas: *Manilium Cornutum* E PRÆTORIIS LEGATUM *Aquitaniæ prouinciæ*, quæ Cæsaris nempe prouinciis, ut e Strabone ac Dione, & præterea ex Inscriptionibus antiquis liquet, accesserat. Ita in Inscriptione sub Imp. Vespasiano: CN. DOMITIO &c. PRÆTORIO LEGATO PROVINCIÆ AFR.; in alia: Q. CORNELIO SENECIONI PROCULO LEGATO PRÆTORIO PROVINCIÆ ASIÆ, &c.

Lib. LIV p. 523. Fam. Rom. ex edit. Patini p. 64, 65. Lib. LIII. p. 504, 505. Ibidem. Ut supra p. 504. Lib. XXVI. cap. 1. Thes. Grut. CCCCXXII. Ibid CCCCIII, 1. Ibidem CCCXCVIII, 2.

4. *De* IMPERATORIS *titulo in Nummis Familiarum Romanarum.*

I. *De* IMPERATORIS *titulo Reipubl. temporibus, & quando primum datus.*

Facta vero in adductis aliquot ante Familiarum Romanarum nummis IMP. vel IMPER. mentio, in quibusdam etiam cum integro, IMPERATOR scilicet, nomine. Petitum id e veteri more Reip. & acclamationibus militum, quodque huius appellationis usum continuo ante oculos ponit; diu nempe antequam idem supremi in Romano orbe fastigii titulus euaderet. Apud Græcos equidem dicti olim ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ, vel ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ

AY-

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ, qui ſummo cum imperio cuipiam bello, aut militaribus copiis, præeſſent; & quomodo etiam ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, *Rex Imperator* dictus in antiquis, quos alibi iam protulimus ac illuſtrauimus, nummis, Rex Syriæ Tryphon, ac Armeniæ Tigranes; haud aliter ac Antiochum Magnum in Ætolorum concilio, ut de eo Liuius, IMPERATOREMQUE REGEM *appellandum cenſuerunt.* Apud Romanos quoque Auctores, Ciceronem, Liuium, Valerium, Velleium, Plinium, aliosque, *Imperator* de ſummo exercituum Duce dictus ſæpenumero legitur. Verùm non iſta ſolum Ciceronis ætate, ſed iam antè in dictis Familiarum Romanarum nummis alia inſuper huius appellationis ratio obtinuit, ut nempe eo nomine cenſeretur, qui, ob rem bello feliciter geſtam, IMPERATOR ab exercitu ſalutabatur. Cuius utique rei, ſesquiſeculo ferme ante Ciceronis Conſulatum, & quo an antiquius in hiſtoria Romana reperiatur, haud mihi equidem conſtat, exemplum ſuppeditat Scipio, Africanus dein ſuperior; qui, oblato ab Hiſpanis, poſt debellatum Asdrubalem, *Regis* titulo: *Sibi*, auctore Liuio, *maximum nomen* IMPERATORIS *eſſe dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent:* ſeu, ut eadem de re Polybius, vetuiſſe quidem Scipionem, ne a quoquam *Rex* appellaretur; ſed, quod addit, *ut* IMPERATOREM *ſe nominarent, præcepit:* Παρήγγειλε ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ αὐτὸν προσφωνεῖν, ubi vero poſt Στρατηγὸν, vocem Αυτοκράτορα, librariorum culpâ, excidiſſe liceat mihi coniectare. Priorem enim illum Στρατηγοῦ titulum ſecum iam ex urbe in Hiſpaniam intulerat Scipio, in eam populi iuſſu ſummo cum imperio poſt patris ac patrui cædem miſſus, uti de eo Appianus: Καὶ ἡγεῖτο ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ἐς Ἰβηρίαν, *& ſummus belli Dux in Hiſpaniam deligitur*; ac proinde non ante prœlium ſolum, quo Pœnos deuicerat, ſed ante bellum etiam cum iis inchoatum. Accedit, quòd Στρατηγοῦ conſueta eſſet appellatio, non *Prætorum* ſolum Urbanorum, aut eorum, qui *Prætores* etiamnum vel *Prætura* functi ad regendas prouincias, aut ad militares expeditiones obeundas, a Romanis mittebantur, ſed in genere eorum omnium, ut apud eundem Polybium paſſim legitur, quibus ſumma belli alicuius gerendi committebatur: ut proinde neutiquam opus foret militum acclamationibus, quibus ob rem bene geſtam eo demum ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ nomine iidem appellarentur. Unde etiam non Στρατηγοῦ, ſed uno Αὐτοκράτορος nomine id tum a militibus factum tradunt, qui de Romana illa conſuetudine agunt, Græci Scriptores, & variis quidem locis, [a] Appianus, [b] Dio, aliique. Quomodo iidem ſummi belli Duces a Romanis, ſub ſolis ac e Republica petitis *Proconſulum*, *Prætorum*, aut *Proprætorum* titulis, ad obeunda id genus imperia miſſi, *Imperatoris* appellationem, re demum feliciter geſta, ac proinde non tanquam demandati ſibi muneris inſigne, ſed ut honoris ſibi ab exercitu delati præmium conſequebantur.

Tom. 1. p. 443. 445. Lib. xxxv. cap. 45.

Lib. xxvii. cap. 19. Lib. x. cap. 37.

Bell. Hiſpan. p. 264.

[a] Bell. Parth. p. 136. Bell. Ciuil. l. ii. p. 455. [b] Lib. xxxvii. c. 48. l. xliv. p. 235. l. lii. p. 494.

2. *De triplici* Imperatoris *apud Romanos ſignificatione.*

Triplicem equidem vocis ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ apud Græcos, ac IMPERATORIS ſimiliter apud Romanos, ſignificationem tangit [a] Dio: de eo nempe, qui ob victoriam aliquam ita a Romanis legionibus appellari conſueuerat: tum, qui ſummus belli Dux erat conſtitutus, aut plenam alicuius rei adminiſtrandæ poteſtatem erat nactus. Prout equidem apud Græcos non dicti ſolum Αυτοκράτορες, & ſubinde cum adiunctis vocibus Πολέμου, vel Πολεμικοὶ, *belli* aut *bellici Imperatores*; ſed etiam περὶ εἰρήνης, vel

[a] Lib. xliv. p. 235.

vel Πρέσβεις aut Πρεσβευταὶ Αὐτοκράτορες, *de pace*, uti vulgo hodie, & quod iam alibi vidimus, *Legati Plenipotentiarii* dicebantur. Postremo appellati, ut ibidem Dio, proprio illo Αὐτοκράτορος, ac apud Romanos *Imperatoris*, nomine, qui summam rerum omnium potestatem in Romano orbe obtinebant Cæsares. Locum Dionis iam hic adscripseram, minus accurate ab interprete versum; quum eum a magno Casaubono ad Suetonium iam prælibatum obseruare mihi postea licuit. Priorem vero illam, ac Romanis itidem propriam, Αὐτοκράτορος, seu *Imperatoris*, significationem, quæ Augusto sæpius fuerit concessa, tangit alibi idem Dio; sed cuius locus, in quo explicando minus feliciter versatus est ibidem ὁ πάνυ, leui emendatione indiget: Ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε ΕΝ ΚΑΙ ΕΙΚΟΣΙΝ ὄνομα ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ σχεῖν, *hanc etiam* (Imperatoris *appellationem*) *sæpius & antea, & postmodo ex ipsis rebus a se gestis reportauit; adeo ut* SEMEL ET VICIES IMPERATOR *sit appellatus.* Ita enim emendari omnino debent & explicari illa verba, ὥστε ἓν καὶ εἴκοσιν, *ut* XXI. *Imperatoris nomen* dicatur ibi retulisse; non vero ἐν εἴκοσιν *vicies*, ut male ibi legit ac vertit Dionis interpres; peius autem vir doctus, qui de *imaginibus* scilicet Imperatoris verba illa in margine ac in adnotatis ad Dionem sumenda contendit: ut minus accurate laudatus modo ὁ πάνυ legendum ibi erediderit, ἐν εἴκοσιν, ut subaudiatur vox ἔργοις paullo ante adscripta; *in viginti*, nempe *gestis* aut *victoriis*, quas reportarit Augustus. Perspicue eum Dione de eodem Augusto Taeitus, immo cuius in adductis verbis interpres hic Dio: *Nomen* IMPERATORIS SEMEL ATQUE VICIES *partum*; & iuxta utrumque grauissimum Auctorem, lueulenti testes eiusdem Augusti nummi, in quibus IMP. XXI. legitur. Nempe totiens hunc titulum is, vel per se, vel per legatos, qui eius auspiciis victoriam aliquam retulerant, nactus: sed de repetitis dein ab aliis quoque Cæsaribus eo sensu *Imperatoris* titulis, euiusque rei haud alii ferme indiees, quam, præter aliquot subinde lapides, veteres nummi, alibi, Deo dante, agetur. De iis enim Romanorum Ducibus hic nobis sermo, qui ante eonstitutam Cæsarum dominationem, idem hoc partum IMPERATORIS deeus in residuis adhue eorum nummis ostentant: quodque quibusdam adhue priuatis sub Augusto, ac Junio Blæso postremum a Tiberio, coneessum tradit Taeitus: *Tiberius id quoque Blæso tribuit, ut* IMPERATOR *a legionibus salutaretur; prisco erga duces honore, qui bene gesta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul* IMPERATORES, *nec super cæterorum æqualitatem. Conceſſit quibusdam & Augustus* ID VOCABULUM; *ac tunc Tiberius Blæso postremum.* Quod tamen sub Hadriano adhue obtinuisse, ex Appiano, qui illius Imperatoris temporibus vixit, obseruat, dicto paullo ante ad Suetonium loco, magnus Casaubonus.

Com. ad J. Cæsar. cap. LXXIV.

Lib. III. pag. 494.

Annal. I. cap. 9.

Vid. Goltz. in Augusto, & Biragi Num. Imper. p. 42.

Annal. III. cap. 74.

Bell. Ciuil. Lit. p. 455.

3. *De* Imperatoris *nomine obuio in varus Gentium Romanarum nummis.*

Ad consulares vero, uti vulgo illi audiunt, seu Familiarum Romanarum nummos, quod adtinet, additum variis Romanorum Dueibus illum IMPERATORIS titulum iidem ostentant; & quidem non Triumuiris solum ANTONIO, CÆSARI, LEPIDO, aut eorum ætate, BRUTO, CASSIO, DOMITIO AHENOBARBO, PLANCO, SCARPO: sed repetitum etiam eundem, ut *Antonio*, M. ANTON. IMP. ITER. *Lepido* similiter, & *Planco*, IMP. ITER; ac iam ante in J. Cæsare, CÆSAR IMP.

IMP. QUARTUM. Qua Julii ætate, sed libera adhuc urbe, eodem titulo paullo ante decorati leguntur in sequentibus eorum nummis C. MEMMIUS IMPERATOR, & C. VAL. FLACC. IMPERAT. EX SC.

Neque vero frustra in postremo nummo additum *ex Senatusconsulto*; quum non militari solum acclamatione, sed a Senatu etiam subinde dictos sua ætate id genus *Imperatores* doceat Cicero, qui Oratione in Senatu habita post prœlium ad Mutinam commissum, *Imperatores* appellandos censet, a quibus debellatus ibi fuerat Antonius, nempe utrumque Consulem Hirtium ac Pansam, & Octauium Cæsarem; additque: *At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum, hac consuetudine, quæ increbuit*, IMPERATOREM APPELLARET SENATUS? Unde præterea discimus, minoris tum constitisse illud IMPERATORIS nomen, quam antea C. Antonio, post debellatum Catilinam, ac tria circiter millia hostium, qui fortiter dimicauerant, cæsa, quem tum IMPERATOREM, quamquam cæsorum numerus constituto minor esset, a militibus nempe, appellatum memorat [a] Dio: [b] Appianus vero tradit, sua ætate haud concedi militari acclamatione eundem titulum, nisi cæsis hostium decem millibus. Neque vero a militibus solum in ipsa acie, aut a Senatu, sed a populo quoque Romano datus subinde idem IMPERATORIS titulus; quomodo L. Antonius Romam reuersus, & aduocato in concionem populo, facta ei spe abolendi Triumuiratus, *inde ab eo Imperator est consalutatus*; Αυτοκράτωρ ὑπὸ τοῦ δήμου ἀναγορευθεὶς, ut docet alibi idem Appianus. Quod vero eâdem, post J. Cæsaris cædem, ac sequutâ mox Triumuirorum ætate, plures in eorum nummis, iique paullo ante memorati, dicti legantur IMPERATORES; inde Tacito, qui & eosdem nummos illustrat, lux accedit, dicenti, ut supra iam vidimus, de prisco illo erga duces honore: *Erantque* PLURES *simul* IMPERATORES, *nec super cæterorum æqualitatem.*

Philipp. xiv. cap. 5.

Ibidem.

a Lib. xxxvii. p. 48.
b Bell. Ciuil. l. ii. p. 455.

Ibid. p. 688.

Annal. l. iii. cap. 74.

5. *De* PRÆFECTIS CLASSIS *&* ORÆ MARITIMÆ *in nummis.*

Inter prouincias populi Romani Prætoribus aut viris Prætoriis ex Senatusconsulto demandari solitas, CLASSEM quoque, seu CLASSIS PRÆFECTURAM relatam subinde apud Liuium legimus: *Designatis Prætoribus, præter duas urbanas, quatuor prouinciæ sunt decretæ; Hispania, & Sardinia, & Sicilia, &* CLASSIS; ac alibi. Ut proinde haud mirari liceat, quod illius Dignitatis sub Republica expressa etiam occurrat, qua se Quirites quoque vestri venditarent, in priscis eorum nummis memoria.

Quæ ratio illius Classis Præfecturæ *apud Romanos fuerit.*

Lib. xliii. cap. 11.

moria. Quamquam plerique in iis, qui adhuc reſidui Familiarum Romanarum nummi, ſignant, qui M. Antonii ætate, eiusque iuſſu & auſpiciis, quod itidem e Liuii Epitome, Plutarcho, Appiano, ac Dione licet colligere, eo tum PRÆFECTI CLASSIS munere fungerentur; uti L. ATRATINUS, L. BIBULUS, tum M. OPPIUS CAPITO, qui PRÆF. CLASSIS cum ſignata in iis Naui Prætoria, in priori vero nummi area, cum M. ANTONII aut cum iunctis Antonii & Cleopatræ capitibus inſcribuntur. Plures nempe, ſicut hodie etiamnum in maritimis imperiis obtinet, ſimul apud Romanos *Claſſis Præfecti*, ut ingens erat nauium, e quibus eadem conſtabat, numerus; quibus autem unus, qui iis omnibus præeſſet, præponebatur. Quomodo in Pompeiana claſſe, quæ ut mare Cæſarem transire prohiberet, omni ora maritima, ut de ea re ipſe Cæſar, erat diſpoſita: *Præerat*, ut addit, *Ægyptiis nauibus Pompeius filius; Aſiaticis D. Lælius & C. Triarius; Syriacis C. Caſſius; Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio; Liburnicæ atque Achaicæ Claſſi Scribonius Libo & M. Octauius. Toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpoſitus cuncta adminiſtrabat.* Quod de eodem Bibulo, qui præfectus illis præeſſet, tradit itidem Appianus; maris vero cuſtodiam ei a Pompeio creditam, Dio Caſſius. Quamquam ipſum Antonium, etſi tot prouinciarum populi Romani imperio tum potitum, eo quoque PRÆF. CLAS. titulo ornatum exhibent duo adducti in Fuluiana collectione ab eximio Patino nummi. Antiquiorem vero hisce temporibus *L. Æmilii Regilli*, qui Claſſe Regis Antiochi Præfectum deuicerat, naualem inde, qui ei decretus fuit, triumphum in vetere nummo expreſſum iam ante vidimus. Maris autem imperium ab utroque Pompeio, Patre & Filio, adminiſtratum, ſub diuerſis tamen titulis, docent obuii Gentis illius denarii, in quibus parens Pompeius MAGN. PRO. COS. cum prora nauis; Sextus autem filius PRÆF. CLASS. ET ORÆ MARIT. EX S. C. deſignantur. Quales autem utriusque Pompeii patris ac filii denarios, & cum patris quidem in poſteriori nummo effigie, etſi SEXTI filii titulos idem habeat adſcriptos, ut monuerunt iam præſtantes Antiquarii, depictos hic vides.

Bell. Ciuil. l. III. cap. 5.

Ibid. l. II. p. 457.

Lib. XLI. p. 174.

Haud aliter ac in priſcis inſcriptionibus non ſolum obuii ſubinde, qui [a] PRÆFECTI CLASSIS in genere, aut [b] PRÆFECTI CLASSIS MISENENSIUM, vel [c] RAVENNATUM, ad ſuperum nempe inferumque Italiæ mare dicuntur; ſed etiam PRÆFECTUS ORÆ MARITIMÆ ſimiliter dicitur, & quidem cuius uxoris gentile nomen erat POMPEIA:

a Theſ. Grut. CCCLXXXIII, 8.
b Ibidem CCCLXXXVII, 7.
c Ibidem & p. CCCCLVII, 8.

L. COR-

L. CORNELIO
C. F. GAL. CELSO
II. VIR. PRÆFECTO
ORÆ MARITUMÆ
COH. I. ET II.
POMPEIA DONACE
UXOR.

Thes. Grut. cccxcv, 10.

Equidem *ad Oram Maritimam tutandam*, sed Superi ferme aut Inferi Italiæ maris, aut *ad suburbana etiam litora*, delectos olim ex Senatusconsulto, qui certo nauium numero præessent, docet itidem Liuius. Quam in rem dictos etiam *Duumuiros Nauales* a Consulibus iussu Senatus creatos idem alibi obseruat: *Inter* DUUMVIROS *ita diuisa tuenda denis nauibus* MARITIMA ORA, quæ nempe similiter Inferum Superumque, ut ibi e sequentibus verbis liquet, Italiæ mare attingeret. Quando vero naues fabricare ineeperint Romani & elassem instruere, qui de mari nusquam ad illam diem cogitassent, consuli potest Polybius. Quem autem in finem eiusmodi elasses pararent, alio loco tradit Liuius; ubi Q. Fabium Consulem T. Otaeilio, qui elassis Præfectus, agente adhue in Hispania Annibale, fuerat, induxit dicentem: *Classem hoc anno, cui tu præfuisti, trium rerum caussa paratimus; ut Africæ oram popularetur: ut* TUTA *nobis* ITALIÆ LITTORA *essent; ante omnia, ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Carthagine Annibali transportaretur.* Neque vero, ut hoc addam, in nummis solum Gentium, quas memorauimus *Oppiæ*, *Pompeiæ*, *Semproniæ*, sed aliarum etiam Familiarum Romanarum hanc *Oræ Maritimæ* seu *Classis Præfecturam* notat signata in iis Nauis Prætoria; sed in *Fonteia* insuper, *Junia*, *Nasidia*, *Numitoria*, *Sulpicia*, aliisque, ac viderunt ferme ibidem præstantes Antiquarii, ut iis hic immorari nullatenus sit necesse.

Lib. XXIII. cap. 32.

Lib. XL. cap. 18.

Lib. I. cap. 20.

Lib. XXIV. cap. 8.

IV.

De OPERIBUS PUBLICIS, *&* GESTIS PACE AC BELLO, *quæ in Nummis* FAMILIARUM ROMANARUM *consignantur.*

PRæcipua vero Familiarum Romanarum pace ae bello, liberæ adhuc urbis temporibus, GESTA ita iidem earum Nummi complectuntur, ut in iis intueri hodie liceat factas a nobilissimis eiuibus *Dedicationes Templorum*, aliarumue *Ædium Publicarum*; editiones *Ludorum Solemnium*; *Aquæductus*; *Viarum Munitiones*; *Leges latas:* adde dicatas *Coronas*, *Columnas*, *Statuas*; erectos *Cippos*, *Clypeos*, *Arcus*; *Tropæa* præterea, *Spolia*, *Triumphos*, *Victorias*; *Legionum* nomina, numerum, signa; alia denique præclara sago vel toga susceptа; multaque ex iis aliunde obscura vel ignota. Neque enim fidem singulis detrahet, id quod de falsis vel emendicatis Familiarum id genus titulis vel factis apud Liuium legitur: *Nec facile est aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiatam me-*

Lib. VIII. c. 40.

moriam funebribus laudibus reor, FALSISQUE IMAGINUM *titulis, dum Familiæ ad se quæque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio, trahunt.* Sicut vero indulsisse sibi nonnunquam Quirites vestros in dedicandis maiorum suorum imaginibus; ita in iis, quæ publice auro, argento, æri incisæ sunt imagines, minus fraudis vel erroris commissum, liceat equidem statuere.

I. *De* OPERIBUS PUBLICIS *in Nummis Familiarum Romanarum.*

1. *De* Basilica Æmilia Refecta *in nummis.*

Ut vero hæc paucis adductisque demum aliquot earum rerum specimi-nibus nunc adtingam, id primo obiter monendum est; quod ea, quæ ad TEMPLORUM seu ÆDIUM SACRARUM dedicationes; conspicuas DEORUM in iis effigies; statum eorum CULTUM, aut editiones LUDORUM apud Romanos SOLEMNIUM, in nummis id genus expressas adtinent, ad peculiarem de RELIGIONE GENTILIUM, e superstite illo prisci æris peculio illustranda, commentationem, quæ erit alterius loci, sint ableganda. Aliarum vero, præter sacras, PUBLICARUM in urbe ÆDIUM structuras ac auctores simul exhibent prolati pridem a præstantibus antiquariis nummi. Sic in præclaro Gentis *Æmiliæ* denario, ÆMILIA Basilica ex *Senatusconsulto Refecta*, addito *M. Lepidi* nomine, etiamnum cernitur: nempe AIMILIA REF. S. C. M. LEPIDUS cum duplici columnarum substructione, insertisque inter eas Clypeis: in anteriore autem nummi area, cum laureato ac velato Libertatis, uti Ursino ac celebri Antiquario visum est; verius forte, iuxta virum haud vulgari diligentia ac eruditione Ad. Rupertum, Pietatis capite.

Vaillant Fam. Rom.

Epist. ad Th. Reines. LX.

Duplicem vero hic Romæ *Basilicam*, veterem, quam L. Æmilius Paullus Consul cum Claudio Marcello, anno V. C. DCCIII. restituerit; ac nouam, quam idem extruxerit, e Cicerone hic adnotarunt præstantes Antiquarii, & cuius ea de re verba sunt omnino adscribenda: PAULLUS *in medio foro* BASILICAM *iam pene texuit iisdem antiquis columnis. Illam autem, quam locauit*, FECIT *magnificentissimam. Quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius.* Antiquioris vero illius *Basilicæ*, & quod uno verbo a Ciceronis interpretibus moneri ibidem debuit, occurrit apud Plinium mentio: *Post eum* M. ÆMILIUS *Collega in Consulatu Q. Lutatii* (anno nempe V. C. DCLXXV.) *non in* BASILICA *solum* ÆMILIA, *verum & domi suæ* (*Clypeos* nempe) *posuit*. Ad quam veterem *Æmiliam Basilicam* respicere videri posset P. Victor; nisi quod illa non *in medio foro*, uti ea, de qua agit Cicero, sed in quarta urbis Regione, ab

Ad Att. l. IV. Epist. 16.

Lib. XXXV. cap. 3.

ab eodem collocatur; nempe *Basilica vetus Paulli Æmilii*; a S. Rufo autem, in eadem regione similiter, *Basilica Paulli*. Verum a quo Victore rursus, ut obseruo, & qua de re silent ibidem viri præstantes, præter duas illas *Paulli Basilicas*, una insuper *Æmilia* commemoratur; ubi Basilicas XIX. Romæ exstitisse memorat, quæ dein singulatim ab eo recensentur; ac inter eas secunda *L. Paulli in foro*; decima tertia, *L. Paulli vetus*; decima sexta autem, *Æmilia*, & iuxta eam *Fuluia*. Ad quas proinde duas postremas respexisse censendus est, qui utriusque simul meminit, Varro, ubi, quum literam D pro R in voce *Medidie* ab antiquis usurpatam dixisset, addit: *Ut Prænestæ incisum in solario vidi, quod Cornelius in* BASILICA ÆMILIA *&* FULVIA *inumbrauit*. Quamquam hic scrupulum iniiciat Plutarchus, qui non veterem *Æmiliam*, sed nouam illam & celebrem Paulli *Basilicam* prope *Fuluiam*, e pecunia a Cæsare ei subministrata, extructam tradit: Παύλῳ δὲ ὑπάτῳ ὄντι χίλια καὶ πεντακόσια τάλαντα δόντος, ἀφ' ὧν καὶ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗΝ ἐκεῖνος, ὀνομαστὸν ἀνάθημα, τῇ ἀγορᾷ προσεκόσμησεν ΑΝΤΙ ΤΗΣ ΦΟΥΛΒΙΑΣ οἰκοδομηθεῖσαν. *Paullo autem Consuli mille & quinquaginta talenta donauit; quibus is* BASILICAM, *celebre illud opus, foro adiunctam* E REGIONE FULVIÆ *extruxit*. Ita enim postrema illa verba verti debent. Neque enim *Fuluiæ loco*, iuxta interpretem, nouam illam & magnificentissimam, ut de ea Cicero, a Paullo ædificatam, & ex eodem præterea Victore liquido itidem constat; qui sua adhuc ætate, præter duas memoratas Paulli *Basilicas*, nouam ac veterem, *Æmiliam* insuper & *Fuluiam*, ut paullo ante, ac prout a Varrone factum itidem vidimus, recenset. Adeo ut eam *Basilicam*, quam iisdem antiquis columnis, & quidem *in medio foro texuisse* L. Æmilius Paullus a Tullio dicitur, non fuisse eam, quæ *vetus L. Paulli Basilica* apud P. Victorem duobus locis, ac apud Sex. Rufum itidem, quippe in quarta urbis Regione, traditur, quum Forum Romanum esset in octaua, ex iis abunde liqueat: sed eam potius, quæ gentile *Æmiliæ* nomen obtinuit, & quam cum *Fuluia Basilica* coniungunt, ut vidimus, Varro, ac idem P. Victor. A qua vero *Fuluia*, ceu in vicino eiusdem fori latere positam, nouam L. Paulli *Basilicam*, diuersam docet in adductis paullo ante verbis Plutarchus. E quibus autem, quod obiter hic dicendum est, elucet singularis quædam Alexandri Donati in describenda nobis antiqua Roma negligentia, vel dixerim propemodum imperitia; dum veterem illam *Basilicam*, quam ab Æmilio Paullo restitutam docet Cicero, vel *Porciam* fortasse fuisse, vel *Opimiam* tradit: quibus nempe nominibus ab earum conditoribus M. Porcio Catone, ut de priori Liuius, ac L. Opimio Consule, duæ illæ *Basilicæ*, sicut plures aliæ Romæ, *Sempronia*, *Julia*, ac dein *Caii & Lucii*, *Traiani*, *Ulpia*, *Marciana*, *Antoniana &c.* sunt appellatæ. *Opimiæ* etiam Basilicæ eiusque situs, ubi erat Romæ Græcostasis, ac Ædes Concordiæ, alibi meminit [a] Varro; quæ autem *Opimiana*, pro *Opimia*, hodie apud P. Victorem legitur. Quum vero duobus apud [b] Dionem locis non *Basilicæ* quidem, sed *Porticus Paulli* vel *Paullinæ* fiat mentio, hæc ad nouam Paulli *Basilicam* continuo referunt viri in hisce Romanis antiquitatibus primarii, [c] Fuluius Ursinus, ac [d] Lipsius, ut non debuerit dubitanter dici ab eodem, de quo paullo ante, [e] Donato: *Forte aliquis pro porticu intelligit Basilicam Æmilii Paulli*, quod dein a [f] Famiano Nardino, ac [g] nouissimo Fa-

De L. L. lib. v.

In J. Cæsare p. 722.

De Urbe Roma lib. II. c. 17.

Lib. XXXIV. cap. 9.

a De L. L. lib. IV.
b Lib. XLIX. p. 416. & l. LIV. p. 538.
c Fam. Rom. ex edit. Patini p. 9.
d Ad Tacit. Ann. III. c. 72.
e De Urb. Rom. l. III. c. 6.
f Roma Vetus l. v. c. 8.
g Vaillant p. 45. To. I.

Familiarum Romanarum interprete, est itidem factum. Quamuis enim diuersa fuerint *Porticus* & *Basilica*, uti Græcis etiam στοὰ, qua voce ibi usus Dio, & βασιλικὴ, cuius est retentum a Romanis nomen; ac præterea, quod hic addendum est, fuerit Romæ *Porticus Æmilia* a duobus Æmiliis Curulibus, ut de ea Liuius, M. Æmilio Lepido & L. Æmilio Paullo extructa: diuersus tamen fuit longe illius situs, nempe extra portam Trigeminam & prope naualia, ab eo, quem prope templum Vestæ, ac proinde in Foro seu Fori Romani latere, *Paulli porticui* adscribit Dio: ubi autem nouam etiam Paulli Basilicam exstitisse aliunde e Plutarcho, Rufo, ac P. Victore constat. Ita eiusdem Paulli *Basilicæ* Porticum in nummo, quem paullo ante vidimus, signatum statuit Nardinus, cui iam præiuerat Fuluius; qui tamen eum a M. Æmilio Lepido demum, a quo sub Tiberio, ut ea de re Tacitus, sit eadem Paulli Basilica refecta, percussum statuit. A quibus autem recedit celebris Antiquarius, qui, quod absint a priori nummi area vel Augusti, vel Tiberii capita, eorumque loco laureatum ac velatum Libertatis, ut ille quidem iuxta Fuluium censet, caput conspiciatur; eundem nummum a M. Lepido filio, eoque tum Quæstore, in memoriam veteris Basilicæ a patre L. Æmilio Paullo, quod ex Cicerone discimus, restitutæ cusum censet. Ac veterem quidem illam *Æmiliam Basilicam* in eodem signari, videntur insuper euincere Clypei inter duas columnarum substructiones conspicui, nec abesse debuerant a prolata eiusdem nummi icone a dictis paullo ante veteris Romæ enarratoribus, Donato ac Nardino: quales utique in *Æmilia Basilica* a M. Æmilio Lepido positos docet, in memoratis antea verbis, Plinius. Accedit retentum in eo nummo ÆMILIÆ nomen, quod eidem veteri *Basilicæ* inditum liquet ibi ex eodem Plinio; & prout alioquin *Basilicam Paulli*, quam sub Tiberio M. Lepidus propria pecunia firmauit ornauitque, *Aemilia monumenta* vocat Tacitus. Nec frustra in eodem, de quo hic agitur, nummo EX S. C. additum: quum ibidem apud Tacitum, non a principe seu a Tiberio, sed a *Senatu* petiisse illam Paulli *Basilicam* firmandi ornandique facultatem dicatur idem Lepidus. Præcipuum vero harum, *Paulli* vel *Aemiliæ*, Basilicarum ornamentum in columnis, uti quoque nummi huius conspectus continuo ante oculos ponit, positum fuisse, cum Ciceronis verba de vetere Basilica ostendunt, quam Paullus [a] *antiquis columnis pene texuisse* dicitur, tum de noua Plinius: [b] *Basilicam Paulli columnis Phrygibus mirabilem*; ac de eadem similiter P. Victor: [c] *Basilica Paulli cum Phrygiis columnis*. Quomodo de *Basilica* ab Alexandro Seuero Imperatore inchoata, sed non perfecta, singulare illud memorat Lampridius: *Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium, & septa Agrippina &c. ita ut tota* COLUMNIS PENDERET. Mitto vero proprium *reficiendi* vocabulum, quod in eodem, de quo hic agimus, nummo legitur; & quomodo non de *Basilica* quidem, sed de *Porticu Aemilia*, de qua supra, apud Liuium legitur: *Extra portam Trigeminam emporium lapide strauerunt, stipitibusque sepserunt: & Porticum* ÆMILIAM REFICIENDAM *curarunt*; alibi, *de Villa Publica*, de qua paullo post, a duobus Censoribus Sex. Ælio & C. Cornelio Cethego REFECTA *amplificataque*. Ita de Pompeii Theatro Seneca: *Quod exustum Cæsar* REFICIEBAT; & de Augusto Tranquillus: *Aedes sacras vetustate collapsas* REFECIT.

Lib. xxxv. cap. 10. & Lxii. c. 27.

Lib. liv. p. 538.

Ut supra.

Annal. iii. cap. 72.

Ut supra.

a Ad Att. lib. i. Epist. i.
b Lib. xxxvi. cap. 15.
c Region. viii. Urb. Romæ.

In Alex. Seuer. cap. xxvi.

Lib. xli. c. 27.

Lib. xxxiv. cap. 44. Consol. ad Marciam cap. xxii. In Aug. c. xxx.

Sed

Sed miſſa hac ÆMILIA *Baſilica*, iisque, quæ ad maiorem inſignis illius nummi, quo illa conſignatur, lucem; aut in genere ad *Aemilia* hæc *monumenta*, uti a Tacito dici eadem vidimus, illuſtranda, flagitari omnino videbantur, quod intacta ferme hæc reliquerint, aut non aptè elucidarint viri præſtantes: alia quoque præclara olim ac publica urbis Ædificia exhibet etiamnum vetus ille nummorum, vulgo Conſularium, ſupellex. Ita in alio eiusdem Gentis *Aemiliæ* nummo, ac in ipſo etiam Foro Romano olim extructum, ex Horatio autem ac aliunde notum, LIBONIS PUTEAL cernitur: & quidem, ut illud Aram potius, quam Tribunal, ſeu Prætoris ſedem, iuxta veterem Horatii interpretem, exſtitiſſe liqueat. Quod non ab eruditiſſimo quidem Fuluio; qui primus illum nummum aliumque cum eodem *Putealí* in *Scribonia* gente protulit, ſed a duobus dein viris ſummis, [a] Scaligero ac [b] Salmaſio monitum videas; ac inde etiam vere *puteal*, ſub quo cotis ac nouacula Nauii Auguris a [c] Cicerone defoſſa traditur, βωμὸν ſeu *aram* a [d] Dionyſio dici. Verum male utrumque illud *Puteal*, Libonis nempe, & illud, ſub quo defoſſa illa Nauii nouacula, confundi, ac de uno eodemque non a Fuluio ſolum, ſed a [e] Scaligero omnibusque ante ſe antiquariis, vel eruditis, ſumi docuit [f] Salmaſius: quum illud, de quo Cicero, in Comitio fuerit; alterum vero, & de quo hic agitur, *Libonis* ſeu *Scribonianum*, uti apud Feſtum dicitur, in porticu Julia, ac prope Atrium Mineruæ, iuxta priſcum Perſii enarratorem, ac P. Victorem, huiusque ætate ſuperſtes adhuc fuerit. Quod utique latere non debuit celebrem Antiquarium, qui poſtremum hoc *Puteal* in duobus *Scriboniæ* Gentis nummis, ac in uno, ut diximus, *Aemiliæ* expreſſum, de eo, iuxta Fuluium, ſub quo defoſſa fuerit Nauii nouacula, quodque foret in Comitio, interpretatur: etſi vel ex poſtremis ad Feſtum, ab eruditiſſimo Dacerio in uſum Delphini vulgatum, notis, id percipere continuo potuerit vir præſtans. Neque ſuffragari eidem licet; quod, quum in altero e duobus *Scriboniæ* Gentis nummis, in quibus poſtremum hoc PUTEAL ſignatur, addatur SCRIBON. *Scribonii* ſeu *Scribonianum*; quo vero, iuxta celebrem Antiquarium, indicetur illud lege Scribonii reſtauratum, ac unde, quod addit, *Puteal Libonis*, non vero *Scribonii* dicitur: quum tamen in priori e duobus illis nummis legatur PUTEAL SCRIBON. LIBO, cum Gentili nempe nomine & cognomine; in altero vero, cum priori ſolum, ſeu Gentili, SCRIBON. ab Horatio autem ſimiliter *Putealque Libonis*, ad alterius itidem, de quo paullo ante, *Putealis* diſcrimen, dicatur; & quod obiter ibi ad eundem Horatium moneri ab eruditis eius interpretibus merebatur. Id vero haud liquet, quid hic diſcriminis inter *Scribonium* ac *Libonem*, quod unius viri Gentile nomen & cognomen, quærere hic voluerit dictus modo celebris Antiquarius; unde in poſteriori *Puteal Scribonii*, aut *Scribonianum*, non vero *Puteal Libonis* dicatur. Neque vero præteriri hic ab eo debuit, quod meliorum literarum hodie in erudita Batauia decus Jac. Perizonius, ad pleniorem præclari huius nummi lucem, opportune monuerat: nempe in priori e duobus illis nummis area ſignari duo illuſtria Gentis *Aemiliæ* Cognomina, PAULLUS, LEPIDUS, & quidem cum addita voce, CONCORDIA; quæ nempe inter hoc nobile par fratrum, *L. Aemilium Paullum* & *L. Aemilium Lepidum* vigeret; in altera vero nummi parte, PUTEAL

2. Libonis Puteal *ſeu* Scribonianum *in nummis, ac ab alio, quod in Comitio, diuerſum.* *Putealque Libonis.* lib. I. Epiſt. III. Porphyr. ibid.

a Ad Feſtum in voce *Scribonianum.*
b In Solin. p. 801. ed. ult.
c De Diuinat. l. I. c. 17.
d Antiq. l. III. p. 204.
e Ut ſupra.
f Ut ſupra.

Vetus Schol. ad Satyr. IV. v. 49.

Vaillant Fam. Rom. p. 364. To. II.

Ibid. pag. 365.

Ut ſupra.

Anim. Hiſt. cap. III. p. 155.

SCRIBON. LIBO, quo suam iidem *Aemilii* cum Augusta domo cognationem seu adfinitatem arguerent: quod *Scribonia* eorum auia, Augusti uxor; eius autem e priori coniugio filia *Cornelia*, eorundem *Aemiliorum* mater, eaque soror uterina Juliæ Augustæ exstitisset. Quæ autem liquidius constabunt e sequenti utriusque nummi schemate.

3. Rostra *in nummis*, *tam* Vetera, *quam* Julia.

Vid. Asson. in Diuinat. cap. 3. & Act. 1. in Verr. c. 15.

Accedunt in eodem Romano Foro celebria olim ROSTRA, eaque non *Vetera* solum, in denario Gentis *Lolliæ*, cum PALIKANI cognomine expressa; sed & *Noua*, seu *Julia*, in denario Gentis *Sulpiciæ*, quibus duo viri togati insident. Ac de priore quidem, seu *M. Lollio Palikano*, quod illius tum Tribuni plebis opera restituta fuisset sublata a Sulla Tribunitia potestas, inde, ut monuit iam ad eundem nummum eruditissimus Fuluius, ROSTRA illa VETERA, e quibus conciones ad populum a Tribunis plebis, ut de aliis iam Magistratibus sileam, haberi consueuerant, cum illius cognomine PALIKANUS depinguntur: sedile nempe supra suggestum, columnis aliquot e Rostris nauium superstructum. E cuius autem nummi conspectu, seu ex elato illo sedili, id continuo etiam liquet, cur *e superiore loco* perorare aut in eo consistere dicerentur, qui e Rostris populum adloquebantur, ut Cicero de se in Verrinis: *Hanc ego causſam cum agam beneficio populi Romani de loco superiore*, nempe de *Rostris*, iuxta Asconium, quod Ædilis Curulis tum foret; ac unde, ut hoc addam, opponitur alibi ab eodem Tullio, *ex inferiore loco* dicere: *Cæsar, Prætor cum esset, Q. Catulum* EX INFERIORE LOCO *iusserat dicere, Vettium* IN ROSTRA *produxit*. Depictam vero in anteriore nummi illius parte LIBERTATIS effigiem ac nomen, e Dione illustrauit iam eruditissimus Fuluius, a quo Dione βήματι τῷ ἐλευθερίῳ, *libertatis tribunali* de *Rostris* alicubi dicitur. NOVA vero seu IULIA ROSTRA, e quibus Tiberius concionem de Augusto funebrem ad populum habuisse apud eundem Dionem legitur, indeque nomen illud nacta, quod ea ad Palatii in foro latus J. Cæsar traduxerit, exhibet, ut diximus, Gentis *Sulpiciæ* denarius. In eo autem, præter signata in priori nummi area Augusti nomina & effigiem, CÆSAR AUGUSTUS, Rostris illis Juliis insident in altera nummi parte duo tum Consules, idem Augustus & Agrippa. Quod nempe, ac ad maiorem illius nummi lucem indicari obiter a præstantibus Antiquariis, qui illum protulerunt, merebatur, e Rostris non Tribuni solum Plebis, aut alii etiam Magistratus, ut de Ædili Cicerone modo vidimus, sed Consules quidem in auspiciis ac ingressu illius muneris, conciones ad populum habere consueuerant, ac iurare se leges obseruaturos; in exitu vero muneris, eas a se obseruatas. Quomodo de alio Imperatore, eodemque Consule, Traiano nempe, Plinius: *In* ROSTRIS *quoque simili religione ipse te legibus subiecisti*; mox: IURAT

In Verrem 1. cap. v.

In Notis ad eund. locum.

Ad Att. lib. IV. Epist. 16.

Lib. XLV.

Lib. LVI. pag. 592.

Panegyr. cap. LXV.

in

in legem adtendentibus Diis: nam cui magis quam Cæsari adtendant? IURAT *obseruantibus his, quibus idem iurandum est &c. Itaque & abiturus* CONSULATU *iurasti te nihil contra leges fecisse.* Quibus addit: *Jam toties procedere* IN ROSTRA, *inacceſſumque illum superbiæ principum locum terere. Hic suscipere, hic ponere Magistratus, quam dignum te, &c.* Adeo ut mirum neutiquam videri debeat, Augustum Consulem, solemni Consulum more, in primordiis principatus summique imperii, una cum Collega M. Agrippa *Rostris* illis *Juliis* insidentem in eodem nummo intueri. Adde nec in memorato ante Gentis *Lolliæ*, ROSTRA VETERA conspicere, familiarem Tribunorum plebis sedem, eaque cum Tribuni plebis, *M. Lollii*, cuius operâ illa potestas erat, ut vidimus, restituta, cognomine, nempe PALIKANUS; in priori vero area cum LIBERTATIS nomine ac effigie, utpote ad quam tutandam ac ciuibus Romanis adferendam electi erant iidem Tribuni.

Exstat vero Gentis *Mussidiæ* nummus, qui COMITIUM prope hæc Rostra, ut aliunde constat, ac in Foro itidem Romano, seu eius latere, positum ostentat, cum *Cancellis*, ac duorum togatorum effigie, qui suffragia in urnas coniiciunt, & cum adscripto infra CLOACIN. seu *Cloacinæ* Veneris, cuius simulacrum ibidem prostabat, nomine. Unde Plautus utique, & qui lucem quoque huic nummo commodat, quod vidit iam præstantissimus Fuluius, illustratur: 4. Comitium *in Foro cum* Cloacina.

> *Qui periurum hominem vult conuenire, mitto in* COMITIUM: *Qui mendacem & glorioſum, apud* CLOACINÆ *sacrum.* Curcul. A. IV. Sc. I, 10.

Quibus vero postremis Plauti verbis, ut hoc addam, insignem præterea facem fœneratur Tertullianus, post discussam a viro incomparabili illius loci caliginem, quæ eum antea offuscabat: *Quod si iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus (ut tori Platonici sciunt) sed omnino totum Empedoclem in adyta* CLOACINARUM *detulisset: ut qui se* COELITEM *delirarat,* SORORES *prius suas, dehinc homines Deus salutaret.* Nempe, ut sit mens huius loci, iuxta τὸν πάνυ, quod Diogenes, si, ut Platonis, ita ætate Empedoclis vixisset, quo, ut Platonis fecerat, sic Empedoclis, qui pro Deo se apud ciues suos Agrigentinos venditarat, fastum retunderet; eum totum in Cloacinarum adyta, hoc est in cloacas, dedisset præcipitem. Idque inde, quod, cum Empedocles *cœlitem* se esse *delirasset*, par erat, ut *sorores* prius *suas*, *Cloacinas* Deas, dehinc homines, postquam ex cloacis illis extractus fuisset, salutaret. Inde vero *sorores* Empedoclis dictas ibi esse *Cloacinas*, quod homine glorioso semetque laudante, uti ab hoc Empedocle factum, nihil sit putidius; De Pallio cap. IV. p. 50. Salmas. in Notis. Salmas. ibidem p. 331. Χαίρετ' ἐγὼ δὲ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός. &c.

dius; indeque putidi & *stercorei* sint id genus homines dicti: unde illud Plautinum alibi:

Milit. Glorios. A. II. Sc. I, II. *Qui hinc ad* FORUM *abiit* GLORIOSUS, *impudens*, STERCOREUS,

& Græcorum κοπρία, μύξα, κοπρολέγοι, μύξοι. Quibus proinde consentaneum sit illud, quod ab eodem Comico in adductis paullo ante verbis dictum; ut qui *glorioſum vult conuenire apud* CLOACINÆ *ſacrum*, quale autem *in foro* exstitisse vidimus, sit continuo mittendus.

5. Comitium in Campo Martio *cum* Septis, Cancellis, &c.

Sicut vero in adducto illo nummo *Comitium* destinatum comitiis populi Curiatis, in quibus, ut viderunt qui de Romanorum Comitiis egerunt viri eximii, leges decerni & Sacerdotes legi consueuerant; ita alterius *Comitii*, quod erat extra urbem in campo Martio, ad Comitia populi Centuriata, in quibus creabantur Magistratus, exstat quoque expressa effigies in nummo cuiusdam P. NERVÆ, eum *Septis* seu *Cancellis*, *Pontibus*, *Cista*, *Diribitore*, qui populo tabellas distribueret; ac unde *dum diribuntur ſuffragia* alicubi a Varrone dicitur. Quum vero illud NERVÆ cognomen commune continuo exstitisset, ut *Cocceiam* nunc mittam, Genti apud Romanos *Liciniæ*, ac *Siliæ*; inde hæsit Fuluius, ad quam ex iis duabus hic nummus, etsi eum in *Licinia* diuulgarit, referri continuo debeat. Eundem vero nuper [a] celebris Antiquarius *Siliæ* tribuit, ac ibidem e [b] Pighio obseruat, latam a duobus Tribunis plebis P. & M. Silio Nerua de Ponderibus coæquandis, cuius [c] Festus meminerit, legem: a quo proinde P. Silio, aut ab eius filio, lata sit forte Lex de Comitiis aut suffragiis ferendis, ad quam hic nummus respiciat. Neque certe aliunde occurrunt, unde hisce maiorem aliquam lucem mutuari nobis liceat. Ne ea iam hic retractem, quæ de *Septis* Comitiorum, iisque *Ouile* vel *Ouilia* dictis, *Pontibus*, præterea *Diribitore*, *Ciſtis*, quæ in eodem hoc nummo signantur, cum ab eruditissimo Fuluio, tum ab aliis Romanarum antiquitatum promicondis pridem monita sunt & contrita. Utque nunc mittam, quod inter Fragmenta Veteris Romæ e lapidibus Farnesianis, a sedulo Romanarum antiquitatum vindice P. Bellorio eruta ac descripta, horum *Septorum* exstat nonnulla quoque delineatio: VILLAM itidem PUBLICAM iisdem Septis Comitiorum in Campo Martio, quod vel e Cicerone ac aliunde constat, proximam, eum duobus Columnarum ordinibus, ac nomine T. DIDII IMP. conspiciendam similiter præbet singularis illius *Didiæ* Gentis nummus. De qua autem *Villa*, eaque primum ad censum agendum; dein ad hostium Legatos excipiendos destinata, adiri possunt, quæ e [a] Varrone, [b] Cicerone, [c] Liuio, [d] Valerio Maximo, [e] Victore, iam sunt ab Ursino aliisque, & a [f] Famiano Nardino potissimum, tradita & explanata: ac proinde de eadem *Villa Publica*, non ab hoc quidem *T. Didio*, sed a duobus Censoribus Sex. Ælio Pæto & C. Cornelio Cethego, iuxta [g] Liuium, & de quo silent horum nummorum editores ac interpretes, Fuluius & celebris Antiquarius, pridem ante refectâ ac amplificatâ. Cuius autem *Villæ Publicæ*, ac utriusque, de quo ante egimus, *Comitii*, prioris eum *Cancellis* & CLOACINA; posterioris eum *Septis*, *Diribitore*, *Tabellis* aeceptis ac in *Urnam* seu *Stellam* missis, expressas in memoratis nummis ieones, de quibus nihil occurrit singulare vel indictum aliis, quod ulterius moneam, hic subiiciemus.

a Vaillant Fam. Roman. p. 423. To. II. b Annal. P. II. p. 60. c In *Pondera Publica*.

a De R. R. l. III. c. 2. b Ut supra. c Lib. XXXIII. c. II. l. XXXIV. c. 44. d Lib. IX. c. II, 1. e P. Victor Reg. Urb. IX. f Roma Vetus Lvi. c. 6. g Lib. XXXIV. c. 44.

Nec

Nec omittendus Gentis *Caniniæ* nummus, a præſtantibus Antiquariis ſimiliter prolatus, cum figuram in eo expreſſam de PRÆTORIO TABERNACULO, dum expugnaretur aliquod ſub Auguſto oppidum, interpretetur Fuluius; celebris vero Antiquarius, de *Menſa* ſeu *Lectiſternio* pro Jouis Epulo, quod quotannis Idibus Nouembris a Septemuiris Epulonum celebrabatur. Eximius autem Andreas Morellius in Epiſtola de Nummis Conſularibus, biennio circiter ante eius obitum vulgata; an figura illo Gentis *Caniniæ* denario expreſſa, de *Prætorio Tabernaculo*, & ad expugnationem alicuius oppidi indicandam, iuxta Fuluium, explicanda ſit; dubitari obſeruat. Quod ut nollem quoque adfirmare; ita *Lectiſternium* eâdem figurâ ſignari, iuxta dictum ante celebrem Antiquarium, haud equidem cenſeam: quum nihil in ea utique conſpiciatur, quod eiusmodi *Lectiſternii* ſpeciem ullatenus referat. Id vero, ne longius abeam, eidem liquere continuo poterat, ex obuio Gentis *Cœliæ* denario, quem ipſe cum reliqua collectione Fuluiana diuulgauit, in quo *Lectiſternium*, ut idem poſt Fuluium agnoſcit, cum recumbente deſuper Joue cernitur, & inſcriptione L. CALDUS VIIVIR. EPUL. ad quos nempe *Septemuiros Epulonum*, & erat aliunde obuium, illa *Lectiſterniorum* procuratio inter alia pertinebat. Quæ autem e ſequenti utriusque nummi, cum illius, quo *Prætorium Tabernaculum* ab eruditiſſimo Fuluio, a celebri autem Antiquario *Lectiſternium* depingi traditur, tum alterius, in quo vera utique *Lectiſternii* effigies cernitur, adſpectu continuo patebunt.

Vaill. Fam. Rom. p. 227. To. I.

Idem ibid. p. 292. To. I.

Inter publica autem Opera, a quibus exſtructis olim vel inſtauratis quæſiti etiam olim a Quiritibus veſtris Tituli, & iactata Familiæ decora, VIÆ, PONTES, AQUÆDUCTUS haud poſtremum ſibi locum vindicarunt, prout ſequutis temporibus liquet etiamnum ex Conſtitutione Arcadii in Codice Theodoſiano: *Quoniam* VIAS, PONTES, *per quos itinera celebrantur, atque* AQUÆDUCTUS, *Muros quin etiam, iuuari prouiſis temporibus oportere, ſignaſti.* Alibi autem: *Abſit ut nos inſtructionem* VIÆ *publicæ &* PONTIUM, *ſtratarumque operam* TITULIS *magnorum* PRINCIPUM DEDICATAM, *inter ſordida munera numeremus.* Unde, ad VIAS quod adtinet, haud mirum in aliquot denariis

6. Viæ Munitæ, Pontes *in nummis.*

Leg. xxxvi. C. Th. de Operib. Publ.

Leg. vi. D. de Itin. Muniend.

Gentis *Viniciæ* Columnam videri cum memoria VIARUM ab Augusto MUNITARUM: nempe, quod V. M. S. EX EA P. Q. IS AD A. D. *Viæ Munitæ Sunt Ex Ea Pecunia, Quam Is Ad Aerarium Detulit.* Proprium nempe *muniendi* ea in re vocabulum, frequens eo sensu apud Ciceronem, Liuium, Suetonium, aliosque, sicut *Viarum Munitiones*, cum alibi, tum in libris veterum [a] Jurisconsultorum; ac similiter sequiori adhuc ætate, in Constitutione Juliani Imp. in Codice Theodosiano: [b] *In muniendis viis &c.* Et sequenti mox Valentiniani Junioris: [c] *A viarum munitione nullus habeatur immunis*; & quidem in titulo eiusdem Codicis de [d] *Itinere Muniendo.* Neque mirum eo nomine Augusto, ob *Vias* ab eo *Munitas*, Columnam erectam, signatamque eius beneficii memoriam in memorato nummo intueri: quum & Tiberio, ob *Vias* circa Salonas ab eo *Munitas*, dicatam in eadem Colonia solemnem inscriptionem, in Sponii Miscellaneis legere etiamnum liceat:

a Leg. XII. & XIV. §. 2. D. de Muneribb. b Leg. 11. C. Th. de Itiner. Muniend. c Leg. III. eodem. d Tit. III. lib. XV.

Miscell. pag. 179.

TI. CÆSAR DIVI AUGUSTI F.
AUGUSTUS IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XXI. COS. III.
VIAM A SALONIS AD CASTELL.
DAESITIATIUM PER MILLIA PASSUUM
CLVI. MUNI.

& quæ plura ibi eam in rem apud eximium Sponium leguntur; ac in fine:

ITEM VIAM GABINIAM
A SALONIS ANDETRIUM APERUIT
ET MUNIT. PER LEG. VII.

Quid vero sit, quod ibi dicitur, *Viam Aperuit*, docebit Ulpianus ad illud Prætoris Edictum: *Quo minus illi* VIAM PUBLICAM, *Iterue publicum* APERIRE, *Reficere liceat &c.* Prout nempe, ut hoc addam, in veteri Emeritæ in Hispania inscriptione a magno Casaubono ad Suetonium iam adducta, de Augusto dicitur: VIAM SUPERIOR. COS. TEMPORE INCHOATAM ET MULTIS LOCIS INTERMISSAM PRO DIGNITATE IMPERII P. R. LATIOREM LONGIOREMQUE GADES USQUE PERFECIT. Primam vero inscriptionem a Wehlero quoque, eiusdem eruditæ cum Sponio peregrinationis socio, ac iam ante a Jo. Lucio in libris de Regno Dalmatiæ descriptam, ac a viro erudito in Notis ad Bergierii de Viis Imperii Romani Publicis ac Militaribus adlatam, obseruare mihi postea licuit. Neque mirum, quod in duobus memoratis Gentis *Viniciæ* nummis Viæ dicantur, per literarum compendia, ab Augusto Munitæ *Ex Ea Pecunia, Quam Is Ad Aerarium Detulit. Vias* enim *publicas*, publicis etiam impensis, muniri olim solitas, cum aliunde notum, tum nominatim liquet ex his Siculi Flacci verbis, quæ adnotauit iam eam in rem in dicto modo præstanti opere Bergierius: *Nam sunt Viæ publicæ regalesque, quæ publice muniuntur.* Immo prout apud Liuium legitur: *A Junio Bubulco Censore, Collegaque eius M. Valerio Maximo,* VIÆ *per agros* PUBLICA IMPENSA *factæ.* Etsi ipsis non Imperatorum solum, sed priuatorum etiam impensis *Vias* id genus *Publicas* sub-

Leg. 1. D. de Via Publ.

Com. ad August. cap. XXX.

Henr. Chr. Hennin. Not. l. 1. p. 652. Antiq. Rom. Græu. To. x.

Lib. 1. pag. 9.

Lib. IX. cap. 43.

subinde olim munitas, uti de J. Cæsare adhuc priuato Plutarchus, aut a viris dein Senatorii ordinis, & ex Augusti quidem mandato, tradit Dio Cocceianus. Viam vero intra urbem (præter Vias in Italia, aut in Hispania, quod veteres Inscriptiones ostendunt, refectas) a Traiano stratam; cuius meminit P. Victor, indicat etiamnum, sed quod non iam est huius loci, nummus sub eo cusus, & apud antiquarios, aut id genus antiquitatum studiosos, obuius, iacentis nempe mulieris cum Rota effigie, & inscriptione VIA TRAIANA. Cippos vero non solum, sed statuas etiam & arcus, in memoriam *munitarum* id genus *viarum*, ceu singularis cuiusdam beneficii, uti Augusto ob Viæ Flaminiæ munitionem, erectos, quod alibi monuerat idem Dio, ac vidit iam Fuluius, cuincunt etiamnum, cum sequens *Viniciæ* Gentis, præter alios in eadem obuios, denarius, tum alter quoque eiusdem Augusti, cum inscriptione inter duos arcus triumphales, quibus insistunt figuræ Equestres, desuper duo Tropæa:

In J. Cæsar. p. 709. Lib. LIII. pag. 511.

Ibid. pag. 513.

Inter *Publica* vero *Opera*, e quibus erectis quæsitum quoque olim eorum auctoribus decus, PONTES relatos similiter vidimus. Quomodo Pontem Romæ Sublicium, a Marco Æmilio Lepido Quæstore lapideum, ut [a] Plutarcho discimus, factum, ac inde dictum a [b] Iuuenali, [c] Lampridio, [d] P. Victore *Æmilium*, depictum cernimus in nummo Gentis *Æmiliæ*, supra quem statua Equestris visitur, cum inscriptione M. ÆMILIO LEP.

a In Numa pag. 6. b Satyr. VI. v. 32. c Elogabal. c. XVII. d Reg. XI. Urb.

Neque multa hic nobis, de insigni cæteroquin veteris Romæ ornamento, & quos, una cum Viis stratis & Cloacis, inter præcipua Romanæ magnitudinis monumenta numerant, ac unde potissimum illius imperii amplitudo, iuxta Dionysium Halicarnassensem, adpareret; AQUÆDUCTIBUS nempe, dicenda nunc veniunt. Ex iis equidem, quales septem sub Augusto exstitisse docebit Frontinus (duobus dein additis, *Aqua Claudia* & *Anione Nouo*, ad Neruam & Traianum Imperatores usque) pluribus subsequutis Cæsaribus, unam præ reliquis nobilitatam legimus AQUAM MARCIAM; & quidem, iuxta Plinium, *clarissima Aquarum omnium in toto orbe*, *frigoris salubritatisque palma præconio urbis*, MARCIA *est*, *inter reliqua Deûm munera urbi tributa*; quæque, ut de eadem Strabo, celebritate alias Aquas vincit. Adeo etiam, ut, obseruante id dicto modo Frontino, ordinatis ac discretis singulis Romæ Aquis, reliquæ secundum suam quæque qualitatem aptis usibus adsignarentur, ut Anio rigandis hortis, MARCIA *vero tota potui seruiret*, *splendore* utique, uti de eadem proximis ante verbis, *& rigore gratissima*: unde lux aliqua Tibullo; quod vidit quoque clarissimus Raphaël Fabrettus:

7. *Aquæductus*, Aqua Marcia *in nummo.*

Antiq. lib. III. p. 200.

De Aquæduct. lib. I.

Lib. XXXI. cap. 3.

De Aquæduct. lib. II.

Lib. III. Eleg. VII. *Temperat annosum* MARCIA *lympha merum.*

Ut proinde mirum neutiquam videri debeat, si vel unius celebratissimæ huius AQUÆ MARCIÆ expressa occurrat, & quidem in singulari nummo Gentis *Marciæ*, memoria; in quo hinc Regis Romanorum caput ac nomen ANCUS, retro Lituus, illinc illius *Aquæ Marciæ* cum quinque fornicibus nomen, & cum inscriptione AQUA MAR. circum PHILIPPUS, notum illius Gentis cognomen, ac desuper Statua Equestris. E quo proinde nummo, quod moneri ad eum obiter, a præstantibus Antiquariis merebatur, id liquido constat: non ad *Marcum* quendam *Titium*, Prætorem tum inter ciues ac peregrinos, huius *Aquæ Marciæ* in urbem primum perductæ decus ac nomen, iuxta Frontinum, & qui id a Feneſtella traditum obseruat, esse ullatenus referendum; sed, quod e Plinio vidit eruditissimus Fuluius, ad *Quintum Marcium* cognomine *Regem*, eundemque, ut de Gentilibus *Marciis* antea vidimus, habitum ex Anci Marcii Regis progenie, ac præterea tum in urbe Prætorem. Ut mittam, quod ab ipso Rege ANCO, qui in nummo itidem signatur, eandem Aquam in urbem duci primum cœptam, dein a *Q. Marcio Rege adductam*, auctor sit ibidem Plinius, qui & alibi adhuc huic *Q. Marcio Regi*, ac similiter intra Prætu-

Ut supra.

Lib. XXXVI. cap. 15.

ræ suæ tempus, insigne hoc opus tribuit: seu, ut de eo rursus magnifice ibi loquitur, *inuicta miracula*, *quæ Q. Marcius Rex fecit.* Neque tam priore adeo Plinii, de *Aquæ* illius *Marciæ* auctore, loco, & cui hunc adiungere itidem potuit; aut Plutarchi etiam, qui non uni, sed duobus *Marciis*, *Publio* & *Quinto*, *maximum* illum & *pulcherrimum Aquæductum* tribuit, auctoritate, quam præclari huius nummi testimonio, Frontino alium huius *Aquæ Marciæ* auctorem statuenti, fidem abiudicandam statuit laudatus paullo ante Fabrettus. Quod enim ille Frontino alioquin suffragari putat, *Aquæ* nempe huic *Marciæ* a prænomine *Marco* (memorati scilicet *Marci Titii*) nomen inditum, exemplo *Aquæ Appiæ*, similiter a prænomine *Appii* nuncupatæ; in eo utique virum eruditum, ac in versandis cæteroquin Romanorum nominibus exercitatum latere haud debuerat diuersa longe utriusque illius prænominis MARCI & APPII ratio: quorum illud commune & promiscuum erat Romanorum prænomen; istud vero, nempe APPIUS, non proprium solum *Claudiæ* Genti, sed ita, quod supra iam vidimus, ubi de Romanorum nominibus e nummis hisce Familiarum Romanarum illustratis egimus, ut illud Gentilis velut nominis vicem in eadem impleuerit. Unde, sicut VIA APPIA, non CLAUDIA est appellata; sic quæ eundem *Appium Claudium* Censorem habuit auctorem, dicta quoque AQUA APPIA, sicut *Aurelia*, *Julia*, vel *Claudia* etiam dein, sed ab alterius *Claudiæ* stirpis Imperatore, ac proinde Gentilibus eorum, qui in urbem deduxerant, nominibus. Quam in rem Liuius: *Censura clara eo anno* APPII CLAUDII *& C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad posteros nomen* (non *prænomen*) APPII; *quod* VIAM *muniuit*, *&* AQUAS *in urbem duxit*, *eaque unus perfecit.* Adeo ut *Aquæ Appiæ* mentione haud alius quam *Appius Claudius* eius auctor possit intelligi; *Aquæ* vero *Marciæ*, ceu *Marci*, qui eam duxerit, nomine, non magis *Marcus* aliquis *Titius*, illius Aquæ, iuxta Frontinum; quam alius ex quauis alia Romanorum Gente vel familia dictus prænomine *Mar-*

In Coriolano pag. 313.

Supra p. 29.

Lib. IX. cap. 29.

cus

eus designetur. Id quidem peculiare Imperatori *Marco Aurelio Antonino* contigisse ibidem vidimus, ut solo *Marci* prænomine ab Auctoribus subinde, ac in libris veterum Jurisconsultorum, appelletur; verum de eo hic non agitur. De hac vero *Aqua Marcia*, quam ab Agrippa restitutam addit priori loco Plinius, ipse Augustus in celebri illo Rerum suarum commentario, seu Ancyrano monumento ait: AQUAM, *Quæ* MARCIA *Appellatur, Duplicaui, Fonte Nouo* (Cossoniani in duabus hisce postremis vocibus exemplaris diuersitatem iam non tango) *in Riuum Eius Immisso.* Quomodo *Riuum* dein AQUÆ *huius* MARCIÆ *Vetustate Dilapsum Reficisse* dicitur *Titus Imperator:* eandemque *Purgato Fonte Exesis & Perforatis Montibus Restituisse Antoninus Caracalla* in veteri Inscriptione apud Gruterum, ac apud laudatum modo Fabrettum. Meminit vero eiusdem *Aquæ Marciæ*, præter Scriptores rerum Romanarum, quod olim monueram, ac ab eodem viro docto in opere aliquot post annis diuulgato animaduersum est, tanquam præstantissimæ, Dircæâ utique non inferioris, Arrianus. Mitto nunc, & quod hæc præterea ad sequentium Cæsarum tempora ac historiam respiciant, quendam cum alterius in urbe Aquæ, & huic *Marciæ*, iuxta Frontinum, *bonitate proximæ*, CLAUDIÆ nempe, mentione, Romæ apud Abbatem Bracesium tecum olim visum, ac diuulgatum inde a me nummum; sed cum ea simul cautela, ut, quamquam pro genuino vir ille insigni veterum nummorum peculio instructus eum duceret, de eo tamen, statuendi integrum penes lectorem iudicium reliquerim. Eum vero ab Occone pridem descriptum, ac inter rarissimos ab eo habitum, paullo post vir, qui ætatem in versandis nummis antiquis triuit, dubitanter tamen, protulit, ac dein ex eo Biragius: quem tamen haud tam dubiæ adeo fidei, quam falsæ, seu recentis fabricæ, licet cum sagacibus aliis antiquariis statuere. Certior aliquantum, sed quod ad Historiam Augustam itidem pertinet, Traiani Imperatoris nummus, qui AQUA TRAIANA, cum fluuii iacentis typo inscribitur; prout nempe ἀέριοι ποταμοὶ *in aere fluuii* dicuntur alicubi Nouæ Romæ seu Constantinopolitani, id genus, Aquarum ductus a Gregorio Nazianzeno, ac similiter de hisce Veteris Romæ admirandis, a Rutilio:

Tabul. IV.

Thes. Grut. CLXXXVII, 1.

Diss. VI. de Præst. &c. Num. p. 582.

Diss. in Epictet. lib. II. cap. 16.

De Aquæduct. lib. I.

Patin. Thes. Num. p. 103.

Orat. XXV. p. 345.

Quid loquar AERIO *pendentes fornice* RIVOS.

Itiner. lib. I. v. 97.

Traiani vero cognomine inscripta eadem *Aqua*, sicut *Seueriana* dein, *Antoniana*, & *Alexandrina*. Ut mirum sit nullam cum *Hadrianæ* cognomine seu *Hadrianam* legi; quum tamen de eo principe dicat Spartianus: AQUARUM *etiam* DUCTUS *infinitos* SUO NOMINE *nuncupauit*, & quidem post factam urbis in Thracia, *Hadrianopoleos* ab eo conditæ, mentionem. Quamquam de eodem paullo ante dixerat idem Auctor: *Quum opera ubique infinita fecisset, nunquam ipse, nisi in Traiani patris templo nomen suum scripsit.* Sed hoc obiter.

In Hadriano cap. XIX.

Ibidem.

II. *De* ACTIS PACIS *ac* BELLI *in Nummis Familiarum Romanarum.*

I. *De* ACTIS PACIS.

Quod si ad RES Pace aut Bello a Quiritibus illis vestris GESTAS nos conuertamus, ampla utique in Consularibus illis seu Familiarum Romanarum nummis earum se offert seges, quam ipse eorum adspectus, & adductæ a viris præstantibus ad illos explanandos adnotationes abunde ante oculos ponent. Unde minus forte hic nobis operæ pretium, quod iis exponendis vel illustrandis impendamus, relinquitur. Ut mittam longius iam, ac præter institutum, quum eam sumus adgressi, nobis processisse hanc ad veteres illos Familiarum Romanarum nummos commentationem. Quædam tamen, quo de harum quoque rerum in iis contentarum præstantia lectori aliquatenus constet, ac unde iis insuper lux quædam maior adfundatur, hic tangere, haud erit omnino, ut opinor, ei ingratum, aut alioquin supervacaneum.

1. *De Legibus latis.*

Quo loco illud continuo occurrit inter ACTA, ut bene moratarum aliarum Gentium, ita Romanorum quoque, nihil ita proprium aut gloriosum olim habitum, quam LEGES ab iis latæ. Quam in rem illustria sunt in primis sequentia Ciceronis verba: *Equidem sic existimo, nihil tam esse in Actis Cæsaris, quam* LEGES CÆSARIS; mox: *Ecquid est, quod tam proprie dici potest actum eius, qui togatus in Republica cum potestate imperioque versatus sit, quam* LEX? *Quære Acta Gracchi:* LEGES SEMPRONIÆ *proferentur. Quære Sullæ:* CORNELIÆ. *Quid? Cn. Pompeio tertius consulatus, in quibus actibus constitit? nempe* IN LEGIBUS. *A Cæsare ipso si quæreres, quidnam egisset in urbe & toga,* LEGES MULTAS *respondere se & præclaras tulisse.* Addo etiam, quòd inter præcipuos honores Augusto mortuo decretos, ceu *maxime insignem* memorat Tacitus, *ut* LEGUM LATARUM TITULI, *victarum ab eo Gentium vocabula anteferrentur.* Ut proinde haud novum quidpiam vel insolitum videri debeat, haud minus LEGUM LATARUM memoria, quam Actis aliis, aut Operibus, videre nobilitata illustrium Familiarum in earum nummis insignia. Quomodo etiamnum in aliquot denariis Gentis *Cassiæ* signatam cernimus *Legis Tabellariæ* a L. Cassio Tribuno plebis latæ mentionem: Tabellam nempe, uti ex Asconio Pædiano viderunt iam celebres Antiquarii, cum literis initialibus A. C. hoc est ABSOLVO CONDEMNO, utrinque autem Cistam, in quam id genus Tabellæ coniicerentur; quasque inde, ut hoc addam, *Tabellas, damnatoriam & absolutoriam* vocat in Augusto Tranquillus. Eosdem vero nummos cum Templo Vestæ, ac illius Deæ in priori eorum area effigie ac nomine VESTA, ad iudicium de Vestalibus L. Cassio a populo tributum respicere, sed quod viderat iam ante Fuluius, monuit Gutherius. Expressam vero in uno ex iisdem nummis, ac in prima etiam eius area, LIBERTATIS nomen ac simulacrum, quod ad alia refert (ad cædem nempe J. Cæsaris) idem eruditissimus Fuluius, illustrabunt abunde sequen-

Philipp. 1. c. 7.

Annal. 1. cap. 8.

In Diuination. cap. VII.

Sueton. in Aug. c. XXXIII.

De Jur. Pontif. l. II. c. 10.

tia

tia Ciceronis verba de eadem huius Caſſii lege Tabellaria: [a] *Tabellaria lex ab* L. CASSIO *ferebatur: Populus* LIBERTATEM *agi ſuam putabat*; alibi: [b] *ponam principium iuſtiſſimæ* LIBERTATIS (legem) CASSIAM, *qua ſuffragiorum ius poteſtasque convaluit*; alio autem loco: [c] *Habeat ſane populus* TABELLAM, *quaſi vindicem* LIBERTATIS; dein: *Ut in eo ipſo ſit* LIBERTAS, *in quo populo poteſtas bonis gratificandi datur*. Accedit vero alius adhuc in eadem Gente *Caſſia* denarius, in quo vir togatus Tabellam tenet, quam in urnam ſeu *Sitellam*, ut eam alibi vocat idem [d] Tullius, infra poſitam iacit, ſeu, ut de ea voce Aſconius, [e] *conſtituit*; in qua autem Tabella, iuxta Fuluium litera A, ABSOLVO, ſicut in prioribus modo memoratis, indicet: iuxtà celebrem vero Antiquarium non litera A, ſed V in ea Tabella legatur, & quidem quod notet UTI vel UTIQUE, per quam nempe literam omnes leges, quod ille ait, inchoentur. Quamquam an omnis fides ſit hic Fulvio; ac Patino præterea, qui illius de nummis Familiarum Romanarum opus denuo recentauit, duobus præſtantibus Antiquariis, quique A in eadem Tabella legerint, ſit abroganda, videant ii, quibus verſandi expendendique eiuſdem nummum facultas dabitur: & in quo, ut monetariorum incuria haud ſemel id genus literis contigit, litera A inuerſa, quæ ſpeciem V referret, ſit forte expreſſa. Eandem vero, non quidem ABSOLVO, iuxta priores Tabellas, cum eruditiſſimo Fulvio, ſed ANTIQUO legendam iam olim cenſui: qua voce nempe lex a Magiſtratu rogata reiiciebatur, eademque vox inde initiali litera A in tabellis, quæ in ſitellam proximam coniiciebantur, erat deſignata. Unde apud Ciceronem, & qui ex eodem denario illuſtratur: *Vos demum; ut video, legem* ANTIQUASTIS *ſine* TABELLA. Quomodo nempe UTI ROGAS de eadem lege, quod vulgo notum, acceptâ dicebatur; ac inde in tabellis itidem, non ſola quidem litera V, quæ iuxta celebrem Antiquarium, vel *Uti* demum, aut vero *Utique*, cui tamen nullus erat hic locus, innueret; ſed duæ literæ V.R. *Uti Rogas*, quod monuerat pridem [a] Manutius, erant inſcriptæ. Ita rurſus Cicero: [b] TABELLÆ *miniſtrabantur ita, ut nulla daretur* UTI ROGAS; alibi: [c] *Suade igitur, ſi placet, iſtam ipſam legem, ut ego* UTI ROGAS *poſſim edicere*. Aliam vero Tabellam cum initialibus literis L. D. exhibet Gentis *Cœliæ* denarius, lata nempe a *C. Cœlio Caldo* lege, qua cauebatur, ut de PERDUELLIONE, de qua vocis ſuffragium erat lege Caſſia relictum, tabellæ quoque populo deinceps darentur; in quibus autem, ut ex hoc denario demum conſtat, literæ L. D. ſeu LIBERO DAMNO erant adſcriptæ. Quæ illuſtrat iterum; qui ex eo nummo illuſtratur quoque, Cicero: *Uno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat*, PERDUELLIONIS. DEDIT *huic quoque iudicio* COELIUS TABELLAM. Quo loco haud prætereundum videtur, quod Cæſar tradit, quum in Pompeianis ante prœlium Pharſalicum caſtris ageretur, quid confecto bello de Cæſarianis & de conſtituenda Republica foret ſtatuendum, auctorem fuiſſe in conſilio L. Domitium, *ternas* TABELLAS *dari ad iudicandum iis, qui ordinis eſſent Senatorii: nempe unam fore* TABELLAM, *qua* LIBERANDOS *omni periculo cenſerent; alteram, qua capitis* DAMNARENT; *tertiam, qua pecunia mulctarent*. Unde in priori tabella ſimiliter litera L. ſeu *Libera*; in ſecunda

D.

a Pro Sextio cap. XLVIII.
b Pro Cornel. apud Aſcon. p. 431. Edit. Gron.
c De Legib. l. III. cap. 17.

d *Dum Tabellæ diribuntur, dum Sitella defertur.* pro Cornelia.
e *Conſtituere, tabulas in ciſtâ ponere ſignificat.* in Diuinat. cap. VII.

Vaillant Fam. Rom. p. 241. To. I.

De Legib. lib. III. cap 17.

Ut ſupra.

a De Legib. Roman. cap. XXXV.
b Ad Att. lib. I. Epiſt. 14.
c De Legib. lib. II. cap. 10.

De Legib. lib. III. c. 16.

Bell. Ciuil. lib. III. c. 83.

D. seu *Damno* fuerit adscripta; in tertia vero, litera P. vel M. *Pecunia*, vel *Mulcta*. Exstat vero duarum adhuc celebrium in Romanis monumentis Legum consignata in nummis duarum Gentium *Papiæ* ac *Porciæ*, & e quibus hæc appellatio est iis indita, memoria. Ac prior quidem in tabella inscripta PAPIA, Legem indicans ita ab eius latore *C. Papio* Tribuno plebis dictam, eamque; *Ne quis Peregrinus in urbe esset*, denominatam, ut e Cicerone, qui aliquot locis eius meminit, ac PAPIAM legem similiter vocat, monuit Fuluius. Eiusdem quoque mentio fit a Dione Cocceiano, & qua omnes peregrinos Italia pulsos tradit, iis exceptis, qui eam, quæ nunc vocatur, Italiam incolerent. Junonis vero Sispitæ seu Lanuuinæ additum in eadem denarii illius parte caput, Lanuuio oriundam Gentem *Papiam*, uti plures alias supra iam obiter memoratas Romanorum Familias, quod nec præstantissimum Fuluium latuit, abunde indicat. PORCIAM vero de PROVOCATIONE legem, a P. Porcio Lecca Tribuno plebis latam, exhibet insignis illius *Porciæ* Gentis nummus; in quo ciui Romano stanti ac prouocanti stans itidem Magistratus manum imponit; a tergo vero Prætoris lictor cum virga cernitur; infra autem PROVOCO. Quæ autem de memorabili illa lege, quæ iuxta Liuium, *sola pro tergo ciuium lata: quod graui pœna, si quis verberasset necassetue ciuem Romanum, sanxit*, sunt accipienda. Sed etsi sint hæc iam nota, ac ad hunc denarium a clarissimo Fuluio monita; haud minus tamen operæ pretium erit, præstantiæ ac utilitati, quod hic intendimus, pretiosæ huius mercis venditandæ, eosdem præclaros denarios, latarum totidem insignium Legum indices, eo, quo illos enarrauimus, ordine, lectorum oculis uno obtutu conspiciendos dare.

Lib. xxxvi. pag. 33.

Lib. x. cap. 9.

E quibus autem, id quod iam paullo ante diximus, de quæsita e latis Legibus singulari quadam eorum, qui illas tulerant, laude, ac inde ambitiose prolatis id genus Legum titulis, abunde, ut opinor, comprobatur. Unde etiam Cato, in odium Cæsaris, legum ab eo latarum cognomen, IULIARUM scilicet, secundum quas tum iudicia fiebant, in prætura suppressisse apud Dionem legitur. Haud aliter nempe ac Metello infestos Senatores nomen eius Legi ab eo latæ detrahere, aliudque inscribere voluisse, idem auctor paullo ante tradiderat. Adeo nempe glorioſum videbatur Legem proprio nomine inscriptam promulgasse. Adposite omnino hanc in rem Chrysostomus: Κἂν ζηλώσῃ τις, κἂν μιμήσεται τοῦτο τὸ

Lib. xxxviii. pag. 63.

Lib. xxxvii. pag. 53.

Homil. xxix. p. 332. To. v. ed. Sauil.

τὸ ἔθος, πρὸς τοὺς ἐξετάζοντας ἔξεσιν λέγειν οἱ ἔγγονοι, καὶ οἱ ἐξ ἐγγόνων, ὅτι Ο ΔΕΙΝΑ τὸν καλὸν ΤΟΥΤΟΝ ΝΟΜΟΝ ΠΡΩΤΟΣ ΕΙΣΗΓΑΓΕΝ, *& etiamsi æmulatur aliquis, ac imitatur hunc morem, habebunt nepotes, ac nepotum filii, quod scisitantibus referant, quod* ILLE *scilicet præclaram illam* LEGEM PRIMUS TULERIT. Adeo etiam ut in superioribus nummis impletum videre liceat opportunum Scriptoris cuiusdam dignitate ac meritis non solum intra Britanniam celebris monitum, quod in ciuilis prudentiæ plena Henrici VII. Anglorum Regis Historia consignatum reliquit: *Præcipue vero (nostro quidem iudicio) hoc ipsum optimis Historiæ Scriptoribus desit; quod scilicet non satis crebro summarie referant* LEGES *maxime memorabiles, quæ temporibus, de quibus scripserint, perlatæ sunt, cum sint* LEGES ACTA PACIS PRINCIPALIA. *Etsi enim in voluminibus Legum ipsarum maxima ex parte reperiri soleant, neutiquam tamen hoc tam bene conformat iudicium Regum & Consiliariorum & virorum ciuilium, quam si viderint eas descriptas, & veluti* DEPICTAS *in* TABULIS *temporum.* Verulamius Baco.

Inter alia ac illustria Pacis Acta, FOEDERA, solemni olim ritu sanciri a Populo Romano solita, referre itidem licet; cuiusque rei etiam expressa occurrit in Consularibus hisce nummis memoria. Sic in thesauris Gallorum Regiis dudum a me obseruatum, & ex iisdem, ut statuere licet, depromptum, atque Fuluianæ collectioni additum, *Antistiæ* Gentis nummum vulgauit nuper celebris Antiquarius; in quo hinc caput Augusti ac nomina, illinc duo Feciales togati, qui veluti dextras iungunt supra Aram inter eos accensam, & cum inscriptione ANTISTIUS IIIVIR FOEDUS P. R. CUM GABINIS. Sub Ara porcam occisam cerni tradit idem vir præstans, qui tamen in nummi icone ab eo adducta non comparet. Ritum vero pangendorum apud Romanos fœderum, ac e Cicerone, Liuio, aliisque vulgo notum, pulchre ante oculos ponit idem nummus. Neque enim Feciales solum ad res repetendas, ac, ubi eædem denegarentur, ad iustum bellum rite indicendum mitti a Romanis erant soliti; sed ad Fœdera quoque sancienda, Pacemque faciendam iidem sunt adhibiti. Quamquam istud non videtur agnoscere in suis ad Liuium adnotatis Jac. Gronouius, ubi inter alia dici ab eodem videas: *Scilicet res bellica ad Feciales, fœdera ad patrem patratum spectabant*; illudque inter eos, *feciales* nempe & *patrem patratum*, discrimen Seruii auctoritate adsertum putat. Quum tamen vel apud eundem Liuium, ubi de fœdere agit inter Albanos Romanosque feriundo, paullo ante legatur: FECIALIS *Regem Tullium ita rogant: Jubesne* ME, *Rex, cum patre Patrato Populi Albani* FOEDUS FERIRE? *iubente Rege &c.* ubi de patre patrato, qui iuramentum conciperet, ab eodem feciali creato agitur. Neque vero ignorare debuit immitis ille alienæ inscitiæ vel incuriæ, ubi eam se putat deprehendere, censor, cum e *Fecialium* numero *patrem* illum *patratum*, & quidem primum vel maximum, exstitisse, tum *Feciales* dictos vulgo a Græcis Σπονδοφόρους, *Fœderum sponsores*, aut Εἰρηνοποιοὺς etiam *Pacem facientes*, non bellum proinde solum indicentes. Quod utrumque epitheton tradit Plutarchus: Διά τι τῶν λεγομένων ΦΙΤΙΑΛΙΩΝ, Ελληνιστὶ ΕΙΡΗΝΟΠΟΙΩΝ, ΣΠΟΝΔΟΦΟΡΩΝ, ὁ καλούμενος Πάτερ Πατρᾶτος ὀνομάζετο ΜΕΓΙΣΤΟΣ; *cur inter eos, qui dicuntur* FECIALES, *Græce autem* PACEM *vel* FOEDERA

2. *Fœdera Populi Romani cum exteris populis sancita.*

Vaillant Fam. Rom. p. 75. To. I.

Not. ad Liu. lib. V. cap. 32.

Lib. I. cap. 25.

Quæst. Rom. pag. 279.

DERA FACIENTES, *is*, *quem Patrem patratum vocant*, *habetur* MAXIMUS? Quomodo itidem Σπονδοφόροι dicti Romanorum *Feciales* apud Dionysium Halicarnassensem, ac in Glossis antiquis: Σπονδοφόροι, *Feciales*. Immo, prout alibi de iisdem ait Dionysius, *quod fœderum religionem ferunt*, *pacem*, quod addit, *faciant*. Quam in rem similiter Festus: *Feciales a feriendo dicti: apud hos enim* BELLI PACISQUE *faciendi ius est*. Adeo ut Seruius, iis quos adduxit Batauus Criticus, verbis (*Feciales & Pater patratus*, *per quos* BELLA *vel* FOEDERA *confirmabantur:* item, *verbena*, *qua coronabantur Feciales & Pater Patratus*, FOEDERA *facturi*, *vel* BELLA *indicturi*) neutiquam, quod ille censet, a feriendis fœderibus excluserit ibi Feciales, idque soli Patri Patrato, qui tamen ipse erat, ut vidimus, e Fecialium numero, reliquerit. Utrumque etiam *Fecialibus* tribuit Varro: *Feciales*, *quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat*, *ut iustum conciperetur* BELLUM, *quod inde desitum*, *& ut* FOEDERE *fides pacis constitueretur*. Addit vero: *Ex his mittebant antequam conciperetur* (nempe *bellum*) *qui res repeterent*, *& per hos etiam* NUNC FIT FOEDUS. Quibus autem postremis verbis, quod minus forte adtento lectori videri posset, non id innuitur, quasi antiquum ius Fecialium solummodo ad indicendum bellum, non vero, sed quod tum Varronis ætate primum obtinuerit, ad fœdus quoque faciendum respexerit. Verum, præterquam quod istud quoque ad Feciales spectasse, antiquissimi fœderis apud Liuium verbis, aliisque auctoritatibus abunde est a nobis iam adsertum; id ipsa quoque Varronis, quæ præcedunt, & adduximus itidem, verba manifesto comprobant: quod *per* hos, nempe Feciales, *iustum* olim *conciperetur bellum*, ac *ut fœdere fides pacis constitueretur*; antequam vero bellum indiceretur, e Fecialibus mitterentur, qui res repeterent: quod postremum Varronis ætate, ut ille ibidem innuit, obsoleuerat; non vero, quod per Feciales fœdus, uti olim, fieret. Quod vero *Fœderis* a *Populo Romano cum Gabinis* initi renouata sit eodem nummo ab *Antistio Triumuiro* Monetali sub Augusto memoria; id utique ad antiquitatem *Antistiæ* Gentis Gabiis oriundæ reuocandam factum videri, opportune ad eundem monuit idem, qui primus eum protulit, celebris Antiquarius. Id autem, ut hoc addam, suadet omnino ac illustrat singularis apud dictum modo Dionysium locus, ubi obsessis a Rege Tarquinio Superbo Gabiis, Sexti filii, qui ad Gabinos profugerat, dolo circumuentum tradit inter alios nobilissimum omnium Gabinorum ANTISTIUM cognomine PATRONEM, τὸν ἐπιφανέστατον τῶν Γαβίων, ΑΝΤΙΣΤΙΟΝ ΠΑΤΡΩΝΑ.

Antiq. lib. I. pag. 17. Τὰ περὶ τὰς συνθήκας ὅσια φυλάττειν &c. lib. I. p. 13. Ad Æneid. XII. ℣. 120. De L. L. lib. IV. Antiq. lib. IV. pag. 255.

3. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Exstant vero duo a præstantibus Antiquariis vulgati in Gente *Veturia* nummi, cum eodem in auersa nummi parte typo; duabus nempe figuris stantibus & media genuflexa, quæ porcam tenet; quod iis itidem ad Fœdus aliquod, & quidem Ursino, qui primus eos protulit, ac [a] Andreæ Morellio dein, inter Romulum ac Tatium, Romanos proinde similiter ac Sabinos, ictum: nuper vero [b] celebri Antiquario, ad pacem inter Romanos & Ligures factam, referre visum est. Eosdem tamen nummos ad Gentem *Vettiam* potius, quam ad *Veturiam* spectare inde existimabat laudatus Morellius; quod mortuo Romulo Interrex dicatur exstitisse apud Plutarchum nomine *Vettius*; ac inde firmari eadem opera poterat, quod in

a In Epistol. Consulari. b Vaillant Fam. Roman. p. 534. To. II.

in unico, qui exstat hactenus huius Gentis *Vettiæ*, nummo, Tatii Sabinorum Regis caput cum inscriptione TA. SABINUS sit in prima nummi area expressum. A quibus tamen discedit doctissimus Jac. Perizonius, cum in eruditis Dissertationibus pridem editis, tum in suis ad me, post vulgatam Morellii de Nummis Consularibus Epistolam, literis; qui inde non *Vettium* quempiam cum Morellio, iis in nummo literis TI. VET. (quod inter alia *Tiberii* prænomen in ea gente foret inusitatum) sed *Tiberium Veturium Philonem*, Flaminem Martialem a Liuio memoratum, putat designari; neque vero alienam videri ab eiusmodi Martiali Flamine alteram nummi partem, in qua non Fœdus aliquod, iuxta dictos Antiquarios, depingitur, sed, præter ROMÆ nomen, Dux quispiam Romanus, & Mars cum solita ei Hasta, deiectum utrinque populi Romani hostem vulnerantes. In ea autem veterum monumentorum penuria, quod mihi haud difficulter largietur vir non doctrinâ solum sed candore singulari, haud facile equidem licet statuere, an nullum in Gente *Vettia* prænomen *Tiberii*, quod reperitur in *Veturia*, exstiterit: prout iam ante adducta sunt a nobis exempla id genus prænominum, quæ subinde in solis Gentium Romanarum nummis hodie leguntur. Accedit, quòd initialibus Gentilis nominis literis VET., quæ solæ in nummo comparent, *Vettius* aliquis potius, quam *Veturius* notari videatur; maxime quum tribus illis literis prima Gentilis *Vettii* nominis syllaba (quod tamen fateor in nummorum id genus inscriptionibus haud adtendi) exprimatur; pluribus etiam literis, ne diuersa illa Gentium Romanarum nomina confunderentur, immo cum ipso *Philonis* cognomine, legatur alius *L. Veturius* in tribus apud Goltzium nummis, ac inde inter Gentis *Veturiæ* denarios a celebri Antiquario nuper relatis. Adde, quòd ad *Vettium* quempiam posset idem nummus eo probabilius referri, si de Fœdere inter Romulum ac Tatium, quod Ursino videbatur, in auersa nummi parte icto constaret: quum in alterius & unici, qui VETTII nomen præfert, denarii priori area exstet, ut paullo ante diximus, signatum *Tatii Sabinorum* Regis nomen & caput. Fœdus quidem aliquod ictum in eo nummo innuere videtur porca, in Patiniana quidem Familiarum Romanarum numismatum editione male omissa; non vero in antiquiori, & quæ ab ipso Ursino prodiit, Romana, nec in postrema etiam, quam celebris Antiquarius diuulgauit, est præterita. Immo cuius rei fidem faciet eiusdem nummi, quem inter præclara id genus cimelia præstantissimi Equitis Andreæ Fontaine ante aliquod tempus versare mihi licuit, quæ mox sequetur, effigies. Duo autem, iuxta Ursinum, occurrunt in nummis Familiarum Romanarum, *Corneliæ* nempe & *Valeriæ*, *Flamines Martiales*, & cum aliis typis: quibus tertium addit in Gente *Satrienа* celebris Antiquarius. Id obiter de auersa parte, quam in duobus Gentis *Vettiæ* vel *Veturiæ* nummis signari diximus, hic tangam; adductam a Viro excellenti doctrina & ingenio de Marte ac Romano quopiam Duce deiectum hostem vulnerantibus interpretationem, eo forte laborare incommodo, quod illa, præter alienam prorsus ab ea, & quæ in Patiniana editione erat omissa, porcam in eodem nummo depictam, ad hoc flaminium indicandum minus opportuna videatur. Duos utique diuersis temporibus Flamines Martiales, eosdemque simul Consules, L. Postumium Albinum, & (cuiusque sacerdotii index nummus in Gente *Valeria*) L. Valerium Flac-

Differt. III. pag. 223.

Lib. XXIX. cap. 38.

Vaillant Fam. Rom. p. 358. To. II.

cum, urbem egredi, quo in prouinciam ad bellum gerendum tenderent, prohibitos legimus: priorem a Metello Pontifice Maximo; alterum a collega in Consulatu P. Licinio Crasso, mulcta etiam iis indicta, si a sacris discessissent, & Martis ceremonias desererent: ut de priore [a] Valerius Maximus, de posteriore [b] Cicero tradidere. Sed ecce illius, de quo hic hactenus, nummi, aut *Vettii* alicuius, uti equidem cum Morellio mallem; aut *Veturii*, cum Ursino, Patino, Vaillant, præstantibus Antiquariis, ac doctissimo Perizonio, effigiem.

a Lib. 1. cap. 1, 2.
b Philipp. x. cap. 8.

Mitto iam duas *Dextras*, easque cum *Caduceo*, illoque subinde alato; iunctas in aliquot Gentium Romanarum, uti *Mummiæ*, *Mussidiæ*, *Semproniæ*, *Siliæ*, aliarumque denariis obuias: quas autem peruulgatum fidei, concordiæ, societatisque initæ symbolum apud veteres exstitisse, contritum est, ac in priori huius operis parte e nummaria id genus penu iam adsertum.

Tom. 1. p. 143.

4. *De* Romanorum Signis *a Parthis Augusto* restitutis.

Conspiciuntur vero in aliquot Gentium Romanarum denariis, ut *Aquilliæ*, *Caniniæ*, *Durmiæ*, *Petroniæ*, quæ cæteroquin in rebus Augusti Imperatoris, ubi & alii eiusdem facti indices nummi reperiuntur, sibi locum potius vindicant, signa nempe militaria M. Crasso & M. Antonio a Parthis adempta, eidem vero Augusto a Parthis restituta, renouato nempe inter Parthos ac Romanos fœdere. Quantum autem sibi inde gloriæ accreuisse censuerit Augustus, & quauis victoria de Parthis ipsis relata id potius duxerit, non e Dionis adeo ea de re verbis liquere potest, quam e nummorum adspectu, qui in rei illius memoriam cum diuersis typis ac symbolis etiamnum prostant: Parthi puta signum tenentis & genuflexi; vel Arcus triumphalis, cum Quadrigis desuper; vel Martis nudi stantis, dextra Aquilam, sinistra signum Legionis gestantis; aut in Æde Martis Ultoris stantis eiusdem cum Tropæo simulacri; aut Aquilæ in Thensa cum Quadrigis, vel Clypei Votiui inter Aquilam & Signum Legionis; aut Coronæ Quernæ seu Ciuicæ; aut Capricorni, genitalis Augusti signi: variisque additis inscriptionibus, SIGNIS RECEPTIS, vel RECEPTIS SIGNIS PARTHICIS, vel CIVIBUS ET SIGN. MILITA. A PARTH. RECEPTIS, aut iuxta alios nummos, RESTITUTIS, aut etiam RECUPER. Quibus adde in uno inscriptionem MARS ULTOR. Quales autem nummi cum alibi in libris & museis antiquariorum obuii, tum ad Suetonium, ubi is facti illius meminit, adducuntur ab eximio Patino; nempe iuxta Horatium:

Lib. IIII. pag. 525.

Vid. Goltz. in Augusto Tab. 38, 39, 40.

Ad August. cap. XXI.

Lib. IV. Od. 15.

Et SIGNA *nostro* RESTITUIT *Ioui*
Derepta PARTHORUM *superbis*
Postibus.

Quæ præclare adhuc illustrat, ac Dionem simul, singularis quidam, &

An-

Antiquariis, quod equidem sciam, hactenus indictus, Augusti nummus. Auctor est enim Dio, quòd Augustus, post Signa illa a Parthis recepta, ex Oriente Romam redux, inter alia illius decoris monumenta vel insignia, *celete*, & quidem *ouans*, ut ibi interpres, *sit urbem inuectus*, ἐπὶ κέλητος τὴν πόλιν εἰσήλασε. Id vero in quodam *Liciniæ* Gentis nummo expressum statuit celebris Antiquarius, in quo Augustus equo vehitur, dextra coronam tenens, cum inscriptione AUGUSTUS DIVI F. in cuius autem auersa parte Apex & Ancilia signantur, cum inscriptione P. STOLO IIIVIR. Verum nec ulla in eo nummo Aquila, aut Signi Legionis effigies, sicut in tot indicibus eorum a Parthis receptorum nummis; aut vero, prout in aliis, inscriptio, quæ id continuo indicet: adde, quòd alii occurrunt Augusti equo similiter vecti nummi, qui ad restituta hæc Signa nihil omnino adtinent. Adde nec expressa in altera nummi parte cum *P. Stolonis*, e gente nempe *Licinia*, nomine, ea, de quibus alius occurret dicendi locus, cum Apice Pontificali Ancilia; quæ Romæ in Martis sacrario erant pridem condita, eorundem custodibus, ac certo anni tempore per urbem latoribus, Saliis. Quo tempore autem, motorum seu circumlatorum per urbem Ancilium, infaustum quidquid susciperetur habitum e [a] Tacito, & [b] Suetonio, ac, notante ad Suetonium Casaubono, [c] Polybio iam ante ac e [d] Liuio liquet. Adeo ut nulla utique certa præclari huius decoris, & quo se magnifice adeo extulit Augustus, illiusque solemnis inde in urbem, ac ouantis instar, ingressus memoria eo nummo consignari videatur. Factum vero opportune, ut, dum haud unius generis cimelia viri ornatissimi Joannis Kemps, in Angliæ Metropoli, lustrare mihi nuper contigit, inciderim forte in nummum Augusti argenteum optimi commatis, qui hinc caput illius exhibet cum eius nomine, AUGUSTUS; illinc virum Equo vectum, retro autem tria Signa Legionum, qualia in variis Augusti nummis, qui eadem a Parthis restituta indicant, conspiciuntur, & cum addita inscriptione C. CÆSAR AUGUSTI. F. Ex eo autem, & quem extare itidem audio in Thesauris Gallorum Regiis, possit quis, minus in id genus nummis versandis exercitatus, statuere, Augustum non equo solum, ob recuperata illa, & quidem citra cruorem, Signa, urbem, quod de illo tradi a Dione vidimus, solemniter inuectum; sed præterea cum iisdem illis, quæ post eum præferebantur, Signis: verum Caium in Armeniam ex urbe proficiscentem idem nummus exhibet. Unde rem gratam omnino harum lautitiarum cupido Lectori me facturum reor, si insignis adeo nummi conspectu frui per me hic eidem liceat.

Lib. LIV. pag. 512.

a Histor. l. I. c. 80.
b In Othon. c. VIII.
c Excerpt. Leg. XXIII.
d Lib. XXXVII. c. 33.

An vero *ouantis* reuera fuerit, ut visum est Dionis interpreti, hic Augusti in urbem ingressus, haud certo equidem licet statuere. Neque enim ad-

ducta Græca Auctoris verba id necessario inferre videntur, sed id demum quod Augustus *equo urbem sit inuectus*. Adde, quòd *Ouationis* illius ob recepta eadem Signa nulla facta sit ab Auctoribus, vel in Fastis Capitolinis, mentio, in quibus ter quidem triumphasse, bis autem ouans urbem ingressus dicitur apud Suetonium Augustus, post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Quod de duplici eius *Ouatione* firmant etiam, ut ibi monuit ὁ πάνυ Casaubonus, Fasti Capitolini: sed quarum prior *Ouatio*, ut ibi indicatur, exstiterit post pacem cum Antonio factam; altera post reditum ex Sicilia; neutra ob Signa, multis dein post annis, a Parthis restituta. Mitto, quòd *ouantes* non *equo*, vel *curru*, sed *pedibus* olim, iuxta [a] Plutarchum ac Masurium Sabinum apud [b] Gellium, urbem inire fuerint soliti: immo hoc solum inter maiorem ac minorem hunc Triumphum discrimen exstitisse, quod ille *equester* (seu, ut idem alibi accuratius, [c] ἐφ' ἅρματος, *curru* seu *curulis*) hic *pedester* esset, [d] τὸν μὲν ἱππικὸν, τὸν δὲ πεζικὸν, ut docet, quod & alio adhuc loco similiter tangit, [e] Dionysius. Idem vero aliud insuper inter utrumque Triumphum discrimen [f] priori loco adducit, quod *ouantes* neque Togam pictam, nec Trabeam Consularem, aut Sceptrum etiam, sicut triumphantes, gestarent. A *pedestri* vero illo *ouantis* in urbem ingressu, dicta inde alio loco ab eodem Auctore, *ouatio* [g] πεζὸς θρίαμβος *pedester triumphus*, sicut in priscis etiam Græcis Latinisque Glossis legitur: in postremis nempe, *Ouatio*, Ευάτη, πεζὸς θρίαμβος, ac idem quoque in prioribus in voce Ευάτη. Quamquam, ad adducta paullo ante Dionis verba quod adtinet, eaque, iuxta eius interpretem, *de ouante* Augusto *in urbem inuecto*, ἐπὶ κέλητος τὴν πόλιν εἰσήλασε, adstruant similia omnino eiusdem Auctoris de Druso Tiberii fratre, cui post deuictos Sicambros concesserit Augustus, τάς τε ἐπινικίους τιμὰς, καὶ τὸ ἐπὶ κέλητος εἰς τὸ ἄστυ ἐλάσαι, *triumphales honores*, *ac ut equo ouans urbem inueheretur*; ac de Tiberio, Dalmatis & Pannoniis ab eo oppressis, paullo post, τά τε ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε, ut ibi interpres, *ouans equo in urbem inuectus est*, seu, *ut ouans equo urbem iniret*, *iussit* Augustus: τὰ ἐπινίκια enim, & quæ ibi proxime de parata simili, ni is subito fato esset functus, Drusi *ouatione*, & τὰ Νικητήρια, a Dione promiscue de *maiore*, ac *minore triumpho* seu *ouatione* dici solent. Immo quomodo ipsi Augusto, post deuictum in Sicilia Sex. Pompeium, unanimi in urbe consensu decretum inter alia tradit idem Auctor: Ἀψῖδά τε τροπαιοφόρον, καὶ τὸ ἐφ' ἵππου (ut bene ibi in margine correctum, pro ἐφ' ἵππους) ἐσελάσαι, *Arcum triumphalem*, *utque equo ouans inueheretur*. Quæ firmat similiter Dionysius; ubi de T. Veturio Consule ei sermo, qui cum Collega L. Lucretio de Æquis & Volscis triumphante, non curru quidem seu maiore triumpho, sicut Lucretius, sed minore [a] πεζὸς ἐλαύνων, *pedes urbem sit inuectus*, *ouans* nempe, ut id insuper e [b] Liuio, ac e [c] Fastis Capitolinis de eodem Veturio constat, & ratio illius loci omnino arguit. Quod enim *pedibus* ille, non *equo*, ut Augustus, ac dicti modo eius priuigni, Drusus ac Tiberius, in eius nummo, sit *inuectus*, ac discrimen illud inter *maiorem triumphum* seu *ouationem* obseruarint, ut vidimus, Dionysius, Plutarchus, ac dictus apud Gellium Sabinus Masurius, aliique; hinc etiam ad *ouantis* Augusti in urbem ingressum, ob recuperata a Parthis, quæ in eodem comparent, Signa, adductus paullo ante nummus minus commode referri potest. De

eo

In Augusto cap. XXII.

a In Marcello p. 310.
b Lib. V. cap. 6.

c Antiq. lib. V. p. 313.
d Ibidem l. IX. p. 626.
e Lib. VIII. p. 536.
f Ut supra l. V. p. 313.

g Ibid. l. IX. p. 594.

Lib. LIV. p. 544.

Idem lib. LV. p. 549.

Ibidem.

Lib. XLIX. pag. 400.

a Ut supra l. IX. p. 626.
b Lib. III. c. 10.
c Ad an. V. C. CCXCI.

eo tamen *dissensisse olim veteres Scriptores*, an *equo* veherentur, vel *pedibus* ingressi sint ouantes, tradit indicato iam loco Gellius: qui vero dissensus inde ortus videtur, quod, quum pedibus urbem ouantes inuecti sint primi illi & antiqui Romanorum Duces, eaque tum esset *Ouationis* illius institutæ ratio; uti id expressa eam in rem, neque uno loco, grauissimi Auctoris, Dionysii Halicarnassensis uti & Plutarchi, verba, ut de adductis Glossis antiquis sileam, omnino adstruunt; factum sit dein, ut, sicut de mutatis subinde ouantium coronis, ex eodem Gellio, ac aliunde, uti ea de re paullo post, constat; ita etiam non *pedibus*, sed quod decentius aliquanto visum est, & de Augusto maxime, summo tum Romani imperii Rectore, eiusque priuignis Druso ac Tiberio vidimus, *equo* dein ouantes sint inuecti. Quod mihi insuper licet e Seruio adstruere, a quo ad vocem *ouantes* apud Maronem dicitur: *Ouatio est minor triumphus*, & UNO EQUO *utitur*. Quam in rem autem, ut obiter hoc tangam, minus opportune ad memoratum Gellii eam in rem locum, duo adducuntur ibi a viro docto exempla eorum, qui *ouantes equo* urbem inierint: *T.* nempe *Veturii*, de quo paullo ante, & *Claudii Neronis:* quum tamen prior, ut e clarissimis Dionysii verbis de eo vidimus, urbem *pedibus ouans* sit ingressus: alter vero Claudius Nero, equo quidem ex Senatusconsulto, collega autem eius M. Liuius, quod in eius prouincia & eo die esset pugnatum, quo forte eius auspicium fuerit, quadrigis urbem sint inuecti; sed post decretum prius utrique a Senatu triumphum, maiorem nempe, seu qui vulgo eo nomine dici consueuit, *consociatumque*, ut a Liuio in eius rei narratione dicitur, *triumphum*, quem etiam huic Claudio Fasti Capitolini tribuunt, non vero minorem, seu *Ouationem*. Unde sermonibus spectantium de Claudio Nerone iactatum sit, *uno equo per urbem verum triumphum vehi*. Adeo ut, ad *ouantium*, quod tum obtineret adhue, discrimen, non *pedibus*, instar illius, de quo modo, *ouantis* T. Veturii, triumphante itidem quadrigis Collega, sed *equo* urbem inierit idem Claudius: quamquam, uti id a Senatu decretum tradit ibidem Liuius, *sine militibus*, præter consuetum nempe non curru solum triumphantium, sed *ouantium* etiam, ut hoc ex alio Dionysii loco constare potest, morem. Quæ autem, non contumeliose quidem, ut solet, sed vel obiter, a postremo apud Batauos Gellii, ubi superior hæc notatio legitur, editore moneri omnino debuerant, ne illa fraudi esset lectori minus adtento. Eadem cæteroquin, de quibus hic agitur, signa Tiberio, ad recuperandam Armeniam misso, a Parthis restituta docet in eius vita Suetonius. Restituta vero illa fuere, quæ eum ab Orode, post Crassi cladem, tum ab eius filio Phraate, M. Antonio pulso, erant capta, ut tradit Velleius. Quomodo amissis postea sub eodem Augusto Signis, in illata Varianis Legionibus, non a Parthis quidem, sed a Germanis elade, de iisdem, nec ultro, aut citra fusas Germanorum acies, a Germanico receptis, fidem etiamnum faciunt præclari quidam nummi, in quibus hinc GERMANICUS CÆSAR in quadrigis triumphalibus; illinc stans ipse paludatus, sinistra Aquilam, non *restitutam* sed *recuperatam*, gestans, eum inscriptione SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. S. C. Quale etiam decus ambiuisse postea, quod hic obiter addendum est, Domitianum Imp. liquet; in cuius honorem duo similes nummi sunt percussi: unus cum Sar-

Ad Æneid. IV. v. 543.

Lib. v. cap. 6.

Antiq. lib. IX. p. 626.

Lib. XXVIII. cap. 9.

Ibidem.

Antiq. lib. V. p. 314.

Cap. IX.

Lib. II. cap. 91.

mata

mata genuflexo, Parthi instar in Augusti nummis, Signum Legionis gestante, & cum simili quoque inscriptione SIGNIS A SARMAT. RECEPT. alter nummus cum eodem est typo, sed citra additam epigraphen.

5. *De Cæde J. Cæsaris in nummis.*

Quid iam aliud memorem in urbe quidem ac a togatis ciuibus, non ciuile tamen, sed atrox & cruentum omnino facinus patratum, cædem nempe J. Cæsaris, quam ostentant, iique haud ignoti, Gentium *Iuniæ* ac *Plætoriæ* denarii; in quibus hinc M. BRUTUS, percussorum antesignanus, & LIBERTAS P. R. RESTIT. seu *Restituta*, cum utriusque in diuersis nummis effigie, ac inter duos Pugiones Pileus, peruulgatum Libertatis apud Romanos symbolum, ac præterea EIDUS MAR. seu *Eidus Martiæ*; quo nempe memorabilis adeo & Fastis consignandus, Restitutæ scilicet Populi Romani Libertatis dies, nunquam e memoria hominum excideret. Neque vero hic tango tributum alteri e percussoribus a nobili Antiquario, ac prout est ab eo editus, *Atilio Cimbro* nummum: in quo hinc non pusillus equidem Pugio ante barbatum caput; illinc Pileus, infra Serpens alatus cum baculo seu virga depinguntur; sed quem nummum, ut adulterinum nec antiqui commatis, ac inde non in Italia primum a [a] Jo. Bellorio, post diuulgata Tristani opera, sed in [b] Gallia iam ante a peritis Antiquariis merito explosum, haud ignoras, ut opinor. Adeo ut mirari etiam subeat eum a [c] Patino denuo diuulgatum; etsi cuius, ut addit, suspecta esset auctoritas, & e quo proinde de vero illius *Atilii*, non *Tullii*, iuxta Casaubonum ad Suetonium, nomine nihil ausit statuere. Adeo ut ex eo nummo nulla decedat antiquis Auctorum veterum codicibus fides, in quibus ille non *Atilius*, aut *Tullius*, sed *Tillius*, ut obseruat doctissimus Perizonius, dicitur; nec laborandum proinde, ut in eodem nummo, non ATILIUS, sed A. TILLIUS refingatur.

Tristan. Com. To. 1. p. 43.

a *In libello Italico sub nomine Bonini edito.*
b Vid. Seguin. Sel. Numism. p. 90.
c Ad Sueton. in J. Cæs. cap. CXXXII.

Anim. Hist. cap. VIII. p. 332, 333.

6. *De Sellis Curulibus, quæ vel absentibus vel mortuis in Theatris ac in Templis collocabantur.*

Sicut vero de SELLIS CURULIBUS, quatenus illæ summos in urbe Magistratus, &, qui a *Sellis* id genus nomen sortiti sunt, *Ædiles*, in denariis illis Gentium Romanarum designabant, supra egimus: ita de iis id monendum adhuc ex eadem penu antiquaria superest, absentibus etiam aut mortuis illustribus Quiritibus, ut eximium aliquod honoris insigne, eas olim subinde decretas. Præter Liuium vero ac Dionem, e quibus hunc morem ad Tacitum primum a se explicatum monuit [a] Lipsius; adtigerat vero, ac e Liuio insuper, & Appiano illustrauerat eodem tempore, si non iam ante, [b] Fuluius; aliunde insuper, & iuxta receptum iam in Ægypto morem, adseruit ad Suetonium [c] Casaubonus; clarissima illius rei argumenta, quod postremum nec τὸν πάνυ fugerat, veteres nummi etiamnum suppeditant. Quod in sequenti utique nummo cernitur, in quo hinc caput Cæsaris necdum Augusti, ac nomen, CÆSAR IIIVIR R. P. C. illinc Sella Curulis cum Corona desuper, & inscriptione CÆSAR DIC. PERP. qualis nempe patri eius Cæsari, inter alios honores, cum corona aurea erat decreta, & in cuius rei memoriam cusus est sub eius filio adoptiuo ac hærede, cuiusque ad Tacitum meminit quoque, ut id animaduertere mihi dein licuit, eruditissimus Ursinus, hic nummus.

a Com. ad Annal. II. cap. 83.
b Famil. Rom. p. 115. ed. Rom. & Patin. edit. p. 136.
c Com. ad J. Cæsar. cap. LXXVI.

Ad Ann. l. II. c. 83.

Cuius

Cuius rei origo profecta eſt, cum ex honore προεδρίας in Theatris quæſito, ut obſeruarunt iam viri docti; tum ex ſimili honore Diis exhibito in illis ludorum ſolemnibus. Id etiam ſatis innuit Dio; dum adſerit decretam eiusmodi Sellam Cæſari, & coronam ex auro ac geminis inſignem, *æquato cum iis quæ Diis tribuuntur honore*, ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν. Ludi nempe Gentilium, ut notum, Diis ſacri: unde factum ut Coronæ illis ac Sellæ, tanquam ſupremis Ludorum Præſidibus, ponerentur; quæ poſtea, cum reliquis Deorum honoribus, defunctis vel abſentibus Cæſaribus, aut Coniugibus Auguſtorum, ſicut [a] Fauſtinæ Antonini Pii, apud eundem Dionem, aut ex eorum agnatione vel progenie, ut [b] Marcello, [c] Germanico, aliisue id genus Auguſtæ Domus ſubſidiis, ſunt communicatæ. Unde factum etiam paullatim, ut non una, ſed plures eiusmodi Sellæ maiori teſtando erga defunctum cultui tribuerentur: ſicut tres Sellas aureas mortuo Pertinaci decreuiſſe Senatum tradit rurſus Dio. Immo nec in Theatris ſolum, ut hoc addam, ſed in Templis quoque idem Sellæ honor eſt Cæſaribus nonnunquam exhibitus: unde abſente Caio, Sellam eius in Templo poſitam Patres adoraſſe, idem quoque Dio auctor eſt. Neque vero aliena ab hoc more, immo eidem plane conſona, apud hodiernos Chinenſes obtinere video: ubi receptum tradunt, ne ullus ad Regis ſeu Imperatoris conſpectum admittatur, niſi adorato prius ſolemni ritu ſuperiorum Regum ſolio. Ita liquet ad hunc ritum referri etiam debere duas *Sellas Curules*, obuias in nummis argenteis, quales ante annos aliquot verſabam in Cimeliarchio Barberino, mortuis nempe & conſecratis Veſpaſiano ac Tito dicatas. Eiusdem notæ etiam occurrit Titi nummus aureus cum Sella Curuli & Corona; ſed eo adhuc ſuperſtite, ut ex inſcriptione eius liquet, percuſſus. Mos autem ille apud Romanos repetitus videtur ex uſu veteris Reipublicæ; quo, in illuſtrium virorum funeribus, Maiorum effigies, cum auro radiata toga, ἐλεφαντίναις δίφροις, *eburneis ſellis*, quales erant, ut aliunde obuium, *Sellæ Curules*, erant impoſitæ, ac pro Roſtris, ut docet Polybius, collocatæ. Neque vero id apud Romanos ſolum, ſed apud Græcos etiam aliasque Gentes obtinuiſſe, præter adducta eius rei a magno Caſaubono, ut paullo ante diximus, ex Æmilio Probo ſeu Cornelio Nepote, & ex Athenæo in pompa Ptolemæi Philadelphi exempla, ſuppeditabit etiam in Alexandro, præter adductum a Probo vel Nepote Eumenis factum, Curtius: *Tunc Perdiccas* REGIA SELLA *in conſpectum vulgi data, in qua Diadema veſtisque Alexandri cum armis erant, annulum ſibi pridie traditum a Rege in eadem ſede poſuit.* Id vero tralatitium, eam fuiſſe *Sellæ Curulis* apud Romanos dignitatem, ut eadem inter inſignia dona haberetur, quæ amicis ac bene meritis Regibus mitti a Senatu Romano conſueuerant; uti de [a] Syphace, [b] Ptolemæo & Cleopatra, [c] Maſiniſſa, Eumene,

Lib. XLIV. pag. 243.

[a] Lib. LXX. pag. 813. [b] Ibidem. [c] Lib. LIII. pag. 517.

Lib. LXIV pag. 671.

Lib. LIX. pag. 659.

Lib. VI pag 41.

Lib. X. cap. 6.

[a] Lib. XXVII. cap. 4. [b] Idem. [c] Lib. XXXI. cap. 11.

mene, apud Liuium; de Ariarathe Cappadocum Rege, apud [a] Polybium; &, cui primum id tribuerint Romani, de Porsena Etruscorum, a [b] quibus cæteroquin Sellæ illius usus ad Romanos transierat, Rege, apud [c] Dionysium legitur. Immo, prout inde Ariobarzanem Cappadocum Regem, eundemque Φιλορωμαῖον, *Amicum Romanorum* appellatum, *Sellæ Curuli*, quam pro munere a Senatu acceperat, insidentem vidimus in [d] priore huius operis parte; ac illud insuper, quo se muneris illius magnitudinem intelligere testarentur Reges id genus, solitos dein illos iis Sellis insidentes ius dicere: uti id de Antiocho Epiphane, a Polybio apud [e] Athenæum, [f] Diodoro, ac [g] Liuio tradi ibidem diximus. Ut proinde haud immerito Θρόνος ἐλεφάντινος, *thronus* seu *solium eburneum*, de *Sella Curuli* haud semel dicatur, ut obseruo, [h] Dionysio. E quibus præterea abunde liquet, cur eadem, ceu insigne aliquod honoris ac dignitatis symbolum, in nummaria illa Familiarum Romanarum penu depicta toties cernitur.

a Excerpt. Leg. CXXI.
b Liuius lib. I. cap. II.
c Antiq. lib. V. p. 393.
d Differt. VIII. p. 475. To. I.
e Lib. V. p. 393.
f Excerpt. Valef. p. 306.
g Lib. XLI. cap. 20.
h Antiq lib. V. p. 303. & l. VI. p. 415.

2. *De* ACTIS BELLI *in Nummis Familiarum Romanarum.*

De Victoriis ac Triumphis, qui designantur in nummis Familiarum Romanarum.

Verum crebriora adhuc eaque illustria inprimis, ac interdum singularia; BELLI ACTA in Consularibus illis seu Familiarum Romanarum nummis certatim consignata intuemur: e quibus nempe quæsitum sit potissimum illustribus id genus Quiritibus, ac inde integris earum Gentibus seu Familiis, decus. Cuius autem rei quum ampliſſima sit in iisdem nummis seges, eaque passim a præstantibus antiquariis ad eosdem indicata; in ea, quæ supereſt adhuc, copia, aliquod demum spicilegium, ad aliquam eius rei fidem hic quoque faciendam, adtingere nobis iam licebit. Ac in genere quidem VICTORIAS ac TRIUMPHOS, quibus magnitudinem suam Romanum illud imperium debet acceptam, ac quibus Virtus, iuxta tum receptum huius rei nomen, illorum Quiritium maxime inclaruit, magno numero nobis etiamnum ostentat præclara hæc nummorum id genus supellex. Hinc in ea passim obuium, ut haud opus sit ipsa Familiarum nomina recensere, VICTORIÆ, illiusque cum Corona simulacrum; aut eadem victorem Ducem coronans; vel Tropæum; aut ipsa Tropæum ferens, aut Bigis vel Quadrigis Triumphalibus insistens. Mitto addita subinde deuictarum Gentium nomina, ut ARME. seu *Armenia* CAPTA, in *Aquillia* & *Petronia*; ÆGYPTO CAPTA, in *Julia*; PRIVERNUM CAPTUM, aut PRIV. CEPIT, in *Æmilia* & *Plautia*; EX ALPIBUS, in *Antonia*; &, quæ idem innuunt, adscripta subinde sola Regionum nomina, ut GALLIA, in *Sulpicia*; HISPANIA, in *Postumia*, ac eadem citra eius nomen depicta in *Mettia*, *Poblicia*, *Pompeia*; INSUBRIA in *Cornelia*, *Valeria*; ac similiter fluuius RHENUS, in *Claudia*. Adde petita, ac supra iam indicata, e deuictis Gentibus illustria Quiritium cognomina ACHAICI, AFRICANI, ASIAGENIS, BALEARICI, CRETICI, DELMATICI, HISPANIENSIS, ISAURICI, MACEDONICI, NUMIDICI, *Mummiis* olim, *Scipionibus*, *Metellis*, *Fabiis*, *Seruiliis*, delata.

TRIUM-

2. *Continuatio de Triumphis.*

TRIUMPHOS vero, solemnia maxime ac præcipua Victoriarum id genus præmia, nemo mirabitur tot hisce Familiarum Romanarum nummis se videre insculptos, qui nouit iis haud adeo e summis in Republica honoribus seu Magistratibus, Dictatura, Consulatibus, Censura, aliisque id genus, gestis, quam ex actis Triumphis gloriam ac decus partum; unde de Gente *Liuia* dicit Tranquillus: *Ipsa adnodum floruit octo Consularibus, Censuris duobus,* TRIUMPHIS *tribus; Dictaturâ etiam ac Magisterio Equitum honorata.* In Tiberio cap. 3. Hinc *congestos iuueni*, Tiberio nempe, *Consulatus, Triumphos*; alibi Poppæum *Principum amicitiâ, Consulatum, ac Triumphale decus adeptum*, tradit Tacitus: ac de socero suo Agricola, ceu felicitatis in hac vita summam consequuto, expresse: *Consularibus & Triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud adstruere fortuna poterat*; quæque id genus obuia in Romanorum historia ac monumentis. Immo unde non Capitolinis solum Fastis, seu marmoreis Tabulis, ad æternam rei memoriam, consignati gesti post pulsos Reges Consulatus ac Dictaturæ; sed seorsim quoque descripti in iis ac ordine traditi *Triumphales* id genus *viri*; seu a quibus, & quo tempore ac anno Triumphi sint a condita urbe ad Claudii Imp. principatum per octingentos annos acti. Cuiusmodi proinde *Triumphi* per triumphales Quadrigas passim in hisce denariis, aliisue Gentium Romanarum nummis designati: quibus vel triumphantes cum scipione eburneo insistunt, laurea redimiti; vel ipse Jupiter quandoque, cuius nempe singulari ope & auxilio victoria foret parta, & cuius Capitolini Jouis ædem triumphator urbem curru inuectus continuo conscenderet. Adde expressum in anteriori huiusmodi nummi parte TRIUMPHI Dei, illiusque laureati nomen ac signum, uti in Gente *Papia:* immo, iuxta celebrem Antiquarium, in Goltzianis aliquot nummis Gentium *Claudiæ*, *Furiæ*, *Manliæ*, ac *Seruiliæ*, & quidem ob literam T in uno ex iis expressam. In quibus tamen postremis nummis abludens haud parum effigies ab huius Dei in *Papia*, & cum addito integro eius nomine TRIUMPUS (sicut in aliis eorum temporum nummis GRACCUS, pro *Gracchus*) imagine, & cum fluentibus cincinnis, ut Apollinem potius comatum innuere videatur, prout de eo Apollonius Rhodius:

Annal. I. c 4. Annal. VI. c. 39. Vaillant Fam. Rom. To. I. & II. In Claudia num. 9.

Χρύσειοι δὲ παρειάων ἑκάτερθεν
Πλοκμοὶ βοτρυόεντες ἐπερρώοντο κίοντι.

Lib. II. v. 678.

Aurei ab utraque gena cincinni intorti fluitabant euunti; ac Tibullus:

Intonsi crines longa ceruice fluebant.

Lib. III. Eleg. IV, 27.

Immo qualem etiam cum pendentibus longa ceruice & cincinnatis crinibus figuram eidem Apollini in nummis aliquot Gentium Romanarum, uti *Calpurniæ*, *Liciniæ* & *Marciæ*, tribuit idem celebris Antiquarius; alibi vero, ut in *Æmilia*, *Junia*, *Papiria*, adscribit *Genio populi Romani.* Idem quoque literam T in Goltziano Gentis *Fabiæ* denario a tergo cincinnati itidem capitis, non de *Triumpho*, sed de *Tutelari* itidem *Genio* explicandam credit. Mitto hic, quod apud Valerium Maximum legitur, veteribus Senatusconsultis literam T subscribi solitam, qua continuo significaretur, ita quoque Tribunos plebis censuisse. Quamquam illa imber-

Vaill. Fam. Rom. p. 211, 212. To. I. p. 44. & 103. To. II. Idem p. 20. To. I. p. 23. & 204. To. II. Idem p. 415. To. I. Lib. II. cap. II, 7.

Vid. Etymol. M. & Suidam in Θριαμβος. bis & cum promissa ac cincinnata coma effigies, ad Bacchum, Θρίαμβον a Græcis, ut aliunde constat, appellatum, siue *Triumpum* in memorato ante nummo, primumque *Triumphatorem* habitum, ubi alia in iisdem nummis aliud non suadent, referenda videretur. Unde etiam a Plutarcho, & quidem ubi de *Triumpho* ac *Ouatione* ab eo agitur, Εὖιος ac Θρίαμβος, *Euius* & *Triumphus* dicitur: & quomodo, ut hoc addam, Θριαμβοδιθύραμβε, voce e duobus huius Bacchi epithetis composita, inuocatur in veteri carmine apud Athenæum. Εὖιος a Plutarcho præterea dictus, ob solitam Io TRIUMPHE in pompa triumphali acclamationem, cuiusque rei index etiamnum est singularis nummus, ab eximio Begero nostro e cimeliis Regiæ Brandenburgensis Gazæ vulgatus. Eundem vero Deum, etsi alioquin LIBERUM PATREM vulgo appellatum, ac *barbatum* etiam subinde in nummis aliisque monumentis antiquis depictum, ab æterna tamen iuuenta ac pulchritudine vulgo apud veteres Hellados aut Latii poëtas prædicari solitum constat; ut apud Ouidium:

In Marcello p. 311.

Lib. xiv. pag. 617.

Metam. l. v. v. 17.

Tibi inconsumpta iuuenta,
Tu Puer æternus, tu formosissimus;

indeque εὐχαίτην, etiam, seu *pulchre comatum* dici. Verum quæ liquidius patebunt e dictorum nummorum sequenti conspectu; ac primo quidem, quo ipse TRIUMPUS Deus seu Bacchus, ad fidem nummi Pembrockiani, & quidem citra lanuginem, quam ei cæteroquin tribuit imago eius in Patiniana Ursini, & in nupera celebris Antiquarii, non vero in Romana ab ipso Ursino procurata Familiarum Romanarum editione, exhibetur. Cui accedent, tum cincinnati id genus ac imberbis capitis effigies, ac retro litera T in Goltziano Gentis *Claudiæ* nummo, qua *Triumphum* signari licet cum celebri Antiquario statuere; tum in duobus *Calpurniæ* ac *Liciniæ* nummis, in quibus Apollinem omnino designari, quod viderat iam Ursinus, arguit in priori Tripus a tergo capitis expressus, in utriusque autem auersis partibus desultorius equus, ludorum Apollinarium, & qua de re supra egimus, quos Prætores Urbani L. Piso vel A. Licinius Nerua tum egerint, index.

3. *Enumeratio aliquot insignium Triumphorum in nummis Familiarum Romanarum.*

Ut vero ex amplo *Triumphorum*, qui in illis Familiarum Romanarum nummis etiamnum prostant, numero, quique in Fastis Triumphalibus aliisue monumentis antiquis memorantur, aliquos hic tangam: occurrunt continuo insignes id genus Triumphi, ut *Manii Acilii Glabrionis*, de Rege Antiocho & Ætolis; *L. Scipionis*, de eodem Rege, & e partis aliquot Asiæ regionibus, *Asiagenis*, vel *Asiatici* inde dicti; ac iam ante *P. Scipionis Africani* fratris, de Pœnis, Annibale, ac Numidis; *L. Sullæ*, de Rege Mithridate; *L. Luculli*, de eodem Rege ac Tigrane; *Pompeii*, de

de iisdem duobus Regibus victis, totque aliis in Oriente Prouineiis, ac Piratis præterea, ſubactis. An vero in peculiari denario, qui a Fauſto, Sullæ filio ac Pompeii genero, eſt eum quatuor in eo Coronis, quæ orbem terrarum ambiunt, euſus, reſpexerit ille, iuxta Urſinum, ad quatuor Sullæ patris ex Græcia, Aſia, Ponto, & Rege Mithridate; vel, ut viſum eſt celebri Antiquario, ad quatuor ſoceri, Pompei nempe, eosque inſignes ex Europa, Africa, Aſia, ae Piratis inſuper Triumphos, haud certo licet ſtatuere. Unum certe triumphum egiſſe Sullam de Rege Mithridate ex Aſia, idque per biduum; tres vero Pompeium, primum ex Africa, alterum ex Hiſpania, tertium vero ex Aſia, Ponto, &c. Piratis, Regibus Mithridate & Tigrane, ac per biduum itidem, e Fragmentis Capitolinis ae aliunde conſtat. Quem poſtremum eius Triumphum de omnibus bellis ſimul ab eo actum tradit Dio; additque inſuper unum magnum ae ſumptu ingenti apparatum inter alia Tropæum, inſcriptum DE ORBE TERRARUM, περὶ τῆς Οἰκουμένης. Ad quod proinde *Tropæum* reſpexiſſe videtur, ubi agit de indigna huius Pompeii, poſt tot Triumphos, exde, & opportune inſuper ad eum, de quo agitur nummum, Valerius Maximus: *Eius* (Pompeii nempe) *caput* TRIBUS CORONIS TRIUMPHALIBUS *ſpoliatum*, *in* SUO *modo* TERRARUM ORBE *nusquam ſepulturæ locum habuit*. Quomodo etiam inter honores J. Cæſari a Senatu decretos refert alibi idem Coeeeianus Dio, æream eius Orbem Terrarum inſidentis effigiem. Quo loeo, etſi alterius rei index, nummus haud eſt hie prætereundus, qui e Goltzii Faſtis eſt nuper ab eodem celebri Antiquario inter Gentis *Cocceiæ* denarios relatus; in quo ASI. EUR. AFR. *Aſia*, *Europa*, *Africa* tribus globis leguntur inſcriptæ, infra S.P.Q.R. eireum M. COCCEI IIIVIRI nomen; in anteriore autem parte Auguſti eaput ae tituli: quo autem denario imperii Romani per tres illas orbis partes diffuſi facta ab Auguſto cum Senatu Populoque Romano diuiſio innuitur. Utriusque vero illius nummi, prioris eum quatuor *coronis triumphalibus*, ut eas a Valerio Maximo dici vidimus; poſterioris eum tribus globis, quibus tres orbis partes inſcribuntur, & eum Auguſti effigie in anteriori nummi area, ſequentur hie icones.

Vaillant Fam. Rom. p. 360. To. I.

Lib. XXXVII. pag. 39.

Lib. V. c. VII, I.

Lib. XLIII. pag. 220.

Neque vero eum eximio [a] Begero noſtro, Quadrigas, quibus Victoria inſiſtit eum palma, deſuper autem Corona, eum epigraphe M. TULLIUS, ad Triumphum referas M. Tullii Ciceronis, de quo ipſemet in Epiſtolis ad [b] Catonem, ae ad [c] Attieum meminerit. In iis enim Epiſtolis non acti quidem a ſe triumphi, quem nunquam egit, ſed eum adipiſeendi flagrans oſtendit deſiderium: quod conſilium tamen ciuilis inter Pompeium ac Cæſarem belli tum orti, Pompeiique ex urbe cum Conſulibus & parte Senatus profecti intuitu, omittere eſt coactus. Id vero ſponte etiam ab eo fa-

4. *Continuatio eiusdem argumenti.*

a Continuat. Theſ. Brand. p. 590.
b Lib. XV. Epiſt. Fam. 4, 6.
c Ad Attic. L VI. Epiſt. 1, 2. &c.

In Cicerone p. 879.

factum, auctor est in eius vita Plutarchus: nempe ut, decernente ei triumphum Senatu, *malle se dixerit* Cicero, *facta* inter utrumque *concordia*, *Cæsarem triumphantem sequi*. Neque vero quadrigas in illo nummo triumphales, quæ lento nempe procedant gradu, exhiberi, sed quarum incitato cursu decurrentes seu salientes equos ad Circense potius spectaculum adtinuisse; Victoriam præterea cum palmæ ramo iisdem quadrigis insistentem ac desuper Coronam, ac in anteriore nummi parte Romæ caput ac nomen, opportuna quoque eius rei symbola, licet omnino statuere.

5. *De Quadrigis Elephantorum Triumphalibus.*

Ad quadrigas vero Triumphales quod adtinet, eas non equis tantum, sed, quod aliunde constat, ac sub Cæsaribus dein familiare, Elephantis iunctas exhibent duo Consulares Gentium *Atiliæ* & *Cæciliæ*, iique e Goltzii Fastis adducti nuper a celebri Antiquario, denarii; & quidem posterior cum sessoribus insuper pueris. Priore, qui *A. Atilii Calatini* nominibus signatur, Triumphus ex Sicilia de Pœnis, cum in Fastis Capitolinis ad A. V. C. CDXCVI, tum ab Aurelio Victore memoratus, traditur. Alter vero, Goltzianus itidem nummus, in *Claudia* cum sessoribus pueris, M. MARCELLI M. F. M. N. nomina ac literas præfert: quibus vero insigniti leguntur diuersis temporibus aliquot Triumphi in Fastis Capitolinis, iique de *Syracusanis*; de *Insubribus* & *Comensibus*; de *Gallis* & *Liguribus*; & exeso in alio Gentis, e qua unus ex iis triumphis foret actus nomine, anno nempe V. C. CDXLVIIII. Verum hisce antiquiores cernuntur Elephantorum Bigæ in denario Gentis *Cæciliæ*, quem primus protulit Fulvius, quibus figura insistit, quam Victoria desuper coronare intendit, & cum inscriptione C. METELLUS; in memoriam nempe L. Metelli, qui Pœnis primo Punico bello deuictis, CXLII. Elephantos Romam ratibus vehendos misisse a Plinio dicitur, quique, ut de iis tradit Verrius, pugnantes in Circo fuerint interfecti. Quales vero, de numero enim eorum non conueniunt Auctores, CXXXVIII. Elephantos [a] Dionysius, CXXII. [b] Liuiana Epitome, CXX. [c] Seneca & [d] Eutropius, in illius Metelli triumphali pompa traductos memorant. Elephanti cæteroquin sex annis ante, post Pyrrhum nempe debellatum, fuerant in triumpho Manii Curii Dentati primum visi, ut id ex [e] Plinio itidem, & clarius adhuc e dictis modo [f] Seneca & [g] Eutropio constat, & a quo postremo dicitur, quod *primus Romam quatuor Elephantos duxerit*. Quod vero tradit, iuxta [h] Plinium, Fenestella, primum omnium in Circo pugnasse Elephantos, M. Antonio A. Postumio Coss. anno urbis DCLV; [i] Asconius autem Pædianus, Cn. Pompeium ludis, quibus theatrum a se factum dedicauit, Elephantorum pugnam primum omnium dedisse in Circo; putat vir eruditissimus ex Plinio supplendum in Asconio numerum XX. *Elephantorum*: ante enim hos Pompeii ludos tantum Elephantorum numerum pugnasse in Circo, non esse ullis, quod equidem sciat, monumentis proditum. Verum, quod excidit ibi viro docto, dixerat paullo ante Plinius, quod transuectos ex Sicilia a L. Metello CXLII. Elephantos, ac proinde ante duo propemodum sæcula, iuxta eundem, *Verrius*, Flaccus nempe, *pugnasse in Circo, interfectosque iaculis tradit*. Pompeium cæteroquin id primum intendisse, ut, in primo etiam eius ex Africa triumpho, curru cum Elephantis iuncto urbem iniret; sed quod porta foret angustior, id omittere coactum, & Equorum quadrigis inuectum, auctor est Plutarchus. Duos vero

Varllant in Arilia num. 3. & Claudia num 33.

De Vir. Ill. cap. XXXIX.

Lib. VIII. cap. 6.

a Antiq. l. II. p. 126.
b Epitom. XIX.
c De Breuit. Vitæ c. 14.
d Lib. II. c. 13.

e Ut supra.
f De Breuit. Vitæ c. 13.
g Lib II. cap. 8.
h Lib. VIII. cap. 7.

i In Pison.

Harduin. Not. & Emend. ad l. VIII. sect. XIV.

Lib. VIII. cap. 6.

In Pompeio p. 126.

num-

nummos cum Elephantorum Bigis, & qui ad recentiora, Auguſti nempe Imperatoris, tempora ſpectant, iidem Conſulares nummi exhibent: unum a Fuluio iam ante vulgatum in Gente *Aquillia* (ita conſtanter nummi, non, ut vulgo, *Aquilia*) alterum, quem nuper primus protulit in Gente *Durmia* celebris Antiquarius; in quibus idem typus viri tunicati bigis Elephantorum inſiſtentis, qui dextra ramum Oleæ, ſiniſtra Scipionem tenet, cum epigraphe in utroque AUGUSTUS CÆSAR. Quo autem utriusque nummi illius typo, iuxta Pighium, & qui id de priori *Aquillia* denario monuerat, deſignari ſtatuit celebris Antiquarius Oratorem tum ab Indis in urbem miſſum, qui pacem ab Auguſto, ut id narrat Dio, expeteret; & a quo peregrina animalia, ut Tigrides inter alia, ſint in urbem primum inuecta. Quam de duobus illis nummis cum eodem illo typo coniecturam libero lectoris iudicio relinquimus: dum eam nec adſerendi aliunde aut infirmandi idonea ratio ſe nobis iam offerat. Certior forte eadem coniectura videri poſſet; ſi Bigas non *Elephanti* ſed *Tigrides* traherent, quas ab Indo illo Oratore aduectas, ac tum in urbe primum viſas, tradit ibidem Dio: niſi forte proprium illud Libero Patri vehiculum; quod, iuxta poëtas, veteres nummi, ut id iam alibi vidimus, eidem tribuunt, relinquendum veniat. Eâdem vero ac ſequenti demum ætate, obtias illas apud Romanos *Elephantorum Quadrigas*, in honorem conſecratorum Cæſarum, vel Auguſtarum; ſolemnibusque per Circum vehendis eorum thenſis; aut triumphales easdem, ob inſignes victorias, maxime autem Perſicas, quæ frequentes occurrunt in Cæſarianis nummis, & ab Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus ſubinde memorantur, non ſunt autem huius loci, iam mitto. Signatas vero in quatuor dictis paullo ante Gentium Romanarum *Cæciliæ*, *Durmiæ* (cuius idem cum *Aquillia* nummo, ut diximus, typus) *Atiliæ*, & *Claudiæ* denariis *Bigas Elephantorum* & *Quadrigas* exhibet ſequens eorum ſchema.

Vaillant Fam. Rom. p. 127. To. 1.

Lib. LIII. p. 527.

Vid. Capitolin. in Gordian. c. XXVII.

Exſtat vero ſingularis quidam Auguſti nummus a præſtantibus Antiquariis iam vulgatus, quemque in iisdem cimeliis laudati ſupra Britanni Joannis Kemps obſeruare mihi ſimiliter licuit: etſi enim nulla quidem Triumuiri Monetalis, a quo ſit ille cuſus, ac Gentis proinde alicuius Romanæ, ad quam ille referri continuo debeat, occurrat in eo mentio, opportune tamen, iisdem quippe temporibus ſignatus, commemorandus hic venit. Exhibet ille Scipionem cum Aquila deſuper, Togam pictam, & Coronam lauream, cum inſcriptione S. P. Q. R. PAREN. CONS. SUO, *Senatus Populusque Romanus Parenti Conſeruatori Suo*; in aucrſa vero nummi parte Quadriiuges equos cum Thenſa, e qua velut exiliens Quadriga marmorea, additis nominibus, CÆSARI AUGUSTO. Hunc autem nummum inter eos recenſuit Goltzius, qui ob ſigna a Parthis reſtituta, de qui-

6. *Triumphalia ornamenta in vetere nummo.*

a Goltzius in Auguſto Tab. 39. Areſch. Num. Tab. XIII. num. 21.

Ut ſupra.

quibus supra eginus, in honorem Augusti, ac in decoris illius memoriam, sunt percussi: ut inde liqueat illum Scipionem, in eo cum Aquila expressum, ad Aquilam legionariam, cuiusmodi a Parthis recepta cernitur in pluribus aliis indicibus illius rei nummis, continuo referri. Obuium alioquin est & contritum, Scipionem eburnum, in cuius summitate erat Aquila, a triumphantibus gestari olim solitum; cuiusque rei indices tot veteres harum Gentium Romanarum nummi, qui quadrigis triumphalibus vectos, Scipionem id genus, seu, iuxta Juuenalem, *volucrem sceptro quæ surgit eburno*, dextra tenentes ostentant. Quod a Regum apud Græcos vel Barbaros more profectum, ex eruditis ad Aristophanem Criticis pridem viderat, & a doctissimo Reinesio iam animaduersum postea didici. Ad quem proinde morem, potius quam ad Aquilam legionariam, referri posset superior figura; maxime quod, quæ ibidem conspiciuntur, Toga picta & Corona laurea, essent itidem consueta triumphantium insignia. Ut tamen Legionis Aquilam, & qualis a Parthis erat Augusto cum aliis Signis restituta, in eo nummo exprimi, certe ut ad eam ibi similiter respici statuam, suadet omnino unius vel alterius apud Goltzium Aquilæ conspectus in thensa a quadriiugibus equis ducta, & cum marmorea, ut in altera huius nummi parte, quadriga, atque inscriptione, ut in priori illius area, CÆSARI desuper, ac infra AUGUSTO. Quæ e sequenti schemate, cum utroque illius, de quo hic agimus, nummi latere; tum cum duabus auersis nummorum, quibus idem illud restitutorum Signorum decus celebratur apud Goltzium, iconibus fient manifesta.

Satyr. x. ℣. 43.

Schol. Auib. ℣. 510, 515. Ad Rupert. Epist. xxi.

Priori vero illo nummo, qui Aquilam legionis, ac simul triumphalis Sceptri imaginem, Togam pictam præterea, & Coronam lauream exhibet, *Triumphalia Ornamenta*, quibus haud minus ac *Ouatione*, de qua supra, ob Restituta illa Signa decoratus sit Augustus, designari statuendum est. Eadem enim hæc, Togam nempe pictam & Coronam lauream, solemnia, iuxta Scipionem seu Sceptrum eburnum cum Aquila in eius apice, fuisse Triumphantium insignia, nemo hodie illiteratus adeo est aut in Romana antiquitate hospes, qui ignoret. *Togam* certe *pictam* dictam iam antiquitus *triumphalem*, quod eâ triumphantes Romanorum Reges sint usi, vel ex Dionysio liquere potest, ubi de eâ agit, iuxta Sellam Curulem, Sceptrum, & Coronam, ad Porsenam Regem missâ, & quam vocat θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ὑπὲρ ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο, *triumphalem vestem*, *qua Reges ornabantur*. Quo etiam *triumphalis vestis* nomine solet eadem ab Auctoribus, ut a Tacito non semel, designari; a Dione autem, prout τὰ ἐπινίκια *Triumphus* ab eo subinde, & qua de re paullo ante, dicitur, ita

Antiq. l. v. p. 303.

Annal. I. c. 15. XII. c. 41. XIII. c. 8.

ita ἡ ἐπινίκιος στόλη *triumphalis veſtis*; ubi a Pompeio inter alios honores id a Senatu indultum tradit, ut priuatus etiam in ludis Circenſibus eâ uteretur. De Corona laurea, triumphali itidem dicta, res peruulgata; atque ita, ut ex iis conſtitiſſe inprimis liqueat, ac e *Tunica* inſuper *Palmata*, quæ dicuntur paſſim apud Auctores illius, quo hi nummi ſunt cuſi, & proximi æui, *Triumphalia ornamenta*, & *Triumphalia inſignia*: inducto primum, quod viderunt iam viri docti, ſub Auguſto eius rei more; ut ſolemni illo pompæ Triumphalis decore Cæſaribus deinceps relicto, non omni tamen Triumphi honore carerent, qui eum promeriti eſſent Cæſarum auſpiciis, re bello feliciter geſta, & abſentes etiam quandoque Legati eorum, vel exercitibus Præfecti. Hinc, poſt inſignem de Britannis victoriam ab Agricola tum prouinciæ illius Rectore reportatam, Tacitus: *Triumphalia ornamenta, & illuſtris ſtatuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in Senatu iubet* Domitianus. Quod vero apud Suetonium Tiberius dicatur, ſub Auguſto nempe, *primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, idque nouo nec antea cuiquam tributo genere honoris*, haud immerito redarguit ὁ πάνυ Caſaubonus; quum iam ante Agrippæ iuſti Triumphi, eique etiam decreti loco, *Triumphalia* demum *ornamenta* conceſſa tradat Dio. Verum, quum id non certo, aut quaſi ipſe adfirmaret, a Suetonio dicatur de Tiberio, ſed poſtquam præcauerat, *ut quidam putant*, inde nihil eius fidei aut etiam accurationi decedit; nec opus omnino, ut, iuxta virum magnum, *primus* ibi in *prius*, quod nec patiuntur meliores codices, nec commodiorem valde ſenſum efficeret, commutetur. Quod vero ad Triumphalia id genus ornamenta huic nummo inſculpta adtinet, & Triumphales inſuper Quadrigas in altera eius parte expreſſas, cum memorabili inſcriptione in priori per ſolita literarum compendia, *Senatus Populisque Romanus Parenti Conſeruatori Suo*; illius vero in altera nominibus, *Cæſari Auguſto*, id ſtatuere licet, haud pro vulgari beneficio ac honore in ſe collato a Senatu Populoque Romano habitum, quod formidatum ſæpe ac ſemper æmulum Romano imperio Parthorum Regem Regum eo reuerentia Auguſti adduxerit, ut direpta ſacra illa Romanarum Legionum Signa, ac pro Numinibus, ut de iis mox adhuc dicetur, ab iis culta, & pro quibus, tanquam pro aris ac imperii maieſtate, pugnare eſſent ſoliti, ultro ac ſponte eidem, datis etiam ſimul obſidibus, reſtitueret. Unde etiam, quod ſupra iam vidimus, ubi de Signis illis receptis agebatur, omni monumentorum genere, cum ab Auguſto, tum a Senatu Populoque Romano celebrata eſt ac propagata illius facti memoria. Id vero erat obuium, cur inde non Triumphus quidem Auguſto ſit decretus, quum ſigna ea citra ullam belli vel prœlii aleam, ac victoriæ inde relatæ decus, Parthorum Rex ei ultro, ut modo diximus, obtuliſſet; ſed, Triumphi loco, Triumphalia demum Ornamenta fuerint eidem delata. Mitto, quòd *ab infantia*, ut de eo Tacitus, *eductum in domo regnatrice* Tiberium, non *Triumphos* ſolum, ſed Triumphalia quoque ornamenta adeptum, e Suetonio paullo ante vidimus.

Lib. xxxvii. p. 39.

In Vita Agricol. cap. 40.

In Tiberio cap. 9.

Lib. liv. p. 538.

Annal. 1. cap. 4.

Ouantis vero ob Signa illa recepta Auguſti, ut Dionis verba id videntur innuere, idque alterius & ſingularis quidem nummi fide comprobari, facta eſt iam ante, ubi de iisdem Signis reſtitutis agebatur, a nobis mentio.

7. *De* Ouatione *ſeu* Minore

Triumpho *in nummis.*

tio. De *Ouatione* cæteroquin, seu *minore*, uti eum a Dionysio dici vidimus, adde & a [a] Plinio, *Triumpho*, in aliis Gentium Romanarum denariis designata silent præstantes antiquarii. Ad quam tamen licet forte referre duos nummos, qui e Goltzii Fastis sunt nuper inter *Corneliæ* Gentis ac *Treboniæ* denarios a celebri Antiquario relati; in quorum auersa parte *Ouis* cernitur. *Ouationem* equidem, quam a Romanis ὠάν (fortè ἄβαν, iuxta [b] Plutarchum) vocari tradit [c] Dionysius, [d] alibi vero Græca voce Εὐάτην dici obseruat; & quidem, ut ad eum monuit, in nupera & præclara illius Auctoris editione, doctissimus [e] Jo. Hudsonus, ob militares Romanorum in Triumphis, sicut bacchantium in Liberi Patris sacris Εὐοῖ vel Εὐὰν acclamationes, unde ἐυάζειν, & *euantes* apud Maronem, qui postea *ouantes* dicti, ac ita ὄασις *ouatio*, pro ἔυασις. Ad quæ respexit etiam, ut hoc addam, Plutarchus, ubi eam de vocis huius *ouationis*, seu ἐυασμοῦ, traditam a multis Græcorum originem, quasi a Baccho, qui Εὔιος, ut paullo ante vidimus, ac Θρίαμβος dictus, foret arcessenda, tradit simul ac refellit; & quam cæteroquin adstruunt memoratæ iam supra veteres Græcæ ac Latinæ Glossæ: *Ouatio*, Εὐάτη, non, ut hodie apud Dionysium, Εὐάτης. Verum missa Græca illius vocis *Ouationis* origine, eam, Græcus cæteroquin Auctor, dictus modo Plutarchus, a Latina voce *Oue*, quæ nempe in hoc minore, seu pedestri, iuxta Dionysium, ut supra vidimus, Triumpho, mactaretur, sicut in maiore Taurus, appellatam statuit. Cui suffragatur etiam, ut obseruo, Seruius, eo loco, quem iam antea adduximus, ob factam ibi *ouantis*, illiusque *imo equo*, non proinde *pedibus*, urbem ingressi, mentionem, ac de quo addit: *Deducitur ad Capitolium, & de* OUIBUS *sacrificat:* UNDE & OVATIO. Quamquam id facile crederem, inditam a Romanis minori huic Triumpho *Ouationis*, cum ab *Oue* in eo mactari solita, appellationem; tum insuper habito quodammodo respectu ad militares in Triumphis, quorum Bacchus primus auctor ferebatur, acclamationes, easque bacchantium clamoribus haud dissimiles. Unde, sicut in Dei illius, qui & inde *Euan* vocabatur, sacris, ἐυάζειν, ἔυασις, ἐυασμὸς, de quibus consuli possunt eruditi ad [a] Aristophanem Critici, adde & apud Euripidem, [b] ἔυασμα, apud Dionysium ac in Glossis, ut modo vidimus, Εὐάτη, vel Εὐάτης, ac inde etiam *euantes* apud [c] Maronem ac [d] Propertium, & inde *ouantes* sæpe apud [e] priorem, pro *bacchantes*, *lætantes*; ita solemnis erat illa militum in Triumphis, & quem in veteri adhuc nummo signari vidimus, ac repetita quidem acclamatio, Io TRIUMPHE, prout [f] Ἰὼ Βάκχαι, Ἰὼ Βάκχαι, item [g] Ἰὼ, Ἰὼ Δέσποτα, *Io Bacchantes*, *Io Bacchantes*, aut *Io*, *Io Domine* apud Euripidem. Adeo ut, in hac voce *Ouationis* ac *Ouantis* de minore triumpho, eo magis inditum id ei a Romanis nomen, ut paullo ante dixi, existimarem, quod cum ad *Ouem*, quæ tum erat immolanda, ac simul ad solitas illas in Triumphis acclamationes, ac Latio iam donatam *euantis* de bacchante, seu clamantium bacchantium more, vocem, ac unde, unius literæ *e* in *o* mutatione, *ouans* factum est & *ouatio*, eadem simul adluderet. Quo respexit etiam Festus: *Ouantes*, *lætantes*, *ab eo clamore*, *quem faciunt reduces in pugna victores milites*, *geminata litera O*; nempe, ut modo diximus, ac petito e bacchantium seu *euantium* ritu, *Io*, *Io*. Unde haud eo minus signatà, ut paullo ante diximus, *Oue* in duobus Gentium *Corneliæ* ac *Treboniæ* nummis,

a *Item minoribus triumphis Ouantes.* lib. xv. cap. 4.

b In Marcello p. 310.
c Antiq. l. VIII. p. 535.
d Ibid. lib. v. p. 313.
e Annotat. p. 337.

Ut supra in Marcello p. 310.

Ad Æneid. IV. ℣. 543.

a Schol. Auib. p. 581.
b Εὐάσματα ἐπιβρέμει Bacch. ℣. 151.
c Æneid. VI. ℣. 517.
d Lib. I. Eleg. 11.
e Georg. l. I. ℣. 326. Æn. I. ℣. 189 &c.
f Bacch ℣. 577.
g Ibid. ℣. 790.

In *Ouantes.*

mis, ac in postremo etiam cum *Ara* & *Cultro*, quo erat in Capitolio; ut id e Seruio vidimus, mactanda; in anteriore autem utriusque nummi area *Jouis*, *Capitolini* nempe, effigie *Ouationem* designari, haud immerito arbitrari mihi liceat. Nec obstat, ut posset forte quis statuere, quod *Ouem* in priore, seu *Corneliæ* Gentis denario, ambit *Corona laurea:* quum *Ouantium* corona vulgo fuerit, ut id apud [a] Plinium, [b] Plutarchum, [c] Gellium, ac [d] Festum legitur, utque viderunt pridem viri docti, *myrtea*. Verum ex *Olea* coronatos *minoribus triumphis ouantes*, tradit alio loco [e] Plinius; immo apud quem [f] alibi *ouans* de fugitiuis & Spartaco M. Crassus *laurea coronatus incessit*, & quidem facto ea de re, iuxta [g] Gellium, Senatusconsulto. Adde, quòd *laurea* coronatos fuisse olim *ouantes* tradit, prout eius hanc in rem verba interpretantur hactenus viri docti, [h] Dionysius. Unde etiam, quod ibi *lauream coronam* loco *myrteæ* tribuat *ouanti*, eundem redarguit ὁ πάνυ Casaubonus, uti a doctissimo [i] Sigonio factum iam ante fuerat; ac dein quoque ab illustri [k] Paschalio. Verum qui gratissimo Auctori iniuriam mihi omnino facere videntur, dum non adtendunt, id non de *Ouante*, seu qui minore triumpho, sed qui maiore ornatur, ibi omnino a Dionysio dici. Dum is enim singula, in quibus esset inter utrosque triumphantes discrimen, ibi enumerat, & primo quidem quod *Ouans* non curru, ut qui maiore Triumpho decoratus, sed pedibus urbem ingreditur, addit: Ἔπειθ' ὅτι οὐ τὴν ποικίλην καὶ χρυσόσημον ἀμφίεννυται στολὴν, ἣ κοσμεῖται τήβεννον, τὸ τῶν ὑπάτων καὶ στρατηγῶν φόρημα, ΣΤΕΦΑΝΟΝ δὲ ἐπίκειται ΔΑΦΝΗΣ, μεμέλωται δὲ καὶ τοῦ Σκήπτρου τῇ φορήσει παρὰ τὸν ἕτερον, ΤΑ ΔΕ ΑΛΛΑ ΠΑΝΤΑ ΤΑΥΤΑ ΕΧΕΙ; *deinde qui non gestat Togam pictam, & aureis clauis intertextam; neque ornatur Trabea, quæ est Consulum & Prætorum gestamen*; LAUREAVE CORONA *est redimitus; altero etiam* (seu eo, qui vere triumphat) *est inferior, quod non gerit Sceptrum:* IN CETERIS *vero* OMNIBUS EST EI SIMILIS. Quis enim, ac minus etiam forte adtentus, non videt, illud *coronæ laureæ gestamen* inter ea ibi recensèri, quæ vere Triumphanti, non vero *Ouanti* erant propria, & in quibus proinde versabatur haud unum nec leue inter utrumque discrimen: inter insignia vero maioris triumphi fuisse *coronam lauream*, aliunde, & quidem vel ex hac penu nummaria, sat constat: ut proinde neque ea in re similes iidem fuerint. Quæ quum non forent utique recondita, sed ibi in adductis Dionysii verbis obuia; eo magis mirari licet viros, cæteroquin oculatissimos, potuisse in tanta luce hic cæcutire, ac uti a Paschalio factum, ob illum scilicet Dionysii a reliquis dissensum, in adductis eius verbis pro δάφνης, seu *lauri*, μυρρίνης, seu *myrti* ibi reponere. Neque eo minus Crassi, de quo egimus, exemplum, præter solitum *ouantium* morem, non *myrtea*, sed *laurea* corona redimiti exemplum sequuti forte sunt dein alii ouantes itidem; prout non pedibus, ut antea, sed equo vecti, quod supra vidimus, urbem deinceps sunt quoque plures ex iis ingressi. Ad quem proinde, & singularem tum, *Ouantium* ritum indicandum, *Laurea* corona, præter *Ouem*, sit in memorato paullo ante Gentis *Corneliæ* denario expressa. Quum tamen haud alia eiusmodi *Ouationis*, quam vel *L. Lentulus Caudinus* in priori nummo signatus, vel in posteriori *C. Trebonius C. F.* sint adepti, occurrant indicia; nulla vero eius rei fiat in Fastis Capitolinis mentio, in quibus ouantes haud minus, quam

[a] Lib. xv. cap. 29.
[b] In Marcello p. 310.
[c] Lib. v cap. 6.
[d] In *Oualis Corona.*
[e] Lib. xv. c. 4.
[f] Lib. xv. c. 29.
[g] Ut supra l. v. c. 6.
[h] Annot. ad Dionys. Hal. p. 337. ult. edit. Oxon. To. II.
[i] Com. ad Fast. & Triumph. Rom.
[k] De Coron. l. xvii. c. 17.

Antiq. lib. v. pag. 314.

Ut supra de Coron. l. vii. c. 17.

maioris triumphi compotes recensentur ; huic coniecturæ haud præfracte mihi inhærendum puto. Nec aliam iam tangam; quòd, quum e percussoribus J. Cæsaris, ut ex [a] Appiano ac [b] Dione constat, fuerit hic *Trebonius*, *Oues* autem, ut ad eum nummum viderat Fuluius, singulis mensium Idibus, ac inde *Idules* apud Festum dictæ, Ioui mactarentur:

a Bell. Ciuil. l. IV. p. 499.
b Lib. XLIV. p. 247.
In *Idulis*.

Idibus alba Ioui grandior agna cadit;

Fast. lib. I. v. 56.

hinc ad indicandas forte illas *Idus Martias*, quas in M. Bruti nummis signatas legimus, in memoriam cæsi eo die J. Cæsaris, & qui primus scilicet restitutæ Populo Romano libertatis habendus esset, hæc sacra eo die Ioui victima in eo Trebonii illius nummo, ac proinde citra lauream, ut in altero Gentis *Corneliæ*, sit expressa. Verum ut eo melius, quid de hisce coniecturis statuendum sit, pro arbitrio, aut aliquo horum cimeliorum usu, videat Lector, eorundem duorum nummorum icones continuo hic subdam.

8. *De* Tropæis, *nec una eorum ratione in nummis.*

Pro Sextio cap. LXI.

Quum vero inter Επινίκια, vel Νικητήρια, seu *Victoriarum Præmia*, vel *Insignia*, TROPÆA haud minus apud Romanos, quam apud Græcos, aliasue, Barbaras scilicet, gentes recepta exstiterint; seu, ut de iis alicubi Tullius, quæ *bellicæ laudis victoriæque* OMNES GENTES *insignia esse voluerunt, & monumenta*: hinc frequens etiam eorum in illis Gentium Romanarum denariis conspectus obuersatur. In iis nempe videas *Tropæa* id genus, modo cum aliis militaribus insignibus, Spiculis, Clypeis, Lituis, ut in Gente *Julia* aliquoties, ac alibi; modo cum captiuis genuflexis, ac ad eadem Tropæa vinctis, ut in *Cornelia*, *Fundania*, *Junia*, *Seruilia*; aut quæ a Victoria, uti in dicta modo *Fundania* & *Memmia*, vel a Roma coronantur, ut in *Furia*; vel quæ supra Aquilas Legionarias sunt erecta, ut in *M. Antonii* nummis apud Goltzium. Adde, non unum, sed plura quandoque *Tropæa* insculpta; prout tria in Sullæ annulo signata, idque, ut visum nuper celebri Antiquario, ad denotandas victorias ab eo e tribus orbis partibus, Africa primum bello Jugurthino, Europa dein, & Asia, bello Mithridatico reportatas, ostendit præclarus Gentis *Corneliæ* denarius: ac uti dein Sullæ exemplo, ac in similis quoque decoris memoriam a Pompeio factum, a Dione Cassio traditur: etsi nullus hactenus visus sit cum eo typo Gentis *Pompeiæ* nummus.

Vaillant Fam. Rom. p. 359. To. I.

Lib. XLII. pag. 199.

9. *De* Tropæo *in nummo L. Æmilii Paulli.*

Exstat vero in Gentis *Æmiliæ* denario, quem Ursinus primus protulit, *Tropæum*, cui dextram imponit L. Æmilius Paullus, stantibus prope Macedonum Rege Perseo, duobusque eius filiis, vinctis eorum post terga manibus, & cum inscriptione TER PAULLUS. Qua voce TER, quod toties nempe *triumphasse* dicatur ibi Æmilius Paullus (iuxta veterem inscriptionem in basi eius statuæ iisdem temporibus inciſam, TRIUMPHAVIT

VIT TER, ac id innuentem quoque Velleium Patereulum) ſtatuit, qui nummum primus vulgauit, eruditiſſimus Fuluius, ac alii dein iuxta eum inclyti Romanarum antiquitatum promicondi, Sigonius, Onuphrius, Pighius, Lipſius; memorato etiam a duobus prioribus alio inſuper nummo, in quo tria Tropæa ſint inſculpta, cum epigraphe TER L. PAULL. Quibus inſuper acceſſit doctiſſimus Valeſius, & ſum ego quoque adſenſus, dum de hisce nummis Conſularibus olim agerem. A quibus autem, & quod, in explicando priore illo poſt Urſinum nummo, intactum haud præterire debuit [a] celebris Antiquarius, & [b] Begerus etiam noſter, abit [c] vir doctrina & accuratione ſingulari. Is enim Faſtorum maxime ac Plutarchi auctoritate, Liuii præterea ac Aurelii Victoris ſilentio motus, bis tantum hunc Æmilium Paullum, in utroque nempe Conſulatu, de Liguribus primo, ac dein de Perſeo Rege & Maecedonia, non vero ante in Prætura de Hiſpanis, triumphaſſe ſtatuit. Idem tamen concedit inter *Æmiliorum* monumenta talem exſtitiſſe Romæ Auguſti ætate (qua cuſi ſunt ſuperiores nummi) eiusdem Æmilii ſtatuam, cum ſimili Inſcriptione, quæ *Ter* illum *Triumphaſſe* teſtaretur; ſed pro more tum recepto, falſos Maiorum ſuorum imaginibus titulos ſubinde adfingendi. Id vero ante omnia viro doctiſſimo negari non poteſt, duos tantum, non tres, ſicut Urſinus id primum tradiderat, exſtare in Faſtis illius Æmilii Paulli triumphos. Adde, quòd aduerſam in Hiſpania ulteriore cum Luſitanis pugnam eidem primum contigiſſe, memoret omnino Liuius; ita tamen ut de eo poſtea dicat: *Fuſi fugatique ſunt hoſtes; cæſa decem & octo millia armatorum, tria millia trecenti capti, & caſtra expugnata. Huius victoriæ fama tranquilliores res in Hiſpania fecit.* A Plutarcho autem, nullà factà cladis illius, quam paſſus primo fuerat hic Æmilius, mentione, velut obliterata abunde fuerit inſigni poſtea, quam de iisdem hoſtibus reportarit, victoria, dicitur; quòd ab eo fuſi ac fugati ſint hoſtes; & quidem triginta millia cæſa, ducenta quinquaginta oppida in poteſtatem redacta, ac prouincia, (quod ad conſequendum triumphum fuiſſe requiſitum docet alicubi Liuius) pace & fide compoſita, antequam idem Romam redierit. Adde ingentem e manubiis pecuniam in ærarium populi Romani ab eodem, ut id a [a] Polybio ac [b] Diodoro in Excerptis Valeſianis ac in [c] Liuiana Epitome traditur, illatam: hæc autem omnia non a priuato (unde olim [d] P. Scipioni, poſt præclaras in Hiſpania de Pœnis victorias, negatus fuerit triumphus) ſed a Populi Romani Magiſtratu, immo qui, etſi adhuc Prætor, non cum Prætoriis, ſed cum Proconſularibus inſignibus, duplicato nempe, ut id e Plutarcho iam ante vidimus, faſcium ac ſecurium numero, fuerat ex urbe ad bellum hoc conficiendum miſſus, geſta ſunt. Mitto ſupplicationes, eodem necdum Romam reduce, ob res proſpere in Hiſpania ab eo geſtas, ut id rurſus docet Liuius, & quas, maxime ubi ſimilis fuit earum decernendarum cauſſa, ſequi ſolebat triumphus, ex Senatusconſulto in urbe decretas. E quibus, maxime ſi hæc non ſeorſim ſed iuncta ſimul adtendantur, haud vana videri poſſet, vel antiquæ Inſcriptionis, vel Velleii eidem ſuffragantis, de triplici eiusdem Æmilii, quum de duobus aliis ſat conſtet, triumpho fides & adſertio: ac ambigi omnino, an poſitæ illuſtri in urbe loco, viri adeò memorabilis ſtatuæ falſus, continuo ac facile conuincendus, inſignis quidem honoris, quo nempe *Ter Triumphaſſe* dicitur, titulus fuiſſet adſcriptus

Lib. 1. cap 3.

Not. ad Excerpt. Polyb. p. 25.

a Vaillant Fam. Roman. p. 26. To. 1.
b Continu. Theſ. Brand.
c Jac. Perizon. Anim. Hiſt. cap. VI. p. 212. &c.

Lib. XXXVII. cap. 46.

Lib. XXXI. cap. 9.

a Excerpt. Valeſ. p. 57.
b Excerpt. ibid. p. 329.
c Epitom. XLVI.
d Lib. XXVIII. cap. 28.

Lib. XXXVII. cap. 58.

Ut ſupra lib. 1. c. 9.

non debet. An vero idem quod ſtatuæ, ita dictorum quoque nummorum, ut viris præclaris videbatur, inſcriptio omnino arguat; an potius e noto
Ad Æneid. x. inter *Tropæa* ac *Triumphos*, & quale de iisdem adducit Seruius, diſcrimine, nihil tale, iuxta virum inſigni eruditione, euincant iidem nummi, haud operoſe disquirendum puto. *Tropæis* equidem haud continuo *Triumphos* deſignari, certum equidem, ac, ne longius abeam, in hac ipſa Conſularium nummorum penu, in qua plura nec unius generis, uti de iis paullo ante, *Tropæa* conſpiciuntur, obuium eſt ac manifeſtum: ut mittam quæ de peruulgato eorum per omnes Gentes uſu, e Cicerone itidem vidimus. Unde *tribus* etiam *Tropæis* in Sullæ annulo cælatis, non triplicem eius triumphum, qui ſemel tantum triumpharit, deſignari, bene ac vere vir idem modo laudatus obſeruat; ſed quo cæteroquin ſymbolo, uti quoque ſimili in Pompeii annulo, ut e Dione itidem paullo ante diximus, aliquid maius & Sullæ ac Pompeio glorioſius innui, quam, iuxta Seruium, fugati demum, non vero occiſi hoſtis laudem, neque plenæ victoriæ ab iis relatæ decus. Unde etiam, vulgo captæ ſeu deuictæ regionis typus in Conſularibus ac Cæſarianis nummis, *Tropæum* cum vinctis ad imam partem captiuis, additisque Gentis ſubactæ ſpoliis, cernitur. Verum, quod viros doctos impulit, & quidem ad primum adductum cum uno Tropæo ab Urſino nummum, ut ad tres L. Æmilii Paulli Triumphos eodem reſpici crediderint, eſt ipſa nummi inſcriptio TER PAULLUS: nempe qua idem omnino deſignaretur, quod in titulo eiusdem ſtatuæ inciſum legebatur, TRIUMPHAVIT TER. Neque enim, & de quo ſilet ibi vir doctiſſimus, quo cæteroquin vox illa TER referri in eo nummo debeat vel poſſit, haud facile equidem liquet ſtatuere: non ad *Tropæa* utique, quum unum tantum in eo nummo occurrat: non ad *Victorias*, quum plures quam tres, in tribus illis, quæ geſſit bellis, contra Hiſpanos, Ligures, & Perſeum ac Macedonas, reportaſſe conſtet eundem Æmilium: non denique, quod per *triduum* ultimum triumphum, de eodem Perſeo & Macedonia, iuxta Faſtos Capitolinos a Pighio ſuppletos, egerit: nempe
Lib. I. cap. 9. qui triumphus, ut de eo Velleius, *omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit*. Quomodo nempe tertius Pompeii de Regibus Mithridate ac Tigrane, plurimisque Orientis Regionibus deuictis, iuxta eosdem
Lib. II. cap. 40. Faſtos, ac Velleium præterea, ut de eo iam ante, ac unico etiam Sullæ Triumpho, ex iisdem Faſtis vidimus, *per biduum* actus: ita tamen ut non duo, ſed unus idemque triumphus haberetur; & quod de triduano illo Æmilii triumpho ſimiliter ſtatuendum eſt. Id ſupereſt forte, ut TER intelligatur *Imperator* ſalutatus hic *Paullus*; ſicut in denario M. Antonii, in quo hinc eius effigies ac nomen cum ſolito titulo *Triumuiri Reipubl. Conſtituendæ*, illinc *Tropæum* cernitur, cum Clypeo utrinque & iaculis, in medio IMP. TER; nempe ob Armeniam, ut viderunt iam viri præſtantes, Regi Artabazo ab eo ereptam. Verum huius Æmilii Paulli ætate haud erat conſueta adhuc, quod paullo ante ubi de hoc titulo agebatur, vidimus, illa *Imperatoris* data & repetita ſubinde victori Duci, militari acclamatione, appellatio: quæ familiaris dein, & quidem maxime Triumuirorum, quod vel nummi eorum temporum arguunt, temporibus euaſit. Adeo ut hoc unum reliquum hic videatur, ut illud TER PAULLUS cum *Tropæo*, ac *Perſeo duobusque filiis* eius vinctis, ad *Tertium* huius Æmilii Paul-

Paulli, quem egit de illo Macedonum Rege, *Triumphum*, & in quo *Perſeus in catenis ante currum victoris Ducis per urbem hoſtium ductus*, apud Liuium legitur, ac ſimiliter, ut id a Plutarcho traditur, duo eius filii, omnino referendum liqueat. Quod de memorato altero a Sigonio ac Onuphrio nummo, cum eadem inſcriptione, TER L. PAULL. ae tribus Tropæis, dici itidem debet. Quibus proinde nummis *Ter Triumphaſſe*; ſicut legitur in inſcriptione baſi eius Statuæ ineiſa, innuitur idem Paullus; quum & eadem ætate euſi ſint iidem nummi, eidemque rei adſtruendæ: ſeu iam vere id ſit in monumentis illis proditum; ſeu demum, iuxta virum præclarum, ſit hoc poſteritati, a quopiam ex *Æmiliis* illius æui Auguſtæi, ad ampliorem maiorum ſuorum gloriam, obtruſum; quod utique Quadrigarum triumphalium ieone haud perinde fuiſſet adſertum. E quibus autem nummis priorem hic ſubdemus eum Tropæo, Æmilio Paullo, ac vinctis Rege Perſeo duobusque filiis, qui præcipuam nobiliſſimi huius triumphi pompam conſtituebant, eum inſcriptione TER PAULLUS: neque enim alterum eum eadem epigraphe ae tribus Tropæis, a Sigonio ae Onuphrio memoratum nummum, videre nobis hactenus lieuit, neque vulgarunt hactenus inter alios Gentis *Æmiliæ* denarios præſtantes Antiquarii. Eius autem loco duos addemus in eam Gentem a celebri Antiquario nuper e Goltzii Faſtis relatos: in quorum priore eadem huius *Paulli*, iuxta *Tropæum*, & a dextris *Perſei* vinctis a tergo manibus ſtantis effigies, alterius vero ſedentis. Hunc vero *Bitin* eſſe *Cotyos* Thraeum Regis filium, cum aliis obſidibus, ut e Liuii, ubi hae de re agit, narratione liquet, ab eodem Æmilio Paullo Romam, in triumphum quoque ductum, haud male ſtatuit idem vir præſtans. Alter vero nummus *Paullum* rurſus oſtentat eum *Tropæo*, *Perſeum* genibus nixum, cui *Lictor* manus poſt tergum vineit, ac poſt Æmilium duos adoleſcentes prætextatos, cum inſcriptione L. PAULLUS.

Lib. XLV. c. 46.

Vaillant in Æmilia num. 10, 11.

Lib. XLV. cap. 42.

Neque vero hærere debuit laudatus Antiquarius, quinam fuerint duo illi iuuenes prætextati in poſtremo nummo ſignati; non fuiſſe utique, ut idem tradit, huius Paulli duos maiores filios, quod ii ab eo forent in adoptionem dati, natu maior Genti *Corneliæ*, alter Genti *Fabiæ*. Verum haud obfuit eadem adoptio, quin in ſplendidiſſimi illius triumphi pompa iidem duo naturales huius Paulli filii patris eurrum, ut ea de re Liuius, ſint ſequuti, & e quibus maior natu non Genti *Corneliæ*, quod eenſet celebris Antiquarius, ſed *Fabiæ* erat in adoptionem datus; unde etiam adoptantium nominibus dicti ibi apud Liuium: *Poſt currum inter alios illuſtres viros filii duo*, *Q. Maximus & P. Scipio*; prior nempe a Q. Fabio Maximo adoptatus, ae inde *Q. Maximus* deineeps dictus. Etſi enim quandoque, e duobus illis Paulli naturalibus filiis, priore loco ponatur, ut alieubi apud Po-

Vaillant Fam. Rom. p. 27. To. I.

Lib. XLV. cap. 40.

Ibidem.

Excerpt. Valef. p. 98. Ibidem pag. 149. Polybium, Scipio, nempe Πόπλιος Σκιπίων καὶ Κόιντος Μάξιμος, *Publius Scipio & Quintus Maximus:* alibi tamen, Φάβιος καὶ ὁ Σκιπίων, οἱ τοῦ Λευκίου νεανίσκοι, *Scipio autem & Fabius Lucii filii*, ab eodem Polybio dicuntur; in Ibid. pag. 304. Diodori vero Excerptis nominatim legas huius Æmilii *filiorum iuniorem Publium Africanum*, τὸν νεώτερον τῶν υἱῶν Πόπλιον Αφρικανόν.

10. *De* Opimis Spoliis, *e cæso hostium Duce.*

Hisce vero Tropæis adnumerandum præ aliis venit illud, quod de cæso hostium duce, velut *Spolia Opima*, ferebat in curru Triumphans; quale dein Romæ in Æde Iouis Feretrii ad perpetuam rei memoriam solemniter dedicabatur. Cuius autem rei, quum præter Romulum de cæso Acrone Cæninensium Rege, duo tantum, & quidem liberæ urbis temporibus, exempla Romanorum historia suppeditat: unum *Cornelii Cossi*, iuxta [a] Liuium, de Larte Tolumnio Veientium Rege, aut iuxta [b] Plutarchum, de Volumnio Hetrusco: alterum *Claudii Marcelli*, de Insubrium Gallorum Rege Viridomaro: opportune utriusque singularis illius decoris, & quod nemo præterea, teste eodem Plutarcho, e Romanis Ducibus reportarit, effigies in præclaris Gentis *Corneliæ* & *Claudiæ* nummis consignata etiamnum cernitur. De postremo quidem, seu *Claudio Marcello*, e duobus nummis, de quibus mox, est id omnino liquidum. Ad *Cornelium Cossum* quod adtinet, exstat inter Gentis *Corneliæ* denarios ab Vrsino primum vulgatos, uti a Goltzio quoque inter nummos Augusti, unus, in cuius priori parte exstat Augusti laureatum caput; in altera vero figura Equestris supra basim erecta, Tropæum supra humerum dextrum elatum tenens, cum inscriptione COSSUS CN. F. LENTULUS. Eam vero Statuam Equestrem ad Augustum refert Fuluius, cuius auspiciis hic *Cossus Cornelius Lentulus* de deuictis Isauris triumphalia ornamenta sit adeptus; ad eundem vero *Cossum Cornelium*, cuius Statua fuerit a filio in eius honorem erecta, celebris Antiquarius: quum tamen iam ante duo eius populares, ac singulari harum antiquitatum studio inclyti, [a] Patinus ac [b] Abbas Seguinus, Equestrem illam Statuam, quæ dextro humero Tropæum gestat, ad *A. Cornelium Cossum*, Opima Spolia de cæso Veientium Rege ferentem, uti etiam vir eruditus, qui Onuphrii de Triumpho librum commentario haud ita pridem illustrauit, opportunius omnino retulissent. Idque eo certius, quod Augustus in templo Iouis Feretrii, ab eodem, uti ea de re Liuius, refecto, Opima illa huius Cossi Spolia, in eo ante aliquot sæcula, pro recepto de iis more, consecrata, eadem opera denuo restituisset. Unde etiam, ut illius beneficii gratia Augusto seruaretur, ac simul priscæ illius & singularis *Cossorum* in *Cornelia* Gente familiæ decus renouaretur, est ille nummus, ab uno, qui se ex ea stirpe ortum testari simul voluerit, cuius; & qui, *Cossi* cognomine tum in prænomen, sicut *Paullus* in *Aemilia*, & qua de re supra, verso, COSSUS CN. F. LENTULUS, in eo inscribitur. Ut mirari equidem subeat silere omnino ea de re ad hunc nummum, qui postremus de illo egit, celebrem Antiquarium. Idque eo magis, quod Goltzianum *Claudii Marcelli*, de quo paullo ante, nummum, cum effigie Marcelli illius in quadrigis triumphantis, qui dextra lauream, sinistra Tropæum gestat, ac alterum insuper, cum Iouis Æde, in qua vir togatus Tropæum ante aram tenet, cum inscriptione MARCELLUS COS. QUINQ.; quod, inquam, utrumque illum nummum, sed cui ad postremum præiuerat eruditissimus Fuluius, ad huius *Marcelli* factum,

a Lib. IV. cap. 20.
b In Marcello p. 302.

Vaillant p. 305. To. I.
a Famil. Rom. Numism. p. 92.
b Select. Numism. p. 219.

Maderus.

Lib. IV. c. 20.

Vaillant Fam. Rom. p. 349. To. I.

ctum, *Opima Spolia* de cæso Viridomaro Gallorum Insubrium Duce in triumphali pompa gerentis, dein, pro more id genus spoliorum, ea in templo Jouis Feretrii solemniter dedicantis, retulerat laudatus Antiquarius. Sed operæ pretium erit, ut, tum utriusque illius nummi, tum prioris paullo ante memorati, eum *Cornelii Cossi* simili decore, adspectu, ac simul veterum aliquot Auctorum de eo more testimoniis, res ea paullo clarius illustretur.

Juuabit nunc audire Liuium de Opimis illis Spoliis ab eodem *Cornelio Cosso* relatis agentem, qui & facem adductis nummis eommodat, & ex iis quoque haud parum illustratur: *Longe maximum Triumphi spectaculum fuit Cossus*, SPOLIA OPIMA *Regis interfecti* GERENS; mox: *Spolium* ÆDE IOVIS FERETRII *prope Romuli Spolia, quæ* OPIMA *appellata sola ea tempestate erant, cum solemni* DEDICATIONE *dono* FIXIT. Lib. IV. c. 20.
Id vero e tribus adductis modo nummis vere liquet, *Opima* illa *Spolia* haud alia fuisse quam *Tropæum* inde e quereus stipite erectum; ae unde etiam, & qui hinc quoque illustratur, a Plutareho in narratione insignis huius Mareelli decoris, ipsemet τροπαιοφόρον ἄγαλμα dicitur, quod nempe Tropæum illud in pompa triumphali ab eo gestaretur, ae dein in Æde Jouis Feretrii solemniter dedicaretur, qui etiam inde nomen illud *Feretrii* sit sortitus, ἀπὸ τοῦ φερετρυομένου τροπαίου, *a Tropæo, quod Feretro gestabatur*. In Marcello p. 302.
Ut hic proinde versetur ante oculos, quod de Rutulorum, non Duce quidem, sed Apollinis ac Dianæ apud eos Saeerdote, ab uno ex Æneæ eomitibus eæso, apud Maronem legitur:

Arma Sereſteus
Lecta refert HUMERIS *tibi, Rex Gradiue,* TROPÆUM. Æneid. x. v. 541.

Mitto iam τροπαιοφόρον *Tropæum ferentis* epitheton Veneri in antiquo Epigrammate, de quo iam supra, tributum: aut receptam sequiori æuo τροπαιούχου inter Imperatorum titulos appellationem, cum alibi, tum apud Chrysostomum, ubi agit de more libellorum supplicum, qui Imperatoribus offerebantur: Οὐκ ἐντιθέασιν ἓν ὄνομα μόνον, ἀλλὰ ΤΟΝ ΤΡΟΠΑΙΟΥΧΟΝ τὸν Αὔγυστον τὸν Αὐτοκράτορα, καὶ πολλὰ ἕτερα τούτων ἄνω προσθέντες, τότε ποιοῦνται τὴν ἱκετηρίαν; *Non solum unum nomen adponunt, sed* TROPÆA FERENTEM, *Augustum, Imperatorem, pluraque id genus alia desuper addentes, tunc ad supplicationem deueniunt*. Supra p. 75.

Neque minus illustria eceurrunt, in aliis id genus nummis, virtutis gloriæque bello partæ monumenta. Sic PERSEI, de quo modo, Macedonum Regis instar, vinctis post terga manibus, ae dein quoque in triumphum similiter ductum Regem Numidarum IUGURTHAM, Getuliæ vero BOCCHUM, sed liberum, quique Oleæ ramum præfert (ambos tamen genuflexos, sedente inter eos in excelso solio Sulla) exhibet præ- II. *Barbarorum Reges supplices aut vincti in nummis.*

clarus omnino Gentis *Corneliæ* denarius. De quo id iam in superiore hu-
To.1.pag 539. ius operis parte est a nobis comprobatum, e duobus illis Afris Regibus, socerum fuisse *Bocchum*, *Jugurtham* vero generum; non vero viceversa, ut e corrupto Sallustii loco quibusdam eruditis videbatur. Ut mittam γαμβρὸν, non de *socero*, sed de *genero* haud semel a Græcis olim dictum, uti ad Julianum τὸν παραβάτην pridem monui; & præter adducta ibi inter alia e LXX. Senioribus exempla, firmari ex aliis insuper eorundem locis potest; uti quum de Leuitæ, qui Bethlemiticam pellicem duxerat, soce-
Judic. cap. XIX. ℣. 5. adde 7, 9. ro ab iis agitur: Ο γαμβρὸς αὐτοῦ, ὁ πατὴρ τῆς νεανίδος, *socer eius*, *parens adolescentulæ*. Historiam vero a socero proditi Jugurthæ, annulo etiam Sullæ, iuxta [a] Valerium Maximum, [b] Plinium, [c] Plutarchum, insculptam, eodem illo nummo signari monuit iam Fuluius. Alterius vero ac in alia terrarum parte, ac supplicis itidem Regis nomen ac effigiem, ARETÆ nempe Arabum REGIS, profert alius eiusdem Gentis *Æmiliæ* nummus, qui rex ab *Æmilio* SCAURO, qui in nummo quoque designatur, ad pacem, ut e Josepho ac Appiano præterea vidit ad eundem Fuluius, est compulsus. Sic Oleæ quoque ramum in Gentis *Plautiæ* denario, ac ante Cameli pedes similiter supplex, præferre cernitur, dictus ibidem BACCHIUS IUDÆUS, qui vel Camelo, Arabiæ, ut alibi iam vidimus, in priscis nummis insigni, & quod hodie ex hoc denario demum constat, Arabiæ Regulus designetur, qui, ut eadem Rex *Aretas* ætate ab Æmilio Scauro, ita ille ab A. PLAUTIO, in prima nummi area signato, in fidem populi Romani sit acceptus. De quo cæteroquin *Bacchio*, quum nulla
Compositus melius cum Bito Bacchius. apud Josephum, aliosue Auctores, (neque enim quidquam ei cum Horatiano, eoque gladiatore, *Bacchio* a Fuluio iam adducto, commune) occurrat eius mentio; nihil superest, nisi ut conspicuis hisce magnitudinis
Horat. lib. 1. Satyr. VII, 20. Romanæ, & liberæ adhuc Reipublicæ, monumentis, vinctorum nempe aut supplicum coram Romano Duce, ut in primo nummo, in Africa vel Asia Regum, conspectu fruatur hic Lector: *Bocchi* quidem & *Jugurthæ* coram *Sulla* in primo nummo; *Aretæ Regis* in secundo; & *Bacchii Judæi* in tertio. Quibus autem obiter hic præmittemus Senatus Romani, de capto sub Claudio Britannorum Rege *Caractaco*, eoque populo Romano in vinculis ostentato, mox autem Claudii iussu vinclis soluto, ver-
Tacit. Ann. XII. cap. 38. ba: *Neque minus id clarum, quam cum Siphacem P. Scipio, Persem L. Paullus, & si qui alii* VINCTOS REGES *populo Rom. ostendere.*

12. *Singularis Romanorum virtutis seu fortitudinis in his nummis exempla.*

Exstant vero alia, & singularia quædam Romanæ virtutis exempla, quæ digna visa sunt, quorum memoria id genus monumentis posteritati conseruaretur. Quomodo in *Æmilia* rursus occurrit Equestris Statua Tropæum dextra gerens, cum inscriptione M. LEPIDUS AN. XV. PR. H. O. C. S. seu *Annorum Quindum Prætextatus Hostem Occidit Ciuem Seruauit*. Quarum utique postremarum quatuor literarum interpretationem sup-

suppeditauit diligentissimo Fuluio Valerius Maximus, qui eiusdem Statuæ, & cum simili omnino inscriptione (neque enim obstat discrimen inter voces *Interemit*, quæ apud Valerium legitur, & *Occidit* in hoc nummo) huic M. Lepido in Capitolio dicatæ meminit. Nempe quod factum eò magis publico & insigni illo laudis gloriæque testimonio ornandum sibi censuerunt Quirites vestri, quod infra ætatem militiæ apud Romanos capessendæ, immo cuius, seu *prœlii*, ut ea de re Valerius, *vix spectatorem anni esse patiebantur*, hoc luculentum virtutis bellicæ specimen in eo *etiam puero* emicuisset. Ab alio vero e *Plautiis*, nempe *C. Plautio Hypsæo* Consule an. V. C. CCCCXII. capti *Priuerni*, in Latio oppidi, renouata ab uno ex eius posteris *P. Hypsæo* memoria in tribus Gentis *Plautiæ* denariis legitur; in duobus nempe C. YPSAE COS. PRIV. CEPIT: in alio, C. HYPSAE COS. PREIVER. CAPTV. Ut mirari protinus subeat, unde tanta ex unius oppidi, quodque paullo ante fuerat in deditionem acceptum, post defectionem vero denuo, & quidem, ut ea de re Liuius, haud magno certamine capti, laus & gloria sit aliquot post retro sæculis; ac in summa Romani imperii amplitudine, ab uno ex eius posteris quæsita, ut pluribus etiam monumentis huius facti decus renouaretur. Unde id ad unam generis, quod ab illo Consule *C. Plautio Hypsæo* duceret Ædilis tum Curulis, uti ex iisdem nummis liquet, *C. Hypsæus*, antiquitatem ostentandam factum, cum præstantibus antiquariis licet statuere. Quod similiter dicendum venit de uno *Sulpiciæ* Gentis denario, in quo urbis in Latio itidem, sed notioris, *Tusculi* nempe, mœnia ac turres conspiciuntur, cum addito illius nomine TUSCUL. in priori vero nummi area depicta duorum Castorum iugata cum pileis & astris desuper capita, ac inscriptione L. SERVIUS RUFUS: quod nempe ab uno e maioribus, Gentis nempe *Sulpiciæ*, liberatum fuisset a Veliternorum obsidione, ut id e Liuio adnotauit eruditissimus Fuluius, *Tusculum*. De duplici vero in hoc nummo huius *Sulpicii Rufi* prænomine, nempe *L. Seruii*, supra iam egimus. Quid iam hic memorem antiquum & ipsi Romæ coæuum *Sabinarum Raptum*; aut *Tarpeiam* virginem Sabinorum clypeis obrutam: quæ aliquot *Tituriæ* Gentis, quo eadem similiter, ut viderunt iam viri præstantes, suam e vetustis illis Sabinis originem doceret, denarii ostendunt. *Seruilii* vero *Ahalæ* celebre in Romanorum Annalibus Sp. Mælium regni adfectati suspectum interimentis facinus, quatuor *Seruiliæ* Gentis denariis insculptum statuit Ursinus, in quibus duæ occurrunt figuræ Equestres cum inscriptione, in priori SERVILI C.F. in tribus reliquis M. SERVILI M. F. Quamquam ex iis quatuor nummis unus sit, in quo duo viri galeati & armati, relictis equis, pedestre certamen ineunt: alius, in quo duo quidem conspiciuntur Equites, sed non decertantes, ac præterea; iuxta nummum Cimeliarchii Regii Brandenburgici, cum hastis, pileis, & stellis desuper; ut hisce insignibus Castores designari continuo liqueat. Adde, quòd in duobus aliis nummis armati galea, thorace, iaculis vel hastis, atque se mutuo ferientes conspiciantur iidem Equites: quæ utique quam parum cum illo Seruilii Magistri Equitum, in foro Romano, conuocata concione iussu Dictatoris Sp. Mælium vocantis; illiusque ab apparitore adprehensi, a circumstantibus dein erepti, fugientis vero ac vociferantis, mox ab eodem Seruilio Ahala obtruncati, ut in narratione eius rei apud Liuium legitur, facto conueniant, quiuis,

Lib. III. cap. 1, 1.

Lib. VII. cap. 16.

Lib. VI. c. 36.

In Famil. Seruil. Patin. ed. p. 258.

Vid. Begeri Continuatio Thes. Brand. p. 585.

Lib. IV. cap. 4.

In Bruto pag. 984. ut opinor, videt. Immo a quo magis adhuc abeunt ea, quæ Plutarchus de illa cæde commemorat, & viderat etiam Fulvius: nempe ab illo Seruilio Ahala in forum progressio, Sp. Mælium prope stantem, & quasi haberet, quod cum eo ageret, caput demittentem, percussum ac interfectum. Unde ad aliud aliquod *Seruiliæ*, quæ *familia illustris in Fastis* alicubi a Plinio dicitur, decus, cuius memoria renouari meruerit, spectare eosdem denarios censendum est.

Lib. xxxv. cap. 13.

13. *De Vallo Romanorum.*

Mitto iam duos virtutis ac disciplinæ militaris indices nummos; unum, eumque oppidò singularem, *Numoniæ* Gentis, haud valde in Romanorum annalibus celebris, a diligentissimo Fulvio prolatum; in quo duo milites *Vallum* oppugnant, quod alius inde cum Clypeo tutari adgreditur, & cum inscriptione VAALA; in anteriore vero nummi area legitur, C. NUMONIUS VAALA. Ad quem autem exstat etiamnum Horatii Epistola, geminata nempe in nummo priori litera A, prout id in aliis Romanorum nominibus ea ætate, ac in his etiam nummis, ut FELIX & NASSICA in Gente *Cornelia*, de *Sulla* & *Scipione*, erat receptum. Inde vero inditum videtur uni e maioribus illius *Numonii*, hoc *Vaalæ* seu *Valæ* cognomen; qui, ut id iam monuit Fulvius, a *vallo* defenso nomen hoc meruerit; cuiusque rei expressa sit inde in hoc nummo memoria. Quum vero eiusmodi *Valli* passim occurrat in Romana historia mentio, quem cædere & parare, ac dein cum armis ferre solebat Romanus miles (unde illud Horatianum, *Fert vallum & arma miles*; nempe, iuxta Liuium, *vallum ferente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset*) hinc figuram eius in eo nummo expressam, eamque consentaneam iis, quæ de eadem tradit Liuius, intueri continuo licet. Ubi enim diuersam *Valli*, quo Græci & Macedones utebantur, rationem indicasset, addit Liuius; nempe uti a Polybio, ubi de eadem T. Quinctii in Thessaliam expeditione agit, & accuratius insuper, factum ante fuerat: *Romanus leues & bifurcos plerosque, & trium, aut cum plurimum, quatuor ramorum* VALLOS *cædit, ut &, suspensis ab tergo armis, ferat plures simul aptè miles; & ita densos offigunt implicantque ramos, ut neque quæ cuiusque stipitis palma sit, peruideri possit.* Quibus proinde commentarii vicem præstabit, quæ mox sequitur, nummi huius effigies; ac unde *fudes* & *valli* pro iisdem apud Vegetium, & a [b] Seruio ad Virgilium dicuntur. *Vallum* vero, quod nempe e pluribus eiusmodi fudibus seu *vallis* fiebat, in singulari Licinii Imperatoris nummo conspicuum olim vulgauimus; illudque prout a Varrone describitur: *Vallum, vel quod ea varicare nemo posset, vel quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literæ* V. Quod postremum utique, ut ibidem diximus, satis perspicue ostendit eius, quæ hic quoque videbitur, nummi icon, cuius summa & extrema pars bacillorum literam V quauis parte efficit. Exhibet vero idem nummus militem, qui *vallares* coronas manu tenet, *muralibus* nempe, iuxta Liuium, *vallaribusque insignis Coronis:* quo autem symbolo VIRTUS EXERCITUS eiusdem Licinii in eodem nummo expressa designatur: quem militiæ custodem ad veterum instituta seueriissimum refert Aur. Victor. Utriusque vero huius nummi, tam huius sub *Licinio* percussi, quam prioris Gentis *Numoniæ*, cum nomine VAALA, iconem adtulit nuper ad Florum eximius Begerus noster, facta ibidem eorum, quæ de duobus illis nummis

Lib. i. Epist. 15.

Lib. v. Od. 9.

Lib. xxxiii. cap. 6.

Lib. xvii. cap. 14, 15.

Lib. xxxiii. cap. 5.

a Lib. iii. c. 8.
b Ad Georg. l. ii. ℣. 25.

De L. L. lib. iv.

Lib. xxx. cap. 28.

Pag. 17.

olim

olim monueram, commemoratione. In eo ſolum hærere videtur, ob diuerſam illam *Valli*, quam iidem exhibent, uti ex eorum adſpectu mox liquebit, figuram: dum non adtendit, aliam eſſe *Valli*, ſeu *Vallorum*, hoc eſt totidem *fudium*, quæ e tribus quatuorue ad ſummum ramis, quosque Romanus miles ſecum ferre conſueuerat, rationem; aliud vero diei *Vallum*, quod nempe a pluribus id genus vallis ſeu ſudibus, earumque innexis inter ſe ramis, ac præterea ex adgeſtis vulgo ceſpitibus, ſeu aggere ad caſtrorum munitionem, fiebat, quodque milites conſcendere, ad eius nempe tutelam, aut *intra Vallum* conſiſtere dicuntur paſſim apud Cæſarem, aliosque rerum Romanarum Scriptores. Ut proinde prioris generis ſit *Vallus* ille in *Numonia* Gente expreſſus, exſus e ramoſa arbore, & inde eum tribus quatuorue ramis, ut de *Vallis* id genus in dictis paullo ante loeis Polybius, ac eius ibi interpres Liuius; poſterioris vero *Vallum*, quod in Lieinii nummo depingitur, idque e pluribus ſudibus ſeu bacillis, ut de iis Varro, conſtructum. Quamquam *ceſpitum* ſeu *aggeris*, e quo præter *vallos* ſeu ſtipites ramosque arborum, *Vallum* integrum conſtitiſſe diximus, nullus quidem occurrat in Liciniano nummo conſpectus: ſeu nondum completo illius *Valli* opere; ſeu alterâ eius parte, quæ ex eiusmodi aggere, ſeu ceſpitibus, *velut muro*, ut de eo Vegetius, inſtruebatur, ibidem omiſſâ. Lib. 1. cap. 24.

Alterum vero hie itidem addemus, non Virtutis, ſed Diſciplinæ Romanorum, iuxta præſtantes Antiquarios, exemplum in denario Gentis *Didiæ* ſignatum: Centurionem nempe militem vite cædentem, eum nomine T. DEIDI, qui autem *Didius*, de Scordiſeis e Maeedonia, & ex Hiſpania de Celtiberis triumphaſſe legitur in Faſtis Capitolinis. Quam ab Urſino pridem traditam huius denarii explieationem, ae retentam a Patino, nuper quoque ad eum repoſuit celebris Antiquarius; nulla facta alterius ſententiæ mentione, quam Pighius, aut rurſus ab iis diuerſæ, quam duo Gemani viri eruditiſſimi, Tho. Reineſius ae Ad. Rupertus, de eodem denarii illius typo tulerant. Ae Pighius quidem ad bellum ſeruile in Sieilia retulit, anno V. C. DCXV, quo miles Romanus ſeutiea ſeu flagello, loeo gladii aut pili, armatus, ſeminudum ſcuto ſudeque repugnantem ſeruum exedit; ac unde, & ex adſcriptis infra literis T. DEIDI, hunc *Didium* tum Prætorem Siciliæ fuiſſe continuo eolligit. Th. Reineſius vero refert nummum ad T. Didium, qui de Scordiſeis e Thraeia; vel ad alterum ei eognominem, qui ex Hiſpania de deuictis in ea Celtiberis triumphauit, ac, in alterutro ex illis prœliis, ad militem Romanum ſeutiea exdentem barbarum. Quod Adamus Rupertus in Epiſtola ad eundem Reineſium ſcripta, ad illum quidem T. Didium, qui de Seordiſeis Thracieis triumphauit, idemque eum eo fuit, qui poſtea Proconſul ex Hiſpania triumphum egit, ae vere quidem, uti ab Urſino factum iam ante fuerat, retulit; rem vero nummo illo expreſſam, de Thraee muneri gladiatorio deſtinato, quem laniſta aberrantem, velut legitimus Magiſter, ſeutiea cædit. Cui tamen eoniecturæ, ut verum fatear, nollem hic virum eruditum indulſiſſe, quum nulla utique ratio vel eauſſa ſubeſſe, aut dari equidem poſſet; cur tale factum laniſtæ ludo ſuo ereditum, quem erudiret, gladiatorem Thracem plectentis, illo huius T. Didii, qui, ob partam de victis ſæuiſſimis Scordiſeis ex Maeedonia victoriam, ut in Faſtis Capitolinis legi-

Vaill. Fam. Rom. p. 383.

Annal. To. II. p. 493.

Epiſt. XXIII. ad Ad. Rupertum.

Epiſt. XXVII. ibid. p. 673.

In Pison. cap. xxv.

tur, & cuius triumphi meminit alicubi Cicero, triumphauit, denario in urbe cusò signari, ad posterorum scilicet memoriam, meruerit. Neque vero priorem illam, quam ab eruditissimo Fuluio, ac ei suffragantibus dein aliis duobus clari nominis antiquariis, Patino ac Vaillant, de Centurione, qui militem Romanum vite cædit, explicationem meo calculo comprobatam vellem. Neque enim *vitis*, quæ Centurionum erat, ut notum, insigne, ac unde [a] *Latia modo* VITE *per urbes Nobilis* Centurio dici a Martiali meruit; ac *Vitis* alibi pro *Centurionatu*, quod viderunt iam viri docti, a [b] Lucano, [c] Iuuenale, aliisque est dicta, [d] *nodosa* etiam a postremo, ullatenus in eo nummo comparet: sed multifida scutica seu flagellum. Adde, quòd, quum ordinaria hæc esset ac recepta, ob leuiora Romani militis delicta, animaduersio, ut is vite a Centurione cæderetur; sicut extranei, vel ob maiora delicta, quod apud Romanæ militiæ scriptores obuium, fuste plectebantur: immo prout eiusmodi *vitis in delictis pœnam ipsam honorare* apud Plinium dicitur, hinc haud facile licet statuere, cur eiusmodi consueta gregarii militis pœna, nummo Romani Proprætoris, bis etiam Triumphalis ac semel Consulis, fuisset continuo ab uno ex eius posteris expressa. Adeo ut vero propior longe mihi videatur Pighii coniectura; designari scilicet in eo nummo Romani militis institutum, non telis adeo aut pilis, iustis Romanorum armis, quam scutica seu flagello cum fugitiuis seruis congressi; ac seminudum proinde, & sude demum, præter longum scutum, armatum id genus fugitiuum. Quum vero seruile in Sicilia bellum, anno quippe V. C. DCXLIX. excitum, medio proinde tempore inter reportatum ab hoc *T. Didio* de Scordiscis ex Macedonia, anno V. C. iuxta Fastos DCXL. ac postea de Celtiberis ex Hispania, anno DCLX, triumphum inciderit; nihil obstat utique, maxime in penuria Scriptorum, qui res illius æui accurate prodiderint, quominus idem ille *T. Didius*, in eo quoque bello, quod quarto demum anno fuit a M. Aquillio Proconsule cum seruis in Sicilia confectum, decus aliquod sit promeritus. Sequuntur vero hic memoratorum modo nummorum, quæ de iis dicta clarius adstruant, icones: *Vallus* nempe, de quo hinc inde pugnatur, ac unde *Valæ* seu *Vaalæ* in eadem Gente *Numonia* cognomen; & *Vallum*, in cuius summitate figura stat cum vallaribus coronis, quod quamquam in Cæsariano, non Consulari, uti priores vulgo appellati, nummo occurrat, haud minus ad liberæ urbis tempora, ubi id iam obtinuit, potest referri: tum postremo loco nummi illius, de quo modo egimus, in Gente *Didia*, cum figura militis Romani scuticam seu flagellum in alium militem intentantis.

a Lib. x. Epigr. 26.

b Lib. VI. ỳ. 146.
c Satyr. XIV. ỳ. 193.
d Idem Satyr. VIII. ỳ. 247.

Lib. XIV. cap. I.

Quid

Quid iam ipſum militiæ ſeu bellicum Romanorum adparatum ac Inſignia memorem, quæ in illis quoque Conſularibus nummis conſignantur? Obuia equidem ex iis SIGNA Legionum, & ſubinde etiam cum additis literis H. P. in duobus denariis; uno Gentium *Claudiæ*, *Corneliæ*, & *Neriæ*, altero *Valeriæ*. Quibus literis, quum de iis ſilerent priores interpretes, *Haſtatorum* & *Principum* Signa deſignari, primus olim monui; quod nuper dein eſt a celebri Antiquario ad eos quoque nummos monitum: adductis tum a me obiter ſequentibus Liuii verbis: *Haſtatorum prima Signa, deinde Principum erant, Triarii poſtremos claudebant.* Quum enim, quod contritum vulgo, conſtaret *Legio* ex *Haſtatis*, *Principibus*, ac *Triariis*, quorum primi ſua habebant Signa ſeu Vexilla, illis notis H. & P. diſtincta, *Triariorum* autem foret Aquila, Signum totius Legionis; hinc in medio eadem inter duo illa priora Signa collocatur in iisdem nummis. Haud minus tamen *Anteſignani* in vetere militia, ut id eſt a viro ſummo in poſtumo opere monitum, dicti ſunt *Haſtati* & *Principes*, quod militarent ante Signum Legionis, ſeu Aquilam. Sed e quibus denariis, quod adtendi hic maxime merebatur, illud inſuper eluceſcit, Pompeii ac Cæſaris æuo, ac poſt immutatam a C. Mario Romanæ militiæ formam, retentos adhuc, quod negabat ibidem ὁ πάνυ, *Haſtatos* ac *Principes*, &, quod de *Triariis* ſimiliter ſtatuendum eſt, *Legionarios* in Romana militia. Priorem vero nummum ad *C. Marcellum* & *L. Cornelium Lentulum* Conſules, primo anno belli inter Pompeium ac Cæſarem geſti, ſeu V. C. DCCIV. ſpectare, inſcripta eorum in illo nomina ſatis arguunt: atque inde expreſſa in eodem Legionum Signa, ob ſuſceptum tum ab optimatibus contra Cæſarem bellum, ſtatuit ad eundem eruditiſſimus Fulvius. De altero Gentis *Valeriæ* nummo, cum iisdem Signis & literis H. P. nihil hic tangam: quum ad ſecundi belli Punici tempora, Marianis proinde antiquiora, eundem diligentiſſimo Fulvio referre lubeat. Eadem vero *Signa*, non, qualia erant antiquioribus urbis temporibus, cum fœni manipulo in perticæ ſummitate adligata, in hisce nummorum monumentis comparent; ſed cum exiguis Clypeis, quibus vel haſta ferme integra, vel, ut in hisce Antonianis nummis, media circiter eius pars tegebatur. Neque vero minus illud obuium, quod iidem Clypei Deorum, ac dein Cæſarum, imagines haberent depictas: ac unde *ſacra*, quod peruulgatum eſt, habita ſunt eadem *Signa*, ipſæ autem *Aquilæ* dictæ apud Tacitum [a] *Legionum numina*; alibi: [b] *Hinc agmina Legionum ſtetere, fulgentibus Aquilis, Signisque & ſimulacris Deorum in modum templi.* Verum non SIGNA ſolum, ſed ipſas LEGIONES, inuictum illud Romanæ militiæ robur, & quarum operâ partum a Quiritibus veſtris illud Triumphorum ac Tropæorum, de quibus modo egimus, immo ſubacti velut Orbis decus, ſignatas quoque exhibent antiqui id genus denarii. Quum vero Fœdere Mutinenſi, nempe inter Triumuiros Antonium, Octauium, ac Lepidum inito, Legionum numerum ad XLIII. adſcendiſſe tradat Appianus; e quibus illæ, acciſo dein earum numero, ad XXVIII. poſt Philippenſem victoriam ſint redactæ. Ex iis XXIII. Legionum nomina, iuxta eruditiſſimum Fuluium, & cui adſtipulatur celebris Antiquarius, in nummis conſpiciuntur: licet a Patino nummus quoque M. Antonii ſit prolatus, ſed de quo hactenus aliunde non conſtat, in quo fiat mentio LEG. XXIV. Quem tamen,

14. *De ſignis* Legionum *ipſisque* Legionibus *in nummis.*

Lib. XXXVII. cap. 39.

Salmaſ. de Milit. Rom. cap. 1.

Salmaſius ut ſupra.

a Annal. II. cap. 17. b Annal. XV. cap. 29.

Bell. Ciuil. l. V. p. 674.

Vaillant Fam. Rom. p. 118. To. I.

&

&, quod alibi haud semel vidimus, Goltzianos nummos in eandem cum reliquis Fuluianæ collectionis congeriem memorato viro præstanti referre visum est. Id vero est postea insuper ab eo monitum, ne alioquin id incuriæ cuipiam tribueretur, LEG. I. denarium, inter illos Antonii cum signatis Legionum titulis numerisque denarios, nusquam ad hanc diem visum, nec ab Vrsino, nec a Patino adductum, neque exstare in Thesauris Gallorum Regiis: ut exinde tamen de illo XXIII. *Legionum* Antonianarum numero haud dubitare liceat. Equidem quo sub Augusto dein XXIII. similiter, aut, iuxta alios, XXV. Legiones ali solitas, tradit duobus locis Dio: Εἴτ' οὖν τρία, εἴτε πέντε καὶ εἴκοσιν ὄντα, *sive* XXIII. *sive* XXV. *eædem forent*; & e quibus, quod paullo ante dixerat, XIX. tantum sua ætate supererent, quarum nomina ac situm, ubi illæ agerent, ibidem indicat Dio. Quum autem eæ non ex earum ordine solum, ut *Primæ*, aut *Secundæ*, &c. sed aliis etiam nominibus distinguerentur, quæ vel a Diis, ut *Mineruia*, *Apollinaris*; vel e domo Augusta ac Imperatorum nominibus dicerentur, ut *Augusta*, *Claudia*, *Flauia*, *Vlpia*, *Valeria*; vel e Regionibus, ad quarum tutelam erant missæ, ut *Arabica*, *Cyrenäica*, *Italica*, *Libyca*, *Macedonica*, *Parthica*, *Scythica*, aliæque; aut cum appellationibus aliunde etiam desumptis, ut *Adiutricis*, *Antiquæ*, *Felicis*, *Geminæ*, *Piæ*, *Primigeniæ*, *Victricis:* idem etiam earum discrimen produnt designatæ in denariis Gentis *Antoniæ Legiones*, quæ non solum, ut diximus, literis numeralibus I, II, III; sed etiam iunctis subinde appellationibus distinguuntur, LEG. PRIM. ANTIQUÆ, vel LEG. XVIII. LIBYCÆ, aut in Goltziano nummo, LEG. XX. HISPANICA, quarum hactenus nomina alibi, quod equidem norim, non leguntur: ea atque non suppeditat vel Tacitus, nisi quod is alicubi *Legionis Hispanicæ* meminit, ubi recenset, quæ copiæ Romanæ in armis, Tiberii Imperatoris temporibus, forent, atque ita quot *Legiones*, & quibus in Romani imperii partibus agerent, & ubi cæteroquin nouendecim ex iis, quæ iam sub Augusto sub signis erant, & sua ætate adhuc alebantur, *Legionum* nomina enarrat; nec Gruterianus Thesaurus, vel Sponii Miscellanea, in quibus plurimæ passim, quod vel prioris index militaris continuo ostendit, *Legiones*, cum earum numero ac nominibus, traduntur. Id autem potissimum de LEGIONE CLASSICA, cuius vix alibi mentionem fieri videas, dicendum venit; quæ in uno ex hisce Antonii denariis comparet, inscripto, LEG. XVII. CLASSICÆ: nempe, prout ad tutelam utriusque superi ac inferi maris, Rauennæ ac Miseni, duæ Classes ea ætate erant constitutæ, quæ, præter remiges, e *classiariis* ad earum præsidia relictis, iisque cum legionariis, tum auxiliaribus militibus, constabant; ac prout *classiariis militibus* usus dicitur apud Lampridium Commodus, qui vela in amphitheatro ducerent. Unde etiam non solum *Centurionis Classiarii*, sed *Legionis*, *quam e classe Nero conscripserat*, seu CLASSICÆ, uti de eadem alibi, *Legioni Classicæ diffidebat*, nempe Galba, occurrit apud Tacitum mentio: quæ autem verba mentione Antonii nummi, a Fuluio quippe iam vulgati, LEG. XVII. CLASSICÆ, illustrat ibidem Lipsius. Mitto iam, ut quæ non sunt huius loci, obuia etiam in Cæsarianis ac Seueri potissimum & Gallieni nummis plurima *Legionum*, quæ tum supererent ac alerentur in remotis quidem Romani orbis partibus, nomina & insignia.

Ut supra.

Lib. LV. p. 564, 565.

Annal. IV. cap. 5. Hist. I. cap. 6.

In Commodo cap. XI.

Annal. XIV, 8. Hist. I. cap. 6.

Hist. III. c. 31.

Acce-

Accedunt præterea inter hosce M. Antonii nummos, cum Signis itidem militaribus, duo haud prætereundi: unus inscriptus, COHORTIUM PRÆTORIARUM; alter vero, COHORTIS SPECULATORUM. Unde, ad primum quod adtinet, liquet utique plures iam tum fuisse sub signis M. Antonii *Cohortes Prætorias*; quum antea unius tantum *Cohortis Prætoriæ*, uti a Cæsare Gallici belli temporibus, quod vidit iam [a] Ursinus, fiat mentio; ac iam ante apud Sallustium, de Petreio in acie contra Catilinam stante, post creditum ei a C. Antonio exercitum: [b] *Petreius Cohortem Prætoriam in medios hostes induxit.* Una nempe tum *Cohors Prætoria*, indeque, iuxta Festum, dicta, *quod a Prætore non discedebat:* quæ nempe ei adpareret, qui summo cum imperio, quales *Prætores* olim dicti, exercitui præerat, ac prope Prætorium excubias ageret. Quamquam, ad Cæsarem quod adtinet, eundem postea bellis ciuilibus magnisque inde periculis implicitum, plures adhibuisse *Cohortes Prætorias*, sed quas post eadem bella confecta dimiserit, auctor sit [a] Appianus. Quod a Dione quoque traditur, & qui eas, quæ ab Appiano ibi dicuntur σπεῖραι στρατηγίδες, *cohortes Prætoriæ*, vocat [b] τὸ δορυφορικὸν & [c] φρουρὰν, *satellitium* & *custodiam corporis*, quam a se [d] amouerit Cæsar; eamque insuper, quæ ex Senatoribus & Equitibus oblata ei erat, non admiserit: idque a [e] Plutarcho firmatur, dum amicos ad hoc officium seu satellitium Cæsari præstandum se offerentes, ab eo reiectos memorat. Quo referas etiam illud de eodem Cæsare apud Suetonium: *Etiam* CUSTODIAS *Hispanorum cum gladiis sectantium se, remouisse.* Adeo ut sub Triumuiris dein, ciuilibus quoque bellis, & post edita ab iis magnæ sæuitiæ exempla, exercitis, ac inde diffidentibus, renouatus sit, & adaucto earum etiam numero, ille *Cohortium Prætoriarum* usus. Quomodo utique inter Cæsaris Triumuiri copias ab Appiano traduntur, quas ille *penes se haberet, Cohortes Prætoriæ*; καὶ περὶ αὐτὸν αἱ Στρατηγίδες. Quod similiter de M. Antonio arguit omnino hic nummus; hinc cum eius capite solitisque titulis; illinc cum Signis militaribus, & inscriptione COHORTIUM PRÆTORIARUM. Immo quod e Plutarcho itidem adstruitur, qui uxorem Antonii Octauiam, ad illum ex urbe profectam, adtulisse eidem inter alia dicit ἐπιλέκτους στρατιώτας δισχιλίους ΕΙΣ ΣΤΡΑΤΗΓΙΚΑΣ ΣΠΕΙΡΑΣ κεκοσμημένους ἐκπρεπέσι Πανοπλίαις, *duo millia delectorum militum, e quibus* COHORTES PRÆTORIÆ, *splendidis armis ornatæ, fierent.* E quibus proinde liquet, reuera *Cohortes Prætorias*, seu totidem corporis custodes, habuisse in exercitu suo Antonium, quot decebat utique Reginæ Cleopatræ amore, coniugio, ac filiorum ex ea genitorum, quique totidem Reges Regum dicerentur, natalibus tumidum. Cuiusmodi vero, & quod hic omnino addendum est, mille delectos corporis custodes Octauiæ sorori ab Octauio Cæsare donatos, & quos quidem delegisset Antonius, auctor est Appianus. Alter vero memoratus eiusdem Antonii nummus, cum Signis itidem militaribus, ac titulo COHORTIS SPECULATORUM aliqua etiam clariore luce perfundendus adhuc venit. *Speculatores* equidem exstitisse, eosque, ut hoc addam, e numero equitum, in exercitu Lucii, fratris M. Antonii, ex [a] Appiano opportune ad eundem denarium monuit celebris [b] Antiquarius. Sicut vero in lapidibus antiquis, quod vidit iam ad Tacitum [c] Lipsius, [d] SPECUL. COH. seu *Speculatoris Cohortis*; tum [e] *Speculatoris Legionis*; aut etiam [f] SCHOLA SPECULA-

15. *De duobus M. Antonii nummis, uno* Cohortium Prætoriarum, *altero* Cohortis Speculatorum.

a Bell. Gall. lib. 1. c. 40, 42.
b In Bello Catilin. c. 60.
In *Prætoria Cohorte.*

a Bell. Ciuil. lib. II. p. 495.
b Lib. XLII. p. 209.
c Lib. XLIV. p. 243.
d Ibidem p. 244.
e In J. Cæsare p. 734.

In J. Cæsare cap. LXXXVI.

Bell. Ciuil. lib. V. p. 685.

In M. Antonio p. 940.

Bell. Ciuil. l. I. p. 726.

a Bell. Ciuil. l. V. p. 684.
b Vaillant Fam. Roman. p. 122. To. I.
c Com. ad Hist. I. cap. 24.
d Thes. Grut. DXI, 10.
e Ibid. CLXIX, 7. &c.
f Ibidem.

LATORUM LEGIONUM I. ET II. fit mentio: ita *Cohortem* integram *Speculatorum* fuisse in Romana illius ævi militia docet hic nummus. Quod firmare insuper licet luculento Taciti testimonio, ac unde duobus hisce M. Antonii nummis; priori nempe, cum inscriptione COHORTIUM PRÆTORIARUM; alteri, COHORTIS SPECULATORUM, aliqua lux continuo accedit, quam iidem ei de Imperatore Othone agenti vicissim refundunt: *Ipsum Othonem comitabantur* SPECULATORUM *lecta corpora cum cæteris* COHORTIBUS PRÆTORIIS. Quæ inter stipatores seu custodes corporis Othonis exstitisse illos *Speculatores*, ac pro salute eius, velut in specula positos, invigilasse abunde arguunt; & quale *Speculatorum* id genus officium [a] Claudio itidem, & [b] Galbæ, a Speculatoribus, iisque *lancea armatis*, seu λογχοφόροις, præstitum, e Suetonio ad alium [c] Taciti locum iam illustrarunt viri docti. Quam in rem adductus quoque ab iis Suidas: Σπεκυλάτωρες, τοῦ δορυφόρου, *Speculatoris*, *Satellitis*. Neque tamen prima illa vel sola erat nominis huius in Romanorum militia significatio. Mitto, quòd, iuxta generalem vocis huius usum, dicatur alicubi apud Liuium: *Speculator ex conuiuiis Persei missus*; mox: *Utraque domus Speculatorum & proditorum plena erat*; quales nempe, ut e Plutarcho, Dione Cocceiano, ac aliunde, viderunt iam eruditi, διάπται, διοπτῆρες, ἐρευνηταὶ, & ἀτακτῆαι, *inspectores*, *inuestigatores*, *auscultatores* a Græcis sunt appellati. Speciatim vero ea voce a Romanis dicti, qui consilia & incessum hostium explorarent; sicut alibi idem Liuius inquit, quod orto inter Romanos, & Philippum, dicti modo Persei patrem ac Macedonum Regem, bello, illoque Athenas cum infesto exercitu tendente, eam urbem is obtinuisset, *ni*, ut addit, SPECULATOR (HEMERODROMOS *vocant Græci ingens die uno cursu emetientes spatium*) *contemplatus regium agmen* E SPECULA *quadam*, *prægressus nocte media Athenas peruenisset*. Ad quod proinde officium delecti, qui pernicitate pedum valentes, rem celerrime, ad quam missi erant, referre possent, & suos de ea certiores reddere: unde etiam Πτεροφόροι, seu *aligeri*, ut e Plutarcho & Hesychio monuit ad Suetonium magnus Casaubonus, sunt dicti, quique adduxit Iuuenalis opportune eam in rem verba:

Hist. II. cap. 11.

a Sueton. in Claud. cap. XXXVI.
b Idem in Galba c. XVIII.
c Vid. Lipsi. & Marcel. Donat. ad Tacit. H. I. c. 24.

Lib. XL. cap. 7.

Vid. Casaub. ad Sueton. in Aug. c. XXVII.

Lib. XXXI. cap. 24.

Ad August. cap. XXVII.

Tanquam e diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti veniisset epistola pinna.

Satyr. IV. ℣. 148.

Quomodo, ut hoc addam, horum *Speculatorum* in mittendis celerrime literis operâ usi leguntur Romani Imperatores, ut apud Suetonium de Caligula: *Magnificas Romam literas misit*, *monitis* SPECULATORIBUS *ut vehiculo ad Forum usque & Curiam*, quo nempe celerius eædem deferrentur, *pertenderent*. Factum autem, ut delectis ad assiduam Imperatorum custodiam, & pro quorum salute ii velut in specula semper agerent, militibus, peculiare inde illud *Speculatorum* nomen sit quoque, ut paullo ante Othonis exemplo vidimus, inditum, ac dein ex iis Cohors quoque constituta. Quum cæteroquin vilior haberetur *Speculatorum* in genere dictorum militia; adeo ut *carnificum* iidem vicem præstarent: quod e [a] Marco Euangelista, [b] Seneca, [c] Ulpiano, Glossis antiquis; adde & ex Athanasio, & antiquis Martyrologiis notum est; immo, eo quoque sensu vocem

In Caligul. cap. XLIV.

a Cap VI. ℣. 27.
b De Ira. l. I. c. 16. de Benef. l. III. c. 25.
c Leg VI. D. de Bonis Damnat.

cem hanc ab Hebræorum Magiſtris adhibitam, probarunt eruditi, & inter eos ad [a] Spartianum multa adnotauit [b] ὁ πάνυ. Quum vero, ut hoc addam, ſicut *Speculatores*, quod paullo ante vidimus, ita etiam *Exploratores Legionum*, uti in [c] veteri lapide, vel *Cohortium*, ut apud Hyginum, legantur: [d] *Exploratores in ſtriga Cohortis primæ*; dubitare liceret, an iidem cum dictis ſupra *Legionum* vel *Cohortium Speculatoribus* fuerint. Uno utique Κατασκόπων nomine deſignantur in antiquis Gloſſis: Κατάσκοπος, *Speculator*, *Explorator*; ac ſimiliter in Latinis Gloſſis, *Explorator*, Κατάσκοπος, ac ſimiliter *Speculator*, Κατάσκοπος. Diuerſos vero ſtatuit eosdem Feſtus; ſed ita, ut quæ ab eo traditur diſcriminis illius inter eos ratio, haud ſatis liquida videatur: *Explorare antiquos pro exclamare uſos, ſed poſtea prospicere, & certum cognoſcere cœpit ſignificare: itaque* SPECULATOR *ab* EXPLORATORE *hoc diſtat, quod* SPECULATOR *hoſtilia ſilentio perſpicit*; EXPLORATOR *pacata clamore cognoſcit.* Ad antiquum illum vocis *explorare*, pro *exclamare*, uſum quod adtinet, is e ſimplici vocis *plorare*, pro *exclamare*, in Regum olim Romuli ac Tatii, & dein Seruii Tullii Legibus, ut de eo alibi Feſtus, adhibitæ ſignificatione debet intelligi. Verum quod ad receptos in Romana militia *Exploratores* haud utique reſpicit; qui ex altero, quique ſolus dein obtinuit, tradito ibidem vocis *explorare* uſu, pro *proſpicere*, aut *certum cognoſcere*, ſunt ita appellati. Neque vero admittenda eſt, quæ ad ſuperiora Feſti verba, ac ad diſcrimen inter *Exploratorem* ac *Speculatorem* conſtituendum legitur in nupera editione eruditiſſimi Dacerii adnotatio: „ EXPLORATOR, qui inter ho„ ſtes verſatur, & ex rumore eorum ſecreta cognoſcit, ſuisque renuntiat. „ Et differt ab SPECULATORE, qui ante exercitum ſpeculandi gratia „ mittitur: hic munere belli honeſto fungitur, ille ſæpius capitis pœnas „ luit. Quæ, ut modeſte dicam, valde ſunt ἀπροσδιόνυσα. *Exploratores* equidem, quorum frequens occurrit apud Cæſarem mentio, in Romanorum exercitibus dicebantur, a quibus de hoſtium numero, conſiliis, ſitu, aduentu, aut diſceſſu, inſeſſis ab iis montium iugis, aut traducto flumine, caſtrorum hoſtilium ratione, vel loco ad caſtra ponenda idoneo certiores continuo fierent, qui exercitibus aut oppugnationi urbium præerant; quorum utique obuia paſſim in Cæſaris Commentariis exempla hic tranſcriberc haud eſt neceſſe. Quomodo iidem apud Romanos cum *Legionum* aut *Cohortium*, ut iam vidimus, tum *Caſtrorum* etiam *Exploratores* dicebantur, ut e Plinio liquet: *Hi*, Pyritæ nempe lapides, *Exploratoribus Caſtrorum ſunt maxime neceſſarii, qui clauo vel altero lapide percuſſi, ſcintillas edunt*; ac prout de caſtrorum hoſtilium Exploratoribus a Cæſare alicubi dicitur: *Quum propius hoſtem acceſſiſſet, ab Exploratoribus, quos præmiſerat, cognoſcit caſtra eorum, & ad ripas fluminis eſſe demiſſa*; alibi vero de loco Caſtris Romani exercitus ponendis opportuno: *Cæſar, his rebus cognitis, Exploratores Centurionesque præmittit, qui locum Caſtris idoneum deligant. Exploratoris* proinde haud minus erat *hoſtilia*, quod *Speculatori* demum tribuit Feſtus, *ſilentio perſpicere*; non demum vero *pacata* (quæ vox omnino in mendo cubat) *clamore cognoſcere*. Neque magis ſibi conſtant, quæ ad hunc Feſti locum notari diximus: „Exploratorem dici, „ qui inter hoſtes verſatur, quum inter alia a Cæſare dicatur: *Exploratores hoſtium, ut omni fluminis parte erant diſpoſiti, inopinantes*, quod

a Vid. Druſum ad D. Marcum VI, 27.
b Salmaſ. in Hadriano cap. 11.
c Theſ. Grut. XCI, 4.
d De Caſtrametat.

In *Explorare.*

In *Plorare.*

Lib. XXXVI. cap. 19.

Bell. Gall. LVIII. cap. 32.

Ibid. lib. II. c. 17.

Ibidem lib. VII. cap. 6.

addit, *a nostris opprimuntur*. De *Speculatore* vero itidem *inter hostes versante* fidem facit, & quod ad Tacitum monuerunt iam [a] viri docti, [b] Liuius: *Speculator Carthaginiensis, qui per biennium sefellerat, Romæ deprehensus, præcisisque manibus dimissus*; & apud [c] Hirtium de residuis Pompeianis in Africa: *Ex Getulis duos* &c. *pro perfugis speculandi gratia in Cæsaris castra mittunt*. Nec meliori talo stant, quæ adduntur ibi, ut paullo ante diximus, ad Festum: „ Exploratorem differre a Speculatore, „ qui ante exercitum speculandi gratia mittitur: hunc præterea, Specu- „ latorem nempe, honesto fungi munere; illum sæpius capitis pœnam „ luere. Ad prius enim quod adtinet, de *Exploratoribus* id alibi a Cæsare dicitur: *Quum uter utrique esset exercitus in conspectu, fereque e regione castris castra poneret*; DISPOSITIS EXPLORATORIBUS, *necubi effecto ponte Romani copias transducerent*: cuiusmodi proinde *Exploratores* ante exercitum, ac speculandi quidem gratia, haud minus ac *Speculatores*, missi sunt. Neque vero alterum illud inter eos discrimen minus absonum: *Speculatorem* nempe honesto munere fungi, *Exploratorem* vero sæpius capitis pœnas luere. *Speculatores* certe, nisi ubi delecti illi, de quibus paullo ante, corporis Imperatorum custodes seu δορυφόροι, corpore proinde ac fide tum præcipui, ac peculiaris ex illis cohors eam in rem constituta, cæteroquin inter abiectæ conditionis milites habiti; unde iidem, uti ea de re paullo ante, carnificum loco, ad sumenda de damnatis supplicia, fuerint adhibiti, & *Speculator*, ὁ δήμιος, *carnifex*, in Glossis, ac in aliis Vaticanis, iuxta eruditissimum Du Cange, ἀποκεφαλιστὴς dictus; ac prout nempe apud D. Marcum missus ab Herode Σπεκουλάτωρ, qui Præcursorem ἀπεκεφάλισεν, Ioanni *caput præcidit*. Adde, quòd *speculatoriam caligam*, qua usus subinde fuerit Caligula, pro vilissimo caligæ genere dixerit, ut viderunt ad eum viri docti, Suetonius. Neque vero, quod ibi ad Festum additur, viliores inde id genus Speculatoribus, aut minus honestum militiæ genus *Exploratores* statuas, quod sæpius capite luerent; nempe, uti id ex Arrii Menandri, quæ ibidem sequuntur, & exstant in penu legum Romanarum, verbis liquet, *qui secreta nunciauerint hostibus, proditores sunt, & capite pœnas luunt*. E quo utique haud magis colligas minus honesto belli munere functos *Exploratores*; quam quòd *proditores* in genere, cuiuscunque proinde gradus aut ordinis milites, *plerumque capite puniri* dicuntur in sequenti ibidem lege; aut in alia, *qui excubias Palatii deseruerit, capite punitur*, ac proinde, qui eo munere, qua de re paullo ante, fungerentur, honestiores *Speculatores*. Adeo ut ex iis, quæ supra de utrisque, cum *Exploratoribus* tum *Speculatoribus*, diximus, illud omnino eruatur, nullum fere exstitisse inter eos discrimen; ubi nempe *Speculatores*, iuxta propriam vocis illius significationem, ii sunt dicti, qui ad exploranda hostium consilia, stationem, itinera, vires mittebantur: sicut utrinque a Cæsare, ac a Scipione Pompeii socero bello Africano factum narrat, qui de eo librum conscripsit, ac de Cæsare quidem ait: *Per Speculatores & nuntios imperabat, quæ fieri volebat*; de Scipione & comitibus: *E Getulis duos speculandi gratia in Cæsaris castra mittunt*; ipsimet vero postea de se ad Cæsarem: *Pro* SPECULATORIBUS *missi a Scipione, ad te cupidissime venimus, ut perspiceremus, num quæ fossæ, aut insidiæ elephantis ante castra portasque valli factæ essent, simulque consilia vestra contra easdem bestias, comparatio-*

a Ad H. 1. c. 24. edit. J. Fr. Gronou. in 8.
b Lib. XXII. cap. 33.
c Bell African. cap. XXXV.
Bell. Gall. lib. VII. cap. 35.
In Στεκουλάτωρ Gloss. Græc. Barb.
Cap. VI. ℣. 26, 27.
In Caligula cap. LII.
Leg. VI. §. 4. D. de Re Militari.
Leg. VII. D. Eodem.
Leg. X. D. Eodem.
Bell. African. cap. XXXI.
Ibidem cap. XXXV.
Ibidem.

tionemque pugnæ cognoscceremus, atque ei renuntiaremus. Quomodo alibi ipse etiam Cæsar, facta mentione de repentina & fugæ consimili Belgarum, qui Remos oppugnabant, profectione, addit: *Hac re flatim Cæsar per* SPECULATORES *cognita, insidias veritus &c.* Quibus certe gemina omnino de *Exploratoribus* ab eodem Cæsare dici iam ante vidimus: unde etiam vere utrosque uno illo Κατασκόπων nomine a Græcis appellatos liqueat; latius vero patuerit *Speculatorum* nomen, ubi illi de delectis corporis Imperatorum custodibus, & qui iis præsto essent, sunt dicti; aut vero ubi *Speculatores, carnifices*, seu qui de damnatis supplicia sumerent, vile proinde militum genus, sunt appellati. Quamquam prior illa ac honestior custodum, seu τῶν δορυφόρων, *Speculatorum* militia sub Cæsare iam obtinuerit; ut liquet e belli Africani Scriptore, qui hoc de eodem Cæsare tradit: *Ipse* VI. *Kal. Febr. circiter vigilia prima imperat* SPECULATORES *Apparitoresque omnes, ut* SIBI PRÆSTO ESSENT: *itaque omnibus insciis, neque suspicantibus &c.* Ne huc iam adferam dictam eodem illo Κατασκόπου nomine obsidionalem machinam, ad dignoscendam murorum crassitudinem; quæ sint post muros; quid agant hostes; quæ sit eorum multitudo; ut de ea machina, eaque paranda ac adtollenda supra murum, consuli potest Apollodorus in Poliorceticis, quæ cum aliis aliquot veterum Auctorum Tacticis e Bibliotheca Gallorum Regia singulari studio & cura eruditissimorum virorum, qui in id incubuere, ante annos haud ita multos sunt feliciter eruta ac diuulgata. Sed, his missis, duos ipsos nunc proferam, quibus explanandis ac illustrandis hæc adduximus hactenus, M. Antonii nummos, inscriptos; unum, COHORTIUM PRÆTORIARUM; alterum, COHORTIS SPECULATORUM: præmisso etiam eo, de quo paullo ante facta erat mentio, nummo cum epigraphe, LEG. XVII. CLASSICÆ; qui denarii in ampla M. Antonii nummorum adhuc superstitum copia, haud postremo utique loco habendi veniunt.

Bell. Gall. l. 11. c. 11.

Cap. XXXVII.

Pag. 26, 27. edit. Reg. Paris.

In quibus autem nummis discrimen insuper aliquod inter *Signa* militaria in iis depicta licet intueri. Primo equidem, quod Signa in secundo nummo, cum inscriptione COHORTIUM PRÆTORIARUM, coronam habeant in perticæ summitate: in tertio autem denario COHORTIS SPECULATORUM, coronas videas mediæ insuper perticæ illigatas, ac, infra eas, Nauium Proras. Quo postremo symbolo *Cohortem* illam in Prætoria naui M. Antonii stationem suam habuisse, designari putat celebris Antiquarius; vel quod forte illud, iuxta consuetum *Proræ* in aliis id genus nummis insigne, maritimæ alicuius victoriæ, ad quam eadem *Cohors* plurimum contulisset, decus ostentaret. Accedit, quòd apud Auctores rerum Romanarum *Legionariæ Cohortes*, & *Cohortes Prætoriæ*, seu *Legionarii* milites & *Prætoriani* distingui vulgo soleant; uti apud Tacitum: *Prætoriarum Co-*

Vaillant Fam. Rom. p. 121. To. I.

Annal. I. c. 8.

hortium militibus singula nummûm millia; *Legionariis autem Cohortibus ciuium Romanorum trecenos nummos viritim dedit.* Quum vero Legionis signum, quod nemo nescit, foret Aquila; eadem tamen, iuxta consueta & toties signata in huius Antonii nummis Legionis Signa, uti in priori, quo LEGIO CLASSICA designatur, ita in eodem illo COHORTIUM PRÆTORIARUM nummo similiter cernitur. Ut vel inde omnino liqueat, *Cohortes Prætorias*, quæ e ciuibus Romanis itidem constarent, & quod de hisce Antonii *Cohortibus*, quæ e delectis insuper, ut paullo ante vidimus, eam in rem militibus erant factæ, nominatim liquet, præter alia Signa consueta, suam quoque habuisse Aquilam; quam nempe in aciem, quod raro alias Prætorianis contigisse alibi testatur idem Annalium Scriptor, eductæ secum ferrent. Quum iam alioquin, liberæ etiam urbis temporibus, ut vel e Liuio liquet, ac viderunt iam viri docti, ac præ aliis postremum natalibus & doctrina illustris Schelius, ac in militia dein Cæsarum passim obtinuit, ut Cohortes etiam e sociis seu auxiliis, non proinde solum e ciuibus Romanis, darentur, ut apud Tacitum, [a] *Cohortes Batauorum*, [b] *Caninefatum*, [c] *Cohors Usipiorum per Germaniam conscripta*, &c. *Cohortes* vero *Prætoriæ*, quæ nouem iam sub Augusto fuerant, *decem* postea, proinde quot aliæ Cohortes erant in Legione Cæsariana, & sequenti adhuc tempore, exstiterunt; ut vel ex Inscriptione antiqua sub M. Aurelio Imp. TRIBUNI COHORTIUM PRÆTORIARUM DECEM, aliisque liquere potest. Haud mirum vero, si non conspiciatur eadem Aquila in illo denario COHORTIS SPECULATORUM indice; quum non unius Cohortis, quæ ibi inscribitur, sed totius Legionis signum foret Aquila; neque vero aliunde liqueat, an illa Cohors e *Legionariis* constaret, quales *Speculatores Legionum* in antiquis lapidibus legi paullo ante diximus, immo *Scholam Speculatorum Legionum I. & II*; an vero ex *auxiliaribus*, sicut plures aliæ, ut modo vidimus, *Cohortes*, maxime quæ *equitatæ* vel *peditatæ* sunt apud Hyginum dictæ. Quum vero ea M. Antonii ætate, ac iam ante, *Cohors*, ut ab eruditis est obseruatum, e pluribus, & quidem in militia Cæsariana e tribus Manipulis constaret, haud mirum proinde sit, si tria quoque eidem *Cohorti Speculatorum* Signa in illo nummo tribuantur. Quæ autem, cum ad maiorem veterum id genus nummorum lucem, tum, eorum quoque beneficio, ad faciem veteris illius aut iam labentis Reipublicæ penitius dignoscendam, quantum equidem conferant, quiuis, ut opinor, videt; nec inutilem proinde vel ingratam in iis versandis aut explanandis operam collocari.

Hist. 1. cap. 89.

Ad Hyginum.

a Histor. 1. cap. 59. IV. c. 15. &c.
b Ibid. IV. c. 19.
c Vit. Agricol. c. 28.

Thes. Grut. CCLVIII, 8.

DISSER-

DISSERTATIO UNDECIMA

DE

PRÆSTANTIA ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

QUÆ ad commendationem horum ſtudiorum a nobis ſuperioribus Diſſertationibus adlata ſunt, OCTAVI nobiliſſime, æquos & fauentes lectores facile reor habitura. Neque fruſtra me ad hoc laboraſſe, haud pauca ſane ſuadere mihi videntur. Quid enim ad ſummam ingenii aut doctrinæ laudem conſequendam opportunius, quam ea verſare monumenta, quibus ſimul & nouitas gratiam, & varietas delectationem, & vetuſtas auctoritatem conciliat? Equidem cum ea ſit humani ingenii ratio, ut per noua, neque alias trita, arcem famæ ac doctrinæ ſibi inuadendam putet; ſingula hic ſe & affatim offerunt, in quibus omnis illa ſollicitudo facile adquieſcat. Etenim haud vulgaris laus, ut multi opinantur, neque continuo in medio poſita, abditæ ac retruſæ vetuſtatis arcana, ex coæuis neque facile obuiis monumentis eruere feliciter & explanare. Neque certe hanc prouinciam opportune quis prouideque ſuſcipiet, aut pro eius dignitate vel amplitudine complebit; qui priſcæ eruditionis ſubſidiis, multisque literis, exquiſitis & reconditis ferme, non ſit abunde inſtructus. Tenenda quippe linguarum, quibus antiquæ ac liberales artes & doctrinæ continentur, haud vulgaris notitia; cæremoniæ Deorum, Sacrorum proinde apud Græcos potiſſimum ac Romanos, &, e quibus eadem conſtabant, inſtitutum ac varietas; ciuiles præterea ac militares earundem gentium ritus; locorum inſuper ſitus; nobiliſſimarum urbium origines, conditores, iura, priuilegia, coloniæ; magiſtratuum in iisdem ratio ac diuerſitas; multiplices quoque & obſcuræ, aut aliunde etiam ignotæ, illarum gentium vel urbium æræ; diffuſa denique rerum geſtarum per omnium gentium & ſæculorum Annales memoria. Illa ipſa ænigmata, quæ hoc vetuſto ære paſſim continentur, quam uberem præterea ſolerti ac penetranti in abdita ingenio materiam præbent, ne eruditus magis quam ingenioſus interpres videatur? Accedat eodem oportet ſani quædam iudicii acrimonia, quæ in explicandis iisdem ſymbolis, certa ab incertis, veriſimilia a probatis ſecernat; quæ digitum ad veros fontes intendat; quæ ſpecioſa repertæ alicuius notationis fiduciâ haud facile ſibi blandiatur. Jam quam arduum illud ſimul & iucundum, in iis te exercere monumentis, quæ primus e ſitu ac tenebris in lucem eduxiſti; certè quæ longe a vulgi eruditorumque oculis ac intelligentiâ diſiuncta, in imis terræ viſceribus, aut in beatiorum hominum ſcriniis deliteſcebant? adde, aut quæ iam ab aliis eruta & publici iuris facta, certiore quadam

&

& magis accurata explanatione omnino indigebant. Quid dicam de multiplicis industriæ laude, ac longi usus beneficio, quo proba in hoc genere ab adulterinis, cusa veteri metallo ab incrustatis aut subæratis segreget; quo sincerum de ætate singulorum iudicium, quantum quidem fieri poterit, ferat. Quæ singula quum flagitet horum studiorum ratio, haud mirum forte sit, nondum hanc priscæ eruditionis elegantiam plures cultores nactam, ac in eorum numero pancos hactenus exstitisse, qui eandem, qua decuit, cura & adtentione excoluisse videantur. Neque sic tamen eorum conatus continuo improbandos statuam, ne propria hic cædam vineta, qui, quum eam vim ingenii aut doctrinæ ubertatem conferre ad has antiquitates euoluendas nequeant, vel eo tamen honesto utique & iucundo se oblectant otio, vel in diligenti eorundem perueſtigatione sibi pro virili parte, quod & forte mihi contigit, elaborandum putant.

HISTORIAM equidem AUGUSTAM ita hæc memoria prisci æui complectitur, ut non alterius ferme usus aut contemplationis gratia, pretium ei primum accesserit, aut vulgo adhuc tribuatur. Illa enim felicitas fuit monumentorum in hoc genere, ut ex ea veram imperii omnium maximi magnitudinem æstimare nobis hodie liceat. Adeo eam ante oculos ponit infinita nummorum in hoc genere supellex, mole, elegantia, numero spectabilis; ut hæc sola, multitudine aut varietate, tractantium cupiditatem morari & explere videatur. Hinc felix passim Procerum aut Antiquariorum industria, in colligendis iis, & in quasdam classes digerendis; eaque publicis & præclaris quorundam e postremorum ordine monumentis non semel contestata. Neque enim huius utilitatis præstantiam ignorare quemquam patiuntur, aut laudabiles vel Vici, vel Stradæ, vel Hulsii conatus; aut intentior Sebastiani Erizzi opera; aut diffusa Goltzii industria; aut diligens Occonis cura; aut luculenta Ducis Areschotani penus nummaria; aut Franciſci Angeloni haud contemnendi labores; aut præstantior in hoc genere, & fulta maiorum literarum præsidiis, Joannis Tristani solertia. Quibus, post hæc a me olim ante quadraginta propemodum annos monita, accessere dein, qui hanc spartam HISTORIÆ AUGUSTÆ e nummis antiquis locupletandæ feliciter adgressi sunt haud unius gentis viri præstantes, P. Seguinus, Car. Patinus, Jo. P. Bellorius, Franc. Mediobarbus Biragi Comes, Jo. Vaillant, L. Begerus, Philippus Buonarotta; ad Constantinopolitanos autem Imperatores quod adtinet, Car. du Cange. Quamquam longe adhuc plura, nec quæ minorem mereantur adtentionem, ad illustrationem & complementum eiusdem Historiæ Augustæ lateant in luculentis Gazis seu Cimeliarchiis etiamnum recondita, aliquando ex iis feliciter depromenda. Horum certe ampla & præclara omnino copia, cum olim a viro patritio & principe tum in urbe Antiquorum, Fr. Gottifredi, dum Romæ agerem, exspectabatur; tum a præclaris dein in Gallia viris, quibus Regiæ illius Gazæ custodia erat, aut prout est etiamnum eximio viro Antonio Oudineto, opportune commissa: immo sculptis iam, idque sumptibus Regiis, & a Begero nostro nuper etiam diuulgatis, maximi moduli Romanorum Imperatorum in eadem Gaza nummis. Verum quem ampliſſimum cimeliorum id genus thesaurum ab eo in primis auide omnes harum antiquitatum amatores studiosique sperabamus; qui, ut in omni reliquo, ita in hoc etiam signatorum sub Romanis Cæsaribus num-

nummorum peculio exprimendo & declarando, aliorum post se industriam reliquisset, ni terris fuisset haud ita pridem intempestiue exemptus, Andreas Morellius. Quamquam spes adhuc aliqua nos tenet, destinato iam ab eo ante obitum ad publicos usus antiquæ huius ac pretiosæ supellectilis apparatu, auspiciis superstitis eius Mæcenatis, natalium splendore & singulari amore eruditi huius census illustrissimi, non defraudatum plane iri orbem literatum. Quæ singula haud inani aliqua prædicatione, sed totidem oculatis testibus probant, Cæsarum seriem, Coniugia, Adfinitates, Titulos, Dignitates, Facta quæque illustria domi ac foris, seu belli ac pacis, nusquam certius vel manifestius, quam in eorundem Nummis consignata etiamnum conspici.

I.

Ad Seriem Cæsarum & Augustorum.

COntinuam certe aut minus interruptam Cæsarum vel Augustorum Seriem nequidquam alibi in monumentis veterum quæras. Ita enim illam nummis antiquis digestam nosti, ut non eos solum iidem exprimant, quorum diuturna fuere & vulgata imperia; sed obscuros etiam illos & minusculos vel Cæsares vel Tyrannos. Hos quippe, ut plurimum, videas aut breuitate vitæ vel principatus; aut longinquitate locorum, in quibus tanti nominis consortes erant repentino impetu, vel per factionem mox oppressam, designati, aut vero tenui gestorum famâ, contrariis ac incertis Auctorum relationibus tradi. Quod a me pridem ea de re monitum, a præstantibus dein Antiquariis, & qui ætatem in versandis id genus, cuiuscunque etiam metalli, cimeliis triuerunt, adsertum videas: e nummis nempe argenteis a J. Cæsare ad Tyrannos usque, nullum omnino deesse; a Tyrannis vero ad Heraclium e tribus metallis, aureis, argenteis, ac æreis nummis confici posse integram Imperatorum seriem; atque ita continuo ordine effingi & conspici etiamnum omnium illorum Principum ac Tyrannorum etiam, uti vulgo appellari iidem solent, maiori ex parte effigies. Quo loco autem, quæ in tractandis priscis illis Historiæ Augustæ monumentis, ac in concinnanda inde Romanorum Cæsarum vel Imperatorum serie minus forte sincera aut dubia etiamnum & controuersa, vel secus subinde tradita videbantur, hic in limine adtingenda nobis censeo. Quibus dein subdemus, quæ ipsorum Cæsarum vel Augustorum Coniugia, Adfinitates, aliasque Necessitudines, singula eorum nummis consignata, respiciunt: quo dein potiorem illam Historiæ Augustæ partem, quæ in enarrandis ipsorum Cæsarum vel Augustorum Originibus, primi vel secundi fastigii Insignibus, Titulis, Honoribus, Rebus pace belloque gestis, nummorum beneficio eruta primum vel adserta, vel cæteroquin luculenter illustrata, versatur, haud interrupto ordine proferre & explicare adgrediar.

Vid. Vaillant Præf. Num. Præst.

1. *De Adulterinis aut suspectis Historiæ Augustæ nummis.*

Qua ratione, ut hinc ordiar, exulare continuo illinc debet Clodius Macer, cuius nummum post Neronianos protulit primum nobilis Antiquarius. Præterquam enim quod in eodem nummo nomina eius tantum, P. Clodius Macer, & in auersa parte Propræ. Afric. *Propræ-*

Trist. Com. Hist. To. I. p. 247.

prætoris Africæ dignitas, nulli vero primi vel secundi Imperatorum fastigii tituli, consignentur; isque, dum in Africa turbare primum cœpit, fuerit mox sublatus. Accedit insuper ipsa nummi illius, etsi is ab alio dein & ex eadem gente celebri antiquario sit denuo diuulgatus, dubia admodum fides; immo quæ ab alio sagace huius peculii æstimatore, ceu adulterino, est ei penitus abrogata. Felicior hac in parte PESCENNIUS NIGER, cuius, ut minus præceps, a suscepto aliquamdiu summo Romani imperii in Oriente fastigio, occasus exstitit, ita superstites adhuc plures eius nummi inter selectiora id genus cimelia referri vulgo solent ac recondi. Ut præcipuum certe Gazæ Farnesianæ ornamentum adseruari haud ignoras huius Pescennii nummum, mole insignem, & quem cum aliis præclari eiusdem Cimeliarchii nummis, singulari Sereniſſimi Parmæ Ducis comitate, videre & tractare mihi hic in urbe licuit. Ab una parte exhibet ille Pescennium, cum inscriptione ΑΥΤΟ. ΚΑΙΣ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ ΝΙΓΕΡΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæsar Pescennius Niger Augustus*; in altera vero area, Mulierem cum Spicis, Face, & Serpente, seu Cererem, quæ & in aliis Latinis huius Nigri nummis conspicitur, ac epigraphen ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, ut Antiochiæ percussum illum liqueat; in quo terrarum tractu susceptum ab illo, sed haud diuturnum, imperium constat. Ut vero dubiam largiar nonnullis Antiquariis huius nummi fidem; at vero extra omne dubium positi sunt alii, ut de Latinis iam nihil dicam, Græci huius Pescennii nummi; quales aliquot *Germaniciæ* ad Euphratem percussi, cum inscriptione ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ, & variis symbolis, aut Venatricis Dianæ cum Arcu & Cane in nummo Musei Lomeniani, iam Gallorum Regii; aut Æsculapii, seu Serpentis variis spiris inuoluti, in Gaza Cæsarea, ac in Medicea; aut Bacchi cum Vase & Botru, inter cimelia Reginæ Christinæ a Fr. Angeloni edita; aut Figuræ dextrâ Virgam protendentis, in nummo Musei Estensis: quos omnes, excepto Cæsareo, versare mihi licuit. Accedit alius eiusdem Musei Cæsarei cum Pallade, & inscriptione ΤΙΑΝΩΝ, & alter rursus Leonardi Agostini (modo sit genuinus) cum figura quapiam & ara, ac loci nota ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ. Post hæc autem de reliquis huius Pescennii nummis a me olim prolata, duo sunt insuper a præstantibus Antiquariis enarrati; unus Romanæ Coloniæ, ac Romanis proinde vocibus; *Æliæ Capitolinæ*, in quo Astarte cum titulo & succincta cum aliis symbolis depicta dicitur; alter Græcus, uti superiores modo nummi, in Gaza Gallorum Regia, inscriptus in priori area circum Pescennii caput, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ. Γ. ΠΕΣΚΕ. ΝΙΓΡΩ Δ. seu Δικαίῳ, *Imperatori Cæsari Caio Pescennio Nigro Justo*; in altera vero, Aquilâ alis expansis Clauæ insistente, ΠΡΟΝΟΙΑ ΘΕΩΝ, *Prouidentia Deorum*. Cuius nummi, & maximi quidem moduli, illiusque, iuxta celebrem, qui eum in hac Britannia triginta aurcis redemerit, Antiquarium, *stupendæ raritatis, elegantiæ, & singularitatis* effigiem, ab eximio Morellio dein, & accurate, ut statuere licet, expressam hic subdere haud inconsultum vel Lectori ingratum reor: cui alterum simul addemus eiusdem Gazæ Regiæ nummum a nobis olim primum, ac dein a præstantissimo quoque Patino diuulgatum. E priori autem constabit per literam Δ, quod plures literas nummi ratio non admitteret, ΔΙΚΑΙΟΥ, seu IUSTI, quod alii Latini nummi huic Pescennio tribuunt, cognomen consignari:

Tacit. Hist. l. c. 7.

Patin. Numism. Imper. p. 96.

J. Bellor. sub nomine Bonini.

Vaillant Num. Græc. Imp. p. 78.

Vaill. Num. Præst. p. 116. To. II.

id-

idque, ut hoc addam; ad instar Arsacidarum in illo Orientis, ubi agebat Pescennius, tractu: quorum nummi, quod in priore huius operis parte vidimus, eodem ΔΙΚΑΙΟΥ titulo subinde insigniuntur. Ad quod etiam IUSTI cognomen spectare alios illius Pescennii nummos, inscriptos nempe IUSTITIA AUGUSTI, vel VICTOR. (seu *Victoriæ*) IUSTÆ, bene ad eos obseruat laudatus paullo ante Antiquarius. Vaillant, ut supra p. 212; 213.

I. *An* TRES *vel* QUATUOR GORDIANI *fuerint.*

Ad GORDIANOS autem quod adtinet, notum equidem haud unum ex antiquis Historiæ Augustæ Scriptoribus ambigere, an [a] unus, [b] duo, vel [c] tres iidem fuerint. Neque omnino liquidum hodie id foret, ni, præter obuia Gordiani, vulgo Pii seu Tertii, numismata, rariora nonnulla Auum eiusdem ac Patrem, vel iuxta alios, Patruum, inscriptosque in eorundem nummis AUGUSTOS & AFRICANOS, vultu autem, pro ratione diuersæ longe eorum ætatis, dispares, adhuc hodie conspiciendos darent. Id vero ante aliquot demum annos in disquisitionem primum venit, & eruditis commentationibus est iam utrinque disceptatum; annon etiam QUATUOR, & quidem iuxta veterum nummorum fidem, nec proinde TRES solum, uti hactenus, & vulgo est ab Antiquariorum gente traditum, GORDIANI olim fuerint. Cuius equidem sententiæ primus iam ante auctor fuerat, sed cuius haud habita videtur a sequentibus dein Antiquariis ratio, aut forte ignorata a plerisque extra Italiam constitutis notitia, in nummis Historiæ Augustæ e Museo suo Italico sermone Romæ diuulgatis, Franc. Angeloni: ita tamen ut non fidenter plane eam proponeret, sed haud alienum se esse ab ea opinione diceret, ut, etiamsi id auctoritate veterum scriptorum haud nitatur, e nummo tamen quopiam posset id, de quatuor nempe Gordianis, statui. Quibus continuo subdit, hinc conciliari posse Auctores; quorum alii Gordianum secundum seu Africanum iuniorem mansisse cœlibem; alii vero natum ex eo Gordianum vulgo Pium, Maximi nempe & Balbini successorem, tradunt. Adeo, ut repertis quatuor Gordianorum nummis, is tertius demum sit habendus, qui sine corona seu laurea depictus in iis cernitur, cum CÆSARIS titulo, nempe M. ANT. GORDIANUS CÆS. & instrumentis sacerdotalibus in auersa nummi area, ac inscriptione PIETATI AUG. S. C. quartus vero sit *Gordianus*, qui vulgo *Pius* vocari consueuit: prioris nempe illius tenera ætate infantis, ac in Africa forte apud Parentes commorantis, ab iis *Cæsaris* declarati, & præmaturâ, ut colligere licet, morte sublati, præteritâ a Scriptoribus mentione;

a Eusebius in Chronico. b Capitol. in Gordian. c. 2. Aur. Victor. c. 27. Eutrop. l. IX. c. 1. Zonaras p. 632. c Historici passim.

1 Historia Augusta di Fr. Angeloni p. 236. & 241. ult. edit.

tione ; cui tamen post mortem eiusmodi nummus sit a Senatu decretus. Discrimen certe, quod inter illos nummos, & qui ibi continuo effinguntur, intercedit, id manifesto satis arguit: quum tanta utique, quod addit ibidem, in vultu dissimilitudo, exiguo illo paucorum mensium spatio a prima in Cæsarem nuncupatione ad secundam, qua Augustus est appellatus Gordianus Pius, statui neutiquam possit. A qua tamen sententia aperte discedit ibidem, qui eidem Angeloni a prima ætate fuerat familiaris, & a quo sunt denuo editi, ac pluribus nummis variisque adnotamentis elucidati iidem eius Historiæ Augustæ e numnis illustratæ libri; singulari autem Romanæ antiquitatis peritia instructus, J. P. Bellorius. Ille enim hanc inter adscriptos vulgo tertio Gordiano nummos diuersitatem haud adparere existimat, ut quartus inde Gordianus statui debeat: ea quippe illos esse similitudine & fabrica, ut unum omnino Gordianum iidem referant: Auctores præterea a Capitolino adductos Cordum ac Dexippum in eo tantum differre, an idem Gordianus Pius seu Tertius e Gordiano iuniore Africano, an vero ex eius sorore sit natus : cosdem vero de tribus tantum Gordianis consentire, duobus Africanis, Patre & Filio, ac tertio, qui post Balbinum & Pupienum imperauit, Gordiano. In priorem vero de quatuor Gordianis opinionem, ignari cæteroquin id ab Angeloni diu iam ante proditum, prout viris eximiis & cordatis id adferentibus fides omnino est habenda, ab aliquot abhinc annis abierunt duo viri præstantes Galli: [a] unus, & cui id primo in mentem venerit, dum versat, quos amat ac possidet, antiquos nummos, haud una laude ornatissimus: [b] alter, horum veterum cimeliorum studio singulari ac peritia, ingenio præterea & eruditione haud protrita conspicuus, qui hanc etiam sententiam, scripta sermone vernaculo [c] de quatuor Gordianis Historia, adserendam susscepit, & ab [d] alio dein inter Gallos eximia doctrina viro, ac ab illustri [e] Cupero dein impugnatam, scriptis Romana lingua Historiæ suæ [f] Vindiciis, propugnare denuo adgressus est. Quorum autem virorum est eadem, iuxta dictum modo Angeloni, sententia: nempe ad Gordianum Tertium, non quidem illum, qui hactenus ab Historicis antiquis & recentibus & ab Antiquariis, est habitus vulgo *Gordianus Pius*, idemque post Maximi & Balbini cædem Augustus; sed ad alium, qui Gordiani Junioris Africani filius omnino fuerit, idemque *Cæsar* una cum auo & patre Gordianis Augustis sit a Senatu nuncupatus, ac inde sine laurea, & sexennis aut septennis pueruli vultu, CÆSAR in nummo veteri sit inscriptus, spectare nummos cum instrumentis sacerdotalibus in auersa parte signatis: *Quartum* inde *Gordianum* emergere, dictum modo *Gordianum*, vulgo *Pium*, ac pro *Tertio* hactenus habitum: quique *Cæsar* primùm, cum Maximo & Balbino nuncupatis *Augustis*, ætatis annis undecim exactis, sit creatus; *Augustus* dein ac *Imperator*, post corum cædem, per sexennium circiter fuerit. Ut vero Lectori liquidius de orta illa paucis abhinc annis nobili de TRIBUS aut QUATUOR GORDIANIS controuersia statuere liceat; præcipua, quibus innituntur alterutrius sententiæ adsertores, auctoritatum momenta hic paucis adtingenda & expendenda nobis veniunt.

[a] D. a Longpre.
[b] Anonymus hactenus, notus tamen Abbas du Bos.
[c] Histoire des IV. Gordiens Paris 1695.
[d] Lettre de l'Histoire des IV. Gordiens.
[e] Histor. Trium Gordian. Dauentr. 1697.
[f] Paris. 1700.

1. *Sententia de tribus aut qua-*

Unde, ut ab his ordiamur, quibus receptam vulgo de *Tribus Gordianis* sententiam impugnare visum est; id primo loco, quod ab Angeloni quoque factum paullo ante vidimus, obtenditur: haud posse aliter Historicos

ricos veteres conciliari: quorum alii Gordianum Pium e Metia Fauſtina, ſorore Gordiani Junioris Africani natum adfirmant: alii vero eiusdem Gordiani Junioris filium tradunt. Nullam vero, quod addunt, rationem dari poſſe, vel cauſſam ſubeſſe, unde breui a morte illius Imperatoris, & quidem e ſplendida apud Romanos Gente orti, ignorari potuerit, quis reuera illius principis parens fuerit, atque ita hodie in dubio relinqui, quibus ex iis Auctoribus ſit potiſſimum fides habenda. Hæc autem expediri aliter non poſſe, niſi duo ſtatuantur, præter nempe duos Africanos, Patrem & Filium, Gordiani: unus, iunioris Africani filius, quique CÆSAR unà cum Patre & Auo AUGUSTIS fuerit a Senatu nuncupatus: alter vero, e dicta illius iunioris Africani ſorore natus, ac demum poſt utrumque Gordianum, Auum & Patruum, in Africa mortuos, CÆSAR, iuxta Maximum & Balbinum AUGUSTOS, Senatusconſulto ſimiliter appellatus. Maximo autem & Balbino interemptis, per ſexennium circiter AUGUSTUS & IMPERATOR. In eo autem errare, ſolito illorum, qui aliorum ſcripta excerpunt, more ſtatuunt Capitolinum: qui, quod de priori Gordiano Cæſare a Dexippo, & ab altero, quem non nominat, dictum fuerat, ad poſteriorem demum Gordianum refert. Palmarium vero de duobus illis Gordianis argumentum inde colligi; quod, quum ſemel tantum quis hæres imperii ſeu *Cæſar* deſignaretur, duo tamen Gordiani diuerſis temporibus *Cæſares* facti leguntur apud eundem Capitolinum: unus nempe menſe Maio, quando Gordiani Africani, Pater & Filius, Auguſti ſunt Romæ a Senatu nuncupati: alter vero, menſe Julio ſequente, quando ad Maximum & Balbinum delatum eſt a Senatu imperium. Prioris Cæſaris Gordiani nuncupationem menſe Maio factam conſtare ex Senatusconſulto, cuius fides nulla ratione poſſit conuelli: nempe quum lectis in Senatu Gordiani Senioris Auguſti, a militibus in Africa renuntiati, literis, a Senatu acclamatum eſt: *Gordiani Auguſti, Dii vos ſeruent:* mox, *Nepoti Gordiani præturam decernimus; nepoti Gordiani Conſulatum ſpondemus; nepos* GORDIANUS CÆSAR *appelletur; tertius Gordianus Præturam accipiat.* Immo validius adhuc probari menſe Maio Gordianum Cæſarem fuiſſe Senatusconſulto declaratum, ex Maximini Imperatoris, ubi Gordianos audiuit a Senatu ad ſummum imperii faſtigium euectos, ad milites adlocutione: *Quare factum eſt (ut diximus) ut Gordianum adoleſcentulum Principem peterent, qui ſtatim factus eſt: Nec prius permiſſi ſunt ad Palatium ſtipati armatis ire, quam* NEPOTEM GORDIANI CÆSARIS *nomine nuncuparent, & Gordianos Patrem ac Filium Auguſtos vocarent.* Expungi autem hæc a plerisque eruditis, ideo demum quod de quarto Gordiano non cogitarint: certum vero ſit Gordianum vulgo Tertium, non niſi creatis Auguſtis Maximo & Balbino, ac poſt Auum ac Patruum in Africa mortuos, creatum eſſe Cæſarem. Quod vero nulla expreſſa prioris Gordiani, illiusque ab hoc Gordiano Pio diuerſi, aut vero quid de eo actum ſit, fiat ab Auctoribus mentio; id e Zoſimo poſſe continuo conuelli. Ab eo quippe dici naufragio periiſſe utrumque Gordianum Africanum, Patrem ac Filium, dum ex Africa in Italiam traiiciunt: quod quum a conſtanti reliquorum Auctorum, ac Zoſimo vetuſtiorum, de iisdem Gordianis, in Africa alio mortis genere extinctis, fide ſit omnino alienum; ſequi inde vel corruptum ibi eſſe a librario quopiam Zoſimi contextum;

tuor Gordianis *diligenter expenſa.*

In Gordianis c. XXII.

Capitol. in Maximin. c. XVI.

Idem in Maximin. c. XVIII.

quì Γορδιανῶν ibi pro Γορδιάνου, seu τῶν pro τοῦ, repositurit; vel si emendatio illa, etsi leuis valde, admitti nequeat, statuendum erraſſe Zosimum, qui nempe id de patre & auo Gordianis dixerit, quod nepoti ac filio eorundem contigiſſet; qui ab illis, quod ſibi in Africa manendi neceſſitas incumberet, Romam erat miſſus, ut præſens ibi Senatus Populique Romani erga Gordianorum Gentem amorem ac beneuolentiam tueretur. Zosimum quippe, Scriptorem, ſi ea quæ Chriſtianorum Religionem adtingunt, quam impenſe oderat, demus, cæteroquin ſincerum, de tali naufragio aliquid literis proditum omnino legiſſe; ſed in eo demum hallucinatum, dum eo mortis genere periiſſe tradat Gordianos, quo unus tantum ex iis, quinquennis vel ſexennis ille Cæſar, fuerit exſtinctus. Satius enim longe id de Zosimo arbitrari; quam verba eius, cum Salmaſio, de *vi imbrium* interpretari, qua adflictus fuerit Gordianorum in Africa exercitus. Accedit, quod a Capitolino ideo ſit inſcriptus de *Tribus*, non de *Quatuor Gordianis* Liber; quod ille Gordianorum, qui regnarunt, rationem tantum habuerit, non illius, qui fato functus fuerat, antequam imperaret: eademque de cauſſa tres tantum ab Arriano & Dexippo memoratos. Hæc omnia vero manifeſtius adhuc adſtrui ex ipſa veterum nummorum tractatione, eorumque adſpectu. Nummos utique, in quibus ſignatur Gordianus Cæſar, eſſe in omni metalli genere ſimiles; eosdemque vultus ſeu ætatis, cælaturæ præterea, metalli fabricæ, intuitu, ab iis valde diuerſos, in quibus Tertius vulgo Gordianus depingitur. Prioribus nummis quinquennem vel ſexennem puerulum effingi, certe vix ſeptennem, qua ætate Cæſar creatus fuerit idem Gordianus, quique breui deceſſerit: aliis vero nummis tredecim vel quatuordecim annorum adoleſcentem effingi Gordianum Pium, eundemque, Maximo & Balbino Imperatoribus cæſis, iam Auguſtum. Quæ tanta utique diuerſitas in unius eiusdemque Gordiani nummis, & quidem intra tredecim menſium ſpatium, quo *Cæſar* primum, dein *Auguſtus* eſt nuncupatus, reperiri non poſſit; nec tanta in iis cudendis Romanis monetariis incuria debeat adſcribi. Neque vero mirum cuipiam videri debere, quod forte Gordiani illius Pii nummi hactenus non proſtant, cum *Cæſaris* titulo: neque enim priuilegium hoc ſecum tuliſſe illam *Cæſaris* dignitatem, ut continuo eius effigies, in quem ea conferebatur, fuerit nummis impreſſa. Neque tamen, quod addit præclarus quatuor Gordianorum adſertor & vindex, velut demonſtratum problema, hæc a ſe eam in rem adlata eſſe, verum unius veritatis indagandæ ac Hiſtoriæ Romanæ illuſtrandæ animo, potius quam ulli pertinaciæ imputanda.

Hiſtoire des IV Gordiens p. 216. Vindic. p. 14.

2. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Ad alterius vero, ſeu receptæ vulgo de *Tribus Gordianis* ſententiæ patrocinium quod adtinet, illa, quæ ad eandem adſerendam rationum ac auctoritatum momenta, ab aliis viris præſtantibus ſunt iam adlata, vel urgeri forte ulterius poſſunt, obiter quoque ac pro inſtituti huius operis ratione, ſunt hic a me delibanda. Quod cæteroquin ab illuſtri Cupero, in ſcripto ad oppoſitas ſibi Vindicias pridem ad prælum parato, plenius ac luculentius factum iri, haud dubitare equidem licet. Equidem & quod primo loco hic monendum, haud immerito urgetur ante omnia altum Scriptorum veterum, Herodiani puta, Vulcatii Terentiani, Arriani, Dexippi, Junii Cordi, Victoris utriusque, Eutropii, Zosimi, ipſius etiam Capitolini, de quatuor Gordianis, ac proinde de quinquenni vel ſexenni

ni in Africa Gordiano *Cæsare*, eoque diuerso ab altero Gordiani scnioris in urbe nepote, silentium. Cuius eo maior quoque ratio haberi debeat; quod aliqui ex iis, ut Herodianus, Terentianus, Junius Cordus, Arrianus, Dexippus, fuerint iisdem Gordianis coæui, & ea maxime occurrant apud eosdem Auctores loca, quibus aliqua illius fieri debuerat mentio. Quod de eo apud Capitolinum Senatusconsulto dicendum est, quo duo Gordiani, senior ac filius *Augusti* a Patribus appellantur: *Gordianos Augustos appellamus, Gordianos principes agnoscimus*; vel de Senatûs literis ad omnes prouincias, quibus se *Gordianum* (Seniorem nempe) *Augustum appellauisse, ac in subsidium Reip. filium eius Gordianum*, iuniorem nempe Africanum, ipse Senatus testatur. Adde, quòd a Capitolino, nuntio de obitu utriusque illius Gordiani Romam perlato, dicitur: *Post mortem duorum Gordianorum, Senatus trepidus, &c.* immo nominatim ante: GORDIANI NON, *ut quidam imperiti Scriptores loquuntur*, DUO, *sed* TRES *fuerunt: idque docente Arriano, Scriptore Græcæ Historiæ, docente item Dexippo, Græco Auctore, potuerunt addiscere. Qui, etiam si breuiter*, AD FIDEM *tamen omnia persequuti sunt.* In quibus utique locis aliquid omnino, etsi strictim etiam ac perfunctorie, & a coæuo insuper Herodiano, fieri debuerat Quarti illius Gordiani commemoratio. Neque enim ideo quod non regnarit ille, qui obtruditur, scxennis *Cæsar Gordianus*, indictus præteriri omnino meruerat; verum quid de eo, maxime collata ei iam ante Aui Patrisque obitum, ut viris illis præstantibus visum est, *Cæsaris* dignitate, & qua hæres Augusti fastigii declarabatur, actum foret, fuisset ab Historicis illorum temporum vel uno verbo proditum. Quum cæteroquin omnes Domitiani filii, eiusdemque in cunis exstincti, & Antonini, M. Aurelii filii & Commodi fratris, illiusque quadrimi elati meminerint, qui vitas eorum enarrant, Auctores; essetque potior longe adducta modo ratio, cur huius Gordiani fata a dictis Historicis haud plane reticerentur. Adde, præter loca iam adducta, expressa insuper de uno Scnioris Gordiani nepote verba apud eundem Capitolinum: *Adfectus suos unice dilexit: filium & nepotem ultra morem*; *filiam & neptem religiose*. Eorundem vero Historicorum de Gordiani Tertii parentibus dissensum in eo demum, uti id obiter iam ante diximus, verti liquet; quod is ab uno forte vel altero Scriptore, Gordiani Senioris e filio, a plerisque vero aliis, e filia demum, nepos statuatur. Quibus addi potest, de iisdem Gordianis, iuxta Herodianum, coæuus Junius Cordus; dum is tradit Gordianum iuniorem huius Gordiani, iuxta priores Scriptores, parentem, *uxorem nunquam habere voluisse*. Haud tanti proinde esse unius forte, ut dixi, vel alterius Scriptoris, & quidem Græci, ea in re a reliquis pluribus ac potioribus dissensum; ut, quo iidem inter se, qui & in aliis historiæ de Gordianis partibus inuicem a se abeunt, concilientur, alius continuo in medium adducatur Gordianus, de quo ex æquo iidem silent.

In Gordianis cap. XI.

Idem in Maximin. cap. XV.

Idem in Gordianis cap. XXII.

Cap. II.

Ut supra cap. VI.

Ibidem cap. XIX.

Quod enim e duobus diuersis Senatusconsultis, præter veterum, de quibus postea, nummorum fidem, id probari, immo euinci, traditur; quibus nempe mense Maio cum Gordianis Augustis patre ac filio; ac dein Julio sequente, cum Maximo & Balbino, itidem in Gordianorum mortuorum locum, Augustis, *nepos Gordiani Cæsar appellatus* dicitur, de uno autem eodemque Gordiano, qui ita bis fuisset *Cæsar* nuncupatus, intelligi nullatenus

tenus possit, haud una id ratione diluitur. Ad prius enim factum mense Maio Senatusconsultum, & quo Gordiani Africani, pater & filius, *Augusti* nuncupantur, quod adtinet; si duo tum fuissent senioris Gordiani nepotes, unus in Africa, alter Romæ, non omissa prorsus a Senatu fuisset alterius ex iis, & quidem in urbe ac maioris natu, commemoratio; immo quem utrumque, non unum solum ex iis, Cæsarem appellasset. Accedit, eam Senatus acclamationem, quâ nepos Gordiani *Cæsar* appellatus traditur, si vere tum locum habuerit, impetum duntaxat fuisse, qui, ob interceptos mox in Africa Gordianos Imperatores, successu caruerit: neque etiam esse verisimile, ut citra consensum Imperatorum aliquis a Senatu *Cæsar* fuerit appellatus. Verum huic Senatusconsulto aliud opponi, cuius alibi meminit Capitolinus, & de quo paullo ante facta est mentio: quum nempe lectis duorum in Africa Gordianorum ad Senatum & urbis Præfectum literis, acclamatum est a Senatu: *Gordianos* (quod paullo ante vidimus) *Augustos appellamus*; *Gordianos principes agnoscimus*; dein; *Imperatores nostros Roma videat*; nulla nepotis Gordiani illiusque *Cæsaris* appellati facta mentione. Adeo ut postrema prioris illius Senatusconsulti verba; *Nepoti Gordiani Præturam decernimus*; *nepoti Gordiani Consulatum spondemus*; *nepos Gordiani Cæsar appelletur*; *Tertius Gordianus Præturam accipiat*, alieno loco ibi posita videantur, & ad illud Senatusconsultum omnino ableganda, quo post Senatus acclamationes de Maximo & Balbino, post duorum Gordianorum fata, Augustis, *nouo genere Senatusconsulti*, *eadem die inductus in Curiam* Gordianus *Cæsar est appellatus*. Quod quidem, populo & militibus, qui conuenerant, acclamantibus *Gordianum Cæsarem omnes rogamus*, factum ibidem dicitur; ac postquam coacti a populo noui illi Imperatores nepotem *Gordiani Cæsaris nomine nuncupassent*. Hinc dictis Senatus acclamationibus, quo is populo ac militibus gratificaretur, ac Seueri & Maximi, Augustorum e suorum numero electorum, nuncupationem gratiorem utrisque redderet, congesti illi, qui in adducto ante Senatusconsulto referuntur, in hunc Gordiani Senioris nepotem *Præturæ* & *Cæsaris* honores, & *Consulatûs* insuper sponsio, certe quæ neutiquam de alio eoque sexenni in Africa Gordiano, illoque, ut vidimus, priscis Auctoribus prorsus cæteroquin indicto, intelligenda veniant. Quæ confusio præterea in hoc apud Capitolinum loco eo minus insolita videbitur, quod aliud manifestum illius exemplum apud eundem præbeant iam supra a nobis adducta, & quibus potissimum innititur illa Quarti Gordiani adsertio, nempe Maximini Imp. ad milites verba, post acceptum de nuncupatis Gordianis principibus nuntium: *Quare factum est (ut diximus) ut Gordianum adolescentulum, principem peterent, qui statim factus est. Nec prius permissi sunt ad palatium stipati militibus ire, quam nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent*: additque, *& Gordianos patrem ac filium Augustos nuncuparent*. Quæ verba, ut iam de diuersa plane Maximini ad milites apud Herodianum adlocutione nihil dicam, alieno utique loco esse posita, & neutiquam posse ibi consistere, est dudum a viris summis, Casaubono potissimum & Salmasio, adde & a Grutero, monitum; nec ita pridem ab elegantis eruditionis viro, Ulrico Obrechto in Capitolini editione similiter sunt omissa. Hæc enim Gordianis in Africa constitutis, & Augustis Romæ a Senatu nuncupatis, conue-

Capitolin. in Maximin. cap. XVI.

Idem in Gordianis cap. XI.

In Maximin. cap. XVI.

In Maximin. cap. XVIII.

Lib. VII. c. 19.

nire

nire utique non poſſe, & conturbato rerum geſtarum ordine ibidem tradi omnino liquet; immo plane ad Maximum & Balbinum, creatos tum Imperatores, reſpicere eadem verba, quæ adducuntur a Capitolino in eorum vita, extra omne dubium ponunt. Ubi enim de Maximo & Balbino, poſt Gordianorum in Africa interitum, *Auguſtis*, Senatûs acclamationibus, Romæ appellatis, iisque e Senatu egreſſis ac in Capitolio, pro more, rem diuinam facientibus egiſſet Capitolinus; Maximo autem ob eius ſeueritatem contradiceret populus Romanus: addit continuo eadem omnino, quæ modo e Maximini vita ab eo quoque concinnata adtulimus, verba: *Quare factum eſt, ut Gordianum adoleſcentulum principem peterent, qui ſtatim factus eſt: nec prius permiſſi ſunt* (Maximus nempe & Balbinus) *ad palatium* (e Capitolio, in quo rem diuinam fecerant) *ſtipati armatis ire, quam nepotem Gordiani Cæſaris nomine nuncuparent.* Adeo ut nulla equidem dubitandi ratio ſubeſſe amplius poſſit, quin eadem verba male ſint a ſciolo quopiam in priorem apud Capitolinum locum, ubi de duobus Gordianis Auguſtis menſe Maio declaratis agitur, intruſa: quum ad nuncupatos in eorum interemptorum locum Maximum & Balbinum, appellatumque ab iis ſingulari populi Romani ac militum conſenſu, Gordianum Cæſarem, Tertium nempe, eumque Senioris Gordiani nepotem, manifeſto referantur. Unde omnis illa de alio quopiam in Africa Gordiano, eoque Senioris itidem nepote, qui *Cæſar*, una cum auo & patre Gordianis Auguſtis ſit a Senatu Romæ menſe Maio appellatus, & in quo validiſſimum de quarto Gordiano argumentum collocabatur, adſertio continuo corruat.

Idem in Maximo & Balbin. cap. III.

Ibidem.

Neque firmiori talo ſtare petitam e Zoſimo probationem; qua quartus adſtrueretur Gordianus, isque Gordiani iunioris Africani filius, & ab altero Gordiani ſenioris e filia nepote diuerſus; tantum abeſt, ut illa ad vim demonſtrationis hiſtoricæ adſurgere videatur. Id enim a Zozimo demum dicitur, ſeniore Gordiano, eique cognomine filio, deſignatis ab Afris, & quidem in Africa, Imperatoribus, miſſis Romam, qui id nuntiarent, Legatis, & nuntio eodem tempore de Maximini & Maximi filii cæde in urbe accepto, adlato etiam prioris capite, aduentum Gordianorum Imperatorum ex Africa Romanos exſpectaſſe: verum *iis* (prout verba eius ſonant) *inter nauigandum vi tempeſtatis exſtinctis*, Gordiano, alterius filio, ſummam rerum a Senatu continuo traditam. Quæ ſingula, præterquam quod ab omni aliorum Hiſtoricorum, & eorum maxime qui coæui iis temporibus fuerunt, narratione immane quantum abeant, ut nullam plane fidem mereantur: ita emendationem, de qua obiter ſupra, primo traditam, ſed omiſſam dein in vindicanda quatuor Gordianorum hiſtoria, omnino reſpuunt. Mirum autem videri poſſet, id ex ea Zoſimi narratione colligi; quod, quum duo Gordiani Imperatores ſint in Africa, & quidem alio mortis genere, exſtincti, alius ſit omnino Gordianus, qui eo naufragio perierit, & quidem quartus ille Gordianus, ſeu ſexennis circiter Gordiani e duobus Auguſtis Junioris filius, idemque *Cæſar* ante a Senatu appellatus, & Romam a Gordianis illis Imperatoribus, ad beneuolentiam Senatus Populique Romani in Gordianos adſerendam & conſeruandam ſcilicet, miſſus. In eo vero hallucinatus, iuxta virum præſtantem, Zoſimus dicitur; qui id de Gordianis, Auo ac Patre, naufragio, dum ex Africa Romam traiiciunt, ſubmerſis tradat, quod ſcilicet de Gor-

Lib. I. p. 15; 16, 17. edit. Oxon.

Βίᾳ χειμῶνος ἐν τῷ πλεῖν ἀπολλυμένων lib. I. p. 17.

diano Scnioris nepote demum proditum alicubi fuerat. Quod etsi nullo veteris alicuius Auctoris testimonio nititur, ad vim tamen, qua de re iam ante, demonstrationis historicæ, de quarto nempe illo Gordiano inducendo, adsurgere dicitur. Unus vero, ne hoc præteream, Zonaras (adeo incerta ac discrepantia de Gordianis hisce, uti de Maximo & Balbino, eiusdem ætatis Imperatoribus, sunt literis prodita) idque ex quorundam Historicorum fide traditum, narrat: quòd a militibus appellato in Africa Gordiano Augusto, eiusque legatis Romam missis ac *in nauigatione* κατὰ τὸν πλοῦν, non submersis quidem sed morantibus, interim ex suo corpore Maximus & Albinus Imperatores a Senatu fuerint nuncupati. Iis vero militum ad urbem dissensione cæsis, in eorum locum suffectum fuisse Balbinum: qui, ubi Gordianus senior Romam aduenisset, sit mox itidem cæsus: Gordianum autem, partim ob extremam ætatem, partim ob longæ nauigationis incommoda ægrotantem, intra XXII. imperii dies exactos obiisse. Ab aliis vero tradi, & verius quidem, refert ibidem Zonaras, Gordiano, seniore nempe, in Africa Imperatore appellato, seditionem militum motam, in qua victi sint, qui illius partes sequebantur, ac eiusdem filius occisus, ipsum vero Gordianum præ dolore semet suspendisse. Quæ postrema sunt iis consentanea, quæ a probatioribus & coæuis Historicis, de utriusque Gordiani Africani fato, sunt in literas relata: priora vero cum ab ipsius Zosimi, tum ab aliorum Auctorum, non de Gordianis solum, sed de Maximo etiam & Balbino eorum successoribus, narratione, valde sunt, ut quiuis videt, aliena. Quod de iis quoque dicendum est, quæ subdit continuo Zonaras, de duobus scilicet Gordianis Imperatoribus; priore Senioris filio, qui patre Romæ mortuo, per sexennium imperarit, illatoque Persis bello, e lapsu equi fracto femore, Romam delatus, decesserit: altero vero, seu tertio, Gordiano, duobus illis Gordianis agnatione demum iuncto, qui contra Persas itidem militavit, & Ctesiphonte, Philippi Præfecti Prætorio insidiis, fucrit interemptus. Quæ, præterquam quod non quatuor, sed tres tantum Gordianos statuunt, de duobus hisce cum Persis bellum gerentibus Gordianis Imperatoribus dicuntur; ac priore ex iis e lapsu equi, ubi per sexennium imperasset, Romæ, quo fuerat delatus, mortuo, quam ab omni veterum Historicorum aliorumue monumentorum fide abeant, haud opus hic pluribus tangere. Neque vero, ut hoc addam, a magno Salmasio, quod ei tribuitur, dictum uspiam videas, per tempestatem & naufragium ἐν τῷ πλεῖν apud Zosimum, intelligi *vim imbrium*, qua adflictus fuerit Gordianorum in Africa exercitus, antequam cum Capeliano manus consereret; sed hoc demum, tempestatem illam, quæ Gordiani exercitum dissipauit, ac facilem Capeliano victoriam præbuit, videri occasionem dedisse texendæ fabulæ, de qua Zosimus, quæ Gordianos, cum Romam venirent, tempestate in mari orta fuisse obrutos tradidit. Quod si, iuxta eruditissimum Scriptorem Gallum, qui pro tribus Gordianis stat, & probante quidem, quod ibidem dicitur, accuratà in primis Græcarum, aliarumque literarum notitiâ inclyto, unoque e Regiæ Parisiensis Bibliothecæ custodibus, Bouinio, pro πλεῖν apud Zosimum legatur πολεμεῖν, prout per solita literarum compendia a librariis forte sit scriptum, & sicut πλεῖν ibidem præfert Zosimi codex eiusdem Bibliothecæ Regiæ; ita magis adhuc absoluetur Zosimus; qui in ge-

Annal. l. XII. p. 622.

Vid. Not. Salmas. ad Capitol. in Gordian. c. XVI.

Lettre de l'Histoire des IV. Gordiens p. 29.

genere dixerit, *vi tempeſtatis exſtinctos*, dum in Africa bellum gerunt, Gordianos: quum reuera ealamitatis, qua uterque periit, eauſſa *ingens* illa, ut a Capitolino dicitur, & *quæ rara in Africa eſt, tempeſtas* fuerit; quæ, ut addit ibidem, *Gordiani exercitum ante bellum ita diſſipauit, ut minus idonei milites prælio fierent, atque ita facilis eſſet Capeliano victoria:* adeo ut exſus ſit in aeie Gordianus iunior, pater autem, audita filii exde & clade exercitus, ſemet ſuſpenderit. Neque eerte, ut hoc addam, βίᾳ χειμῶνος apud Zoſimum, de *vi imbrium* demum diei ſtatuendum eſt; haud magis utique, quam Latina vox *tempeſtas*, de qua alicubi Plinius: *Unum, quod* TEMPESTATES *vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque ſimilia intelliguntur; quæ cum acciderint,* VIS MAIOR *appellatur.* Immo quomodo, ut hoc addam, χειμῶνα de ipſa *pugnæ* ſeu *aciei*, quam illa excitet, *tempeſtate* diei apud Sophoelem videas; ut ad eum illa de re loeum hic in margine adductum obſeruant veteres Critici. Unde haud mirum videri poſſet, ſi cum verbo πολεμεῖν in hoe Zoſimi loeo, iuxta eruditam virorum præſtantium eoniecturam, illud βίᾳ χειμῶνος eoniungatur; atque ita iſtud a Capitolini narratione, quæ orta ſubito ingenti tempeſtate profligatum Gordiani Iunioris exercitum, illumque inde eum patre oppreſſum, tradit, haud ſit alienum.

Τῶν δὲ βίᾳ χειμῶνος ἐν τῷ πολεμεῖν (pro πλεῖν per compendium) ἀπολεμέναν I. IV. p. 17. In Gordian. cap. XVI. Lib. XVIII. cap. 28.

Δοξὸς ἐν χειμῶνι Sophocl. Antig. v. 681. Χειμῶνι, τῆς μάχης δηλονότι, Schol.

Hisee proinde auctoritatibus, ſi illæ propius expendantur, nullum omnino adſertioni de QUATUOR GORDIANIS præſidium relictum videri liquet; ſed quibus illa potius manifeſto eonuellitur. Neque e Nummis antiquis, e quorum tamen adſpectu nata primum eſt illa de *Quatuor Gordianis* eoniectura, eadem magis fulcitur. Ex aliqua enim, inter varios eiusdem Romani Cæſaris vel Imperatoris nummos, vultusque in iis expreſſi diſſimilitudine, eosdem haud minus ad unum eundemque prineipem referendos eſſe eonſtat. Exempla eius rei paſſim obuia, ac iis potiſſimum nota & explorata, quibus plura id genus eimelia frequenter ac adtente verſare & expendere contigit. Unde, ut ex ea ſubinde inter nummorum cælaturam & fabrieam diuerſitate, aut ſimilitudine, probum aliquod ae ſineerum iudicium, ad quos illi, an ad eosdem ſeilicet (maxime ubi eadem nomina in utriusque, uti in *M. Antonini* Caraeallæ & Elagabali, nummis occurrunt) vel an ad diuerſos prineipes referri eontinuo debeant, ferri poſſet; eaute omnino id ae eireumſpecte faciendum. Et quidem, ut iſtud, ante omnia, certis aliunde eorundem temporum monumentis & eonſtanti Hiſtoricorum fide non eonuellatur; ſed ut ſilentio potius eorundem, aut aliquorum ex iis errori, vel minus fundatæ opinioni ſubueniatur. Quod de *Quarto Gordiano*, eoque ſexenni in Africa Cæſare, quique dum ex Africa Romam traiieit, mari perierit, aut alio forte caſu ſit exſtinctus, dici utique, ut modo vidimus, non poteſt: non ſolum quod altum de illo ſit Auctorum veterum ſilentium; ſed quod alius ab iis commemoretur adoleſeens, aut etiam puer, Gordianus, idemque ſenioris Gordiani nepos, quem primo *Cæſaris* dignitate, dein ſummo *Auguſti* faſtigio deeoratum, ac per ſexennium præfuiſſe rebus Romanis eonſtat. Et quum, anno demum undecimo vix expleto, *Cæſar* fuerit appellatus, ut ex Herodiano liquere videtur, qui anno poſt, exſis nempe Maximo & Balbino, eum vix annos natum tredeeim *Imperatorem* declaratum tradit; eerte nihil obſtat, quin inſcripti Romani nummi M. ANT. GORDIAN. CÆS. ad

3. *In nummis* Gordiani tres, *non* quatuor, *exhibiti.*

eum continuo referri possent. Accedit, quòd non tanta occurrat diuersitas inter eos nummos, qui quarto illi Gordiano, eique sexenni vel septenni *Cæsari*, a viris eximiis tribuuntur, & eos, quibus alter notusque Gordianus Tertius consignatur, ut non uni eidemque adscribi ex æquo debeant. Id utique non solum ante natam de *Quarto Gordiano*, sed post eandem traditam sententiam vel coniecturam, manifestius adhuc liquere potest: & quidem illorum maxime præstantium Antiquariorum fide, qui ætatem ferme in hoc studiorum genere contriuerunt, ac diuturno assiduoque usu & tractatione veterum nummorum, ac Cæsarianorum inter alios, vulgatisque in eo genere, aut destinatis iam ad prælum lucubrationibus, eximiam quandam ea in re laudem sunt consequuti: ut in Italia is, de quo iam ante, J. Petrus Bellorius; inter Gallos Jo. Vaillant; & in Germania nostra Andreas Morellius. De primo sat liquet ex iis, quæ ad familiaris sui, & qui primus *Quartum Gordianum* in medium adduxit, Angeloni coniecturam, ut iam ante vidimus, adnotauit. Idem de antesignano hac ætate Antiquariorum J. Vaillant statuendum docet eruditissimus auctor Epistolæ Gallico sermone ea de re scriptæ, Gallus ipse seu Gallandus nomine; idemque adstruunt habiti mecum ea de re, dum ante aliquot annos Parisiis postrema vice agerem, sermones. Andream vero Morellium, qui non in versandis solum, sed in delineandis insuper ad viuum antiquis, & Cæsarianis inter alios nummis, singularem quandam industriæ diligentiæque laudem hac ætate meruit, idem mihi quoque coram Berolini indicasse memini. Quo autem ea de re liquidius aliquanto lectori, etsi minus in tractandis id genus cimeliis exercitato, constare possit, utrosque nummos, seu accurate expressos ad eorum fidem signatos in iis vultus, iuuabit hic proferre: & priori quidem loco eum, quem ad *Quartum Gordianum*, seu, ut iidem vocare illum malunt, *Tertium* referunt sententiæ illius de *Quatuor Gordianis* adsertores: tum posteriori illum, quo *Gordianum* vulgo *Tertium* seu *Pium*, a priori diuersum, eundemque, Maximo & Balbino cæsis, iam Augustum, signari iidem contendunt. Quem vero, constanti Antiquariorum suffragio, accedente Auctorum veterum fide, immo ipso nummorum adspectu, unum eundemque cum priori illo Gordiano statuere nobis licet.

Lettre de l'Histoire des IV. Gordiens.

II. *De Defectu Historiæ Augustæ Scriptorum inter* GORDIANUM III. *&* VALERIANUM *Imperatores.*

I. *De primis* Gordiani III. Successoribus *in Num-*

Sublatis vero GORDIANIS, & quidem postremo illo, qui post Maximum & Balbinum per sexennium rebus Romanis præfuerat, defectus continuo occurrit, hodie haud ignotus, inter illius Gordiani Pii, vulgo Tertii, ac Valeriani Imp. tempora; idque cum in priscis ac Latinis Historiæ Augustæ,

gustæ, qui vulgo simul prostant, Scriptoribus, tum in Eusebii Chronico. Ut de Juliani Imp. Cæsaribus nunc sileam, in quibus præteritos insuper videas cum filio *Maximinum*, *Gordianos* quoque, &, qui inter eos sunt inserti, *Maximum* seu *Pupienum*, & *Balbinum*. In quo autem defectu supplendo præcipua quædam veterum nummorum opera ac auctoritas refulget. Equidem MARCUM quendam philosophum, &, eo breui ante firmatum imperium in Palatio mortuo, SEVERUM HOSTILIANUM Gordiano Pio suffectos tradunt Zonaras ac Cedrenus. Exstant vero descripti a Goltzio nummi, ac inde ab illustri Biragio commemorati; in quibus, cum prior ille non MARCUS quidem sed MARCIUS dicitur; nempe IMP. CÆS. M. MARCIUS AUG. P. M. TR. P. tum IMP. CÆS. M. SEV. OSTILIANUS AUG. in cuius auersa parte comparent duæ dextræ iunctæ, cum inscriptione FIDES SENATUS. Quum vero haud alia hactenus auctoritatum fide nitantur duo hi Imperatores; neque alibi hactenus visi sint duo illi indicati a Goltzio eorum nummi; ut an probæ & antiquæ notæ iidem omnino fuerint, liceat quid certius statuere: inde etiam de tota hac re haud satis hactenus liquere, pronunciandum mihi nunc videtur. MARINUM vero in Mœsia electum a militibus Imperatorem æuo Philipporum [a] Zosimus ac [b] Zonaras literis mandarunt. Præter memoratos vero a Jacobo & Octauiano Strada, ac dein a Goltzio, huius MARINI, qui id quoque de delato ei imperio adstruunt, nummos, & quidem si Goltzio fides, cum Prænomine & Gentili nomine P. CARVILIUS MARINUS, alius, & Græcus quidem, neque valde ab eo dissimilis, quem Octauianus Strada protulerat, exstat sincerus omnino ac genuinus, nunc in Thesauris Gallorum Regiis, quem vulgauit vir huius omnis memoriæ impense, quod vel coram olim agnoscere nobis licuit, studiosus ac peritus, Abbas Seguinus; in quo hinc Marini huius caput supra Aquilam, cum epigraphe ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ, *Deo Marino*; illinc Roma galeata Clypeo insidens, dextra Aquilam tenens, desuper duæ icunculæ, cum inscriptione ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ, *Philippopolitarum Coloniæ*. In auctorem vero vel caussam consecrati in Arabica Philippopoli, ut iidem statuunt, huius Marini, anxie hic inquirunt præstantes Antiquarii iidem, [a] Seguinus, antea [b] Harduinus, [c] Biragius, ac [d] Vaillant; idque Philippo Imp. continuo tribuunt, quo cæsi Marini inuidiam in Decium conuerteret. A quibus in nouissima editione [e] operis de Nummis Urbium Illustratis abit eruditus Harduinus; ubi ad deductam a Marino sub Philippis in Thraciæ Philippopolim coloniam nummum, ab illius urbis incolis percussum, respicere putat; indeque Philipporum patris & filii signa supra Aquilam a Roma in eodem nummo præferri: merum autem esse commentum, quod de Marino, quasi a Philippo defecerit, aut quod de *Philippopoli* in Arabia ab eo condita, tradit Zonaras. Quum tamen, ad duo postrema hæc quod adtinet, eadem non solâ nitantur Zonaræ fide; sed Marinum ad imperium ab exercitu in Mœsia adscitum tradat itidem Zosimus; ac firment omnino cum adductus a Goltzio nummus, inscriptus, ΑΥΤ. Κ. ΠΟΥΒΛ. ΚΑΡΟΥΑ. ΜΑΡΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæsar Publius Caruilius Marinus Augustus*; tum, si forte laboret illius nummi fides, ille ipse, de cuius sinceritate haud dubitat Harduinus, & cui similem exstare diximus apud Octauianum Stradam, nempe ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ in priori

mis, & de MARINO *nominatim.*

Annal. l. XII. p. 624.

a Lib. I. p. 20. ed. Oxon.
b Annal. l. XII. p. 624.

Sel. Numism. p. 182.

a Ibidem.
b Num. Urb. Ill. p. 527.
c Num. Imperat.
d Num. Colon. sub Impp. p. 190. T. II. ult. ed.
e pag. 180.

Lib. I. p. 20.

eorum parte signatum: quæ appellatio, ea utique ætate, nusquam deductoribus Coloniarum, sed Imperatoribus demum vel Cæsaribus tribui, ut aliunde notum, consueuerat. Exstitisse autem conditam a Philippo Arabe haud procul a natali solo in Arabia urbem ex eius nomine *Philippopolim*, præter Zonaram, docent [a] Aurel. Victor, [b] Acta Conciliorum, ac antiqua Ecclesiarum Notitia, ut nouissime etiam monuit, bene de literis hac ætate meritus, [c] Chr. Cellarius noster. Haud difficulter tamen, ut id ingenue fatear, hosce nummos ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ, quæcunque tandem eius rei caussa fuerit, in *Philippopoli Thracica*, potius quam in *Arabica*, cusos cum viro erudito ac sagace censeo; idque inde, quod in vicino illi urbi tractu inter ductores militum ageret idem Marinus, ubi quoque Imperator a Mœsiaco exercitu salutatus, mox autem a Decio, quem contra illum miserat continuo Philippus, breui sit oppressus. Unde certe haud liquet, cur ad remotam ab illo terrarum tractu nouamque urbem tum primum conditam, illa huius Marini consecratio esset referenda: cum nihil obstet, quo minus ea ætate in hanc Thracicam Philippopolim, ut haud male Harduinus, a Scythis, quin alias quoque, ac denuo sub Gallo, iuxta Zosimum, vastatam colonia fuerit missa. An vero, quod exstat Saloninæ Gallieni coniugis cum eadem inscriptione ΦΙΛΙΠΠΟΑΙΤΩΝ nummus, inde hic *Marinus* eiusdem Saloninæ auunculus, ut eidem viro docto videtur, statui continuo debeat, haud equidem capio. Exstant enim plures etiamnum non Latini solum, sed Græci huius Saloninæ nummi, in aliis non Thraciæ solum, sed Phrygiæ insuper, Proconsularis Asiæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Ciliciæ, aliarumque Gentium ciuitatibus cusi: quod vel docebit præstantis Antiquarii Græcorum sub Imperatoribus nummorum syllabus.

a In Philippo c. XXVIII.
b Chalcedon. Act.
c Geogr. Antiq. l. III. p. 424. To. II.

Lib. I. p 23.

2. *De* Iotapiano, Iulio Prisco, *&c. sub* Philippis.

Mitto nunc, qui iisdem ferme temporibus sub Philippis ac Deciis imperium dicuntur inuasisse, sed mox oppressi; ac in Syria quidem IOTAPIANUS, ab [a] Aurel. Victore dictus, a [b] Zosimo autem, ut hodie apud eum legitur, PAPIANUS; LUCIUS PRISCUS, Philippi Senioris, iuxta eundem [c] Zosimum frater, ac Macedonicis Legionibus Præfectus; & qui a [d] Victore Schotti IULIUS VALENS, ab altero Victore in [e] Epitome VALENS LICINIANUS vocatur. Præterquam enim quod illi breui sint oppressi, nulli exstant prioris, seu *Iotapiani*, nummi; neque alterius, seu *Lucii Prisci*, quod equidem norim: etsi ab eruditissima ac singularis exempli Daceria ad Victorem Schotti adducatur nummus inscriptus IMP. CÆS. LUCIUS PRISCUS AUG. sed quem unde illa hauserit, fateor equidem haud mihi hactenus constare. Neque enim vel a Goltzio, vel a Biragio, aliisue Antiquariis, qui Imperatorum ac in ea serie Tyrannorum nummos enarrarunt, descriptum; aut similem in penus huius Antiquariæ loculis videre mihi hactenus contigit. Nec *Julii Valentis*, aut *Valentis Liciniani*, sed *Perpennæ Liciniani* inscriptum nummum memorat Goltzius, nempe IMP. CÆS. M. AUF. PERPENNA LICINIAN. AUG. P. M. TR. P. P. P. & ex eo, ut statuere licet, post Occonem Biragius. De fide autem vel αὐθεντία illius nummi, alibi, quod equidem norim, hactenus haud visi, nihil certi licet statuere. Id vero notum, hunc iis temporibus Imperatorem a Senatu, ut de eo Victor in Epitome, creatum *Perpennam*, non *Valentem*, aut *Licinianum*, sed *Hostilianum Perpennam* ab eodem Victore appellatum.

a In Deciis cap. XXX.
b Lib. I. p. 20.
c Ibid. p. 19.
d Ut supra.
e Cap XXIX.

TRA-

TRAIANI vero DECII, qui Philippos excepit, Successores duos nummi suppeditant, quorum exigua est aut obscura, ad nomina certe eorum quod adtinet, apud Auctores mentio. Unus est Q. HERENNIUS ETRUSCUS MESSIUS DECIUS cum primum NOB. C. aut CÆS. *Nobilis Cæsar*; tum dein IMP. & AUG. *Imperator & Augustus* in iis dictus. Alter vero C. VALENS HOSTILIANUS MESSIUS DECIUS aut C. VALENS HOST. MES. QUINTUS idemque similiter cum N. C. *Nobilis Cæsar*, aut CÆSAR, tum etiam cum integris nominibus IMP. CÆ. C. VAL. HOST. MES. QUINTUS AUG. *Imperator Cæsar Caius Valens Hostilianus Messius Quintus Augustus.* Præter argenteos & aureos utriusque, cum *Cæsaris* primum tum *Augusti* dein, nummos mihi non semel inspectos, ac a præstantibus Antiquariis descriptos, æreum maximum (vulgo apud vestrates *Medaglione*) apud Abbatem Bracesium vidisse memini, qui eodem volente in locupletem inclytæ tum Romæ Reginæ Gazam transiit, & exquisitæ raritatis nummis merito debet accensēri. In cuius autem auersa parte signatur Victoria gradiens, cum corona & inscriptione, VICTORIA AUGG. Priorem vero Q. HERENNIUM ETRUSCUM a patre Decio CÆSAREM declaratum clare docet Victor Schotti, præter lapides & nummos. Cum patre etiam eundem in acie cecidisse, suppresso cæteroquin illius nomine [a] Eusebius, [b] Victor uterque, tum [c] Jornandes, [d] Zonaras, & [e] Cassiodorus tradunt. Eundem tamen non CÆSAREM solum sed AUGUSTUM etiam a patre Decio adhuc superstite nuncupatum, descripti aliquot a præstantibus antiquariis cum IMP. & AUG. titulo nummi abunde ostendunt. Quibus addendus videretur huius *Q. Herennii*, & quem primum in cimeliis Reginæ Christinæ, dein Galliarum Regiis, versare mihi licuit cum Mercurii effigie, & inscriptione PIETAS AUGG. nummus, qui tamen in anteriore eius parte unam *Cæsaris* dignitatem eidem *Herennio* tribuit, nempe Q. HER. ETR. MES. DECIUS NOB. C. Frustra proinde Onufrius hunc AUGUSTI titulum mortuo demum Decio, filio eius *Herennio*, qui simul cum patre periit, concessum existimat. Singularem vero, eumque maioris, ut vulgo aiunt, moduli e museo præstantissimi Seguini in Gazam Regiam illatum, haud pigebit proferre. Exhibet ille hinc *Herennii* huius caput cum inscriptione ΚΥΙΝ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥΣΚΟC ΜΕΣ. ΔΕΚΙ, seu *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius*; illinc duas figuras, unam stantis Herculis, qui dextra clauam gestat, sinistra autem fulmen porrigit Ioui sedenti, cum epigraphe ΕΠ. Σ. ΚΟΜ. Φ. ΓΑΥΚΩΝΟΣ ΘΕΟΛΟΓΟΥ, infra ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *sub Prætore Commodo Flauio Glucone Theologo, Pergamenorum Primorum Ter Neocororum.* Eundem vero nummum in superiore huius operis editione pridem ac primum a me adductum, in cælatis dein maximi moduli Regiæ Gallorum Gazæ nummis, iisque eximii Begeri nostri studio & cura nuper æri denuo incisis ac diuulgatis, videre itidem licet.

3. *De* HERENNIO ETRUSCO & VALENTE HOSTILIANO *sub* Decio.

[a] In Chronico & H. Eccl. l. VII. c. I.
[b] Cæsarib. c. XXIX. Epitom. c. XXIX.
[c] De Rebus Geticis cap. XVIII.
[d] Annal. l. XII. p. 627.
[e] In Chronico.

Differt. VI. p. 593.

Begerus Tab. XXI, 3.

E quo

E quo autem nummo, ut obiter id tantum moneam, lucem etiam mutuantur, quæ de Hercule κεραυνοφόρῳ seu *fulmine armato* iam alibi sunt a nobis monita. Alterum vero, seu VALENTEM HOSTILIANUM, defuncto Decio, Treboniani Galli in imperio Collegam exstitisse clare docet Victor Schotti: *Hæc ubi Patres comperere, Gallo* HOSTILIANOQUE *Augusta Imperia, Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt.* Ita quoque Eutropius; prout recte ibi distinxit ac monuit eruditissimus noster Cellarius: *Mox Imperatores creati sunt Gallus* HOSTILIANUS, *& Galli filius Volusianus.* Hæc vero in nummis manifesta, in quibus hic Hostilianus CÆSAR non solum, ut vidimus, sed AUGUSTUS etiam nuncupatur. Lib. IX, 5.

4. HOSTILIANUS *fueritne gener, an filius* Decii.

Illud autem magis ambiguum videtur, an idem HOSTILIANUS Decii *gener*, ut post Onuphrium existimat [a] Tristanus; an vero *filius* habendus sit, ut viris præclaris, [b] Valesio, [c] Pagi, [d] Tillemontio, [e] Ad. Rupertо, ac e primipilis Antiquariorum [f] Seguino, [g] Biragio, & [h] Morellio placuisse video. Id quod a [i] Zosimo firmari videtur, qui subdit post mortem Decii, unum e superstitibus eius filiis a Gallo continuo adoptatum, hunc nempe, ut statuere licet, *Hostilianum:* prout ab Eutropio ac a Victore Schotti vocatur, qui cum eodem Gallo, eiusque filio Volusiano, post Decium simul imperarint. Eundem vero *Hostilianum* cum paterna Decii, nempe MESSII QUINTI, ut nummi eius & inscriptiones arguunt, tulisse nomina; tum sub Decio una cum *Etrusco*, eius maiore natu filio, *Principem Iuventutis* ac *Cæsarem* simul exstitisse, eadem nummorum ac lapidum monumenta comprobant. Unde etiam duo iugata utriusque capita comparent in nummo Regiæ Gallorum Gazæ, quem iam protulit Patinus, cum inscriptione ETRUSCUS ET QUINTUS CÆSS. idque adstruit insuper alius nummus æreus, & e maximorum quidem genere, quem Romæ videram in Gaza Cardinalis Barberini, qui hinc Decium exhibet, illinc duo capita mutuo se respicientia, cum epigraphe Q. HER. ETR. DECIUS C. VALEN. HOSTILIANUS. Quibus accedit alius adhuc & insignis quidam nummus Regiæ Gallorum Gazæ, & ab eximio Morellio iam diuulgatus; in quo hinc caput Decii radiatum, & inscriptio IMP. C. M. Q. TRAIANUS DECIUS AUG. illinc capita *Herenniæ Etruscillæ*, *Etrusci*, ac *Hostiliani*, cum epigraphe CONCORDIA AUGG. Quos autem, hunc nempe & priorem, utrumque

a Comm. Hist. To. III.
b Annot. ad Euseb. H. Eccl. p. 139.
c Critic. Baron. p. 51. To. I.
d Hist. Rom. p. 111. To. II.
e Ad Syn. Besold.
f Sel. Num. p. 295. ult. ed.
g Num. Imper.
h Specim. p. 196.
i Lib. I. p. 25.
k Num. Imper. p. 316.

Specim. Tab. IX.

que singularis raritatis & inter Regiæ Gazæ cimelia memorandum, etsi iidem alibi iam ac seorsim, ut diximus, prostant, hic conspiciendos damus.

E quo autem nummo iam sub Decio, non CÆSARIS solum, sed AUGUSTI etiam dignitate, iuxta filium *Etruscum*, ornatum quoque *Hostilianum* licet omnino statuere. Quamquam haud eo minus in eadem sum adhuc, quam olim protuli, sententia: hunc nempe *Hostilianum* Decii potius generum, quam filium exstitisse; eundemque *Seueri Hostiliani*, quem inter Gordiani Pii successores a Zonara & a Cedreno, ac in nummis paullo ante vidimus, filium. Cuius sententiæ ea equidem est ratio, quod nullus sit ex antiquis, qui Imperatorum vitas enarrant vel adtingunt, & ad nos usque dimanarunt, Scriptoribus, qui de hoc Hostiliano, ut Decii filio, quidquam tradiderit. Immo memorant iidem, ut [a] Eusebius, [b] uterque Victor, [c] Eutropius, Georgius Syncellus & [d] Zonaras, Decium, una cum filio periisse, seu *Deciorum mortem* in genere, ut [e] Victor Schotti; nulla facta relicti alterius filii mentione. Adeo etiam ut ab Eusebio, qui ex iisdem Scriptoribus propior iis Deciorum temporibus exstitit, dicatur in Historia Ecclesiastica, quòd Decius [f] ἅμα τοῖς παισὶν *simul cum filiis* interierit; in Chronico vero: *Decius cum filio in Abrito occiditur*; nullo ad *Hostilianum*, de quo tamen, si Eusebium mittas, ab iis ibidem agitur, habito respectu. Adde, quòd priora, quæ idem tradit, ac nummi quoque ac inscriptiones ei tribuunt, *Valentis Hostiliani* nomina, aliunde is quam e Decii Gente seu familia, ac, ut vero propius videtur, e *Seuero* illo, quem dixi, *Hostiliano* hausisse censendus sit. Neque proinde minus illum sub Decio, iuxta *Etruscum* eius filium, *Cæsarem* factum, ex eadem illa nummorum & inscriptionum fide licet statuere: ubi nempe, ducta in uxorem Decii filia, *gener* eiusdem euasit, ac inde velut pro altero filio habitus, Soceri etiam MESSII QUINTI, ut diximus, nominibus, est auctus idem Hostilianus; ac in subsidium dominationis, patre & filio Deciis ad bellum, in quo ambo periere, profectis, Romæ, qui interea summæ rerum præesset, relictus est. In eandem vero sententiam, a me pridem adsertam de hoc *Hostiliano*, ut alterius sub Philippis Hostiliani *filio*, ac Decii, ductâ in uxorem filiâ, quod Tristano etiam videbatur, *genero*, iuisse quoque video Antiquariorum huius ætatis antesignanum Jo. Vaillant. Ad Zosimum vero quod adtinet, qui post Deciorum patris ac filii cædem, alium e filiis Decii superstitem, narrat a Gallo creato Imperatore adoptatum, id inquam, inde factum, statuendum est, & quod accuratioribus Zosimo Scriptoribus contigit, quod iidem *generum* cum *filio*, iisdem præterea *Cæsaris & Principis Juuentutis* honoribus a Decio mactatum, confuderint: quæ certe haud maioris ea in re fidei vel ponderis habenda sint,

a Hist. Eccl. l. 1. c. 7.
b Victor Schotti in Cæsar. c. xxx. Victor in Epitom. c. xxix.
c Lib. ix. c. 4.
d Lib. xii. p. 625.
e Ut supra.
f Ut supra.

De Præst. Imper. Num. p. 343. P. ii.

præ iis, quæ a memoratis paullo ante, ac eidem ætati vicinioribus Auctoribus, de morte Deciorum, & *Hostiliano* post eorum obitum, cum *Gallo* imperii consorte, sunt literis prodita. Adde, quòd a Georgio Syncello unus quidem e Decii filiis, qui cum Gallo imperarit, dicitur: qui nempe, ut ibidem ait, VOLUSIANUS vocaretur; quem tamen non Decii, sed ipsius Galli filium, & cum patre consortem imperii exstitisse, præter utrumque Victorem, Eutropium, & Zosimum, nummi luculenter quoque adstruunt. Mirari vero subit, quod doctissimus Petauius, præter Auctorum ac indubiam nummorum fidem, [a] *Gallum Hostilianum* alibi [b] *Gallum Hostilium* dicat, ac pro uno eodemque Imperatore obtrudat: eo nempe deceptus, quod in vulgaribus Eutropii editionibus male citra distinctionem legeretur: *Mox Imperatores creati sunt* GALLUS HOSTILIANUS, *& Galli filius* VOLUSIANUS, pro obuia, & quæ dein a viris eruditis, quod paullo ante adtigimus, in eo adhibita est, lectione; GALLUS, HOSTILIANUS, ut vel Victor Schotti, supra quoque iam adductus, eum docere poterat: *Gallo Hostilianoque Augusta Imperia, Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt.* Contritum vero illud tyronibus, qui vel obiter forte Imperatorum Romanorum nummos, aut editos de iis libros versarunt, & quales nummi haud pauci in omni metallo etiamnum supersunt, HOSTILIANUM aliis insuper, quæ iam ante retuli, nominibus in iisdem adfici: alterum vero, perpetuo, ac sæpe per literarum compendia, CAIUM VIBIUM TREBONIANUM GALLUM appellari. Ut vel ex leui illo specimine liqueat, quam sæpe in illo veteris historiæ campo cespitent aut labantur, qui certis hisce ac fidissimis ducibus vel subsidiis sunt destituti.

Γάλλον ἀναγορεύουσιν ἅμα βουλυσιανῷ τῷ Δεκίου παιδί. Syncell.

[a] Doctr. Temp. l. XI. c. 28.
[b] Ibid. l. XIII. in Chronolog.

III. *De* IMPERATORIBUS *vel* TYRANNIS, *Valeriani & Gallieni ac sequentibus Imperatorum temporibus.*

Equidem obscuriora sunt adhuc proxima VALERIANI & GALLIENI tempora ac imperia, quibus lucidam facem continuo præferunt nummi. Hic etenim aut titubantes passim videas Scriptores Historiæ Augustæ, aut caliginem crebro lectori offundentes. Id vero & agnouit & expertus est doctissimus Casaubonus; dum in eruenda tradendaque illorum temporum historia haud unius lapsûs reliquit vestigia.

1. *De* VALERIANO IUNIORE *& alius* Valerianis, *& de* GALLIENIS.

Ac primo de VALERIANO IUNIORE, an AUGUSTUS, vel CÆSAR tantum sit declaratus, hæc refert Trebellius Pollio: [a] *Ubi & continuo frater eius* VALERIANUS *est interemptus; quem multi* AUGUSTUM, *multi* CÆSAREM, *multi neutrum fuisse dicunt, quod verisimile non est: si quidem capto iam Valeriano scriptum inuenimus in Fastis,* VALERIANO IMPERATORE COS. *Quis igitur alius esse potuit Valerianus, nisi Gallieni frater.* Huic certe *Valeriano Iuniori* AUGUSTI nomen tribuunt Romani aliquot nummi adhuc supersites, & ab illustri Biragio descripti; non vero nummus Græcus ab Occone adductus, quem ad SALONINUM VALERIANUM, Gallieni non fratrem, sed filium referendum, ob præmissum illud *Salonini* nomen pridem vidimus, ac frustra vero ibi a Trebellio additum, quod *nullus alius potuerit esse Valerianus, nisi* Gal-

[a] In Gallien. cap. XIV.

Gallieni frater. Tres enim *Valeriani* in nummis: prior P. LICINIUS VALERIANUS a Persis captus: alter itidem P. LICINIUS VALERIANUS eiusdem filius, & Gallieni frater, qui, patre adhuc superstite & Gallieno maiori natu fratre iam Augusto, CÆSAR primum, dein patre mortuo AUGUSTUS quoque in nummis, ut modo diximus, appellatur: & de quo proinde adhuc *Cæsare* in vita Cypriani a Pontio eius Diacono scripta legitur: *Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus Nobilissimus Cæsar:* tertius autem P. LICINIUS CORNELIUS SALONINUS VALERIANUS, Gallieni & Corneliæ Saloninæ filius, adsumptis proinde a patre iuxta & a matre, qua de re mox, nominibus, idemque NOB. CÆS. in nummis eius dictus. Ita duo in antiquis nummis GALLIENI: unus P. LICINIUS GALLIENUS, Valeriani maior filius, qui diu Romanorum rebus præfuit: alter Q. IUL. SALONINUS GALLIENUS NOB. CÆS. Gallieni filius, & dicti modo *Saloninii Valeriani* frater minor; prout erectam ad arcum Fabianum statuam tradit Pollio, cum inscriptione GALLIENO MINORI (iuxta veteres libros IUNIORI) SALONINO. Mirum vero videri posset, quod ait ibidem Pollio, & qua occasione illius Statuæ meminit: nempe, *de huius nomine magnam esse ambiguitatem, dum multi eum* GALLIENUM, *multi* SALONINUM *in historiis prodiderunt*; & quidem, quod addit, SALONINUM ab aliis cognominatum ferri, *quod Salonis natus esset*; ab aliis GALLIENUM, patris & aui Gallieni nomine. Idem paullo post de vero huius principis nomine dubius: SALONINUS *puer, sive* GALLIENUS. Quum tamen, si nummos & inscriptiones veteres, coæua utrique monumenta, ac nummos potissimum, qui plures etiamnum in omni metallo supersunt, consulamus, SALONINUS, seu CORNELIUS SALONINUS VALERIANUS, matris proinde CORNELIÆ SALONINÆ, ac Aui VALERIANI nominibus, nusquam vero GALLIENUS, patris nempe nomine, sit appellatus: cum præmissis cæteroquin, ubi integra eius nomina subinde consignantur, aliis Aui PUBLII LICINII appellationibus, nempe P. LIC. COR. SAL. VALERIANUS, *Publius Licinius Cornelius Saloninus Valerianus*, pro more, ut iam in *Herennio Etrusco Messio Decio* vidimus, illius ætatis, a paterna nempe & materna stirpe nomina ex æquo mutuandi. Hunc vero SALONINUM matris nomine dictum potius, ut agnoscit postea idem Pollio, quam quod *Salonis* natus esset, cum adsumptum ab eo utrumque illius nomen, *Corneliæ Saloninæ*, tum obuia illius ætatis exempla abunde comprobant. Quæ cum ex eadem illa vetere nummorum penu demum eluceant; tum id insuper euincunt, virum doctum, qui Obseruationes Historicas ex antiquis Lapidibus & Nummis concinnauit, in tradendis hisce VALERIANIS & GALLIENIS aliquos confudisse, aliquos præteriisse.

In Gallien. duob. c. 1.

In Gallien. cap. III.

Ad. Rupert. Obser. ad Syn. Besold.

Exortos vero iisdem VALERIANI & GALLIENI temporibus tumultuarios illos CÆSARES, vel TYRANNOS, quos nempe sub TRIGINTA TYRANNORUM nomine idem, de quo paullo ante, Trebellius Pollio complexus est, paucis admodum exceptis, exhibent etiamnum antiqui nummi. Ita quidem ut ex iis, qui vel AUGUSTI, vel CÆSARES sint declarati; aut qui se pro talibus tulerint; aut quibus iidem nominibus & cognominibus fuerint distincti, non aliunde certius hodie nobis constet.

2. *De* Tyrannis *vix notis præterquam e nummis.*

Neque enim in iis solum occurrunt aliunde noti, ODENATHUS, MACRIANI, QUIETUS, POSTUMI, VICTORINI, TETRICI, aliique; sed & illi, quorum unum Trebellium videas obiter meminisse, CYRIADES, INGENUUS, & CALPURNIUS PISO. Hinc etiam patebit
Cap. v. Julio Ateriano, apud eundem Trebellium, *Junium Postumum* non male vocatum, nec id ex Nummis refelli, ut censebat illustris Salmasius, in quibus nempe non Pater sed Filius C. IUNIUS CASSIUS POSTUMUS vocatur. Nec video, cur nuper vir doctus aliquoties designatus Aterianum accuset, quod Filii nomen Parenti perperam tribuat: quum eius verba ad *Postumum Iuniorem* commode possint referri; nec ulla in iis occurrat Senioris mentio: *Victorino*, inquit, *qui Galliam post Iunium Postumum rexit, neminem existimo præferendum.* Uterque enim in Galliis Augustus renunciatus *Postumus Parens & Filius*, cum HERODEM seu HERODIANUM Odenathi maiorem natu & e priori coniuge, HERENNIANUM præterea & TIMOLAUM ex Zenobia filios, AUGUSTOS itidem declaratos e Nummis demum accepimus, quales protulere præstantes Antiquarii. Ut, ad postremos hosce duos quod adtinet, hinc vere pateat adsertum a Pollione, horum adolescentum nomine imperasse Zenobiam. Negat
Cap xxxviii. tamen id Vopiscus in Aureliano: *Hæc quoque ad rem pertinere arbitror Balbathi filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, imperium tenuisse, quod tenuit.* Ita horum Nummorum fide *Vaballathus* (seu potius *Vhaballatus* iuxta eorundem scripturam) in eodem loco Vopisci feliciter a doctissimis Viris restitutus loco *Balbathi*, & merito castigatus error Casauboni, qui fictum hunc principem, nec plane in rerum natura exstitisse, credidit, aut plane ab hoc *Vhaballatho* diuersum. Quo loco non prætereundus inclytæ nuper Reginæ Nummus inscriptus IMP. VHABALLATHUS AUG. & in auersa figura cum capite radiato & globo, ÆTERNITAS AUG. Neque vero alterum illi nomen HERMIÆ minus feliciter iam adsertum est a Tristano, pro quo Salmasius, Occo, aliique, ARMENIÆ vocem in huius *Vhaballathi* nummo signari credidere, & in eruenda etiam causa nequidquam laborarunt. Geminus certe cum Tristani nummo alter Mediceus, & quem Augustæ Christinæ Museum etiam recondebat, ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑΣ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΣ ΑΘΗΝΟΥ L. Δ. in auersa parte Nummi cum Aureliani capite laureato, & diademate. Ut certe liqueat Occoni, Goltzio, aliisque temere fidem non esse mancipandam, ubi Græcos Nummos adtigere: quod & sæpe in processu huius operis demonstratum, & plurimis aliis exemplis probare hic liceret. Neque ignotum aliunde
Lib. v. c. 41, 49. &c. apud Græcos illud nomen *Hermiæ*, seu Ἑρμείης, sicut a Polybio vocatur summæ rerum præfectus apud Antiochum: cui simile præfert etiam antiquus numnus *Temnitarum* Æolidum, ΕΠ. ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΟΥ ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. Illud vero magis ambiguum, cur Tristano placuerit eundem *Hermiam Vhaballathum*, Herodiani filium & Odenathi nepotem ex ingenio statuere, quum illum Zenobiæ tribuat Vopiscus: aut cur ΑΘΗΝΟΥ in superiori Nummo, quasi *Athenis filium*, ad eundem *Herodianum* referat, quam tamen appellationem nec Herodiani ipsius nummi arguunt, nec aliunde licet eruere. Utinam minus nonnunquam ingenio vel coniecturis suis indulsisset in nummorum id genus explicatione vir alias de his studiis optime meritus, maxime ubi sine duce a veterum authoritate discedit. Neque

que leuius errat Onufrius, quum eundem *Vhaballathum*, tanquam tertium Zenobiæ filium, cum *Herenniano* & *Timolao*, a Pollione designari scribit. Altum enim de hoc *Vhaballatho* apud Pollionem silentium. Id vero minus mirum iis videbitur, qui sciunt quid & quantum Onufrii (qui tamen *pater Historiæ* Scaligero alicubi vocatur) diligentiæ tribui in talibus debeat.

3. *De* PACATIANO *incertæ ætatis* Tyranno.

Occurrunt vero alii insuper, & peculiares quorundam TYRANNORUM, uti vulgo appellari solent, in imperio Romano nummi, de quorum ætate, an paullo ante, vel circa eadem Gallieni tempora, vel aliquanto post etiam iidem sint percussi, res adhuc est inter præstantes Antiquarios controuersa. In quam classem referri continuo debet singularis quidam nec aliunde hactenus noti PACATIANI nummus, quem e museo viri e Societate Jesu Parisiensi, horum veterum nummorum studiosi, nec leuiter in iis exercitati, P. Chamillard, primus protulit præstantissimus And. Morellius; ac qui dein ad calcem Epistolæ eiusdem eruditi Patris Gallicæ Parisiis cum selectis aliquot aliis nummis est sculptus. Inscribitur autem idem nummus IMP. T. IUL. MAR. PACATIANUS T. F. AUG. cum radiato ac barbato eius capite; & in altera parte cum muliere, quæ dextrâ hastam sinistrâ ramusculum oleæ gestat, & cum inscriptione PAX ÆTERNA. Eum vero nummum, ex ipsa eius fabrica, colligit circa Gallieni tempora, vel paullo post, cusum eximius [a] Morellius; cruditus vero [b] P. Chamillard paullo ante, sub Philippo, ac plane ad instar nummorum Decii percussum statuit. Hinc eundem cum MARINO, de quo paullo ante egimus, habendum esse illum PACATIANUM, putat; ac de *Marino* proinde explicandum illud, quod inter *Pacatiani* nomina præfert idem nummus, MAR. & quod per *Marcium* reddiderat Morellius. Haud enim nobis constare de aliis huius *Marini*, quæ vulgo illi ab Antiquariis tribuuntur, nominibus, nempe PUBLII CARVILII MARINI. Neque tamen in Anonymi, seu eruditissimi Baudelotii, ad eundem P. Chamillard epistola ad hunc *Marinum*; sed ad alium memoratum eiusdem ætatis sub Philippis Tyrannum, cuiusque nulli alias exstent nummi, IOTAPIANUM nempe, in quod nomen illud PACATIANI potuerit facile apud Zosimum ac Victorem mutari, referre nummum potius visum est. Ac *Iotapiani* quidem nomen, qua de re iam ante, apud Victorem Schotti legitur, non vero apud Zosimum, apud quem pro *Iotapiano*, in Oriente electus contra Philippum Imperator, iisdem, quo a Mœsiaco exercitu *Marinus*, temporibus, *Papianus* haud una vice, ut vidit iam Casaubonus, legitur. In quod autem PAPIANI nomen illud PACATIANI, quod is, iuxta indubiam nummi fidem, tulit, a librariis potuerit adhuc facilius, quam in alterum illud IOTAPIANI in Zosimi codicibus, transferri. Quamquam id de Victore, apud quem *Iotapianus* legitur, dici similiter non potest. Cui autem coniecturæ, ut descriptus nempe in singulari illo nummo & ignotus aliunde Tyrannus, PACATIANUS, idem sit cum eo, qui IOTAPIANUS apud Victorem dicitur; ac proinde Philipporum ætate cuius sit idem nummus, suffragatur nuperus ac cruditus scriptor Gallus, Genebrier nomine, in eleganti, & de qua paullo post, de MAGNIA URBICA Dissertatione vernacula. Quum vero singularis illius nummi conspectu mihi frui hactenus haud licuerit, neque aliunde eum nosse, quam ex nupera illa ac diuersa trium

Specim. Tab. IX.
Lettres à M B. par le R. P. Chamillard. Paris. 1697.

[a] Specim. p. 110.
[b] Lettres &c. p. 18.

De Cæsarib. cap. XXIX. Lib. I. p. 20.

præstantium antiquariorum, qui, ut diximus, de illo egerunt, narratione; hinc cuinam ex iis de fabrica huius nummi, ac inde de illius ætate, de qua in diuersa duo priores abeunt periti harum rerum arbitri Andr. Morellius & P. Chamillard, accedere continuo debeam, haud satis tuto vides me posse pronuntiare. Adde, quòd exiguum, vel XIII. circiter annorum, inter Philipporum & Gallieni imperium; aut VII. inter Decium eundemque Gallienum, interuallum, aliquam subinde inter nummos illius ætatis seu eorum fabricæ similitudinem relinquere posse videatur. Illud equidem certo singularis nummi illius fide constat, PACATIANUM verum fuisse illius Tyranni, haud ignotum cæteroquin in Romanorum Fastis aliisue eiusdem æui monumentis, quicunque tandem ille ex eadem gente fuerit, nomen: quum eo utique nomine dicatur non Consul solum, tempore [a] legis sub Constantino latæ, anno Christi CCCXXXII. sed idem etiam ad alium referatur *Pacatianum* Præfectum Urbi, seu potius Præfectum Prætorio, uti in eadem Leg. [b] Cod. Justinianei, aut in duabus aliis [c] Cod. Theodosiani dicitur. Ne idem vero cum MARINO statuatur depictus ille in nummo PACATIANUS, obstat continuo sat magna inter utriusque effigiem nummis eorum expressam dissimilitudo: prout e sequenti eorundem schemate liquere cuiuis poterit.

a Leg. IV. C. Th. de Sponsal.
b Leg. II. C. Just. eod. tit.
c Leg. I. C. Th. de Suariis, & Leg. II. Eod. de Aduoc. Fisc.

An vero ille PACATIANUS AUG. seu Tyrannus verius, idem sit statuendus cum eo, qui male hodie apud Victorem Schotti IOTAPIANUS, apud Zosimum vero PAPIANUS dicitur, ut visum est duobus viris præstantibus supra memoratis, & cuius cum alterutro illo nomine nulli hactenus occurrant nummi; nec inficiari prorsus vellem; nec ut liquidum omnino ac certum adfirmare.

4. *De* DOMITIO DOMITIANO, FIRMIO *& aliis* Aureliani *ætate.*

Ad eadem vero illa Gallieno proxima Aureliani tempora refertur a nobili [a] antiquario Tristano DOMITII DOMITIANI nummus ab eodem primum vulgatus, qui AUGUSTI titulum eidem tribuit; dein a me in superiori huius operis editione e cimeliis Reginæ Christinæ & Abbatis Seguini itidem adductus. Quem autem *Domitianum* eundem esse censuit Tristanus, cum eo, cuius in Macriano Seniore, uno e XXX. Tyrannis, Valeriani & Gallieni ætate, meminit [b] Trebellius Pollio: *Domitianus autem eundem* (Macrianum) *vicit, Dux Aureoli fortissimus & vehementissimus, qui se originem diceret a Domitiano Imperatore trahere, atque a Domitilla.* A Zosimo vero cum duobus aliis, [c] Epitimio & Urbano, memoratur *Domitianus*, qui sub Aureliano imperium adfectarit, sed breui cum iis sit oppressus; & ad quem proinde spectare eum, quem adfert *Domitii Domitiani* nummum, putat laudatus modo antiquarius. Quod vero præterire

a Com. Hist. p. 210. To. III.
b Triginta Tyran. cap. XII.
c Lib. I. p. 43.

terire hic non licet, haud Orientis ſolum linguarum, ſed harum quoque antiquitatum peritia inter Gallos hodie conſpicuus Gallandus, ſuis nuper ad me literis retulit; Diſſertationem a ſe in celebri illo Pariſienſi conſeſſu habitam, in quo de Inſcriptionibus, aliisque præclaris monumentis antiquis, a ſelectis eam in rem viris præſtantibus agitur: qua autem adſertum iuerit huius *Domitii Domitiani* nummos haud in debita nummorum id genus ſerie, nempe ante, aut continuo poſt Aurelianum, collocari. Conſtare enim ſibi ex ipſa nummorum, qui illum *Domitianum* exhibent, fabrica, eum ad Tyrannos, qui demum poſt Diocletianum inſurrexerint, eſſe referendum: hos etenim eſſe nummis Diocletiani Latinis ſimiles, qui Alexandriæ ſint percuſſi. Qua de re idem ferme hic mihi dicendum venit, quod de PACATIANI nummo paullo ante protuli: nempe totum id pendere ex accurato nummorum, qui hunc DOMITIANUM exhibent, examine, ac uſu in diſcernendis utriusque illius Cæſaris, Aureliani nempe ac Diocletiani, illiusque haud longo annorum ſpatio diſtinctæ ætatis, nummis. Adeo ut (etſi cum iisdem, quos præferunt nummi nominibus DOMITII DOMITIANI, illiusque fortiſſimi Ducis Gallieni, ac triginta ſub eo Tyrannorum ætate, meminerit, ut vidimus, Trebellius Pollio, ac *Domitiani* in genere ſub Aureliano *nouas res moliti* h. e. Tyranni, Zoſimus) ad inferiora paullo tempora ablegandum nihilominus eum *Domitianum*, de quo ſileant tamen Auctores, contendat omnino vir præſtanti eruditione ac uſu harum antiquitatum, ex eorum, in quibus ille conſignatur, nummorum fabrica.

Eadem cæteroquin Aureliani ætate FIRMIUM, vulgo FIRMUM ab Auctoribus dictum, exſtitiſſe legimus; de quo illud memorabile, ut alia mittam, tradit Vopiſcus: *Eum etſi* (Fonteius) *latrunculum fuiſſe, non principem, dixerit, contra ego mecumque Rufus Celſus, & Ceionius Julianus, & Fabius Soſianus contenderunt, dicentes illum & purpura uſum, & percuſſa moneta* AUGUSTUM *eſſe vocitatum; quin etiam* NUMMOS *eius* SEVERUS ARCHONTIUS *protulit, de Græcis autem Ægyptiisque libris conuicit, illum* ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ *in edictis ſuis eſſe vocitatum.* Unde liquet continuo, quod non hodie demum, aut poſt renatas literas, a duobus circiter ſæculis e nummis antiquis, ut coæuis ac indubitatis teſtibus, petita ſit certa ſuſcepti imperii, aut rerum in eo geſtarum memoria; ſed priſcis etiam & proximis illi, qua eadem contigerant, ætati temporibus idem quoque uſurpatum fuerit. Unde primo, quòd hic FIRMIUS imperium inuaſerit, probatum iam olim a Vopiſco cernimus, prolatis eius nummis, in quibus AUGUSTUS vocaretur; tum adſtruit id quoque Græcus eius nummus, e Goltzii Theſauro opportune ibi a magno Caſaubono memoratus, in quo cum ΣΕΒΑΣΤΟΥ ſeu AUGUSTI, tum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ſeu IMPERATORIS nomina, per ſolita literarum compendia, ei tribuuntur. Alterum eſt adducta ibi a Vopiſco *Seueri Archontii* mentio, qui e nummis ac e libris euicerit, utroque illo titulo inſignitum fuiſſe FIRMIUM, quæ res haud potuit non mihi in memoriam reuocare cognominem illum SEVERUM ARCHONTIUM, cui ante aliquot ſæcula (ut de eo viro hac ætate celebri ac erudito, ſed utinam ingenii minus confidentis, tradere viſum eſt) „quod nummos in arca in„ credibili ſolicitudine cuſtodiret, nec niſi parce admodum eorundem uſum

In Firmo cap. 11.

Hard. de Num. Herodiad. p. 61. edit. Lipſ.

„ usum conspectumue cæteris impertiret, iocose sodales geminum SEVERI „ ARCHONTII nomen fecêre; alterum Latinæ consuetudinis a morosi- „ tate, Græcum alterum ab eo, quem inter eosdem gereret, veluti Ma- „ gistratu. Ut facile liqueat, e collatis hisce cum superioribus Vopisci verbis, ludere hic & iocari virum ingeniosum; dum longe scilicet recentiorem ac sollicitum in primis veterum nummorum custodem, eodem *Severi Archontii* nomine a sodalibus vocitatum fingit: " qui autem, ut mox addit, „ eosdem illos nummos præpostere sæpenumero intellexerit. Mitto hic iam alium nummum, a Goltzio itidem memoratum, in quo non FIRMIUS, sed FIRMUS legitur: nempe D. N. FIRMUS P. F. AUG. quem ad Tyrannum, non Aureliani, iuxta dictum in nummis *Firmium*, sed Valentiniani Senioris temporibus exortum spectare, viderunt iam eruditi Antiquarii.

Tres vero exstant adhuc, & qui post hunc FIRMUM ab eodem Vopisco seorsim enarrantur, iique proximis *Probi* Imperatoris temporibus Tyranni, SATURNINUS, PROCULUS, & BONOSUS; quorum etiam singulorum nummos a Goltzio indicari videas. Quum tamen iidem sola hactenus eius fide nitantur; nec alibi, quod equidem sciam, visi sint aut sculpti; ac inde etiam a [a] Tristano sint illi quidem post Vopiscum, ac de *Saturnino* insuper agentes [b] Zosimum ac [c] Zonaram, in Tyrannorum, seu qui AUGUSTI titulum usurparunt, serie relati, nulla tamen prolata eorum e nummis effigie: ut de iis quoque nihil hic addere ulterius liceat.

a Tom. III. p. 69.
b Lib. I. p. 56.
c Annal. Lxii. p. 632.

5. *De aliis insequutis temporibus* Tyrannis.

Ad proxima autem hisce *Cari* Imperatoris ac filiorum *Carini* ac *Numeriani* tempora, quod hic obiter monendum est, referendos inscriptos NIGRINIANI cum DIVI appellatione nummos; non vero ad ea, quæ sunt paullo post sequuta sub Valerio Maximiano cum Tristano, &, qui ei suffragatur, illustri Biragio, aut aliquanto serius sub Constantio, magni Constantini filio, cum Occone, adseruit nuperrime edita ea de re Dissertatione eruditus inter Gallos Antiquarius; & qua de re paullo post plenius dicetur. Accedunt vero insurgentes mox alii sub *Numeriano* ac *Diocletiano* Tyranni, & quorum adducuntur similiter a Goltzio nummi: ut sub Numeriano equidem, C. AQUIL. SABINUS; sub Diocletiano vero, L. ÆLIANUS, CN. SAL. AMANDUS, C. CARAUSIUS; C. ALLECTUS; C. TREBON. IULIANUS, ac in Græcis nummis ACHILLEUS cum Græco ΣΕΒΑΣΤΟΥ, sicut reliqui cum Latino AUGUSTI, in eorum nummis, titulo. Prioris equidem, qui SABINUS IULIANUS, in [a] Victoris Epitome, solo autem IULIANI nomine vocatur in [b] Victore Schotti, adductum a Goltzio nummum cum *Caii Sabini Aquilii* nominibus tangit quidem, sed ut dubium ac incertæ fidei, neque alibi visum, Tristanus. Quod de L. ÆLIANI & SAL. AMANDI nummis, quos solus itidem adducit Goltzius, dici similiter potest. Illum enim, qui apud Tristanum prostat, L. ÆLIANI nummum, & qualem vidimus olim in cimeliis Christinæ Reginæ, ad cognominem sub Gallieno Tyrannum, ab eodem nobili Antiquario, quod ipsa nummi fabrica continuo arguit, eumque & ab Eutropio & a Victore in Epitome memoratum, referri haud immerito videas. A quo autem nummo abest illud *Pomponii*, quod ei Goltzius tribuit, nomen, & quale ad alterum Diocletiani ætate *Ælianum* specta-

a Cap. xxxviii.
b De Cæsarib. c. xxxix.
Tom. III. p. 318.
Ibidem p. 177.
Cap. xxxii.
Tom. III. p. 442. Num. Imper. p. 445.

spectare existimauit Tristanus; ut id viro erudito Ad. Ruperto visum similiter fuerat. CARAUSII vero, qui sub Herculio Maximiano defecit, & sumtâ purpurâ imperium in Britannia inuasit, genuini exstant nummi, non a Goltzio solum descripti, sed ab aliis sedulis ac illustribus Antiquariis Cambdeno, Tristano, & Biragio prolati, ac a me unus olim e Gaza Palatina. Qualem denuo, ac duos alios insuper huius *Carausii* nummos, totidem nunc Regiæ Brandenburgicæ Gazæ cimelia, vulgauit haud ita pridem eruditissimus Begerus noster: ne de iis iam agam, quos in hac Britannia, in qua olim imperauit, versare mihi haud semel licuit. ALLECTUM vero, *Carausii* socium, eo per dolum circumuento & occiso, non solum Britannias per triennium, quod de illo Eutropius, tenuisse, sed summa imperii insignia ab eo quoque adsumpta, docent non memorati solum a Goltzio eius nummi; sed quales exstant etiamnum in præclaris Cimeliarchiis, & sculptos inde exhibent dicti paullo ante præstantes [a] Antiquarii. Et quidem, iuxta descriptos a Goltzio, minus, ut videtur, accurate (ac inde a Scaligero [b] ad Eusebium, ab Occone, & ab illustri Biragio) nummos cum uno L; cum duplici vero LL, seu ALLECTUS, in iis, qui a Tristano & Begero sunt vulgati, & qualem ex iis, seu inter Regia Thesauri Brandenburgici cimelia, haud semel inspexi. Ad IULIANUM vero quod adtinet, non quidem τὸν παραβάτην, sed unum e memoratis sub Diocletiano Tyrannis, qui prope Italiam in Illyrico, iuxta Victorem in Epitome, aut, sicut Victor Schotti habet, in Africa res nouas sit molitus; cum in aureo nummo Leopoldi Principis postea Cardinalis ab Hetruria signari, cum figura muliebri stante & inscriptione LIBERTAS olim monui. Similem vero ac aureum itidem illius IULIANI nummum e Regia, de qua modo, Gaza, in qua cum videre postea mihi licuit, protulit laudatus Begerus, sed sine præmissis, quæ eius nummis tribuit Goltzius, QUINTI TREBONIANI nominibus, & cum solitis summi in Romano imperio fastigii titulis, IMP. C. ÆLIANUS P. F. AUG. ACHILLEUM vero eadem Diocletiani ætate *apud Ægypti Alexandriam dominationis insignia induisse* refert Victor Schotti; & adstruunt similiter plures Græci apud Goltzium nummi: de quorum autem fide minus ambigere videntur præstantes Antiquarii, iique itidem cum AYT. & ΣΕΒ. *Imp.* & *Aug.* titulis.

To. III. p. 176. Ad Synop. Bezold. in Diocl.

Thes. Brand. Contin. p. 782.

Lib. IX. c. 14.

a Tristan. To. III. p. 384. Birag. Num. Imp. p. 420. Begeri Contin. Thes. p. 783.

b Anim. p. 243.

Cap. XXXIX.

Ibid. Cap. XXXIX.

Dissert. VI. p. 600.

Ut supra.

6. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Alii vero adhuc Tyranni sunt priores sequuti haud longo interuallo, ac a viris præstantibus e Nummis etiam descripti, ut ALEXANDER, quem Prætorio in Africa Præfectum a Maxentio, iuxta utrumque [a] Victorem, & quidem sumpta, ut de eo [b] Zosimus, purpura, ac proinde solitis summi imperii titulis, euincunt memorati non solum a Goltzio Latini Græcique eius nummi, sed alius, qui insuper apud [c] Tristanum ac Biragium, nobiles antiquarios, conspicitur cum epigraphe, hinc IMP. ALEXANDER P. F. AUG. illinc INVICTA ROMA FELIX KARTHAGO. Huius vero *Alexandri* filium, nulla cæteroquin, ut ipsemet agnoscit, auctoritate vel testimonio eius rei fultus, statuit eum, de quo obiter paullo ante, NIGRINIANUM Tristanus, & cuius duos adduxit nummos, in quorum priori parte, ut de eo iam ante, DIVO NIGRINIANO, in auersa CONSECRATIO cum Ara accensa, infra dimidia Luna inter literas K. A. A. aut cum Aquila & infra cum literis K. A. A. legitur. Eosdem

a Schotti de Cæsarib. c. XL. Epitom. c. XL.

b Lib. II. p. 84.

c To. III. p. 440.

Ibidem p. 443.

vero nummos ad anteriora aliquantum tempora, Cari nempe & filiorum, ex eorum fabrica referendos, vulgata ea de re in Gallia a viro in hisce antiquitatis studiis haud parum subacto Dissertatione, e literis ad me eruditissimi Gallandi percipere nuper licuit. Cui sententiæ eo lubentius acciderem, quod, qui ex iis a Tristano traditur, ALEXANDER breui post adsumptam in Africa purpuram sit a missis a Maxentio militibus oppressus; & iuxta Zosimum suffocatus: ut parum verisimile videri queat, filium tamen eius, hunc nempe NIGRINIANUM, solemni consecrationis ritu Diuis post mortem adscriptum.

Lib. II. p. 85.

Dissertation de Nigrinien par Genebrier D. M. Paris 1704.

Hæc vero dudum scripseram, quum illius Gallieæ de hoc NIGRINIANO Dissertationis, e Museo illustrissimi Viceeomitis Weymouth compos hie sum factus; indice ac parario eiusdem adfine, natalium, quod alibi de illo meritissimo retuli, splendore, humanitate præterea, peritia insuper, studioque harum antiquitatum commendatissimo, Heneages Finch. E qua autem erudita viri haud parum in versitandis pensitandisue hisee cimeliis exercitati Diatriba id percipere equidem licuit, iure ab eo statui, duos, qui prostant hactenus, iidemque a Tristano sunt pridem vulgati, huius NIGRINIANI nummos; neque ad Alexandri in Africa sub Maxentio Tyranni, & cuius ille filius seilieet, quod a nobis etiam supra explosum fuerat, exstiterit; minus ad inferiora adhuc sub Magnentio & Constantio, Constantini filio, tempora esse referendos: sed ad Cari potius & Carini ac Numeriani ætatem; certe ad illud deeennii vel duodeeennii, quod eosdem, ac priores Imperatores Aurelianum, Tacitum, Florianum ae Probum simul complectitur, interuallum. An vero *Aureliani*, vel, in quem magis vir eruditus propendit, *Numeriani* filius exstiterit idem *Nigrinianus*, hærere me equidem fateor: quod id nulla veteris alicuius Auctoris vel alterius monumenti auctoritate nititur: immo ne id quidem, quod alteruter e duobus illis Cæsaribus filium habuerit: Numerianus etiam iuuenis adhuc, ae breui post Cari parentis obitum, fuerit a Socero interfectus. Quum vero non NIGRI solum aut NIGRINI oeenrrant in anterioribus Romanorum Consularibus Fastis ae Inscriptionibus, ac NIGRINIANI etiam non apud Idatium solum, sed in Fastis etiam a doctissimo Norisio editis, ac in Codiee Theodosiano anno CCCL. sub Constantio, immo alterius insuper *Nigriniani* eum Fl. Anieio Consulis, ut id in Cl. Fabretti Inscriptionibus obseruauit laudatus de *Nigriniano* Dissertationis Auctor, fiat mentio; idem ferme, quod de PACATIANO Tyranno paullo ante, dieendum nobis venit. Nempe, quod aliquis ex eadem Romana gente exstitisse censendus sit, qui ætate illa Tyrannorum prouentu ferace, imperium quoque haud diuturnum arripuerit: de quo autem in iis, quæ exiguo numero supersunt etiamnum, illius temporis monumentis obliterata sit omnis memoria.

Leg. IV. C. Th. de Re Milit.

MARTINIANUM vero a Licinio in imperium, ut de eo [a] Victor Sehotti, eooptatum: & nee *Cæsarem* duntaxat, quod de eo tradit alter [b] Victor, ac præterea [c] Zosimus, sed AUGUSTUM etiam declaratum, docent eius nummi, quos protulere [d] celebres Antiquarii: & similiter ex [e] Excerptis de Constantino M. licet præterea colligere, in quibus is regnasse annos XVIII. dicitur, ac dum depositam purpuram denuo sumeret, occisus. Duos vero fratres, eosque Magni Constantini e fratre filios DELMATIUM, ut bene Victor in Epitome, non ut Victor Sehotti, Eutropius, alii-

[a] Cap. XII.
[b] Itid. Cap. XII.
[c] Lib. II. p. 99.
[d] Tristan. p. 474. To. III. Birag. IV, 458.
[e] Post. Amm. Marcell. a Valef. edit.

aliique *Dalmatium* & HANNIBALIANUM; illum CÆSAREM, hunc vero REGEM a Conſtantino, quod in dictis modo Excerptis, ac apud Ammianum Marcellinum legitur, appellatos, adſtruunt veteres ac ſingulares nummi, a præſtantibus Antiquariis iam deſcripti; poſtremus etiam a doctiſſimo Valeſio ad Ammianum, ac a Triſtano aliisque dein diuulgatus. Ex eadem magni Conſtantini agnatione, ſeu e ſorore *Eutropia* filium NEPOTIANUM, cum præmiſſis FL. POP. *Flauii Popilii*, & cum AUG. *Auguſti* itidem titulo, ſignant non memorati ſolum a Goltzio vel ab Occone, ſed editi ab [a] Octau. Strada, ac a [b] Triſtano duo eius nummi, & e quibus prior cum inſcriptione GLORIA ROMANORUM exſtat in Gaza Medicea. VETRANIONIS nummum videas in eadem Gaza; præter duos cum aliis typis in auerſa eorum parte a Triſtano adductos, ac præterea ſingularem, in quo miles dextra Labarum, cruce, pro more, inſignitum, ſiue Clypeum tenens, cum inſcriptione VIRTUS EXERCITUUM T. S. nempe Illyrici, & Pannoniæ, a quibus fuerat ad imperium ſub Conſtantio Magni Conſtantini filio adſcitus. Quod præter Auctores, qui res illius æui enarrarunt, utrumque Victorem, Eutropium, Zozimum, in Chronico Hieronymum, Zonaram, aliosque, tangit Julianus Imperator in Conſtantii Panegyrico primo, ubi eundem hunc *Vetranionem* συνάρχοντα, ſeu *collegam imperii*, vocat; ac ſimiliter Jo. Antiochenus in Excerptis Valeſianis, ſeu Peireskianis potius, a quo Βετρανίων ἐν Ἰλλυρικοῖς ἀναγορευθεὶς βασιλεὺς, *Vetranio in Illyricis Imperator appellatus*: ac ad fidem quidem dictorum modo numismatum, in quibus AUG. ſeu *Auguſtus* idem appellatur. Ita exorti eodem Conſtantinianeo æuo alterius quoque Tyranni TIBERII ſignata eſt adhuc memoria in raro eius nummo, quem ſeruat Gaza Cardinalis Buoncompagni omni hoc monumentorum genere commendatiſſima. SILVANI, qui cæſo Conſtantio Gallo, Juliani Imperatoris fratre, imperium Agrippinæ arripuit, duos quidem nummos citat Goltzius, ſed de quorum fide quid ſtatuendum ſit, ad dictam Juliani orationem monui: nempe eos nusquam alibi hactenus ab aliis antiquariis viſos; aut in Muſeis vel Theſauris, qui continent id genus cimelia, quantum equidem conſtat, recondi: tum quod intra viceſimum diem, iuxta utrumque Victorem, aut, quod eodem redit, ante triceſimum, oppreſſus dicatur ab Eutropio Siluanus: denique, quod Fl. ſeu *Flauii* nomen, utpote Conſtantinianeæ genti ea ætate proprium, male eidem *Siluano* tribuitur, qui, iuxta Victorem in [a] Epitome, *barbaro patre* erat *genitus*; ſeu, iuxta [b] Ammianum, patre Bonitio Franco, quique a Conſtantio, dum imperium arripit, ut iſtud bene obſeruat [c] Triſtanus, deficeret. Quem cæteroquin *Tyrannum* vocat, ac ludibrium, dum imperium inuadit, debuiſſe, muliebri quippe purpura indutum, tradit ibidem, quo Conſtantio gratificaretur, Julianus. Illius vero, qui contra Valentem Imperatorem inſurrexit, & de quo pluribus agit Ammianus, PROCOPII vultum cum adſumpto AUGUSTI titulo oſtentat nummus a doctiſſimo [a] Du Cange opportune prolatus. Tres vero ſub Magno Theodoſio Tyrannos, [b] MAGNUM MAXIMUM, filium eius VICTOREM, & EUGENIUM, de quibus conſuli poſſunt Proſper in continuatione Chronici Euſebiani, Idatius, Ammianus Marcellinus, Zoſimus (neque enim hic Annales ſcribimus) cum AUGUSTI adſumpto ab iis titulo, nummi iti-

Lib. XIV. cap. 1.

a Pag. 100. b Pap. 501. To. III.

Ibid. p. 632.

Orat. I. pag. 31. ult. ed.

Pag. 841.

Obſerv. p 908.

Lib. X. cap. 7.

a Cap. XLII.

b Lib. XV. c. 5.

c Pag. 660. To. III.

Orat. I. pag 48. Lib. XXVI. cap. 6. &c.

a Conſtantin. Chriſt. ad p. 33.

b Vid. Birag. 353, 515, 520. Patin. Num. Imp. p. 389, 390. Cange Conſt. Chr. ad p. 57, 61. Beger. Theſ. Brand. p. 830, 834.

itidem exhibent: ac unde certa iis, quæ de susceptо ab iis imperio in Chronicis aliisue Scriptoribus eorum temporum leguntur, fides continuo adstruitur. Idem quoque de PRISCO ATTALO, ac PETRONIO MAXIMO dicendum est: illo ab Alarico sub Honorio; isto, cæso Valentiniano III, ad imperium adscitis: & de quo postremo, præter Historicos & Chronicorum illius ætatis Scriptores, agit Sidonius cum in [a] Auiti Panegyrico, tum in [b] Epistolis, ubi *Imperator* & *nuncupatus Augustus* dicitur. Quod de utroque adserunt quoque eorum nummi; quales, & qui alibi prostant, vidimus olim in Gaza Farnesiana LEONEM vero ac ANTHEMIUM, concordes in eodem imperio collegas, laudat idem Sidonius, ac illustrauit ibidem ex nummo aureo doctissimus Sirmondus. Occurrit idem *Anthemius* cum alibi, tum in eo, quem inter cimelia Reginæ Christinæ olim vidimus, nummo. IOVINUM ac SEBASTIANUM, iuxta Prosperum Aquitanum, fratres; & qui eadem Honorii ætate in Galliis tyrannidem sunt moliti; sed breui, ut de iis idem Prosper, *regno abrepto peremti:* adsumptam certe itidem ab iis AUGUSTI appellationem, docent prolati a viris præclaris, utriusque illius Tyranni nummi: SEBASTIANI quidem, a viro eximio [a] P. Seguino primum vulgati; utriusque vero a viris præclaris [b] Du Cange & [c] Biragio prolati.

[a] Verſ. 376. & 545.
[b] Lib. II. Epiſt. 13.
Auiti Paneg. v. 29.
In Continuat. Chron. Euſeb.
[a] Sel. Numism. p. 184.
[b] Conſtant. Chriſt. p. 67.
[c] Num. Imper. p. 531.

Neque vero hic prætereundi alii haud vulgo obuii, quos verſaueram in Gallorum cimeliis: unus, cuius olim facta eſt a me mentio, Regiæ nempe Gazæ, inſcriptus D. N. GLYCERIUS AUG., ac unde dixeram conſtare, hunc *Anthemii* temporibus, non CÆSAREM ſolum, ut eum vocat Marcellinus Comes, ſed AUGUSTUM etiam renuntiatum: quem autem e *Cæſare* factum poſtea a *Nepote* Epiſcopum, & mox obiiſſe tradit. Cuius vero cum GLYCERII, tum NEPOTIS etiam, nummos, eosque cum AUGUSTI itidem titulo, diuulgatos dein cerninus ab iisdem modo memoratis viris præſtantibus. Neque iam hic aliis immorabimur, quos eadem aut ſequentes labentis vel lapſi verius Romani imperii ætates, ſuppeditare adhuc poſſent, minuſculis id genus principibus ſeu Tyrannis: unde nulla utique aut exigua admodum, ad illuſtrandas præclaras antiquitates ac interiorum literarum lucem & ornamentum, utilitas accedit.

In Chronic. p. 42. poſt Euſeb. Chron.
Du Cange p. 77.
Biragi p. 550, 553.

II.

Ad SERIEM & HISTORIAM AUGUSTARUM.

1. *De dignitatum titulis, quæ mulieribus leguntur tributæ.*

AUGUSTARUM vero ſeriem luculentam iisdem Nummis acceptam ferimus, & earum quidem maxime, quarum tenuis aut nulla etiam occurrit mentio in aliis veterum monumentis. Mirum autem videri continuo poſſet, quod hic in limine monendum venit, honorem illum ſeu titulum ſummi faſtigii, nempe AUGUSTÆ, non CÆSARUM ſolum UXORIBUS, quod eas utique decuit; ſed eorum inſuper MATRIBUS, AVIIS, SORORIBUS, FILIABUS, NEPTIBUS etiam, in illa veterum & Cæſarianorum nummorum penu tribui. Quamquam, ſi MATRES forte excipias vel AVIAS, id a Romanorum ſub Cæſarum imperio moribus haud valde alienum æſtimare liceat: quibus nempe receptum erat,

ut

ut *clarissimorum*, seu Senatorum, prout tum iidem insigniebantur, *Filiæ* nubiles, *clarissimæ* vocarentur. Liquet id ex Ulpiano: *Feminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebeis nuptiis fuerint copulatæ.* Id vero subinde singulari Cæsarum in adfines feminas indulgentiâ factum legimus, ut *Consularem* iis *dignitatem*, seu *Consularia ornamenta*, quibus alioquin carere illæ debuerant, iidem concesserint. Lampridius in Elagabalo: *Et si unquam aliqua matrona Consularis coniugii ornamentis esset donata; quod veteres Imperatores adsiduis detulerunt, & his maxime, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent.* Qui Lampridii locus magno Casaubono index videbatur huius moris unicus, cui tamen ex Ulpiani in alia lege verbis lux & auctoritas simul accedit: *Nuptæ prius Consulari viro impetrare solent a principe, quamuis* PERRARO, *ut nuptæ iterum minoris dignitatis viro; nihilominus* IN CONSULARI *maneant* DIGNITATE: *ut scio Antoninum Augustum* IULIÆ MAMMÆÆ *consobrinæ suæ indulsisse. Antoninus* vero *Augustus*, idem, ut passim ab Ulpiano, dicitur, qui vulgo *Caracalla*; *Consobrina* vero eius, *Julia Mammæa:* ille nempe *Juliæ Domnæ* erat filius; hæc autem filia *Juliæ Mæsæ*, dictæ Juliæ sororis. Quum vero eadem *Mammæa*, AUGUSTÆ dein dignitate, quod vel nummi eius arguunt, fuerit sub filio eius Alexandro Seuero macta; ab Ulpiano hæc, dum superstes adhuc esset Antoninus Caracalla, tradita esse sat liquet. Exstitere proinde apud Romanos, quod superiora ostendunt, *Consularia*, adde & *Senatorum*, *ornamenta*, quibus matronæ, etsi non Consulibus vel Senatoribus tum nuptæ, peculiari principum fauore decorabantur. Hinc alibi idem Ulpianus: *Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus; item earum, quæ ornamentis Senatoriis utuntur.* Cuius rei exemplum præbet etiamnum sub Elagabali principatu mater Heroclis, fœdissimi cuiusdam mancipii, quam Dio refert in Excerptis Peireskianis, militari satellitio in urbem deductam inter Consularium matronas habitam fuisse: ac proinde, quod dixerat Lampridius, & cuius moris haud alibi indicium exstare censebat ὁ πάνυ, *Consularis coniugii ornamentis decoratam.* Quo spectare præterea obseruo, quod tradit Procopius de Theodora, vilissimo antea scorto, eam ante nuptias a Justiniano *euectam ad dignitatem Patritiatus*, εἰς τὸ Πατρικίων ἀξίωμα. Hinc *maritalia* matronarum *decoramenta* apud Tertullianum legimus: *Aut, quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas, si quæ leges a maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant, &c.* Verum illustre huius rei, & quod propius huc facit, exemplum in LUCILLA obseruat Herodianus, quæ quum primo L. Vero, Marci in imperio Collegæ, dein priuato Pomponiano foret nupta, Sellam tamen Imperatoriam, aliosque priores AUGUSTÆ honores Commodi indulgentia retinuit. Unde quoque eadem mortua, instar *Augustæ*, consecrari meruit; ut ex eius nummis cum solita DIVÆ appellatione adhuc liquet.

Leg. VII. D. de Senator.

Cap. IV.

Leg. XII. D. Eodem.

Leg. C. D. de Verb. Oblig.

Pag. 766.

Arcan. Hist. c. 11.

De Cult. Femin. lib. II. c. 12.

Lib. I. cap. 20.

Qua ratione factum intelligimus, & quod euincunt ac ante oculos ponunt veteres nummi, ut non tantum *Uxores* Augustorum, sed *Matres* quoque eorum vel *Auiæ*, *Filiæ* similiter ac *Neptes*, adde & *Sorores*, etsi nunquam eædem Augusti coniugii consortes fuerant, AUGUSTÆ sint tamen dictæ. Talis utique ANTONIA, vulgo *Minor*, Agrippæ & Octauiæ

2. Augustarum *nomine* Uxores, Matres, Auiæ, &c.

Augustorum dicuntur.

uiæ sororis Augusti filia, eademque Claudii Imperatoris MATER, & Caii Caligulæ AVIA. Mitto, quòd VESPASIÆ POLLÆ Vespasiani *Matris*, aut forte *Cænidis* eius pellicis, imaginem in singulari quodam Vespasiani nummo, qui muliebre caput sine ulla inscriptione addita exhibet, signari putat Tristanus. Neruæ autem Imperatoris, sed citra AUGUSTÆ titulum, matris nomen ignotum alias, non in nummis quidem, sed in veteri marmore inscriptum, e schedis Barberinis in lucem protulit diligentissimus Sponius:

To. 1. p. 289.

Miscell. p. 268.

SERGIÆ LÆNATISSÆ PLAUTILLÆ
MATRI IMP. NERVÆ CÆS. AUG.

Sic *Auia* duorum Augustorum Elagabali & Alexandri Seueri IULIA MÆSA, ac eorum *Matres* Mæsæ filiæ, Elagabali nempe IULIA SOÆMIS; Alexandri autem Seueri IULIA MAMMÆA, quod de postrema iam dictum, AUGUSTÆ titulo in obuiis earum nummis decoratæ. FILIAS vero Cæsarum eâdem AUGUSTÆ appellatione ornatas comprobant subinde quarundam ex iis nummi. De nata Neroni ex Poppæa filia id quidem e Tacito ac Suetonio discimus, non solum quod id ultra mortale gaudium acceperit Nero; sed quam etiam, quod addit Tacitus, AUGUSTAM, *dato & Poppææ eodem cognomine, appellauit*. Tranquillus itidem: *Ex hac* (Poppæa) *filiam tulit* CLAUDIAM AUGUSTAM, *amisitque admodum infantem*. Ad quem vero Suetonii locum, singularem quendam nummum adtulit eximius Patinus, verum qui hactenus una illius fide nititur; dum illum *perrarum nummulum* a se *repertum* tradit, inde vero demum ab illustri Biragio memoratum; nusquam vero, quod equidem sciam, ex aliis hactenus præclaris cimeliis erutum, aut in iis visum: in cuius nempe priori area figura muliebris in Templo, & inscriptio POPPÆA AUG. in auersa similis figura itidem in Templo, seu, iuxta Patinum, *Claudia* illa, quæ Fortunæ habitu se populis adorandam præbet, ibique inscripta CLAUD. NER. F. *Claudia Neronis Filia*, sed sine addito *Augustæ* titulo. IULIAM vero Titi Filiam AUGUSTÆ ac ΣΕΒΑΣΤΗΣ nomine in Romanis Græcisque eius nummis decoratam legimus; neque solum post parentis obitum, sed eodem adhuc superstite: etsi eadem priuato Flauio Sabino, uti de eo Philostratus, nupta primum fuisset, nulliusque dein Augusti coniugii compos, sed incestûs demum cum patruo Domitiano rea. Sub Traiano paullo post, non eius quidem *Filiæ*, quum liberos non habuerit, sed e sorore *Neptis* MATIDIA, iuxta Matrem, de qua mox, *Marcianam*, AUGUSTÆ quoque cognomine ornata in eius nummis cernitur. Quibus accessit DIDIA CLARA, Didii Juliani & Malliæ Scantillæ Filia, quæ, iuxta Matrem, ut de iis Spartianus, una cum patre Juliano Imperatore declarato, AUGUSTA est a Senatu appellata: cuiusque rei fidem adhuc faciunt cum illo summo honoris titulo superstites eius nummi. Quomodo etiam Magni Constantini Filia, & Galli Cæsaris uxor, CONSTANTINA, similiter AUGUSTA in nummo apud Goltzium, sed aliunde, quod equidem sciam, hactenus haud noto, dicitur.

Annal. xv. c. 23.

In Neron. c. xxxv.

Not. ad Sueton. ut supra.

Num. Impp. p. 97.

Vit. Apoll. l. vi. c. 3.

In Did. Julian. c. iii.

Verum non *Matres* solum, *Auias*, *Filias*, *Neptes*, sed SORORES etiam Imperatorum, ut paullo ante innuebam, non alio nisi proximæ illius

lius neceſſitudinis titulo vel iure, eodem AUGUSTÆ cognomine cohoneſtatas comprobant ſimiliter aliquot veteres nummi. Exſtant quidem Caii Caligulæ tres *Sorores* AGRIPPINA, DRUSILLA, LIVIA, expreſſæ in auerſa parte illius principis nummi; ſed ſine ullo AUGUSTÆ, vel AUGUSTARUM titulo: verum Græcus in Theſauris Gallorum Regiis reconditur *Mytilenæorum* nummus, isque in Specimine eximii Morellii iam vulgatus; in quo hinc Caligulæ caput ΓΑΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΥΤΙ. illinc autem *Druſillæ*, ſecundæ e tribus memoratis modo eius Sororibus, cum inſcriptione ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΜΥΤΙ. *Druſilla Auguſta Mytilenæorum*, inceſto nempe amore a fratre dilecta, ac inde ſolita Græcorum adulatione eo ſummi honoris titulo ab iis ornata. De eadem quoque, quæ ΘΕΑ vel DIVA ſit in aliis quibusdam nummis appellata, dicetur paullo poſt. Neque vero hic prætereundum, quod Veſpaſiani Filiam, eamque Titi ac Domitiani Sororem, ac eiusdem cum Matre, ut ex Suetonio ac aliunde conſtat, & qua de re paullo poſt, nominis DOMITILLAM; eamque, iuxta Matrem, priuato adhuc Veſpaſiano mortuam, ſolemni defunctarum Auguſtarum ritu a Tito fratre, diu poſt eius obitum, cultam ſtatuunt poſt Occonem nobiles Antiquarii, [a] Triſtanus ac [b] Biragius, qui Titi nummum, in cuius auerſa parte Carpentum mulare viſitur, & inſcriptio MEMORIÆ DOMITILLÆ S.P.Q.R. non Matri Veſpaſiani coniugi, cum maiori Antiquariorum numero, ſed eius Filiæ tribuunt. Ad quam proinde etiam Domitiani Sororem, conſecratam veluti ac Diuis adſcriptam, hos Statii ad Domitianum fratrem verſus retulit Triſtanus: *Cum Superis terrena placent*; dein:

Specim. Tab. xx.

In Veſpaſ. c. III.

Ibidem.

a To. I. p. 294.

b Num. Impp p. 219.

Lib. I. Sylu. I. v. 95.

Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,
Et SOROR: *una locum ceruix dabit omnibus aſtris.*

Traiani vero Sorori MARCIANÆ, haud minus ac *Plotinæ* uxori, delatum a Senatu AUGUSTÆ cognomen, ſed quod ambæ ſint deprecatæ, quamdiu *Patris Patriæ* appellationem recuſaſſet Traianus, docet in Panegyrico Plinius, ubi cæteroquin peculiari eiusdem Sororis laude defungitur. Quem vero AUGUSTÆ titulum ab eadem *Marciana* dein adſumptum teſtantur præclari eius nummi, additoque inſuper ſuæ cum Traiano neceſſitudinis titulo: MARCIANA AUG. SOROR IMP. TRAIANI, ac in alio Gazæ Mediceæ, cum eiusdem poſt obitum conſecratæ memoria, DIVA AUGUSTA MARCIANNA: cum gemino NN, quod cælatorum incuriæ adſcribendum venit. Qualem autem conſecrationis honorem PAULINÆ Sorori haud ab Hadriano habitum, quem ille cæteroquin Antinoo catamito, de quo poſtea tradit Dio, decerni curauit, eoque nomine ſugillatum vulgo Hadrianum, & quod vidit iam [a] Triſtanus, in [b] Excerptis Peirceskianis. De nummo enim, qui contrarium videretur arguere, inſcripto DIVA PAULINA, & quem ad hanc Hadriani Sororem, vel utriusque Matrem, eo quoque nomine nempe *Domitiæ Paulinæ*, iuxta Spartianum, appellatam, refert in opere inedito, quod Romæ olim in Bibliotheca Chriſtinæ Auguſtæ verſare aliquoties mihi licuit, Pyrrhus Ligorius, agetur paullo infra. Illam vero Hadriani Sororem, quod bene coniecerat Triſtanus, non DOMINÆ nomine, ut antea legebatur, ſed Matris exemplo,

Cap. LXXXIV.

a To. I. p. 539. b Pag. 714.

In Hadrian. c. I.

Do-

DOMITIÆ PAULINÆ So. (seu *Sororis*) IMP. TRAIANI HADRIANI AUG. dictam in veteri lapide; idemque de DOMITIÆ nomine a doctissimo Gudio animaduersum docet postrema Thesauri Gruteriani editio.

Pag. CCLII, 4.

Quæ autem, quod paullo ante adlata iam arguunt, præter solitum ferme Romanorum morem & exemplum sunt facta. Certe Consularium *Matres* dictas *Consulares* negantem noui Ulpianum: *Consulares autem feminas dicimus Consularium* UXORES; *adiecit Saturninus* MATRES, *quod nec uspiam relatum est, nec unquam receptum.* Unde alibi quoque Justinianus solam *Uxorem* Consulis ad honores admittit Consulares, non autem illius *Matrem*, nisi antea eadem fuerit Consularis, aut iubente eodem Consule; *Filias* vero, *Sorores*, *Nurus*, aliasque necessitudines diserte excludit: *Mater vero, si Consul hic voluerit: nam neque* FILIA, *neque* SOROR *forte, neque* UXOR FILII, *& multo magis si nec pertinens ad genus sit: hoc enim pure illicitum existebat.* Hinc etiam solæ dictæ ex Feminis *Clarissimæ*, quæ nuptæ erant Senatoribus, ceu *Clarissimis* personis; non autem *Clarissimorum Filiæ*, si plebeiis nuberent, ut alibi docet idem Ulpianus. Indulgentiores itaque Cæsares in feminas sibi dicto illo necessitudinis vinculo coniunctas, *Matres*, *Filias*, *Sorores*, *Neptes*, ut modo vidimus, illud AUGUSTÆ cognomen, adnexaque eidem priuilegia non semel detulerunt, ac publicis etiam nummorum monumentis tradi ad posterorum memoriam voluere. *Augustarum*, alias, *Consularium*, aut *Clarissimarum* feminarum exemplo, a quibus adsumptæ fuerunt ab honore coniugum appellationes, *Curopalatissæ* similiter dictæ sequiori æuo *Curopalatarum* uxores; qualis Anna Comnenorum Mater vocatur apud Nicephorum Bryennium. Qua ætate etiam contigit, ut *Cæsarissæ* dictæ sint Augustorum *Filiæ*, exemplo filiorum, qui pridem illam *Cæsarum* appellationem erant nacti; ut liquet ex Niceta, aliisque Scriptoribus Historiæ Byzantinæ. Quæ iam olim, in superiore nempe huius operis editione, monueram; ac dein in eruditissimo Du Cangii Glossario, quod pluribus post annis prodiit, animaduersa quoque reperiet Lector. Immo nec illud prætereundum ex more superiorum temporum, quibus vulgo sunt percussi *Augustarum* nummi: quod illa cognomina vel ornamenta non continuo tributa sint mulieribus, quæ admissæ tamen erant in consortium principalis fastigii. Neque enim AUGUSTÆ omnes Augustorum Coniuges fuerunt continuo appellatæ: dum de *moderandis* potius, quam ampliandis illarum *honoribus*, non Tiberium duntaxat sollicitum accepimus; sed Claudium etiam, uxorum licet mancipium, quem MESSALINÆ coniugi (qua de re paullo post) AUGUSTÆ, uti nec AUGUSTI, quod mirari minus subit, Britannico filio, titulum dari haud passum fuisse tradit Dio. Hæc autem omnia haud aliunde certius vel uberius, quam e residuis veterum monumentis constant; e quibus pars illa HISTORIÆ AUGUSTÆ unice quasi & luculenter illustratur.

Leg. 1. §. 1. D. de Senator.

Nou. CV.

Lib. II, cap. I.

Diss. de Præst. Num. p. 605. Gloss. Med. aut Infim. Græcit.

Tacit. Annal. I. c. 14.

Lib. LX. p. 673.

3. *Priorum Cæsarum* Coniuges *vel* Adfines *non omnes in nummis exhibitæ.*

Neque refero tamen in hunc censum omnes illas vel Coniuges, vel Adfines priorum Cæsarum, MARCIAS, AURELIAS, COSSUTIAS, SCRIBONIAS, LEPIDAS, ARRICIDIAS, aliasque id genus ab Ænea Vico in serie XII. Cæsarum depictas. Has, quippe e prioribus curis Andreæ Fulvii aliorumque acceptas, fatetur ipse se necdum in nummis expressas reperisse. Neque enim aut J. Cæsaris nondum firmata dominatio; aut

aut Tiberii cum uxoribus ante principatum diuortia; aut Caii amor Sororum inceſtus; aut Galbæ ac Othonis in imperio cœlibatus; aut Vitellii breue imperium, paſſa ſunt Uxorum vultus nummis conſignari. Immo ne LIVIAM quidem, niſi ab Auguſti exceſſu, cernimus in Romanis depictam nummis, qui illam mortuo coniuge, ex Teſtamento Auguſti *in Familiam* IULIAM *nomenque* AUGUSTÆ *adſumptam*, ſub eiusdem IULIÆ, quandoque, ſed rarius, priori LIVIÆ AUGUSTÆ nominibus dein exhibent. Quas equidem mutationes nominum apud Romanos ex Teſtamento fieri ſolitas, cum ſatis arguunt libri Juris eorum Ciuiliſ; tum crebra eius rei exempla, ut apud Ciceronem de Dolabella, qui cuiusdam *Liuiæ teſtamento mutare nomen* iuberetur, ac ubi conſiderandum relinquit Tullius, *rectumne ſit nobili adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento.* Idem quoque in Officiis: *Sed cum Baſilius M. Satrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet hæredem, &c.* Eadem vero familiaria inprimis ſunt ac obuia in Hiſtoria Auguſta; ſicut palam fit, ut ad eam viderunt iam viri docti, vel exemplo J. Cæſaris [a] *Octauianum*; vel Auguſti, de qua hic, [b] *Liuiam*, ac priuignum *Tiberium*; Galbæ [c] *Piſonem teſtamento in bona & nomen* adſciſcentium.

Tacit. Ann. lib. 1. c. 8.

Ad Att. lvii. Epiſt. 8.

Lib. iii. c. 18.

a Sueton. in J. Cæſ. cap. lxxxiii.
b In Aug. c. ci.
c In Galb. c. xvii.

4. *De* LIVIA *ſiue* JULIA *Auguſti Cæſaris, &* ANTONIA *minore, earumque honoribus.*

Eadem vero *Liuia*, ob adoptionem, *Filia* etiam *Auguſti* ad Deos transgreſſi, ut [a] Velleius tradit, fuit nuncupata; quod firmat etiam nummus eius haud ignotus DIVÆ IULIÆ AUGUSTI FILIÆ, & in altera parte DIVUS AUGUSTUS PATER. Quæ autem nomina, cum *Juliæ Auguſtæ* tum *Auguſti Filiæ*, viris doctis nonnunquam impoſuere minus exercitatis in verſanda nummaria id genus penu, ac inter alios eruditiſſimo Reineſio, qui non *Liuiam*, ſed *Juliam* Auguſti Filiam, iisdem nummis deſignari ſtatuebat. Ac poſtremam quidem IULIAM, ſed citra AUGUSTÆ vel ΣΕΒΑΣΤΗΣ, qui necdum inualuerat, nec tot probris oneratam decuit, titulum, antiquariis antea ignotum depingi olim diximus in Græco Gazæ Mediceæ nummo, ſub forma ac nomine *Juliæ Veneris:* nempe qui exhibet ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, in priori vero parte ΗΡΑΝ ΑΙΒΙΑΝ *Junonem Liuiam.* Quem autem nummum e cimeliis P. Chamillard in lucem dein protulit, facta illius ceu pridem a me memorati mentione, præſtantiſſimus Morellius. Eundem vero, & tanquam e Reginæ Chriſtinæ Gaza deſumptum a clariſſimo Antiquario Jo. Vaillant, inter Græcos Imperatorum nummos, ut oppido ſingularem, expreſſum quoque video. Dum autem hæc denuo commentarer opportune ad me Berolino miſit, qui Begeri noſtri τοῦ μακαρίτου, ſuique Auunculi, a Bibliotheca & ab Antiquitatibus munere, cum præclaræ induſtriæ nec vulgaris peritiæ laude, fungitur Johannes Carolus Schott, eximii nummi ærei a *Nicæenſibus Cilbianis* cuſi ectypum: in cuius auerſa parte Mater IULIA, ut eidem viro præſtanti, nec immerito, videbatur, ſub *Veneris* ſimiliter, quæ hinc laciniam veſtis tollit, illinc pomum tenet, ſigno depicta cernitur; & de quo eximiæ raritatis nummo alius erit dicendi locus: ubi ſcilicet nobis erit ſermo de *Caio* & *Lucio*, eiusdem Juliæ & Agrippæ filiis, quorum effigies in priori iſtius nummi area exhibentur. Ut nunc mittam me Romanam illam Venerem cælatam vidiſſe in incomparabili Gemma Regiæ Gallorum Gazæ; quæ hinc mariti *Agrippæ* caput roſtratum; illinc *Juliæ* coniugis, ut omnino licet ſtatuere, vultum præfert. Dictam vero

a Lib. ii. c. 75.

Specim. Tab. xx. & p. 203. Num. Imper. Græc. p. 7.

in Morellii nummo Augusti coniugem proprio ante adoptionem nomine AIBIAN, & quidem non AUGUSTAM seu ΣΕΒΑΣΤΗΝ, sed *Deam*, seu *Dearum* Reginam, HPAN seu IUNONEM, legimus; nempe iuxta Prudentium:

Lib. 1. Adu. Symmach.

Adiecere sacrum, fieret quo LIVIA IUNO;

ut Ouidium mittam, a quo frequenter illa solo *Iunonis* nomine designatur, ut:

Cum tibi contigerit vultum IUNONIS *adire.*

Ad quam proinde *Liuiam Iunonem* referre licet inscriptionem Zaræ, quæ olim Jadera, in Delmatia, indice eximio Sponio, repertam, præter aliam ibidem, in qua Augustus *Parens Coloniæ* vocatur, IUNONI AUGUSTÆ dicatam. Utramque vero illam IULIÆ AUGUSTÆ appellationem *Liuiæ* ex Augusti testamento delatam, auctor superiori loco est Tacitus; & ex Tranquillo ac Dione licet insuper colligere: ut ad antiquiora tempora nummi eiusdem cum his nominibus signati referri neutiquam possint. Quod miror equidem non obseruasse Cl. Tristanum, qui Græcum nummum *Augusti* & *Juliæ*, cum ΘΕΙΟΥ & ΘΕΙΑΣ, seu DIVI & DIVÆ nominibus, vivo Augusto percussum existimauit: quod non adeo illud *Diuæ*, quam additum *Juliæ* nomen omnino refellit. Unde etiam liquet recensitos in exilio a Nasone Fastorum libros, in quibus utrumque illud AUGUSTÆ & IULIÆ nomen huic Liuiæ tributum legimus:

Fast. l. 1. v. 536.

Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic AUGUSTA *nouum* IULIA *numen erit.*

Nec infelix alioqui vates hic fuit, quum consecrationem eidem *Liuiæ* Augusti exemplo auguratur, quæ tamen multis annis post Ouidii excessum illi demum contigit, sub Claudii nempe principatu, iuxta Suetonium, quod firmant eiusdem Liuiæ nummi sub Claudio & Galba percussi, cum inscriptione ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, & DIVA AUGUSTA. Neque vero minus incaute adsertum a doctissimo Casaubono ad Suetonium, " de Liuia „ certum, post mariti excessum non Liuiam, sed Iuliam fuisse vocatam. Utrumque etiam nomen gestasse patet ex priscis lapidum monumentis, in quibus aut [a] LIVIÆ AUGUSTÆ *Ornatrices*, vel *Seruæ Ab Argento*, *A Potione*, aut [b] *Serui Pedisequi* describuntur; aut coniuncta etiam IULIÆ LIVIÆ AUG. appellatio illi tribuitur. Unum etiam nummum a se inspectum refert Æneas Vicus, in quo DIVA LIVIA DIVA AUGUST. sed quem demum circa Alexandri Seueri & Gordiani tempora signatum credit. Argenteum præterea huius Augustæ rariſſimum nummum prædicat Ludouicus Sauotus, cum inscriptione LIVIA AUGUSTA, in altera autem parte DIANA LUCIFERA, de quo nummo fides sit penes eos, a quibus est ille inspectus. Alias obuii adhuc sunt aliquot Græcorum nummi cum illa *Liuiæ* appellatione, in quibus ΘΕΑ ΑΙΒΙΑ, & ΑΙΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ inscribitur, cuius generis apud Cl. Seguinum aliosque vidisse aliquot memini. Unde, sine ullo temporum discrimine, modo

In Claud. cap. XI.

Com. ad Aug. c. 101.

a Vid. Thes. Grut. DLXXVII, 8. DLXXVIII, 5. DLXXXII, 2.

b Spon. Misc. p. 229.

LI-

LIVIA vocatur poſt adſumptum nomen *Iuliæ*, ſicut in ſuperioribus Lapidum Nummorumue monumentis, cum a Dione tum a Romanis Scriptoribus, ut apud Senecam: *Non dubito, quin* LIVIÆ AUGUSTÆ, *quam familiariter coluiſti, magis tibi placeat exemplum*, ac ut alios mittam, longe infra illam ætatem a Claudiano vocatur [a] *venerabilis Liuia*: modo IULIA etiam dicta viuente Auguſto, ut [b] Joſepho, [c] Velleio, aliisque; quod ab iis per πρόληψιν factum ſatis liquet, neque ſollicitandos proinde cum magnis viris eorum codices. Reſtitutos vero a Tito aliquot eiusdem Auguſtæ nummos rariores Romæ olim haud ſemel inſpeximus. Eandem vero *Liuiam*, non AUGUSTAM ſolum, ſed dein etiam SACERDOTEM DIVI AUGUSTI factam, diſcimus non ex [d] Dione ſolum aut antiquo [e] lapide, ſed inſuper ex præclaro eiusdem nummo, qui ei utramque hanc appellationem tribuit. Idem vero nummus mire illuſtrat locum Suetonii, quem præterierunt viri docti: *Poſt hæc Antoniæ auiæ, quidquid unquam Liuia Auguſta honorum ccpiſſet, uno Senatusconſulto congeſſit. Liuia* enim, ut modo innui, dicta *Iulia* & *Auguſta*, breui ab exceſſu coniugis, lectis ſcilicet tabulis teſtamenti; poſtea, eodem conſecrato, *Sacerdos* etiam *Diui Auguſti* a Senatu declarata: ut diſerte hæc temporum diſcrimina obſeruat Dio, ſed cuius locum male ſollicitauit & accepit interpres: Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, ἱερείάν τε τὴν Λιβίαν, Ἰουλίαν τε, τὴν καὶ Αὔγουσταν ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν. *Tum vero conſecrantes Auguſtum, ſodales illi & ſacra, & ſacerdotem Liuiam, quæ iam ante Juliæ & Auguſtæ nomen receperat, decreuerunt.* Hic planus loci ſenſus, ſicut eum expreſſimus, nec mutatione illa indiget νῦν καλουμένην, pro ἤδη καλουμένην, quæ locum perturbat. Vides autem quam lucem utrique, cum Suetonio tum Dioni, iſte fœneretur nummus, qui congeſtos *Liuiæ* honores diuerſis vicibus uno Senatusconſulto *Antoniæ* tributos exprimit, *Auguſtæ* nempe titulum & *Sacerdotium Diui Auguſti*. Ad quod Liuiæ Sacerdotium reſpexit tum Ouidius:

Stant pariter natusque pius, coniunxque SACERDOS,
Numina iam facto non leuiora Deo;

tum Velleius, qui eandem *transgreſſi ad Deos Sacerdotem ac Filiam* vocat. Viduarum quippe demum aut Virginum erant Sacerdotia apud Gentiles, iuxta Tertullianum: *Sacerdotium viduitatis & cælibatium eſt apud Nationes*; &, quod iam ante innuerat, *cum Gentiles Satanæ ſuo & virginitatis & viduitatis ſacerdotia perferant.* Neque vero *uniuira* eadem *Liuia*, quæ prius Liuio Druſo dein Auguſto nupſerat; quod tamen in *Flaminica* requiſitum fuiſſe docet alibi idem Tertullianus. At non mirum eandem audire *Diui Filiam ac Sacerdotem*; recepto ſcilicet inde tradito apud Romanos more, ut a coniugibus, liberis & propinquis adſumerentur eiusmodi ſacerdotia. Ita *filius Pertinacis Patris Flamen eſt factus*, iuxta Capitolinum in Pertinace; & alibi in vita M. Aurelii: *Flaminemque ei ex affinibus, & ſodales ex amiciſſimis Aurelianos creauere.* Ut propinquius adhuc mittam Agrippinæ exemplum, cui, mortuo coniuge Claudio, *Flaminium Claudiale* decretum eſt a Senatu, auctore Tacito.

[a] In Nupt. Honor. v. 12, 13.
[b] ἡ γυνὴ Καίσαρος Ἰουλία. Ant. l. xvi. c. ix. p. 559. & 599.
[c] Lib. ii. c. 71.
[d] Lib. lvi. p. 600.
[e] Theſ Grut. ccxxvi, 9.

Lib. lvi. p. 600, 609. &c.
De Conſol. ad Marci. c. iv.
Calig. cap. xv.
Lib. lvi. p. 600.
De Pont. l. iv. Eleg. ix. v. 107.
Lib. ii. cap. 73.
Ad Uxor. l. i. c. 7.
Ibid. cap. 6.
Exhort. Caſtit. cap. xiii.
In Pertinac. c. xv.
Cap. viii.
Annal. xiii. c. 2.

5. *Sacerdotia Deorum ad feminas translata.*

Equidem eo *Liviæ* ac *Antoniæ* exemplo videtur mos ille apud Romanos receptus, ut Deorum etiam sacerdotia ad feminas transirent, quæ olim ad easdem spectasse negat L. Valerius apud Liuium: *Non Magistratus, nec* SACERDOTIA, *nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt.* Nisi Vestales forte excipias, quæ tamen eiusdem sexus Deæ erant sacerdotes, qualis vocatur Quirini mater apud Poëtam: *Donec Regina Sacerdos:* aut quòd Sacerdotum uxores, uti ea de re Dionysius, ex Romuli instituto, *cum suis maritis sacerdotio fungi tenerentur*, τοῖς ἑαυτῶν ἀνδράσι συνιερᾶσθαι, & si quæ sacra, quod addit, more patrio a viris fieri haud possent, hæc ab iisdem mulieribus continuo peragerentur. Qualia utique non *Vestæ* solum, sed *Cereris*, & quidem, quod alibi tradit idem Dionysius, Græco more ad suam usque ætatem fierent; ac firmat Cicero: *Sacra Cereris &c. quæ cum essent adsumpta de Græcia, & per Græcas semper curata sunt* SACERDOTES. Ut mittam *Salias* virgines a Romanis dictas, quas Saliis, ubi opus erat, sacra facientibus præsto adfuisse, easque cum apicibus, Saliorum nempe instar, paludatas, docet Festus. Equidem apud Ægyptios nullas exstitisse Sacerdotes feminas Deorum Dearumue tradidit olim Herodotus: quæ frequentes tamen erant, quod obuium, apud Græcos, & Deorum quidem utriusque sexus; & ad quæ etiam sacerdotia respexit Claudianus, agens alicubi de honoribus mulierum:

Lib. xxxiv. cap. 7.

Æn. 1. v. 253.

Antiq. l. 11. p. 92.

Ibid. l. 1. p. 26.

Pro Balbo c. xxiv.

In *Salias Virgines.*

Lib. 11. cap. 35.

Lib. 1. in Eutrop. v. 327.

Inde Sacerdotes; hæc intrat pectora Phœbus;
Inde canunt Delphi. Troianam sola Mineruam
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.

Ita facti quoque promiscue apud Romanos ex utroque Sexu Diui Augusti aliorumque Cæsarum consecratorum *Sacerdotes*, *Flamines*, seu *Flaminæ* vel *Flaminicæ*, quales vocantur in Inscriptione veteri inedita:

F. FLAVIO AUG. LIB. FLAMEN
DIVI TITI ANN. IIII. VIX. AN. LII.
M. VIII. D. VIIII. HOR. VI.
FLAVIA FLAMINA FLAVIAL.
ET IULIA AMISSA LIB. FLAMI
NIA HER. EX TESTAM. P. CUR.
IN FR. PED. XIII. IN AGR. P. XVII.

Flaminam hic vides *Flauialem*, seu, Liuiæ ac Antoniæ, aut si mauis Agrippinæ, *Flaminæ Claudialis*, exemplo, e Gente Flauia Sacerdotem, ac proinde e collegio *Flauialium*, cuius meminit Suetonius, quod una cum Templo Patri ac fratri sacrauit Domitianus.

In Domit. cap. IV.

6. *De honoribus* OCTAVIÆ, AGRIPPINÆ, *& aliis Augustæ domus mulieribus decretis.*

Eiusdem vero Antoniæ mater & soror Augusti OCTAVIA se quoque nunc conspiciendam præbet, recenti beneficio rarissimi nummi, quem [a] Cl. Seguini industria detexit. Facile enim optimo rei antiquariæ promicondo adsentior, ut non aliam quam *Octauiam* signet expressa mulieris facies, cum iunctis fratris Augusti & mariti Antonii capitibus. Quo refero etiam alium singularem nummum, quem una apud illustrem matronam Fel. Rondanini inspeximus, qui hinc caput Augusti exhibet, illinc iuncta M. Antonii & Octauiæ capita. ANTONIA vero, Neronis quidem Drusi uxor, sed duorum Imperatorum, Caligulæ & Claudii Auia

a Select. Num. p. 106.

ac

ac Mater, ac inde AUGUSTA, uti ea de iam ante, ac præterea ſocrus Liuiæ, ut vidimus, exemplo, SACERDOS DIVI AUGUSTI, iuxta [a] Suetonium ac [b] Dionem, & quod utrumque adſtruunt eius nummi, nuncupata. Quamquam eum AUGUSTÆ titulum, ſibi a Caio nepote delatum, recuſaſſe dum viueret hanc eius auiam, qui poſtea eidem mortuæ ſit a Claudio filio delatus, e Suetonio colligunt viri docti, dicente in Claudio: *Huic* (*Antoniæ* nempe) *Carpentum, quod per Circum duceretur, & cognomen ab auia recuſatum*; ſed ubi, quod iſtud de *Liuia* Claudii *Auia*, quæ AUGUSTÆ cognomen poſt Auguſti obitum tulit, dici non poſſit, *ab viua* legendum monuit Lipſius, cuiusque emendationis, etſi eam non probet, meminit ibidem Torrentius. Unde nollem a poſtremo ac erudito Plinii commentatore, ubi *Liuiæ Druſillæ, quæ poſtea* AUGUSTA *&c.* fit mentio, adnotari, "ſe Tranquilli locum vitiatum obiter emendaturum „ in Claudio cap. XI. ubi nempe pro *ab auia recuſatum*, legendum ſit *ab* „ *viua*, nempe Claudii matre Antonia. Niſi forte haud inſpectis, ut fieri tamen ſolet, Suetonii ad eum locum interpretibus, idem ei, quod pridem Lipſio, continuo in mentem veniſſe ſtatuendum ſit. AGRIPPINAM vero, matrem eiusdem Caii Imperatoris & Germanici coniugem, ſed ſine AUGUSTÆ titulo, exhibent Romani eius nummi: Græci vero aliquot cum *Deæ* ſeu *Diuæ*, ΘΕΑΣ nempe, appellatione. Quales duo præclari omnino nummi e muſeo S. Genoueuæ in Appendice Selectorum Seguini numismatum ſunt diuulgati; prior a *Mytilenæis* itidem, uti ſuperior matris *Juliæ* nummus, percuſſus, cum mariti Germanici, eiusdemque ΘΕΟΥ titulo inſigniti, vultu, in priori nummi area; in altera vero, cum Agrippinæ capite, ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΝ ΘΕΑΝ ΓΑΙΟΥ ΜΥΤΙ. *Agrippinam Deam Caii* (nempe *Caligulæ* Matrem) *Mytilenæorum:* alter hinc cum Caii ſeu Caligulæ filii capite in anteriore area; illinc cum ſedente ſeminuda muliere & epigraphe ΘΕΑ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ. Quos autem, ob ſingulorum eorum præſtantiam, quum nec vulgo iidem proſtent, etſi prior in eximii Morellii ſpecimine ſit quoque editus, hic conſpiciendos damus.

a In Claud. cap. XV.
b Lib. LVI. p. 600.
Cap. XI.
Pag. 307, 308.
Specim. Tab. XX.

Mitto geminum poſtremo ac Romanum nummum, qualem inter cimelia Etruſci tum Mæcenatis, Cardinalis Leopoldi, olim a me inſpectum retuli, ac a præſtantibus dein Antiquariis aliunde prolatum, aureum nempe, qui hinc Caligulæ caput illinc Matris Agrippinæ ſimiliter præfert. Alium quoque ſingularem nummum ſimul a nobis viſum meminiſti, ut opinor, apud Abbatem Braceſium, in præclara congerie Numismatum antiquorum; qui in priori parte Agrippinæ vultum, cum inſcriptio-

Vid. Muſ. Farneſ. in Parma 1694. Vaill. Præſt. Num. p. 13. P. I.

ne AGRIPPINA MAT. C. CÆSARIS AUGUSTI, in altera Porticum cum eiusdem figura referebat. Obuii vero huius Agrippinæ nummi cum *Carpento* duarum Mularum & epigraphe S. P. Q. R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ, qui facem præferunt, uti iam ab eruditissimo Torrentio monitum, Suetonio tradenti Caium defunctæ *Matri Circenses Carpentumque, quo in pompa traduceretur*, decreuisse.

In Calig. cap. xv.

7. *Carpentorum, & mularum usus penes mulieres.*

De more illo, quo in defunctorum honorem ac memoriam Carpenta per Circum ducebantur, nota sunt, quæ obseruarunt iam viri docti, ac præ aliis Casaubonus ad Suetonium. Equidem, ut hoc addam, eximii semper honoris loco habitus apud Romanos usus vehiculi carpentarii, Dioni ὀχοῦ, unde olim lege Oppia feminis, ut ea de re Liuius, iuncto vehiculo in urbe uti non, *nisi sacrorum publicorum caussâ*, concessum. Hinc de Agrippina, prioris illius filia, Tacitus ut insolitum notat, & Sacerdotibus demum indultum, *carpento Capitolium ingredi*. Quod tamen commune quondam fuisse, ut matronæ scilicet carpentis uterentur ad sacra, colligit ibidem Lipsius ex Ouidio dicente:

Com. ad J. Cæs. c. LXXVI. Lib. XXXIV. c. 1. Annal. XII. cap. 42.

Fast. I. v. 619.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

Quod tamen matronis illis continuo ademptum docet ibidem Naso: *Mox honor eripitur &c.* ita tamen ut Patres id illis denuo concesserint:

Ibid. v. 626.

Qui tamen exstinctum restituisse ferunt.

Quamquam ob aurum, aliaque ornamenta sua a Romanis mulieribus, ut inde donum Apollini Delphos Veiis expugnatis portaretur, in ærarium delata, a Senatu eum honorem matronis habitum refert Liuius, *ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur*. Neque tamen promiscuum dein & peculiare mansisse illud Romanarum mulierum vehiculum; sed quod, ut antea solemnis Deorum in urbe pompæ, ita dein Augusti quodammodo fastigii, aut summorum etiam Magistratuum, prorium euasisse liquet. Hinc apud Plinium de Nerone legitur: *Ostentabat hermaphroditas subiunctas carpento suo equas in Treuerico Gallico agro repertas*. Immo hinc solus aureo insidens Carpento Romam sequutis ætatibus solemniter ingressus Constantius, ut ab Ammiano Marcellino traditur. Ita Carpento vehi inter insignia supremorum Magistratuum priuilegia fuisse habitum, vel ex Cassiodoro colligas, qui de Vicario urbis Romæ agens ait: *Ad similitudinem quippe summorum Carpento veberis*; & alibi de Consulari: *In aliquibus adhuc prouinciis ornatus penula, Carpenti etiam subuectione decoratus*. Quomodo & Præfecto urbis *iudiciale Carpentum* tribuit alicubi Vopiscus: ut id ad superiorem Taciti locum aduertisse iam Lipsium video. *Mulare* autem *Carpentum* nemo in superioribus Agrippinæ, ac Domitillæ, aliisque id genus nummis expressum mirabitur, qui nouit relatum dein *Mularum* usum, seu *cum Mulabus vehiculum*, inter solita luxus ac pompæ muliebris instrumenta. Hinc illa Elagabali *Semiamirica Senatusconsulta, quæ Carpento Mularum, quæ Boum, quæ Sella veheretur, &c.* & a L. Vero iam ante, iuxta Capitolinum, *data vehicula cum Mulabus & mulionibus, cum iuncturis argenteis*, quod ibi pro in-

Lib. v. cap. 25.

Lib. XI. c. 49.

Lib. XVI. cap. 20.

Varior. l. VI. c. 15.

In Aurelian. cap. 1.

Lamprid. in Elagab. c. IV.

In L. Vero cap. v.

inſolito virorum luxu refertur. Traductus nempe mos ille ex Oriente, ubi frequens ac in pretio habebatur *Mularum* uſus, de quo multa non trita tradit doctiſſimus Bochartus. Ita video Chryſoſtomum mulieres ſui temporis eo nomine non ſemel arguentem; quod, niſi Mulabus vehantur, ne quidem velint ad ſacram Synaxin accedere: alibi autem, ex iis alias e veſtibus, alias e domo, Mulis, vehiculis, velle ſuſpici. Immo ex iisdem Mulis, albos præcipuo quodam loco habitos obſeruo apud eundem Chriſtianorum Tullium, qui muliebrem ſuæ ætatis luxum iterum alibi caſtigans inter cætera notat: Καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς ἑαυτῶν ἐνάγχεσαι τῆς γείτονος τῆς ὁμοτίμου πολυτελεστέραν ἀναγκάζεσαι περιάσθαι στολὴν καὶ ΛΕΥΚΟΥΣ ΗΜΙΟΝΟΥΣ, *& proprios maritos ſuffocantes velut, cogunt eosdem veſtem ſibi comparare pretioſiorem, quam fert eiusdem dignitatis vicina mulier, ac præterea* ALBOS MULOS. Tangit eundem mulierum luxum Tertullianus: *Unde, niſi a Diabolo, maritum petant idoneum exhibendæ ſellæ, &* MULABUS, *& Cinerariis peregrinæ proceritatis?* qui & alibi eidem pompæ muliebri adſcribit *Gallicos Mulos*, non *Gallicos multos*, ut in quibusdam codicibus legitur. De antiquo vero, & Heroicis temporibus iam recepto, ac dein inter Olympiacos agones Mularium Bigarum uſu per decennium, alibi haud ita pridem egimus.

In Hierox. Hom. VII. p. 48. To. II. ed. Sauil.

Hom. IV. p. 28. To. IV.

Hom. XLVII. p. 313. To. V.

Ad Uxor. l. II. c. 8.

Ad Uxor. l. I. c. 4.

Diſſ. de Præſt. Num. p. 549. To. I.

8. *De aliis porro Auguſtarum nummis.*

Eiusdem vero *Agrippinæ* tres Filias, easque Caii Caligulæ ſorores, ſeu [a] proſtibula verius, adſcriptis earum nominibus, AGRIPPINA, DRUSILLA, IULIA, ſed ſine AUGUSTÆ vel AUGUSTARUM appellatione, in obuio apud Antiquarios nummo ſignari paullo ante vidimus. Verum Græcus exſtat in Theſauris Gallorum Regiis, isque in [b] Specimine eximii Morellii, ut valde ſingularis, iam vulgatus *Mytilenæorum* nummus; in quo hinc Caligulæ caput cernitur, & inſcriptio ΓΑΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΥΤΙ. in altera vero eius area caput *Druſillæ* Sororis, cum inſcriptione ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΜΥΤΙ. *Druſilla Auguſta Mytilenæorum*, inceſto nempe amore a fratre præ duabus aliis dilecta. Quin & alius occurrit nummus Gazæ Farneſianæ, ſed quem dubiæ fidei haberi ſcio a peritis quibusdam antiquariis, cum inſcriptione DIVA DRUSILLA, IULIA DRUSILLA; ex quo pateret, modo conſtaret probi eum eſſe & antiqui commatis, vere conſecratam, ſeu diuinis honoribus cultam Caii fratris iuſſu Druſillam, ut e Dione etiam liquet, qui & *Pantheam* dictam eandem refert. Immo quod a Suetonio, qui & hinc illuſtratur, indicatum, de Caligula, poſt huius ſororis Druſillæ obitum, quem *mœroris impatiens* tulit, dicente: *Nec unquam poſtea, quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, niſi* PER NUMEN DRUSILLÆ *deierauit.* Alteram vero expreſſam in eodem nummo IULIAM DRUSILLAM de filia Caligulæ, ei nata e Cæſonia uxore, intelligendam, licet ex eodem Suetonio colligere: *Infantem autem* IULIAM DRUSILLAM *appellatam, per omnium Dearum templa circumferens, Mineruæ gremio inpoſuit.* Alia vero e tribus illis memoratis *Agrippinæ Germanici* filiabus ac Matri cognominis AGRIPPINA, AUGUSTA quidem, ſed Auguſti coniugii, patrui nempe Claudii Imp. iam compos, in Romanis eius nummis, ac ſubinde etiam MATER AUGUSTI, Neronis nempe, appellatur. Singularem vero Græcum eius nummum, qui exſtaret, in Theſauris Gallorum & Chriſtinæ Regiis, olim adtuli; qui nempe in prio-

[a] Vid. Sueton. in Calig. c. XXIV. Dion. l. LIX. p. 647, 647.

[b] Specim. Tab. XX.

Lib. LIX. p. 648.

In Calig. c. XXIV.

Ibid. c. XXV.

re parte caput *Agrippinæ* exhibet cum papaueribus, sub Cereris proinde habitu, & inscriptione ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ, illinc Dianam Venatricem cum parua Nympha, & epigraphe, ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΙΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ ΑΚΜΟΝΕΩΝ, *Sub Serotinio Capitone Et Julia Seuera Acmonensium.* Criticus autem Batauus in notis ad Stephanum aliter hanc inscriptionem legendam & distinguendam, & supercilioſe quidem, ut solet, statuit, nempe ΕΠΙ ΣΕΡ ΟΥΙΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ, seu *Seruio Ouinio Capitone*, cum *Ouinios* aliquoties in Codice, tum in Inscriptionibus antiquis memorari vidisset; & quam lectionem præferendam censet alteri, quam adtulerat, sed minus confidenter, eruditus Auctor de Nummis Urbium illustratis, ΕΠΙ ΣΕΡΟΥΙΑΙΟΥ ΚΑΙΠΙΩΝΟΣ, *Sub Seruilio Cæpione*, prout *Seruilii Cæpionis* mentio legitur itidem in Inscriptionibus apud Gruterum. Verum, præterquam quod solis coniecturis, citra inspectum ab iis nummum, nitatur utraque illa eius explicatio, eas refellit adducta non solum ab eximio Patino, sed haud ita pridem, & post hæc dudum ab iis monita, celebris Antiquarius, ex eodem illo nummo Regio, quem olim, fide insuper similis Reginæ Christinæ nummi, adtuleram. Id vero singulare in hoc nummo, quod non Præsidis aut Prætoris solum, sub quo est ille percussus, sed coniugis etiam eiusdem nomina compareant. *Acmonia* vero urbs Phrygiæ Pacatianæ, ut liquet e libris Conciliorum, cuius gentile fuerit, quod omnino arguit superior nummus, Ακμονεὺς, non Ακμονιεὺς, ut habent hodie Stephani codices; formatum nempe sicut Απαμέων, Αλεξανδρέων, aliaque eiusdem flexionis; ac prout firmat non Treboniani solum Galli adductus a me olim eam in rem nummus, sed plures insuper iam ante sub Germanico & Caligula, ac dein sub Hadriano, Commodo, aliisque percussi, quos inter Græcos Imperatorum nummos relatos a celebri antiquario videas. Mitto alios Græcos seu Ægyptios huius Agrippinæ nummos in Gaza Gallorum Regia, in quibus Cereris, vel Agrippinæ sub Cereris habitu, caput spicis redimitum cernitur cum nomine ΕΥΘΗΝΙΑ L I AN, in alio L. B. *Abundantia Anno* XI. vel *Anno* II. Verum; præter hanc Agrippinam, priorem etiam Claudii coniugem VALERIAM MESSALINAM tradunt selectiores aliquot Nummi. Illos quidem vulgarunt iam duo nobiles antiquarii Erizzo ac Tristanus, & hic quoque cum inscriptione Augustæ, VALERIA MESSALINA AUG. at negotium hic Dio facessit, cuius locus merebatur expendi a viris doctis & accuratis, qui tradit Claudium ea usum moderatione, ut neque nato illius Britannico *Augusti*, neque huius matri *Messalinæ* appellationem AUGUSTÆ dari sit passus. Unde nihil aliud hic superest, nisi ut lapsum Dionem statuamus, quod durius mihi videtur; aut, quod magis placet, Claudium in uxoris gratiam, postea a priori proposito recessisse. Id vero nec in Cæsaribus aliis insolitum, tum in mutabili & uxorio Claudio minus mirum cuiquam videbitur. Ut hoc etiam addam, rarissimos huius *Messalinæ* Romanos nummos, ita male, ut plurimum, iniuria temporis acceptos, ut minus commode erui possit illorum inscriptio; quod & probarunt diligentes Cimeliarchii Medicei custodes, & arguit insuper Erizzo, qui mutilam eandem tradit. Eiusdem etiam est notæ, quem olim versaui, nummus Regiæ Gallorum Gazæ, qui hinc Claudii caput, illinc Messalinæ signatum præfert, inscriptione utrinque ve-

Jac. Gronou. Not. ad Steph. p. 4.

Harduin. p. 23.

Imp. Num. p. 85.

Vaillant Num. Imp. Græc. p. 15.

I. Vaillant.

Lib. LX. p. 673.

vetustate exesa. Rem tamen extra dubium ponunt, qui *Augustæ* nomen perspicue illi tribuunt Græci aliquot Nummi, quales me duos vidisse memini in Thesauris Gallorum Regiis, ut & alium adhuc in Collegio Claromontano Parisiensi, qui Messalinam depingit stantem cum duobus liberis, Britannico nempe & Octauia, ac inscriptione ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Verum insignis præ aliis pretii omnino habendus est huius Augustæ nummus a celebri Antiquario, quemque ille *stupendæ raritatis* ibidem vocat, e cimeliis Patritii Veneti Corrari haud ita pridem vulgatus, cum inscriptione in priore nummi area ac Messalinæ capite, cum duobus ante illud spicis, ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΑ ΗΡΑ, *Messalina Augusta, Noua Juno* (seu *Venus* verius, eaque non Ουρανία sed Πάνδημος) in altera verò singulare quoddam ædificium, ac ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ, *Gellius Rufus Proconsul Nicæensium:* unde Proconsularem seu populi Romani Prouinciam adhuc fuisse tum Bithyniam liquet; ut e coæuis aliis nummis itidem constat. Duos vero huius Messalinæ liberos, BRITANNICUM & OCTAVIAM, e priori uxore [a] Petina, ANTONIAM, non vero, iuxta præstantissimum Seguinum, [b] Claudii ex alia adhuc uxore Urgulanillâ filiam [c] CLAUDIAM præclarus Claudii parentis nummus, quem e propriis cimeliis in Specimen suum intulit laudatus sæpe [d] Morellius, exhibet. Cuius autem nummi, uti & superioris illorum trium liberorum Matris *Messalinæ*, utriusque vero valde singularis, conspectu lectorem hic haud defraudandum puto.

Vaillant Num. Imper. Græc. p. 14.

a Tacit. Ann. XII, 2. Sueton. Claud. c. 27.
b Epist. ad Falconer. p. 292. Select. Num.
c Sueton. Claud. ibid.
d Tab. XV.

Postremæ vero seu OCTAVIÆ, infelicis Neronis coniugis, ac inde AUGUSTÆ vel ΣΕΒΑΣΤΗΣ in Romanis Græcisque aliquot nummis dictæ, memoriam seruatam etiamnum cernimus. Qualem huius *Octauiæ* Romanum quidem in lucem protulit Occonis, ut ibi agnoscit, fide [a] Tristanus, cum iuncti Neronis, utriusque vero instar Solis & Lunæ, capitibus, ac inscriptione NERO CLAUD. CÆS. AUG. IMP. OCTAVIA AUG. Prioris vero nummi areæ, cum depicto in eadem Nerone, inscriptionem adfert nobilis Antiquarius, NERO CLAUD. CÆS. AUG. IMP. URINO VOLUMNIO, & quas duas postremas voces eidem ad Neronem referre placuit, quasi iis Nero *Uranus* (qui tamen *Urinus*, id eodem agnoscente, ibi vocatur) seu *Cælum*, & *Volumnus*, iuxta Augustinum *Bona volens*, designaretur. Nummum vero illum integrum, eandemque harum duarum in eo vocum adlatam a Tristano explicationem, etsi ab omni veri specie abhorrentem, adfert quoque ac tuetur Patinus. Valde alienam enim illam esse, ne quid asperius ac præter morem meum dicam, neque in Romanis Cæsarum nummis usitatam, cuiuis, qui vel

9. OCTAVIA *Neronis uxor in nummis, ac singularis eiusdem* Neronis *nummus explicatus.*

a Com. p. 239. To. 1. De Ciu. Dei lib. IV. c. 20.

Num. Imper. p. 89.

leuiter eos adtigit, licebit continuo colligere: ut mirum omnino videri queat, eam duobus exercitatis in hac palæstra antiquariis pro genuina obtrudi potuisse. Quod euicit etiam omnino eiusdem notæ nummus a me in duobus Cimeliarchiis, Reginæ nempe Christinæ, & laudati sæpius Camilli de Maximis Cardinalis, Romæ a me visus; & a quo postremo sequens eius ectypum sum nactus, in cuius nummi parte Neronis caput, ac, ut apud Patinum, cum sceptro, & inscriptione, NERO CLAUD. IMP. LURINO VOLUMNIO IIVIR: in altera vero, mutuo se respicientia *Neronis* & *Octauiæ*, sub Solis ac Lunæ insignibus, capita & inscriptio NERO CLAUD. CÆSAR IMP. ET OCTAVIA AUG.

Unde liquet utrumque illud *Lurini* & *Volumnii*, prout frequens occurrit postremum nomen in Inscriptionibus antiquis, ac sæpius etiam *Lurii*, esse Duumuirorum Romanæ alicuius Coloniæ nomina, in qua cusus sit idem in honorem *Neronis* & *Octauiæ* nummus. Quam genuinam huius nummi explicationem, ut a me pridem traditam, memorat ac tuetur celebris Antiquarius, ac firmat alterius nummi auctoritate, qui hinc *Claudii*, illinc *Neronis* vultum exhibet cum eodem inscriptione in priori nummi area, VOLUMNIO LURINO IIVIR., ac in altera LURINO VOLUMNIO IIVIR. Cui autem nummo cum *Octauiæ* capite addi alius insuper potest Gazæ Gallorum Regiæ in Romana itidem Colonia, *Corinthi* nempe, percussus, cum inscriptione OCTAVIÆ NERONIS AUG., isque in laudato modo celebris Antiquarii opere iam vulgatus. Græcos quidem huius Augustæ nummos recondit Gaza Gallorum Regia, hinc cum *Neronis*, illinc cum *Octauiæ* capitibus, & inscriptione ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Octauia Augusti*; alius vero, & insignis quidem a Teiis in Ionia cusus, idemque in Morellii Specimine iam prolatus, haud minus hic quoque conspiciendus est; hinc cum *Octauiæ* vultu & inscriptione ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Octauia Augusta*; illinc Neronis caput in templo cernitur, & cum nudo *Neronis* nomine, ΝΕΡΩΝ ΤΗΙΩΝ, *Nero Teiorum.*

I. Vaillant Num. Imp. in Colon. p. 125. & 126. ult. ed.

10. POPPÆA *Neronis in nummis.* Tab. XXI.

Huic alium addemus eiusdem Gazæ, & alterius Neronis coniugis POPPÆÆ nummum, in eodem quoque Specimine iam editum; sed quem utrumque habebam pridem in scriniis, quo ii nouam huius operis editionem ornarent, delineatum. Est vero ille a *Magnetibus ad Sipylum* percussus, habetque hinc *Neronis* caput, ac ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *Neronem Augustum*, illinc caput Poppææ, ΠΟΠΠΑΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΜΑΓΝΗΤ. ΣΙΠ. *Poppæam Augustam Magnetum Ad Sipylum.*

Id

Id equidem de hac *Poppæa*, quod de *Octauia* similiter statuebat Sauc- Discours sur les Medail. p. 378.
tus, est notandum, quod vix alii quam Græci dentur hactenus eius num- Vaill. Præst. Num. p. 73.
mi; idque fide viri præstantis, qui ætatem in hac penu nummaria ver- P. 11.
sanda cum laude contriuit, adserentis, se nullos hactenus Latinos illius *Poppææ* nummos inspexisse. Unum tamen, eumque oppido singularem, Romanum, seu Latinum, huius *Poppææ* nummum, & quidem cum memo- Ad Neron. cap. xxxv.
ratæ iam ante CLAUDIÆ, eiusdem ac NERONIS F. seu *Filiæ* mentione, protulit ad Suetonium Patinus; sed cuius suspecta est apud antiquarios fides. Reliqui certe, qui Gazas vel Musea exornant; aut a viris præclaris sunt hactenus descripti huius *Poppææ* nummi, Græci tantum occurrunt. Unum ex iis adtulit Tristanus, sed in cuius explicatione male, ut Com. p. 243. To. 1.
opinor, literas H P. ad *Iunonem* refert, quasi in eo *Sabina Poppæa Iuno* vocaretur. Id vero alienum ab hoc loco, ubi duæ illæ literæ, in medio nummi positæ, iuxta consuetum eiusmodi inscriptionum morem, ad urbem *Heracleæ*, aut similem, referri debent, in qua nummus ille sit percussus. Quamquam in Indice Numismatum antiquorum apud Patinum videam, inter *Poppææ* huius nummos, describi unum ΣΑΒΙΝΗΣ ΠΟΠΠΑΙΑΣ (prout edi ibi debuit) ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΗΡΑΣ, ac proinde de *Poppæa Augusta Iunone* dicta; sed quod una superioris nummi a Tristano adducti fide nititur, suppletis a Patino duabus postremis literis in voce HPAΣ, ut *Iunonem* vocari ibi *Poppæam* constaret. Conuenientius vero huic *Poppææ*, ut de *Messalina* illo HPAΣ seu *Iunonis* nomine in Nicæensium nummo insignita paullo ante diximus, *Veneris* cognomen delatum fuisset; cui etiam mortuæ templum a Nerone exstructum refert Dio in Excerptis Pei- Pag. 695.
reskianis, cum inscriptione SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERUNT, cuiusque loci pridem a me adducti mentio quoque dein facta est a Patino ad Suetonium. Eiusdem vero *Poppææ* ac *Neronis* iuncta capita simul ac nomina exhibent duo nummi apud Patinum, cum expressis Num. Imper. p. 95.
urbis *Romæ*, in auersa eorum parte, nomine & effigie: qualis, ac alius similiter nummus a me olim in cimeliis Italicis visus & hoc loco est diuulgatus; quem tamen, quum iniuriâ temporis & hominum incuriâ male admodum sit habitus, hoc loco denuo exhibere nihil attinet. Ad quos autem nummos commode, ut videtur, referri potest, & qui ad similes quoque videtur respexisse, Auctor Octauiæ:

Iam POPPÆÆ
Fulget imago iuncta NERONI. Seneca Octau. v. 683.

Signatus vero ille est Ephesi, ut liquet ex insculpta figura *Cerui*, notissimo in Ephesiorum nummis symbolo; solemni etiam Ephesiorum more,

eo modo tradendi cælatos imperantes coniuges; sicut ostendit alius nummus, in quo iuncta similiter *Augusti* & *Liuiæ* capita, in auersa autem parte Ceruus itidem & nomen ΕΦΕΣΙΩΝ, aut geminus alius cum capitibus *Hadriani* & *Sabinæ*, ac literis ΕΦΕ. Insignis vero est argenteus nummus illustrissimi Colberti, cum tribus etiam iunctis capitibus, *Neronis* puta, *Poppææ* & *Agrippinæ*, Neronis matris. De hac vero *Poppæa* illud solum addam, eam a Josepho ut Θεοσεβῆ, seu *piam* feminam, alicubi laudari. Rationem autem, cur ita honorifice appellatur a grauissimo Auctore impura cæteroquin & prostitutæ pudicitiæ mulier, inde petendam crederem, quod ille, ut alibi, seu in commentariis de sua vita, ab initio propemodum, narrat, se Romam anno ætatis XXVI. Neronis temporibus profectum, Poppææ operà liberationem impetrasse Sacerdotum sibi familiarium, qui a Felice Judææ procuratore vincti erant Romam missi, magnisque insuper muneribus ab ea donatum, in patriam rediisse. Hinc illa, a grato & memori huius beneficii in se ab Augusta illà tum collati animo, profecta commendatio.

Antiq. l. xx. c. 7.

Vid. Tacit. Hist. l. c. 13. Sueton. in Othon. c. III.

Pag. 999.

II. STATILIA MESSALINA *in singulari, & Græco quidem, nummo.*

Verum, præter duas hasce Augustas Neronis coniuges *Octauiam* & *Poppæam*, tertiæ insuper, STATILIÆ MESSALINÆ, quam post *Poppæam* duxisse a [a] Suetonio dicitur, singularem quendam, & Græcum itidem nummum, in quo ea dein sub Cereris papauera ac spicas gestantis habitu cum Σεβαστῆς, seu *Augustæ*, titulo depingitur, diuulgarunt duo præstantes Antiquarii [b] Tristanus ac [c] Patinus, qualemque memorat similiter, & quidem e propriis cimeliis illustris [d] Biragius, cum inscriptione ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤ. *Messalina Cæsaris Augusti*, vel *Augusta*, cum leui cæteroquin inter eos anni in illis adscripti discrimine; nempe L. A. *Anno Primo* in Biragii nummo, & L. B. *Anno Secundo* apud Tristanum & Patinum: ac unde singulos in Ægypto seu Alexandriæ cusos liquet. Quum vero haud alibi conspiciantur hactenus huius Neronis *Messalinæ* nummi; omnisque eorum mentio sit a viro, qui in his versandis ætatem triuit, quum tamen ignota esse illi non potuit prolata a viris præstantibus eorum effigies, & ubi omnino occurrebat de iis agendi locus, præterita: inde adsensionem de iisdem suam licet cohibere.

a In Neron. cap. xxxv.

b To. I. p. 97.

c Ad Sueton. Neron. c. xxxv.

d Num. Imp. p. 97.

J. Vaillant lib. de Præst. Num. & Num. Imper. Græc.

12. FLAVIA DOMITILLA *in* Vespasiani *& filiorum nummis.*

FLAVIA autem DOMITILLA, [a] Aur. Victori *liberta*, Vespasiani uxor, etsi eo adhuc priuato exstincta; a filiis tamen eius Tito ac Domitiano, quod e nummis demum constat, legitur consecrata. Hinc eiusdem nummi cum DIVÆ AUGUSTÆ epitheto, reperiuntur, cum quo sequens aureus Gazæ olim Palatinæ, nunc Regiæ Brandenburgicæ, a me pridem est prolatus, cum *Vespasiani* capite radiato, & inscriptione DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS; illinc cum *Domitillæ* effigie & epigraphe DIVA DOMITILLA AUGUSTA.

a Epitom. cap. x.

Cui

Cui geminus eſt itidem aureus pulcherrimus Regiæ Gallorum Gazæ, niſi quod in priori nummi parte dandi caſu expreſſa ſit inſcriptio, DIVO AUGUSTO VESPASIANO. Ut ex ea penu demum, nec aliunde, quod ſciam, liqueat AUGUSTÆ quoque nomine eam diu poſt illius, quæ priuata & libertinæ antea conditionis deceſſerat, mortem a filiis decoratam. Verum quos omnes, ut alios nunc mittam, a viris præſtantibus adductos huius *Domitillæ* Veſpaſiani coniugis nummos, adulterinos, & quidem peremptorio, quod aiunt veteres Iurisconſulti, edicto decernit, vir haud vulgari eruditione ac ingenio, ſed mirà quapiam de monumentis quibusque antiquis ad lubitum ſtatuendi confidentià haud minus hac ætate celebris. Hanc enim Veſpaſiani coniugem, eo quippe adhuc priuato mortuam, AUGUSTAM fieri vel dici omnino non potuiſſe ſtatuit, immo nec DIVAM. Quum tamen priuatas Mulieres, nullisque vel ante, vel poſt carum obitum, creatis dein Auguſtis Imperatoribus nuptas, AUGUSTÆ nomine ab earum Fratribus, Filiis, Nepotibus appellatas, ut paullo ante vidimus, ac erat abunde obuium, ſat conſtet: uti a Caligula nepote & Claudio filio fato iam functam ANTONIAM, Neronis Druſi uxorem; a Domitiano IULIAM fratris Titi filiam; a Traiano, aut eius adſenſione, ſororem MARCIANAM, eiusque filiam MATIDIAM; ab Elagabalo & Alexandro Seuero auiam utriusque MÆSAM, & Matres SOÆMIAM ac MAMÆAM priuatas, vel priuatis demum nuptas. Ut nihil mirum utique vel noui ſubiit, ſi, quæ Auguſti dein nuncupati uxor, etſi adhuc priuati, fuerat, Veſpaſiani nempe DOMITILLA, duorum præterea filiorum AUGUSTORUM Mater, AUGUSTÆ quoque titulo ſit eorum, vel alterutrius ex iis iuſſu appellata. Adde, quòd idem quendam *Domitillæ* nummum pro genuino quidem agnoſcit, inſcriptum illinc MEMORIÆ DOMITILLÆ S. P. Q. R. hinc cum Titi Imperatoris adhuc ſuperſtitis nominibus ac titulis, & a quo ſit illa *Domitilla*, ut ibidem ait, conſecrata; ſed quem de Domitiæ uxoris Domitiani minori, ut ſcilicet nomen ipſum prodit, Sorore, & quæ proinde glos Titi fuerit, interpretari eidem libuit: idque, ut continuo addit, Domitiani exemplo, *Juliam* Titi filiam poſt eius obitum conſecrantis, ut e nummis eiusdem, quod antea vidimus, liquet, exemplo tuetur. Quaſi nempe, ad *Domitillæ* nomen quod adtinet, non illud iam ante tuliſſet Veſpaſiani uxor, non patre Domitio nata, ſed Statilio Capella Equite Romano; aut non frequentes iam ante, & ſub primis quidem Cæſaribus, muliebrium id genus nominum terminationes fuerint, ut [a] *Claudilla* vel [b] *Oreſtilla* Caligulæ; Claudii vero [c] *Medullina* & *Urgulanilla*; Titi [d] *Furnilla*, totidem coniuges, quibus utique aliunde quam a maioribus natu ſororibus indita ſint id genus nomina. Immo haud iniuria mirari hic licet, cur a Tito maiore natu Domitiani fratre, ac ſolo tum Imperatore, iuxta eundem Harduinum, meruerit illum honorem Domitiani uxoris, necdum Auguſti etiam, ſoror defuncta; illum vero patris, qui Auguſtus poſt eius obitum fuerat, Veſpaſiani nempe, uxori, & a filio quidem eodem Tito, habitum idem eat inficias: maxime quum diſpar valde ſit hic ratio Juliæ Titi Filiæ, illiusque a Domitiano tum Auguſto conſecratæ; idque ob amorem, quo eandem ardentiſſime viuam dilexerat, inceſtum. Illud iam mitto, quod ſupra adtigimus, de adducto illo DOMITILLÆ cum Carpento mulari

Harduiñ. Num Sæcul. Conſtantin. p. 60, 61.

Ibidem p. 59, 60.

Sueton. in Veſpaſ. c. III.

a Idem Calig. c. XII.
b Ibidem. c. XXV.
c In Claud. c. XXVI.
d In Tito c. IV.

Idem in Domitiañ. c. XXII.

nummo, ac Titi imperantis effigie in altera nummi parte: quem non Matri quidem & Vespasiani coniugi, sed filiæ eius, patre Vespasiano adhuc priuato itidem, iuxta matrem, mortuæ eundem adiudicant, quod antea vidimus, præstantes quidam antiquarii. Neque vero omnes promiscue, qui nomen DOMITILLÆ præferunt, nummos pro genuinis & probis hic vendito; quum & quosdam ex iis suspectos duxerit celebris hac ætate & in hac palæstra exercitatus in primis Antiquarius. Idem tamen tres ibidem profert velut antiquos & probi commatis; tum eum, qui exstat nunc in cimeliis Brandenburgicis, & quem paullo ante adtuli; tum duos alios, cum eadem epigraphe, DIVA DOMITILLA AUGUSTA, in auersa vero uniusparte, PACI AUGUSTÆ, alterius PIETAS AUG. Rarus autem Græcus, & quidem Ægyptius, huius *Domitillæ* nummus, qui e Museo Lomeniano in Regiam Gazam, cum aliis eius cimeliis, transiit, cum capite illius Augustæ, & inscriptione ΦΑΑΟΥΙΑ ΔΟΜΙΤΙΑΑΑ L. S. In auersa autem cernitur Serpens Equi dorso impositus, ac a nobis, uti olim, ita quoque in priori huius operis parte iam adductus. Quamquam de eodem haud certo statuere licet, quod hic demum aduerto, an ad *Uxorem*, vel ad *Filiam* Vespasiani, quam idem DOMITILLÆ nomen tulisse e Suetonio ac aliunde constare paullo ante diximus, referri debeat idem nummus: maxime quum alterum etiam, cum Carpento Mulari & inscriptione MEMORIÆ DOMITILLÆ, ad eam, non ad Matrem, referant, ut ibidem vidimus, præclari quidam antiquarii. Occurrit vero huius *Domitillæ*, ac Titi & Domitiani Sororis, uti eiusdem etiam, & cognominis quidem, Filiæ, prioris autem *Domitillæ* ac Vespasiani *Neptis*, in veteri lapide, quem viderat quoque Tristanus, qui eadem opera hic supplendus est, memoria: & quod, ut a me monitum, ac erat utique obuium, tangitur in nupera & luculenta Gruteriani Thesauri editione: nempe FLAVIA DOMITILLA FLAVIÆ DOMITILLÆ IMP. CAESARIS VESPASIANI NEPTIS. Hæc autem in superiori huius operis editione ante multos annos vulgata notaueram, quum forte in Bibliothecæ Hispanicæ Veteris, auctore Nicolao Antonio Hispalensi I. C. parte prima Romæ anno MDCXCVI. primum edita, iisque quæ ex eo referunt eruditi Lipsienses, bono fato vidi, factam harum trium *Domitillarum* mentionem; *primæ* nempe Vespasiani Uxoris; *secundæ* autem huius & Vespasiani Filiæ, ac Titi & Domitiani Sororis; *tertiæ* vero Vespasiani ac prioris *Domitillæ* Neptis, cuius, quod addit, occurrat mentio in veteri Inscriptione apud Grutcrum, eàdem nempe, quæ a nobis pridem eam in rem est adlata. Mitto, quæ de eàdem ac tertià *Flauiâ Domitillâ*, Flauio Clementi nupta, ac in Insulam Pandatariam a Domitiano, ob Christianæ religionis cultum, relegatà; marito autem eius inde etiam cæso, e Dione Cocceiano; aut quæ de *quarta* etiam *Domitilla* ibidem obseruat vir præclarus; quum ea non sint iam huius loci.

Vaillant de Præst. Num. p. 99. & 100. P. II.

To. I. p. 290.

Com. To. I. p. 294.

Acta Erud. An. MDCXCVII. p. 244.

Lib. LXVII. p. 766.

13. *De altera Titi uxore e nummis.*

A Tito vero, post defunctam Arricidiam, ductam uxorem splendidi generis *Marciam Furnillam* memorat [a] Suetonius; cuius autem singularem aut omnino nec visum antea vel auditum Antiquariis Græcum nummum, sed sub *Fuluiæ* nomine, profert ad Suetonium eximius Patinus: nempe hinc inscriptum, ΦΟΥΛΒΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Fuluia Augusta* cum eius capite; illinc figuram militarem cum epigraphe ΑΡΓΕΙΡΑΩΝ, exhibentem.

[a] In Tito c. IV. Ibidem.

tem. Verum haud uno nomine, quod citra ullam in manes viri, dum viveret, mihi amici, ac bene de his antiquitatibus meriti, contumeliam dicere mihi liceat, lubrica omnino est & subiesta huius nummi fides: tum quod in plerisque antiquis codicibus, si unum forte vel alterum, ut e Suetonii editionibus liquet, excipias, non *Fuluiâ*, sed *Furnilla* eadem dicatur: tum quod ignotum sit plane illud ΑΡΓΕΙΡΑΩΝ in nummis, vel apud veteres aut recentiores Auctores, nomen: denique quod, uti iam ante monui, nulla aliunde occurrat hactenus similis nummi memoria.

14. JULIA Titi *filia* Augusta & Diua *in nummis.*

Illos vero cum AUGUSTÆ, tum DIVÆ etiam titulos; IULIAE Titi Filiæ tribui in eius nummis supra iam innui, & quo respexit Martialis:

> *Dum voce supplex, dumque thure placabit*
> *Matrona* DIVAE *dulce* IULIAE *nomen.*

Lib. IX. Epig. 2.

15. DOMITIÆ Domitiani *coniugis frequens in nummis mentio.*

Domitiani autem Coniugi DOMITIAE cognomen LONGINAE, præter [a] Suetonium, tribuit nummus Mediceus, & qualem descripserant iam olim diligentes antiquarii, & post eos [b] Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis, qui ab una parte Domitianum, ab altera hanc eius uxorem præfert & inscriptionem ΔΟΜΙΤΙΑ ΔΟΓΓΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Haud infrequens quoque eadem Augusta in aliis Græcis *Ephesiorum*, *Magnetiorum*, *Amastrianorum*, aut *Amphipolitarum* nummis, quos versare mihi non semel licuit in illustribus Cimeliarchiis, cum Dianæ Ephesiæ, aut Fluuii iacentis, aut Tripodis, aliisue id genus symbolis. Quæ quum olim de inspectis tum a me id genus cimeliis adnotassem, descripti haud ita pridem a celebri Antiquario Græcorum Imperatorum nummi plenius nunc ostendunt. Haud ignoti quoque Romani eiusdem *Augustæ* nummi, prout eam illo honoris titulo decoratam, præter [a] Suetonium, tradit in Chronico [b] Eusebius: in quibus autem nummis, inter alia, ob natum ex se & mox consecratum infantem, dicitur DIVI CAESARIS MATER, aut DOMITIA AUGUSTA IMP. CAES. DIVI F. DOMITIANI AUG. alius autem minor nummus exhibet DOMITIA DIVI F. DOMITIANI. Adde, quòd huius Augustæ liberti, serui, & ornatrices aliquoties memorantur in priscis marmoribus, cum inscriptione DOMITIAE DOMITIANI.

[a] Domitian. cap. I.
[b] Animadu. p. 202.

[a] Domitian. c. III.
[b] Pag. 163.

16. *An* Neruæ *uxor compareat in nummis.*

Sequentium vero *Augustarum* Historiam haud minus illustrant antiqui nummi. De Neruæ Matris nomine signato in veteri lapide, ac inde demum noto, paullo ante vidimus. Uxorem vero eidem Imperatori fuisse, & filium ex eadem dictum *Calpurnium*, e Iuniore Plinio, Dione, & Victore etiam collegit Tristanus, sed nullo idoneo fundamento. Neque enim verba Plinii de Traiani adoptione loquentis id arguunt: *Itaque adoptatus es, non, ut prius alius atque alius, in Uxoris gratiam. Adsciuit enim te filium non Vitricus, sed Princeps.* Quæ nihil aliud utique quam diuersam fuisse Traiani a Tiberii vel Neronis adoptione probant: quorum ille a Nerua, unà in patriam caritate; hi vero a vitricis Augusto & Claudio in uxorum gratiam fuerunt adoptati. Ad Dionem vero quod adtinet, nihil

Com. To. I. p. 370. Paneg. cap. VII.

Lib. LXVIII. p. 773.

hil ille aliud tradit, nisi Neruæ Traianum, & quidem Hispanum, adoptanti, propinquos non defuisse. Neque de filio siluisset, ut, quam ibi prædicat, Neruæ in patriam caritatem magis adhuc conspicuam redderet. Aurelium vero Victorem, quem testem obiter istic appellat Tristanus, non intellexit; ita enim ille: *Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum confessumque Tarentum cum uxore remouit, patribus lenitatem eius increpantibus.* Plana hæc de *Calpurnio* eiusdemque uxore relegatis a Nerua ob crimen maiestatis: e quibus tamen verbis ipsius Neruæ filium *Calpurnium* commentus est Tristanus, valde certe alienâ, ut cum pace eius dicere mihi liceat, coniecturâ. Uxorem vero Neruæ in singulari nummo Mediceo, de quo alia occasione facta iam est mentio, signari forte censuit peritus olim eiusdem Gazæ custos Petrus Fittonius; in quo caput muliebre diademate coronatum cernitur, cum inscriptione, IMP. NERVA CAES. AUG. in auersa autem parte exhibetur Globus cum Temone.

Epitom. c. XII.

17. *De* SABINA Hadriani *coniuge.*

Traiani vero non solum Uxorem PLOTINAM, sed insuper (sicut obiter paullo ante vidimus) MARCIANAM Sororem, quod ambæ aliquamdiu recusauerant, ac eiusdem Filiam MATIDIAM, AUGUSTAS ex nummis & lapidibus appellatas diximus. Soror vero *Matidiæ* SABINA, infausta coniux Hadriani, cum in vulgatis nummis, tum in rarissimo Farnesiano una cum Antinoo, mariti deliciis puta, cernitur. Mitto eidem dicatam Megaris inscriptionem, ab eximio Sponio relatam, quæ eandem Augustam ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ, *Nouam Cererem* vocat; sicut Juliam Seueri a Lampsacenis inscriptam in veteri lapide alibi memorat idem Sponius, ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ, *Juliam Augustam Vestam Nouam Cererem.* Quomodo *Cleopatram* ΝΕΩΤΕΡΑΝ ΘΕΑΝ, *Iuniorem Deam* dictam vidimus in veteri nummo in priori parte huius operis: ac paullo ante vel Liuiam, *Iunonem*; vel Juliam Augusti Filiam, *Venerem* in Græco & singulari nummo appellatas vidimus: aut quomodo vel eiusdem *Veneris*, vel *Matris Deûm*, de qua mox, vel *Cereris* itidem nomina ac habitum id genus Augustis tribuunt sæpe earum nummi. Ita unus Faustinæ Matris cum inscriptione CERES AUGUST. aut alter illius Augustæ, in quo sedens eadem in Thensa, quam duo Elephanti ducunt, Cereris habitu, dextrâ spicas tenens cernitur, cum inscriptione EX SENATUS CONSULTO, penes quem nempe ius erat Consecrationes decernendi; ac prout similis etiam typus & inscriptio occurrit in MARCIANAE, modo dictæ, nummo Gazæ tum Reginæ Christinæ tum Mediceæ.

Itin. To. III. p. 223. P. II.

Ibidem p. 93. To. I.

Tom. I. p. 421.

18. *De* FAUSTINA *utrâque, uxore scilicet ac filiâ* Antonini Pii.

Eandem vero FAUSTINAM, ut & cognominem ei Filiam, non triti solum ac obuii nummi, sed rariores etiam nonnulli conspiciendas præbent. Et Matris quidem FAUSTINAE, maiori ex parte, nummi post eiusdem obitum, cum solitis consecrationis symbolis ac nominibus, sunt percussi: & quidem, præ aliis, cum pluribus ac diuersis, quæ peculiari forte indagini, sed quæ non est iam huius loci, locum possent dare, ÆTERNITATIS in iis inscriptæ typis. Ad quam Augustam spectant etiam insignes, quamquam vulgati iam ab Antiquariis, nummi, in quibus plures figuræ cum puellis occurrunt, Faustina vero subsellio insidens, & inscriptio

ptio PUELLAE FAUSTINIANAE; quæ nempe inde nomen nactæ, ut e Capitolino viderunt iam alii, quòd in honorem mortuæ coniugis alimenta iis e publico, ex Antonini Pii iussu, sint decreta. Cuius autem institutionis indices occurrunt etiamnum duo præclari, & cum diuersis typis, nummi; quorum, etsi vulgatæ iam a viris præstantibus, icones hic quoque comparent: prior nempe, in qua Imperator in suggestu & ex aduerso Mulier stant, in medio Modius, infra Puellæ alimentariæ: alter duas figuras in substructione exhibet, sedentem unam alteram stantem, quæ puellam excipit ab alia muliere in terra stante sibi porrectam, adstante prope alia muliere cum puella.

Tales vero alimentarios pueros ac puellas ad frumentationem primum admisisse Traianum, gratiâ ætatis iisdem factâ, liquet ex Plinii Panegyrico, ut viderunt iam viri docti. Quod Pii exemplum æmulatus est postea Alexander Seuerus, de quo Lampridius: *Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mamæanas & Mamæanos* (non, ut vulgo, & qua de re paullo post, *Mammænas* & *Mammæanos*) *instituit.* In Alex. Seu. cap. XVII.

Exstat vero præclarus quidam huius Faustinæ nummus maximi moduli, olim Romæ primum ab Antiquariorum tum ibi principe Fr. Gottifredi mihi ostensus; eique geminus dein a me haud semel visus in thesauris Gallorum Regiis, hic quoque conspiciendus, in quo plures Sabinæ depinguntur interuenientes Romanorum pugnæ, quique etiam ad hanc Faustinam referendus videtur. His comitem insuper addam alium eiusdem Augustæ adhuc superstitis nummum, e maximorum itidem genere, hinc cum inscriptione FAUSTINA AUG. ANTONINI AUG. illinc cum Cybele vel Faustina instar Cybeles leone vecta; pro quo autem depicto gratiam incomparabili Reginæ, Christinæ nempe, cuius iussu illum sum nactus, habendam pridem monui.

Mitto Sabiniani Raptus sat diuersum typum in nummo e *Contorniatorum*; quos vocant, genere, & cum inscriptione infra SABINÆ, a Patino vulgatum. Geminam autem prorsus alteri figuræ Cybeles Leone vectæ, & præclaram quidem, statuam vidisse me in villa ad urbem Pamphiliana olim quoque monui. De Galero autem illo, seu verticis operculo, quod præferunt passim Augustæ huius nummi, audiendus est Tertullianus, cui facem iidem præferunt: *Quod crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis. Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere; aliæ, ut vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate. Adfigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in* GALERI *modum, quasi vaginam capitis, &* OPERCULUM VERTICIS; *nunc in ceruicem retro suggestum.* Quem locum ideo integrum hic adtulimus, quod priora illa, & varia ibi adducta cultûs seu ornatûs muliebris discrimina, ex hac nummorum, qui AUGUSTAS haud uno capitis cultu exhibent, penu, possint luculenter illustrari. Quod vel ex sequentium Augustarum in earum nummis iconibus, & FAUSTINÆ quidem, prioris Filiæ, mox liquebit; cuiusmodi duo hic prostant, uterque e Regiis Thesauris, prior Christinæ Reginæ a me olim iam vulgatus, in quo eadem Cybele, quæ in superiori Matris Faustinæ nummo, inter duos Leones sedens, ac una manu Tympanum, alterà gestans papauer, cernitur; alter e Regia Gallorum Gaza, in quo Faustina sedens stanti Filiæ coronam imponit, ante quam stat M. Aurelius cum icunculis, sine ulla epigraphe addita.

Thes. Numism. p. 101.

De Cult. Femin. l. II. c. 7.

Fre-

Frequenter nempe, sub habitu Deûm Matris depictæ occurrunt id genus Augustæ: unde prioris Faustinæ partum, sub Cybeles puerperii effigie adumbratum, profert in præclaro Antonini Pii nummo Cl. Seguinus, prout MATRIS MAGNAE titulum eidem, in aliis Augustæ illius nummis, tribui obseruat. Ita haud dissimilis adducto modo alterius Faustinæ nummo est alius eiusdem Filiæ LUCILLAE L. Veri coniugis, cum Cybele sedente itidem inter duos Leones, nisi quod Papauerum loco Pinûs ramum, unum e solitis eius symbolis, gestet, eidemque adstet Athys cum pileo Phrygio. Cui addam insuper alium, etsi a duobus præstantibus antiquariis iam vulgatum eiusdem Lucillæ nummum, in cuius auersa parte turrita exstat Cybele cum tympano, ac Leone ad utrumque sellæ latus & inscriptione MATRI MAGNAE.

Select. Num. p. 127.

Tristan. To. 1. p. 701. Vaill. Præst. Num. p. 43. P. 1.

Ad Matrem vero huius Lucillæ *Faustinam* pertinet, ut obiter hoc addam, alius nummus a Tristano similiter adductus, cum inscriptione ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΕΥΣΕΒ. ΣΕΒ. ΘΥΓΑΤΗΡ, sed quam, aliud agens procul dubio, vertit, *Faustina Augusta Pii Augusti Coniux*, quamque rarissimam addit esse inscriptionem & maxime notabilem, ac ita perperam ad Matrem, non ad Filiam, refert.

To. 1. p. 593.

19. *De* CRISPINA *Commodi uxore.*

CRISPINÆ autem Commodi Uxoris singularem quendam mole & pretio nummum recondit Gaza Gallorum Regia; in quo hinc mutuo se respicientia Commodi & Crispinæ capita intueri licet cum inscriptione IMP. COMMODUS AUG. GERM. SARM. CRISPINA AUG. in altera autem parte Mulierem velatam seu Vestalem inter Commodum & Crispinam iungentes dextras, ac sine inscriptione, sed quæ opportune ex alio simili nummo supplenda est, quem indicauit illustris Biragius, inscripto VOTA PUBLICA; nempe ob matrimonium Commodi cum Crispinâ susceptа, sicut idem typus & inscriptio eam in rem occurrit in Faustinæ Matris & M. Aurelii nummis, nisi quod stolata tantum sit intermedia mulier non velata, atque ita non Vestalem in iis, sed Concordiam notet. Quæ *Nuptialia* seu *Nuptiarum Vota*, pro felici nuptiarum successu, suscipi apud Romanos consueuerant, ut ex Ambrosio & Augustino ad Juliani Misopogonem adnotauit doctissimus Petanius; ac inde etiam, ut ibi quoque indicat, ad dictum Faustinæ Senioris nummum, eruditissimus [a] Albertus Rubenius. Nuptiæ nempe inter res sacras apud Gentiles habitæ, ut palam est vel e Thucydide dicente de fonte apud Athenienses Callirroë: [b] Καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρός τε γαμικῶν, καὶ ΕΣ ΑΛΛΑ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι, *& nunc etiam more antiquo est receptum, ut ante nuptias, & IN ALIIS REBUS SACRIS hac aqua utantur:* ubi vetus Scholiastes subdit: Καὶ γὰρ ὁ γάμος ἱερὸς, *sacræ enim sunt nuptiæ*, unde etiam θύειν γάμους, seu *sacra nuptialia celebrare* olim [c] dictum; immo in nuptiali Philoxeni apud Athenæum carmine [d] Γάμε, θεῶν λαμπρότατε, *Nuptiæ*, seu *Hymenæe Deorum splendidissime* inuocatur; & inde γαμικὸς ὕμνος, *nuptialis hymnus* [e] alibi apud eundem Athenæum; qui cæteroquin una ὑμεναίου vocc dicebatur, iuxta Græcos Aristophanis interpretes ad illud [f] Comici Υμὴν, ὦ Υμέναι', ὦ Υμὴν, unde profluxit illud a [g] Catullo toties & totidem verbis repetitum, *Hymen, o Hymenæe, Hymen:* quod a Theocrito demum arcessunt eius interpretes. Sed addenda hic insignis nummi illius Regii effigies, & supplenda, quæ in illo hodie, ac in alio eiusdem typi in utraque parte, nummo legitur inscriptio, VOTA PUBLICA; nempe quo

Accipiat coniux felici fœdere diuam.

Non vero solum hanc Commodi coniugem sub Dianæ habitu, sed & eius pellicem MARCIAM Palladis aut Amazonis potius instar depictam, exhibent, quos olim vidi inter cimelia Christinæ Augustæ & indicaui, nummi:

Num. Imper. p. 259.

Pag. 106. alt. ed. Lipſ.

a Not. ad Num. Dec. Arſch. Tab. XLIII, 6.

b Lib. II. c. 15.

c Plutarch. in Pompeio p. 148.

d Lib. I. p. 6.

e Lib. IV. p. 130.

f Auib. v. 1740.

g Carm. LXI. & LXII.

Idem Epith. Thet. v. 36.

mî: unde fides continuo accedit Lampridio dicenti de Commodo: *Amazonius autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat.* In Commod. c. XI.

Ut vero ad sequentes AUGUSTAS transeam, Pertinacis Coniux TITIANA Antiquariis prius ignota, e nummo Mediceo est a me olim memorata, in cuius aversa parte Nauis velificans depingitur: ita tamen ut simul indicarem suspectum eundem nummum visum crudito illius Gazæ custodi Petro Fittonio; quasi is Crispinæ caput in anteriori parte referret. Quibus id quoque addidi, quod Pertinax, ut id de eo tradit Dio Coccianus, uxorem *Augustam* dici nolucrit; quamquam hoc nomen utrique coniugi simul delatum tradat Capitolinus: *Eadem die, qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana uxor eius* AUGUSTA *est appellata*; verum mox subdit: *Sed Pertinax nec uxoris* AUGUSTÆ *appellationem recepit.* Verum, ut dies diem docet, repertus est dein bono fato a celebri antiquario Jo. Vaillant singularis raritatis & præstantiæ, ut ille ab eximio Andrea Morellio dicitur, Græcus seu Ægyptius huius *Titianæ* in Italia nummus æreus, ac inde in Thesauros Gallorum Regios illatus, cum illius effigie ac inscriptione ΤΙΤΙΑΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Titiana Augusta*, in cuius auersa parte Victoria gradiens cum corona cernitur; & quem, ut indubiæ vetustatis, duo optimi talium arbitri in lucem protulere, nempe, qui eundem primus nactus est, [a] Jo. Vaillant, tum [b] Andr. Morellius. Similis vero huius Augustæ nummi, quem exstare pridem dixeram in Gaza Medicea, & quod dein se a digniſſimo eius custode Sebastiano Bianchi edoctum testatur ibidem Morellius, ectypum, singulari eiusdem viri præstantissimi humanitate impetrare mihi facile licuit; atque ita insignis rarissimique nummi conspectum lectori hic indulgere.

20. *De* TITIANA Pertinacis *coniuge.*

Lib. LXXIII. p. 883.

In Pertinac. c. V.

Cap. VI.

a Num. Imper. Græc. p. 77.
b Specim. Tab. XVII.

Neque negotium facessit additus huic *Titianæ* in utroque nummo ΣΕΒΑΣΤΗΣ seu *Augustæ* titulus, quem a Senatu ei delatum, sed a Pertinace non admissum vidimus. Neque enim Romæ, vel Ex Senatus Consulto, iidem nummi sunt percussi, sed in Ægypto, uti iam monuit Morellius; ac unde, solità Græcorum vel Ægyptiorum adulatione, consuetus ille Imperatorum coniugibus ΣΕΒΑΣΤΗΣ titulus est adscriptus: immo, ut hoc addam, prout *Drusillam*, Caligulæ sororem, ΣΕΒΑΣΤΗΝ dictam, quæ illud *Augustæ* nomen nunquam cæteroquin tulit, in Græco nummo iam ante vidimus.

Eiusdem vero Pertinacis Successoris Didii Juliani duas AUGUSTAS nuncupatas, Uxorem & Filiam, MANLIAM SCANTILLAM ac DIDIAM IULIANAM, veteres carum nummi, de quibus supra iam egimus, etiamnum ostendunt.

21. *De* Didii Juliani *uxore & filia.*

22. *De* IULIA DOMNA Seueri *uxore.*

IULIA DOMNA, Seueri Coniux, ex obuiis eiusdem nummis nota est, e quibus iam ab eruditis est castigatus error viri docti, qui ΔΟΜΝΑΜ ab Oppiano per syncopen pro *Dominam* dictam existimauerat; & quod ab aliis pridem, ante virum eruditum Tan. Fabrum, est animaduersum; qui tamen, velut primus, Rittershusium eo nomine redarguit. Eundem tamen errorem errauit eruditissimus editor Nicephori Bryennii, qui insuper ex illo Oppiani loco *Dominas* dictas colligit Matres Augustorum. *Domna* enim proprium cognomen Syræ huius mulieris; sicut in Oriente & Ægypto frequens occurrit apud Auctores Ecclesiasticos DOMNI & DOMNÆ appellatio. Ita Isidori illius, cuius vitam describit Damascius apud Photium, uxor *Domna* ab eodem vocatur. Unde eadem vox mihi videbatur, uti olim monui, restituenda in lege quadam de Legatis, ubi Julii Agrippæ primipilaris neptis *Julia Domina* vocatur: *Quæsitum est, an & prædia extraneus hæres haberet, an vero ad* IULIAM DOMINAM, *quæ habuit patruum maiorem Julium Agrippam, pertineret.* Cur vero hæc *Julia*, huius primipilaris *neptis*, *Domina* ibi appelletur, vix unquam commode explicabunt iuris interpretes. Magnus quidem Cuiacius in diuinis Obseruationibus (ut eas vocat illustris Thuanus) ex hoc loco, sed dubie ac titubanter, colligebat, mulieres olim Romanis dictas *dominas*, non respectu solum maritorum, sed etiam per se. Verum errorem vulgatæ lectionis aduertere potius debuisset, in quâ, pro voce *Dominâ*, *Domnam* legi debere, quouis pignore contenderem. Et hæc quidem illico notaueram, dum forte continuo Cuiacii Obseruationes versarem; quum animaduerti postea idem iam, de hac *Julia Domina* in *Juliam Domnam* transferenda, duobus eruditissimis viris suboluisse, Pancirollo nempe in Libris Variarum, & Menagio in Amœnitatibus Juris. Diuersa vero DOMNI apud Anastasium, aliosque Scriptores Ecclesiasticos ratio; qui hoc nomen Cæsaribus aut Ecclesiarum Antistitibus, ceu dignitatis titulum, vulgo solent tribuere: prout aliàs *Don* etiamnum apud Hispanos ac Lusitanos pro honoris titulo tribuitur. Male vero eadem Julia Seueri, pro *Julia Domna*, IULIA DONINA legitur in veteri lapide apud Gruterum; uti in nouissima eius editione id, a me olim animaduersum, adnotatur. A *Domna* vero factum etiam *Domnica*; quo nomine Valentis Imp. uxor vocatur apud Socratem. Haud mirum vero quod Ἀσσυρίη Κυθέρεια, *Assyria Venus* dicatur ab Oppiano eadem *Julia*, pro *Syra* vel *Phœnicia*, uti sæpe illas, quamquam diuersarum gentium, voces a Poëtis Græcis Latinisque confundi constat; ut *Assyrio Veneno*, pro *Syrio* seu *Phœnicio*, apud Virgilium, & qua de re consuli potest ὁ πάνυ Bochartus. Nec minus ex eiusdem IULIÆ nummis licet colligere, eam perperam a Spartiano, Eutropio, Eusebio, ac Orosio *Nouercam* Antonini Caracallæ, ac præterea eiusdem *Uxorem*, non vero Matrem, statui: quorum illud apud Varnos minus insolitum contigisset, quibus nouercam uxorem ducere lege concessum tradit [a] Procopius. Certe, præter potiorem hic longe [b] Oppiani, [c] Herodiani, [d] Dionis, cæuorum Scriptorum, auctoritatem, MATER AUGG., *Caracallæ* nempe & *Getæ*, vocatur sine ullo discrimine in eius nummis eadem hæc IULIA Seueri, & manifestius adhuc MATER huius ANTONINI AUG. seu Caracallæ in Inscriptionibus antiquis, quas adtulit iam Tristanus, sicut etiam

Leg. XXVIII. §. 4. D. de Legat. 3.

Lib. III. c. 18.

Thes. p. CCCXVI, 7.

H. Eccl. l. IV. c. 26.

Geogr. l. IV. c. 34.

a Bell. Goth. l. IV. c. 10.
b Cyneg. l. I. v. 3, 4.
c Lib. III. c. 51.
d Lib. LXXVII. p. 782.

Com. To. II. p. 117.

etiam in ſequenti, quæ Scaligero aliisque eruditis crucem conſtituit: Anim. ad Euſeb. p. 130.

I. O. M. ET
IUNONI REGINÆ
PRO SALUTE IMP. M. AUR. ANTONINI
PII AUG. ET IULIÆ AUG. MATRIS
AUG. M. ULP. MUCIANUS
MIL. LEG. XIII. GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLUM
A SOLO DE SUO EX VOTO
FECIT
FALCONE ET CLARO COSS.

Neque enim alia hæc *Iulia Aug. Mater Auguſti*, niſi eadem hæc Mater Caracallæ, qui *M. Aurelius Antoninus Pius* paſſim in nummis & priſcis lapidibus appellatur. Neque vero audiendus hic eſt doctiſſimus Reineſius, qui, ob repræſentatam a ſe in nummis *Iuliam Soæmiam* Matrem Elagabali, non parum ſibi gratulatus, ad eandem continuo ac ad filium Elagabalum lapidem hunc refert. Neque enim poſtremam hanc IULIAM ſine addito eidem SOÆMIÆ cognomine in priſcis, quæ ſuperſunt, nummorum, lapidum, vel Auctorum monumentis dictam reperias; quum *Iulia Seueri* in iisdem paſſim IULIA PIA, IULIA AUGUSTA, IULIA MATER AUGG. ac poſt obitum DIVA IULIA AUGUSTA, aut cum ſolo etiam IULIÆ nomine dicatur. De Conſulibus, qui Scaligerum hic turbarunt, res facile componi poteſt; ſi non pro ordinariis, ſed pro ſuffectis habeantur: ut alioquin dictus modo eruditiſſimus Reineſius bene obſeruat. Quum vero hæc olim de adducta modo Inſcriptione adtuliſſem, ad ea in nouiſſima Gruteriani Theſauri editione, ut vere a me monita, video lectorem ablegari. Exſtat vero Philoſtrati locus ab illuſtri quoque Scaligero ibidem adductus, hoc loco, ac prout hodie legitur, haud prætereundus; & qui inſuper illud de Matre Antonini Caracallæ ſolo *Iuliæ* nomine appellata firmat: Synt. Inſcr. p. 516.

Αντωνῖνος δὲ ἦν ὁ τοῦ φιλοσόφου παῖς Ιουλίας, iuxta Interpretem *Antoninus nempe erat, Philoſophi ex Iulia filius.* Quem locum miror ego haud exiguam admirationem, ipſomet id teſtante, Scaligero mouiſſe; quum haud alius Antonino Philoſopho fuerit filius, ut ibi ὁ πάνυ, quam Commodus, neque alia uxor quam Fauſtina: unde addit ſe adductæ Inſcriptionis verba proponere Chronologis eruditis & Antiquitatis inueſtigatoribus, ut quærant & eum doceant, quæ neſcire ſe ingenue profiteatur. De Inſcriptione, ſeu quæ *Iulia*, & quis Imperator *M. Aurelius Pius* in ea memorantur, additisque ibidem Conſulibus, quid ſtatuendum ſit, iam vidimus. Ad Philoſtrati autem verba quod adtinet, id quoque de iis dicendum eſt, dictam ibi *Iuliam*, *Domnam* nempe ſeu Seueri coniugem, *Antoninum* vero, *Caracallam* eius filium innui: illud vero ὁ τοῦ φιλοσόφου omnino gloſſema eſſe imperiti alicuius magiſtelli, qui eo *Antonini* nomine haud alium, quam *Philoſophum* vulgo appellatum, deſignari ibidem cenſuit; & quod inde e margine, ut tot aliis veterum Auctorum locis, & apud hunc ipſum Philoſtratum contigit, in textum malo fato irrepſit. Neque certe alia dari poteſt *Iulia*, cuius *filius* fuerit *Antoninus* Imperator, Vit. Soph. l. II. p. 617.

tor, præter hanc *Iuliam*, Matrem *Antonini Caracallæ*, eo, ut diximus, ac solo *Iuliæ* nomine passim dictam. Accedit, & quod Scaligero omne hac in parte dubium, quæ *Julia* ibi a Philostrato appellaretur, adimere debuit, quod sequitur ibidem; eum nempe, de quo ibi agebat, Sophistam Philiscum Romam missum, τοῖς περὶ τὴν Ἰουλίαν γεωμέτραις τε καὶ φιλοσόφοις, *in Geometras ac Philosophos, qui apud Iuliam erant*, incidisse. Notum enim aliunde, & ex ipso Philostrato in vita Apollonii, eandem *Iuliam*, Romæ ingenii & eloquentiæ ac doctrinarum cultu florentem, Rhetoras ac Philosophos in comitatu suo habuisse. Mitto, quod fugit ibidem Scaligerum, alium omnino fuisse Faustinæ, iunioris nempe, filium quam Commodum, eumque e præclaro & genuino nummo, sed de quo postea ubi de Augustorum liberis agetur, notum, quique dictus sit, gentilitiis nempe seu paternis ante adoptionem nominibus, *Annius Verus*.

Lib. I. cap. 3.

23. *De* Plautilla Antonini Caracallæ *uxore.*

Ipsius vero, ut ad Augustas redeam, Antonini Caracallæ uxor Plautilla, cum in vulgaribus nummis, tum in Græcis cum præmisso ΦΟΥΛΙΑΣ seu *Fuluiæ* nomine iungitur. Insignis vero a me in Gaza Gallorum Regia, inter alios huius Augustæ, nummus inspectus, qui hinc utriusque coniugis Antonini Caracallæ ac Plautillæ capita exhibet, cum epigraphe M. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ, *M. Aurelius Antoninus, Fuluia Plautilla*; illinc celebrem illam Venerem Cnidiam nudam, quæ velum sinistra manu e vase tollit, additâ inscriptione ΚΝΙΔΙΩΝ.

24. *De matre ac uxoribus* Elagabali.

Elagabali autem Mater, & de qua paullo ante, Iulia Soæmias, ac tres itidem eius Uxores, iuxta eum, quo vulgo ab antiquariis consignantur, ordinem, Iulia Cornelia Paula, Iulia Aquilia Severa, & Annia Faustina in Græcis Romanisque nummis, quique sunt a viris præstantibus iam descripti, etiamnum prostant. Quamquam, ad earum fidem quod attinet, seu quam primam ex iis, vel tertiam, duxerit idem Imperator, aliquod appareat inter Dionem ac Herodianum discrimen; ac inde *Anniam Faustinam*, non tertiam, ut vulgo ea traditur, sed primam, Dionis eam in rem verbis adductus, statuat [a] Tristanus. Prima certe, quæ a [b] Dione, seu a Xiphilino in eius Epitome, ducta a Elagabalo uxor dicitur; eadem, indicto cæteroquin eius nomine, vocatur [c] nobilissima Claudii Seueri ac Marci Antonini neptis, & Pomponio Basso prius nupta. Ad quam proinde respiciant illa Anniæ Faustinæ, quæ eadem, iuxta nummos eius, tulit, nomina: quum eadem

[a] To. II. p. 341.
[b] Lib. LXXIX. p. 910.
[c] Dio ibidem.

eadem omnino, ut hæc tangam, *Anniæ Fauſtinæ* nomina tuliſſe Matrem ac Filiam Pii & Marci Antonini coniuges, immo ipſum M. Antoninum *Annia* Gente oriundum, & *Annium Verum* ante adoptionem, ut ea de re paullo ante, dictum conſtat; ut haud opus ſit cuiusdam *Annii Fauſti*, inſignis, ut de eo Tacitus, delatoris memoriam infricare. Secundam vero eiusdem Elagabali uxorem *Corneliam Paulam* fuiſſe dictam; eâque repudiatâ tertiam, illamque virginem Veſtalem, *Aquiliam Seueram*, eum duxiſſe, & quâ itidem dimiſſâ, ac aliis dein ductis, ad *Seueram* denuo rediiſſe docet Dio. Herodianus vero, præteritis trium huius principis uxorum nominibus, id ſolum de priori indicat, quòd nobiliſſimi eſſet generis: de ſecundâ, quòd eſſet Veſtalis; de tertiâ autem, quòd genus ſuum ad Commodum referret: qua ratione prima ſtatuenda videtur *Iulia Cornelia Paula*; ſecunda, *Iulia Aquilia Seuera*, eaque Veſtalis; tertia autem, & qua inducti ſunt Antiquarii, ut eam tertio loco collocarent, *Annia Fauſtina*. Verum Dionis Cocceiani, qui accuratius hæc tangit, iisque temporibus floruit, ac paucis poſt annis Conſulatum geſſit, maior videtur habenda hic fides: ut mirari proinde liceat non accuratius hæc fuiſſe, poſt Triſtanum, qui hic iis ea in re præiuerat, a præſtantibus Antiquariis expenſa. Dictam vero illam ANNIAM FAUSTINAM; duas vero poſteriores, illius impuri principis coniuges, prænomen IULIÆ geſtaſſe, haud aliunde quam ex reliquis adhuc earum nummis percipimus: quarum altera tantum CORNELIA PAULA in Romanis nummis, IULIA PAULA vero ſolum in Græcis aliquot, cum addito I. ſeu Ἰουλίας prænomine I. KOPNH. ΠΑΥΛΑ, *Iulia Cornelia Paula*; tertia vero, AQUILIA SEVERA a Dione vocatur. Unde etiam adſequimur frequenter id, ea maxime ætate, contigiſſe, ut Auguſtarum nomina mutarentur, aut ornarentur alterius prænominis additione. Ipſam vero nominum in Auguſtis id genus mulieribus mutationem maxime fieri ſolitam videas, ubi turpia illa videbantur aut ominoſa: prout de *Euphemia*, Juſtini Imperatoris coniuge, notat Procopius, quæ antea *Lupicina* vocabatur: unde, inquit: Οὔτε ξὺν τῷ ὀνόματί τε αὐτῆς ἰδίῳ, ἅτε καταγελάστῳ ὄντι ἐς παλάτιον ἦλθεν, ἀλλ' Εὐφημία ἐπικληθεῖσα, *neque cum proprio nomine, quod ludibrio opportunum videbatur, in Palatium venit, ſed* EUPHEMIA *appellata*. Haud aliter nempe ac auſpicata id genus nomina in ſponſi ac ſponſæ deductione, ac in admiſſione Veſtalium apud Romanos, aut in dedicatione Templorum, iuxta illud Taciti in reſtituendo Capitolio: *Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina*; aut alias pro male ominatis urbium nominibus quæſita nonnunquam legimus. Nempe, quod ait alibi Procopius, Τὴν ἀπὸ τοῦ πρότερου ὀνόματος διαφεύγοντες βλασφημίαν, *prioris nominis fugientes malum omen*; ubi ſcilicet de urbe Italiæ *Beneuento* agit, quæ prius *Maleuentum*, ut apud Liuium, dicebatur, & de qua ſimiliter Plinius: *Intus in ſecunda regione Hiſpanorum colonia una, Beneuentum, auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleuentum.* More alioquin conſueto, quo, ſicut alio loco vere obſeruat rurſus Procopius, magis vocabula turpia, quam res ipſas ſolent homines amoliri. Exemplum cæteroquin adſumpti illius IULIÆ nominis dederat, ut ſupra vidimus, & vulgo obuium, dum ea in Gentem *Iuliam* adoptione transiit, LIVIA. Inde frequens poſtea iſtud euaſit ſequentium vel Auguſtarum, vel Auguſtis proxima agnatione iunctarum,

Capitol. in Pio c. 1. & in M. Anton. c. 1.

Hiſtor. II. c. 12.

Ut ſupra p. 911.

Lib. v. cap. 14.

Arcan. Hiſtor.

Hiſtor. IV. c. 53.

Bell. Gotth. l. I. c. 15.

Lib. x. cap. 11.

Lib. III. c. 11.

Bell. Gotth. l. IV. c. 15.

ut IULIÆ AGRIPPINÆ Matris ac Filiæ, IULIÆ DRUSILLÆ Matris itidem ac Filiæ, IULIÆ Titi; ac dein in IULIA PIA Seueri Coniuge renouatum est: quod nomen eandem e familia plebeia Gentis *Iuliæ* traxisse censet doctissimus Reinesius. Ab ea vero translatum ad Gentiles vel Augustas eorundem temporum, nempe IULIAM MÆSAM, huius Sororem, ac Auiam duorum Augustorum, ad duas eius Filias IULIAM SOÆMIAM Elagabali, & IULIAM MAMÆAM Alexandri Seueri Matres liceret opinari; ni a patre, quem *Iulium*, eumque virum consularem, dictum docet Dio, id nomen easdem traxisse statuendum sit; ac earum dein, Elagabali nempe Matris & Auiæ, exemplo, illud ad IULIAM CORNELIAM PAULAM & IULIAM AQUILIAM SEVERAM transierit. Ita ut eadem ætate plures Augusti, ANTONINI; Augustæ vero, IULIÆ vulgo dicerentur. Neque tamen octo IULIAS intra Seueri & Alexandri tempora, ut existimabat laudatus modo Reinesius, sed sex tantum reperias modo commemoratas: Seueri nempe Coniugem, eandemque Matrem Caracallæ; illius *Iuliæ* Sororem *Mæsam*, Auiam, ut modo diximus, duorum Augustorum; Matres dein utriusque, *Soæmiam* & *Mamæam*; ac duas posterioris ex iis Augusti, seu Elagabali, uxores, *Corneliam Paulam*, & *Aquiliam Seueram*. Neque enim prior Elagabali uxor *Annia Faustina* dicta IULIA, ut patet ex eius nummis: ac ideo, ut arbitror, quod M. Antonini Gentile *Anniæ*, & clarum insuper duarum Augustarum *Faustinæ* nomen, iam aliunde ad mariti nuptias adferret. Neque vero ulla *Iulia*, quæ octauum locum impleret, Alexandri Seueri coniunx, occurrit in priscis monumentis.

Epist. LXIX. ad Ad. Rup. p. 613.

Lib. LXXVIII. p. 902.

Ut supra.

25. *De* IULIA MAMÆA Alexandri Seueri *matre*.

Huius vero Alexandri Mater, non ut vulgo in eius nummis IULIA MAMÆA, sed IULIA MAMIAS AUG. inscripta legitur in singulari nummo, quem inter alios quosdam selectos protulit amore & peritia antiquitatum apud Gallos inclytus P. Chamillard; ac unde coniecit, ideo quod ea gente foret Phœnicia, verum forte fuisse id eius nomen MAMIAS, pro quo a Romanis magis ad linguæ suæ genium MAMÆA sit eadem dicta. A quo autem discedit in responso simul edito eruditione ac ingenio clarus itidem inter Parisienses antiquarios Baudelot; qui Græcæ potius quam Phœniciæ originis censet esse illud nomen MAMIA aut MAMÆA, quod Μάμμη & Μαμμία de *Matre* a Græcis, ut ex Aristophane ac Eustathio liqueat, diceretur. Idem quoque alibi MAMIAN verum illius MAMÆÆ Augustæ nomen exstitisse inde statuit, quod apud Syros tum Græca lingua foret vernacula, a Latinis vero formatum inde sit nomen MAMÆA, quo se Græcorum pronunciationi accommodarent. Illud utique de hac *Mamæa*, uti & de matre eius *Mæsa*, ac sorore *Soæmia* constat, fuisse easdem gente Syras, & quidem, iuxta Dionem Cocceianum, *Apamenses*. Notum quidem iis, qui literas Orientales vel primis, ut vulgo aiunt, labiis degustarunt, אם aut אמא ab Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus etiam, *matrem* vulgo appellari: unde addita litera ν profluxerit Græcorum μάμμ, ac inde μάμμη ac μαμμίας de *matre* ab Atticis dictum. Quod utique de usu Græcarum illarum vocum docebit Mœris in Dictionibus Atticis, & cuius ea de re locum nuper ad Aristophanis vocem μαμμᾶν adtulimus, nempe: Μάμμην καὶ μαμμίαν, τὴν μητέρα, Ἀττικῶς· Ἕλληνες, τὴν μάμμην. Unde forte mirari minus subit, cur Syra mulier, quæ vulgo a Græcis

Lettres sur quelques Medailles. Paris 1697.

Lib. LXXVIII. p. 702.

Observ. ad Nubes, v. 1386.

cis MAMAIA, a Romanis MAMÆA, iuxta indubiam nummorum fidem, eſt appellata, in uno forte & ſingulari nummo MAMIAS dicta reperiatur. Ut mittam haud inſolita apud Syros, & quod occupauit iam, ubi de nomine huius Auguſtæ agit, Cl. Triſtanus, id genus nomina, ut *Mamæ*, celebris ſub Aureliano Martyris; aut *Mamiani* Emeſeni patritii, quæ urbs Mamææ, iuxta Herodianum, Elagabali certe filii, patria exſtitit, ac Dii Syrorum *Mamonis*. Illud autem MAMAIAΣ vel MAMÆÆ, quod Græci Romanique huius Auguſtæ nummi conſtanter præferunt, nomen minus accurate, ut obiter hoc tangam, & quod monuerat iam ante Triſtanus, cum duplici M; MAMMÆÆ nempe, ſcribunt ſubinde celebres antiquarii, & ex iis illuſtris Biragius, Occonis, ut arbitrari licet (neque enim ille mihi ad manus, dum hæc ſcribo) quem ſupplendum ſuſceperat, fide, & qui error librariorum culpâ veteres aliquot Scriptores adhuc obſidet. Inſignem vero eiusdem *Mamææ* nummum in Gaza Gallorum Regia, & e maximorum genere conſpicuum, quique dictis modo de nomine eius MAMÆÆ, non MAMMÆÆ, & quæ aliunde de ſingulari filii in eam cultu prodita ſunt, fidem adſtruit; in quo ſe mutuo reſpicientia filii Alexandri & matris capita exſtant, ac inſcriptio IMP. ALEXANDER PIUS AUG. IULIA MAMÆA AUG. MATER AUG. In altera eius parte Jupiter nudus, qui dextram Imperatori porrigit, Ara accenſa inter utrumque & ſignum militare, a tergo miles & duo ſigna.

To. II. p. 423.

Lib. v. c. 4.

Huic vero Alexandro Seuero, non *Sulpiciam* quidem *Memmiam*, quam eius uxorem fuiſſe tradit Lampridius; ac unde eius nummum, ſed ſubleſtæ apud peritos harum rerum arbitros fidei, memorant diligentes cæteroquin id genus cimeliorum promicondi, Goltzius & Occo, prouide autem ab illuſtri Biragio omiſſum; verum aliam continuo ei coniugem, eamque alteri Imperatori male hactenus elocatam, primi olim, idque luculento principum antiquariorum Romæ, ubi primum hunc de Præſtantia & Uſu Veterum Nummorum fœtum diuulgabam, teſtimonio, inimus adſertum. Nempe exſtare, quod ibi monui, ſingularem quendam nummum in Muſeo Cardinalis Buoncompagni; quem a ſe inſpectum mihi coram referebat, is, cui tum faſces ſubmittebant reliqui urbis antiquarii, Fr. Gottifredi; qui in anteriore arca ALEXANDRUM SEVERUM, illinc SALLUSTIAM BARBIAM ORBIANAM, habitam hactenus Traiani Decii coniugem, exhiberet. Huius proinde nummi auctoritate, quod addebam, hanc non illius Decii, ſed huius Alexandri uxorem eſſe omnino ſtatuendam: idque firmare alios nummos eiusdem *Salluſtiæ*, in quibus illa cum coniuge, ac

26. *De* SALLUSTIA BARBIA ORBIANA Seueri *coniuge.*

In Alex. Seu. c. XXI.

Diſſ. de Præſt. &c. Num. p. 215, 219. Romæ An. MDCLXIV.

dextram ei tradens, depingitur, cum inscriptione CONCORDIA AUGUSTORUM, quorum ille Alexandrum Seuerum potius, quam Decium referre videatur, ut id quoque vere a me monitum agnoscit, de quo mox, præstantissimus Seguinus. Factum enim paucis post hæc a me in lucem prolata annis, ut Romam ille pro incredibili, quo in has antiquitates, ferebatur, studio profectus, ac ibi de adducto modo nummo a præstantibus urbis antiquariis, ipsoque tum adhuc superstite, Fr. Gottifredi edoctus; dein in Gallias redux, Epistolâ ad te, OCTAVI nobilissime, scriptâ contestatum quoque consignatumque id voluerit. Illud vero, neque hic prætereundum, monueram, turbare utcunque hæc posse inscriptionem apud Gruterum:

Epist. ad Oct. Falconer. p. 290.

Thes. pag. CCLXXIV, 1.

GNÆÆ
SEIÆ HEREN
NIÆ SALLUS
TIÆ BARBIÆ
ORBIANÆ AUG.
CONIUGI DOMINI
NOSTRI AUG.
VALENTINI VE
TERANI ET
VETERES.

In quo scilicet lapide DOMINI NOSTRI appellatio ad Decii magis quam ad Alexandri Seueri tempora referenda videatur. Accedit insuper, ut ibi quoque addebam, qui negotium aliquod possit facessere, Græcus nummus a Tristano adductus, in quo hinc Hostilianus Decii, ut de eo supra, gener, illinc ΓΝ. ΣΕΙ. ΗΡΕΝ. ΣΑΑ. Β. ΟΡΒΙΑΝΑ ΣΕΒ. *Cnæa Scia Herennia Sallustia Barbia Orbiana Augusta*; eadem proinde, quæ in adducto modo lapide legitur. Illud vero inter utrasque illas Augustas discrimen bene postea animaduertit laudatus Seguinus: quod nempe prior illa, quæ cum Alexandro Seuero depingitur, SALLUSTIÆ BARBIÆ ORBIANÆ nomina tantum præferat; hæc autem, quæ in adducto lapide, & apud Tristanum adducitur, prænomina GNAEAE SEIAE HERENNIAE, quæ in prioris Augustæ nummis fuissent plane omissa, insuper ostentet; ac, ut statuere licet, ad illius, quæ tria postrema nomina tantum tulerit, discrimen. Sed de qua posteriori sub Deciis *Orbianâ* dicetur paullo post.

To. II. p. 658.

27. *De* Maximini *uxore.*

Maximini vero Imperatoris, qui Alexandrum Seuerum excepit, Uxor, sed tacito eius nomine ab [a] Ammiano Marcellino ac [b] Zonara refertur; quorum iste eandem a truculento marito interfectam narrat. Ea vero vulgo ab antiquariis statuitur, non *Calpurnia* quædam cum doctissimo Camerario, quæ Titi, sub eodem Maximino Tyranni, uxor a Trebellio Pollione, quod vidit iam [c] Tristanus, dicitur; sed quæ in veteri nummo DIVA PAULINA appellatur, cum CONSECRATIONIS nomine ac symbolo in auersa eius parte. Quamquam id e coniecturâ hactenus (petitâ e nummi illius fabricâ, & cælaturâ metalli, quæ proxime accedat ad Maximini & Maximi eius filii nummos, ac ad postremi quidem lineamenta)

a Lib. XIV. c. I.
b Annal. To. II.
c Com. To. II. p. 480.

menta) colligunt præſtantes Antiquarii. Cui ſententiæ obſtare alioquin videntur illa conſecratæ ac in DIVAS relatæ nomina ac ſymbola: quem honorem barbari Imperatoris ac hoſtis Senatûs ab eodem Senatu coniugi habitum parum videri poſſet veriſimile. Nequidquam enim Triſtanus id tuetur exemplo Poppææ Neronis & Sabinæ Hadriani coniugum; quæ etſi a maritis interfectæ, eorum tamen operâ fuerunt conſecratæ. Neque enim eadem Maximini ratio exſtitit, cuius breue ac procul ab urbis conſpectu imperium exſtitit, idemque cum perpetua Senatûs diſſenſione coniunctum; & cuius memoriæ infenſi poſt mortem fuerunt ſucceſſores. Notum præterea, ſub Cæſarum imperio, penes Senatum fuiſſe de conſecratione ſtatuendi facultatem: adeo ut ægre honorem illum pro Hadriano mortuo a Senatu impetraſſe legatur Antoninus Pius. Mitto leuiores adhuc eiusdem Triſtani coniecturas, qui modo *Iuliam Paulinam* dictam eandem fingit pro arbitrio, ac modo Iulii Pauli Iurisconſulti, modo *Pontii* cuiusdam *Paulini*, cuius Ulpianus meminit, filiam; modo eandem credit, cuius fit mentio in lege quadam de Legatis: *Paulinæ filiæ meæ legatum.* Sed quæ omnia tam incerta ſunt, quam quæ incertiſſima. Eundem vero huius DIVAE PAULINAE nummum, ad Hadriani Sororem PAULINAM, ut e Spartiano ac veteri Inſcriptione liquet, appellatam, ab aliis referri ſupra vidimus, & quidem a Pyrrho Ligorio in opere inedito; qui tamen in eodem nummo legit DIVA PAULA, quod ſcilicet a Romanis eam conſecrantibus ſit diminutivum ei ademptum. Quæ mira utique viſa eſt mihi obſeruatio; & iuxta quam non DOMITILLÆ, FAUSTINÆ, LUCILLÆ, CRISPINÆ, ſed *Domitiæ*, *Fauſtæ*, *Luciæ*, *Criſpæ* vocari debuiſſent Auguſtæ ſideribus poſt mortem receptæ. Nullus vero coniecturæ hic locus, cum DIVA PAULINA omnino legatur in iis, qui adhuc ſuperſunt, eius nummis; ac inter alios, ut olim indicaui, in præclaro quodam Reginæ Chriſtinæ; in quo figura cum velo & face bigis vecta cernitur, ac inſcriptio CONSECRATIO. Eundem vero nummum, illumque ut præſtantia, quod ait, ita raritate ſingularem, adduxit poſtea, vulgato etiam eius ectypo, celebris Antiquarius. Ne vero ad Hadriani Sororem, eodem PAULINÆ nomine appellatam, ſpectare cenſeantur huius *Diuæ Paulinæ* nummi, præter alia, quæ iam ante monui, obſtat ea, quam diximus, eorum fabrica ac cælatura, quæ ſequiorem aliquantum ætatem, qua iidem ſint cuſi, omnino arguunt.

Vid. Vaill. Præſt. Num. p. 150. P. I. & p. 307. P. II.

Capitol in Anton. P. c. XXVII. & Aur. Victor. Cæſar. c. XII. Ut ſupra To. II. p. 450.

Leg. III. D. de Donat. int. Vir. & Ux.

Leg. XXXIV. D. de Legat. 3.

Vaill. Præſt. Num. p. 150. P. I.

28. *De duabus Gordiani Senioris uxoribus.*

Duas vero, ut ex [a] Capitolino & veteri inſcriptione apud [b] Gruterum viderunt iam viri docti, Gordiani Senioris, qui Maximino ſucceſſit, uxores, nempe FABIAM ORESTILLAM, iunioris Gordiani Africani matrem, & FLAVIAM VALERIAM TRANQUILLINAM, nusquam hactenus in nummis expreſſas legimus.

a In Gordian. Jun. c. XVII.

b Theſ. CCLXXII, 7.

Diuerſa autem omnino hæc poſtrema ab altera illa Gordiani, vulgo Pii ſeu Tertii, Coniuge, FURIA SABINA TRANQUILLINA, ſtatuenda eſt; ut bene iam contra nobilis antiquarii [a] Triſtani ſententiam monuit eruditiſſimus Sperlingius in præclara de peculiari huius poſtremæ Auguſtæ nummo [b] Diſſertatione. Vera autem fuiſſe eiusdem FURIÆ SABINÆ, non, iuxta quorundam nummorum ſcripturam, FRURIÆ SABINÆ, præter tertium TRANQUILLINÆ, nomina, conſtat omnino, cum ex ubere quadam, quæ adhuc ſupereſt, Græcorum ac Romanorum numismatum

29. *De* FURIA SABINA TRANQUILLINA *Gordiani Pii uxore.*

a To. II. p. 546.

b Edita Amſt. 1688.

matum cum illius Augustæ effigie, adscriptisque eius nominibus, copia; tum ex Inscriptionibus, quæ illius meminere, antiquis. Unde, ad prius FURIÆ nomen quod adtinet, illud, quod in Græcis aliquot nummis, ΦΡΟΥ. nempe pro ΦΟΥ. *Fruriæ* pro *Furiæ*, ut apud præstantes antiquarios Erizzo, [a] Tristanum, [b] Patinum, [c] Sponium, monetariorum incuriæ omnino sit adscribendum. Neque enim hic audiendus est [d] Patinus, qui contra Tristanum contendit FRURIAM eandem non FURIAM dictam, licet omnes id conclamare eius nummos dicat, in quibus, certe quos viderit, legi adsueueret ΦΡΟΥΡΙΑ. Eum aperte utique redarguunt plures, iique a præstantibus antiquariis descripti & vulgati Græci cum nomine ΦΟΥ. seu *Furiæ*; ut Romanos iam mittam, qui constanter idem FURIAE nomen illi tribuunt, nummi; tum qui prostant etiamnum in Gazis ac Musеis necdum in lucem editi. Idem quoque de altero illius Augustæ nomine, SABINAE nempe non SABINIAE, statuendum est. Quamquam haud ignorem, & quod minus in hac palæstra antiquaria exercitatis possет negotium facessere, contrarium adseri a viro, quo nemo forte hac ætate in versando diuulgandoque antiquos nummos maiori ac diuturniori studio ac industria incubuit. Is etenim, nempe J. Vaillant, [a] neque uno etiam in opere, tradit hanc Augustam FURIAM quidem in Græcis eius nummis, adiuncto etiam quandoque SABINIÆ nomine, nisi ubi perperam Σαβεῖνα pro Σαβινία, dici; in Romanis vero seu Latinis, SABINIAM itidem vocari, non SABINAM. Quod factum similiter, ne & hoc reticeam, ab illustri Biragio, vel Occonis exemplo, qui mihi non est iam præ manibus, vel celebris Antiquarii modo memorati auctoritate adducto, in recensendis aliquot Romanis huius Augustæ nummis. Id noram equidem, ac in superiori huius operis editione pridem tradideram, SABINIAM eandem vocari in Græcis ac Romanis aliquot eius nummis; cuiusmodi tres a me olim in illustribus Gallorum Musеis visos memoraui; [b] Græcum nempe unum, in quo ΣΑΒΕΙΝΑ ΤΡΑΝΚΥΑΛΙΝΑ, [c] duos vero Romanos cum inscriptione SABINIA TRANQUILLINA, qualem adtulit quoque [d] Tristanus, etsi eum dein sub SABINÆ nomine interpretetur. Id quoque ibidem addidi, nummis illis modo indicatis suffragari veterem Inscriptionem, ab illustri Mendoza suis ad Concilium Illiberitanum commentationibus insertam, FURIÆ SABINIÆ TRANQUILLINÆ. Verum haud eo minus constans est in aliis pluribus, probique omnino commatis, Græcis Romanisque eius nummis, quos protulere in lucem viri alii præstantes, aut qui prostant etiamnum, & quales haud paucos versare mihi licuit, in præclaris Cimeliarchiis vel Musеis, SABINÆ non SABINIÆ appellatio. Idem quoque luculenter adstruit memoratus ab eruditissimo Sperlingio Aduocatus quidam Gallus Heuin nomine, qui, inter sex mille Gordiani Tertii nummos, duos tantum se reperisse testatur huius *Tranquillinæ*, in quibus SABINIA, non SABINA vocetur. Quo modo, ne plures iam hic proferam, vocatur eadem in duobus hisce insignibus Regiæ Gallorum Gazæ nummis, Græco uno, eoque magnitudine insuper insigni, cum inscriptione ΣΑΒΕΙΝΑ ΤΡΑΝΚΥΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Romano altero, SABINA TRANQUILLINA AUG.

a To. II. p. 548.
b Num. Imp. p. 502.
c Iun. To. III. p. 183.
d Ut supra.

a De Præst. Num. p. 163. P. I. & p. 325. P. II. & ad Numism. Ab. de Camps. p. 94. in Num. Colon. p. 154. P. II. ult. ed.

b Abb. Seguin.
c Ill. Colb. & P. Seu.
d To. II. p. 547.

Qui-

Quibus accedunt, & quæ haud parum idem firmant ac illuſtrant, Inſcriptiones aliquot antiquæ, quales iam adtulit [a] Triſtanus, ac ſubminiſtrat [b] Theſaurus Gruterianus, in quibus omnibus eadem SABINA dicitur. Quum vero ex aliquot aliis Inſcriptionibus conſtet, SABINII & SABINIÆ nomina, eaque a prioribus SABINI & SABINÆ, quod eædem Inſcriptiones docent, diuerſa, apud Romanos quoque, aut in eorum Coloniis vel oppidis recepta; haud mirum forte, ſi in iisdem, aut monetariorum etiam, ut in Græco ΦΡΟΥΡΙΑ nomine, pro ΦΟΥΡΙΑ, factum vidimus, incuriâ, SABINIÆ nomen, pro SABINÆ, quæ diuerſa tamen erant, in paucos aliquot nummos, vel in unam forte Inſcriptionem, irrepſerit. Ita tamen, ut conſtanti plurium id genus ac melioris notæ monumentorum fide omnino liqueat, hanc Gordiani Tertii coniugem FURIÆ SABINÆ [de quibus duobus aliunde non conſtabat] TRANQUILLINÆ nomina tuliſſe. Sed qua de re, idque ob eorum in hoc literarum genere, qui in alia abibant, auctoritatem, plus ſatis.

a To. II. p. 547, 548.
b p. CCLXXII, §. 5.

Idem vero iſtius SABINÆ fatum experta quoque eſt, quæ Auguſtæ faſtigium poſt eam eſt adſequuta, Philippi Patris Uxor OTACILIA. Illam enim in Græcis demum nummis ita dictam ſtatuit [a] Cl. Triſtanus, in Romanis vero OTACILLAM: Goltzius vero in Græco nummo, & quem ſolum profert cum integro illius Auguſtæ nomine, ΩTAKIAAAN in eodem legit. Id vero inde factum licet ſtatuere, quod plerique Græci Romanique nummi contractum eius nomen ΩT. vel ΩTAK. vel ΩTAKIA. aut ſimiliter OTAC. vel OTACIL. demum præferunt; pauci vero ſint, in quibus plene effertur ΩTAKIAIA vel OTACILIA. Dicta vero eadem ΩTAKIAIA ſeu OTACILIA in Græcis Romanisque eius nummis; prout eam exhibet nummus æreus e Muſeo præſtantiſſimi Seguini a me olim prolatus cum integris eius nominibus, MARCIA OTACILIA SEVERA, & alius inſuper Græcus, in quo ΩTAKIAIA legebatur: resque eſt hodie liquida, & probatiſſimorum [a] antiquariorum teſtimoniis confirmata. Frequentes etiam, quod ibidem quoque monueram, in lapidibus antiquis OTACILIÆ, cuiusque Gentis apud Romanos notæ Liuius inſuper, Suetonius, aliique meminere; ac Euſebius præterea in Chronico ex verſione Hieronymi, ubi *Vulticilius Plotus* corrupte pro *Otacilius Piletus* legitur; ſicut ex Tranquillo monuit literarum decus Joſ. Scaliger. Hæc autem *Otacilia Auguſta*, cum in aliquot nummis percuſſis in celebritate ludorum Sæcularium, ut cum Hippopotamo & inſcriptione SÆCULARES AUG.

30. *De* OTACILIA *Philippi Senioris uxore.*

a To. II. p. 564.
b In Theſauro.

a Vid. Vaill. Præſt. Num. p. 166. P. I. Birag. p. 141, Patin. Num. Imp. p. 307, &c.

AUG. in iis nempe exhibito; tum in præclaro Farnesiani Cimeliarchii, cum inscriptione SÆCULUM FRUGIFERUM, est obuia. Neque prætereundus Græcus & singularis eiusdem nummus in Gaza Medicea, in Ægypto, ut ex auersa eius parte licet coniicere, percussus; in quo præter consucta eius *Marciæ Otaciliæ Seueræ*, nempe M. ΩT. ΣEOYHPA nomina, additur ΣEM. ΣEB. qua postrema voce ut ΣEBAΣTH seu *Augusta* innuitur, ita quo priores literæ ΣEM. referri debeant, haud continuo est manifestum. Neque enim alia, præter dicta tria, nomina eidem tribuuntur in nummis aliisue monumentis antiquis: unde haud aliud occurrit, quam ut ΣEMNA dicta ibi statuatur eadem *Otacilia*. Cuius autem vocis ΣEMNOY aliud (verum ubi, iam non occurrit) exemplum in peculiari quodam nummo exstare memini. Alium vero nummum huius Augustæ vulgauit Patinus in Colonia Romana Beryto cusum, cum inscriptione M. OT. SEVERÆ AUG. M. C. & quas duas postremas literas interpretatur, prout omnino explicandæ veniunt, *Mater Cæsaris*, Philippi nempe Junioris, sicut ille CAES. & NOB. CAES. in pluribus eius nummis etiamnum vocatur, antequam AUGUSTUS, iuxta patrem, fuerat renuntiatus, seu verius a patre in illius fastigii consortium adscitus.

Num. Imp. p. 307.

31. *De* SALLUSTIA BARBIA ORBIANA Hostiliani *uxore.*

De Traiani Decii, prout antea habebatur, uxore, SALLUSTIA BARBIA ORBIANA, paullo ante vidimus, eandem, & quidem præcipua præclari nummi fide, Alexandro Seuero adiudicari. Alteram vero cum iisdem illis nominibus, eamque Hostiliani coniugem, SALLUSTIAM ORBIANAM (sed cum præmissis insuper duobus tribusue aliis nominibus, in uno nempe, ut paullo ante vidimus, GN. SEIÆ, in altero Græco ΓN. ΣE. EPENNIAE, *Cneæ Seiæ Herenniæ*; quæ sex nomina eidem quoque largitur vetus lapis paullo ante adductus) e duobus nummis protulit Tristanus, & postremum quidem cum *Hostiliani* capite ac nominibus in priori parte: ac unde eiusdem uxorem illam exstitisse vere colligit, & cui merito accessit eximius Begerus noster. Neque vero, uti a Tristano factum, duæ diuersæ statuendæ sunt, Mater nempe & Filia, signatæ in duobus illis nummis; sed una eademque, etsi in priori HERENNIAE nomen non sit adscriptum. Hanc enim tulisse quoque illud nomen, præter duo priora CNEÆ SEIÆ, arguit inscriptio iam ante, ut diximus, adlata cum iisdem sex nominibus GNEÆ SEIÆ HERENNIÆ SALLUSTIÆ BARBIÆ ORBIANÆ, quæ in altero itidem e duobus illis nummis legitur. Mitto, quòd tres nummos memorat Goltzius; unum, in quo solum *Herenniæ* nomen, tribus aliis *Sallustiæ Barbiæ Orbianæ* præfigitur; tum duos præterea, Græcum unum alterum Latinum, citra illud *Herenniæ* nomen, sed cum aliis quinque, quæ ei insuper adductus a Tristano nummus tribuit, *Gneæ Seiæ Sallustiæ Barbiæ Orbianæ* nominibus. Eandem vero Alexandri Seueri & Sallustiæ Barbiæ Orbianæ filiam vel neptem statui posse; haud obstare utique exiguum XVII. annorum interuallum ab Alexandri morte ad Deciorum imperium, haud immerito a Seguino dicitur. Ad quod etiam eius a priori illa Augusta discrimen indicandum, huic Hostiliani coniugi præmissa licet arbitrari illa *Herenniæ* vel *Gneæ Seiæ* nomina.

To. II. p. 657, 658.

Annot. ad Duc. Croy. p. 10.

32. *De* HERENNIA

Alia vero occurrit in nummis HERENNIA ETRUSCILLA, quæ Decii filia, Herenni Etrusci soror, & uxor Volusiani Imperatoris a Goltzio,

Oc-

Occone, Triſtano, Patino, aliisque antiquariis, & quibus nos olim accesſimus, ſtatuebatur; donec eximius Seguinus e præclaro nummo Regiæ Gallorum Gazæ, poſt ereptam Decio priorem *Salluſtiam Barbiam Orbianam*, alterius nummi, ut vidimus, fide coniugem hanc *Herenniam Etruſcillam* primus eidem reſtituit, idque alterius quoque Regiæ illius Gazæ nummi auctoritate comprobauit, in quo hinc aduerſa *Decii* & huius *Herenniæ* capita, illinc nomen *Rheſæneſiorum*, Romanæ tum in Meſopotamia Coloniæ, adſcribitur, nempe ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕΣ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟΣ ΣΕΒ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥΣΚΙΑΛΑ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Caius Meſſius Traianus Decius Auguſtus Herennia Etruſcilla Auguſta.* Cui ſimilem quoque nummum a ſe in Muſeum Cenomanenſium in Gallia Ducis, cui ille erat ab antiquitatibus, illatum teſtatur clariſſimus Vaillant. Quod inſuper adſtruunt, ut iam vidit Seguinus, a filio Decii ac huius *Etruſcillæ* adſumpta utriusque parentis nomina in eius nummis conſpicua, Q. HER. ETR. MES. DECIUS, ſeu *Quinti Herennii Etruſci Meſſii Decii*; ſoror autem, & Voluſiano nupta, Matris nominibus, HERENNIA ETRUSCILLA ſimiliter dicta. Turbat vero hic Onuphrius, qui priorem illam *Herenniam Hoſtiliani* coniugem cenſet, ac firmat etiam nummi auctoritate, in quo hinc *Hoſtilianus* ſcilicet, illinc *Herennia Etruſcilla* deſcribantur. Atqui labat nummi illius, ut ab eo traditur, fides, aut potius male illius ab eodem lecti auctoritas. HERENNIAE enim in illo Hoſtiliani nummo, & quem a Triſtano vulgatum paullo ante vidimus, nomen utique, ſed non alterum ETRUSCILLAE legitur.

ETRUSCILLA Decii *coniuge.* Sel. Num. p. 292.

Num. Colon. Imp. p. 203.

Sic nota ſolum ex iisdem nummorum monumentis Valeriani Patris uxor MARINIANA; aliunde vero inſuper Gallieni Filii coniux SALONINA; Fratris vero Valeriani Junioris uxor CORNELIA SUPERA a Triſtano ex rariſſimo eius nummo primum prolata. Haud vero, ne quid hic præteream, quemquam, ut opinor, morabitur id, quod de duabus prioribus Auguſtis, *Mariniana* nempe velut Gallieni, non Valeriani; *Salonina* vero, tanquam Valeriani primum, dein ſecunda Gallieni coniuge ſtatuit Harduinus. Præterquam enim quod illud nulla certa ratione vel auctoritate fundatum ſit, aut quaſi non foret primus ſingularis illius adſertionis auctor, a viro erudito traditur; quis, non matrem iam dicam, ſed nouercam, quæ Valeriani nempe iuxta illum uxor fuerit, a Gallieni illius Auguſti, iuxta conſtantem hactenus veterum ac recentium Auctorum vel monumentorum fidem, filio, aut, iuxta eundem Harduinum, fratre, & maiore quidem natu, ductam arbitrabitur? Immo quis eam uxorem alteri Auguſto, quam eidem Gallieno, uti ea in re conſentiunt priſci Auctores, Marmora, & Nummi, in quibus ſubinde eadem Salonina cum mariti in anteriori nummi area capite, adſcriptis utriusque nominibus, depingitur, tribuere iure aliquo poterit? *Marinianæ* autem, ſed fato iam functæ ac a filiis conſecratæ, deſcripti ſunt demum ab antiquariis nummi, in quibus DIVA MARINIANA, & in auerſa parte cum CONSECRATIONIS nomine ac typo. Unum vero ſingularem, neque notum antea, eiusdem Auguſtæ nummum protulit memoratus iam antea ex eruditorum apud Gallos antiquariorum numero P. Chamillard; hinc cum ſolito DIVAE MARINIANAE nomine ac epitheto, & in auerſa parte cum conſueto *Felicitatis* in aliis quoque nummis ſymbolo; Mulieris nempe ſtantis, quæ dextra Ca-

De 33. Valeriani *Patris uxore* MARINIANA, *&c.*

a To. III. p. 134.
b Sel. Oper. p. 844, 845, 851, 852.

Lettres du P. Chamillard a Paris 1697.

ducem sinistra Cornucopiæ tenet, ac notabili nec alibi obuia hactenus inscriptione, FELICITAS DEORUM. Quum enim obuiæ sint cæteroquin inscriptiones in Cæsarianorum nummorum penu, in quibus FELICITAS AUGUSTI vel AUGUSTORUM, IMPERII, ORBIS, POPULI ROMANI, REIPUBLICÆ, ROMANORUM, SÆCULI, TEMPORUM consignantur; ita peculiaris omnino est ea, quam præfert ille nummus, FELICITAS DEORUM, iuxta quam, & obuium ibi typum, in summa pace ac omnium rerum abundantia dicti sunt iidem æuum agitare, geminamque felicitatem hominibus impertiri; prout de Venere Lucretius: Lib. I. ℣. 31.

Nam tu sola potes tranquilla pace iuuare
Mortales.

Immo quomodo *Pacem Deûm* sæpe apud [a] Liuium, ac, eius exemplo, apud [b] Justinum, [c] Pollionem, & [d] Symmachum, & *Iouis Pacem* apud [e] Plautum legimus. Similem vero huius Augustæ nummum, eumque e præclaris illustris Foucault cimeliis, a memorato paullo ante [f] Harduino adductum in nouissimis eius operibus video; & hanc eius epigraphen FELICITAS DEORUM, de *felicitate*, quam *Dii*, nempe *Augusti* Valerianus & Gallienus, uti in aliis eorum nummis PAX. AUG. dicitur, procurant, ab eo explicatam. Quum tamen nihil obstet utique, immo longe conuenientius sit, ut ad *Deos* ipsos, non ad Augustos illos, sub *Deorum* scilicet nomine, velut cum supremæ felicitatis compotes tum eius auctores, referatur, iuxta vetus illud Æschyli dictum:

a Lib. XVIII. c. 5.
b Lib. XVIII. c. 7. XX, 2.
c In Gallieno c. III.
d Lib. I. Ep. 42. VII, 21.
e Amphi. Act. V. Sc. I. ℣. 75.
f Pag. 852.

Θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν, εὐτυχεῖν βροτούς. Sept. Theb. ℣. 631.

Dei vero munus est, quod felices sint homines. An vero ideo, quod in aliis Valeriani & Gallieni nummis PAX AUG. legitur, inde FELICITAS DEORUM in adducto eorum nummo de *Felicitate Augustorum* debeat explicari; maxime quum obuia sit in eadem Cæsarianorum nummorum ac ipsius etiam Gallieni penu, FELICITAS AUG. vel AUGG. vel ipsum Harduinum, ubi id propius aduerterit, lubenter iudicem fero. Rarum vero SALONINÆ Gallieni Coniugis cognomen ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΣ e Græco Ephesiorum nummo protulit Occo, ex alio autem Sardianorum Tristanus: nempe ΣΑΛΩΝ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΗ ΣΕΒ. *Salonina Chrysogone Augusta.* Neque minus singularis Romanus seu Latinus eius nummus ab eodem [a] Tristano adductus, ac a celebri dein [b] Antiquario memoratus, in cuius auersa parte figura muliebris sedens cernitur, quæ dextra ramum oleæ, pacis symbolum, sinistrâ hastam transuersam tenet, cum notabili inscriptione AUG., seu *Augusta*, IN PACE: quem, uti alterum, & de quo iam ante, Gallieni nummum, hinc GALLIENÆ AUGUSTÆ illinc UBIQUE PAX inscriptum, in ludibrium eius, quod iam ante vidimus, percussum censet idem inter antiquariorum primipilos merito habendus. Tertiæ vero paullo ante memoratæ, quamque Valeriano, iuniori nempe Gallieni fratri, tribuit, nummum inscriptum CORNELIA SUPERA AUG. nusquam alibi memoratum primus in lucem protulit Tristanus: duos postea eiusdem Augustæ Romanos itidem nummos, unum cum Vestæ sedentis,

To. III. p. 115.
a Ibidem p. 109.
b I. Vaill. Præst. Num. p. 387. P. II.

tis, alterum cum eiusdem ſtantis typo; aliumque inſuper Græcum a *Julienſibus* in Phrygia cuſum laudatus modo Vaillant. Similem vero tertium cum Veſtæ ſtantis, quæ dextrâ pateram, ſiniſtrâ transuerſam gerit haſtam, e cimeliis illuſtriſſimi Mæcenatis ſui vulgauit dein eximius Morellius. Idem vero in Addendis ſub finem præclari Speciminis obſeruat, quòd, dum adtentius nummum illum inſpicit cum capitis tegumento, varietatem certam inter *Saloninæ* & huius *Superæ* nummos reperiat, ut fabrica eiusdem nummi ad *Etruſcillæ* ætatem ſpectare eidem videatur. Adeo ut dicat, ſi quis eandem uxorem, Juniori Valeriano adſcriptam, ad Tribonianum Gallum ſeu Æmilianum referat, haud videre ſe quomodo ea poſſit denegari. Quum vero oppido rari ſint illius *Corneliæ Superæ* nummi, & ante Triſtanum plane ignoti, ut ſe nullum in Gallicis cimeliis inuenire potuiſſe teſtetur idem Morellius; neque ea mihi felicitas obtigerit, ut ullum videre mihi licuerit; aliunde vero ſit plane ignota eadem *Auguſta:* hinc peritiſſimi talium arbitri, quique ante oculos habuit eundem nummum a ſe delineatum, de eiusdem ætate & fabrica iudicio, donec quid de eo certius poſſit forte aliquando conſtare, haud repugnandum puto.

Præſt. Num. p. 392, 393. P. II. & Num. Imp. Græc. p. 188. Specim. Tab. IX. & p. III. Ibidem p. 262.

Verum Tyrannorum quoque, uti vulgo ii ſolent appellari, qui iisdem illis, minime utique pacatis, Gallieni temporibus ſunt exorti, coniuges, ſeu *Tyrannas* vel *Tyrannidas*, uti easdem vocat Trebellius Pollio, exhibent ſubinde deſcripti a præſtantibus antiquariis nummi. Cuiusmodi eſt IUNIA DONATA AUG. ceu uxor Poſtumi, iuxta eius nummum a Goltzio ac inde ab Occone memoratum, ſed qui ab huius poſtremi ſcriptoris amplificatore illuſtri Biragio prouide, ut videtur, eſt præteritus; quod dubia ſit cius fides, neque ipſe alibi hactenus viſus. Victorini vero Patris Matrem VICTORIAM, ſeu VICTORINAM, ut de illa Pollio, eamque, iuxta eundem, *Matrem Caſtrorum*, Fauſtinæ nempe M. Aurelii, & Juliæ Seueri exemplo, appellatam, oſtendit nummus, in quo VICTORIA AUG. dicitur ab Octauio [a] Strada, ac dein ab illuſtri [b] Biragio adductus; in tribus vero, quos memorat [c] Goltzius, VICTORINA, ac in uno etiam AURELIÆ prænomine, immo in tertio ex iis, AUGUSTA CASTRORUM MATER, ſed quorum haud certa admodum fides dicitur. Haud ignotam vero eorundem temporum Heroida, eamque Palmyrenorum Reginam, ſed AUGUSTÆ quoque titulo ornatam ZENOBIAM, in duobus Græcis nummis ſignatam ZHNOBIA ΣEB. cum Spei typo in aucrſa parte, ac duobus literis L. E. ſeu *Anno V*, primus vulgauit Cl. Seguinus, nosque alium, apud eximium Patinum tum a me inſpectum, & quem ipſe dein quoque protulit, in quo mulier itidem ſtans dextra protenſa, ac ſiniſtra duplex cornucopiæ geſtans, & cum eodem L. E. ſeu *Annorum V* numero. Ita ut inde liqueat, non filiorum illam ſolum, quod de ea Vopiſcus tradit, ſed proprio etiam nomine imperii inſignia ſuſcepiſſe: quum maritus Odenathus dicatur a Pollione adſumpſiſſe cum eâ nomen regale; eo autem mortuo, & quod paruuli eſſent, qui ſupererant, eius filii, *ipſa ſuſcepit imperium diuque rexit*; & alibi, quod *Gallieno adhuc regente Remp. regale mulier ſuperba munus obtinuit.* Aureliani vero Imperatoris, qui de hac Zenobia triumphauit, uxorem, dictam SEVERINAM, e nummis demum, uti aliarum ſubinde, quod vidimus, Auguſtarum, diſcimus, illoque maxime, qui hinc AU-

34. Tyrannorum *coniuges in nummis.*

In Victoria.

Trigint. Tyran. cap. v. In Victoria.

a Pag. 150.
b Num. Imper. p. 399.
c In Theſauro.

Sel. Num. p. 75. Num. Imper. p. 342.

In Aurelian. c. XII. Trig. Tyran. c. XIV. & XXIX.

Octau. Strada p. 157. Triſtan. To. III. p. 256.

RELIANI caput & nomen præfert, illinc falcatæ mulieris caput cum prominente e vertice Cornu, ac inscriptione SEVERINA AUG. In rarioribus vero quibusdam nummis ULPIÆ nomen eidem additur: quale etiam in Græco eius nummo, quem e museo P. Chamillard adduxit nouissime Harduinus, legitur, inscripto ΟΥΛΠ. ΣΕΥΗΡΙΝΑ ΣΕΒ. Quod vero id *Ulpiæ* nomen tulisse illam a patre *Ulpio Traiano*, qui filius fratris Traiani Decii exstiterit, contendit idem vir doctus; cuius equidem, non Auctoris iam dicam, cui testium in Historia Augusta generi fidem omnem derogat, sed nummi auctoritate id nitatur, utinam obiter indicasset. Ut vero iuncta Treboniani Galli & eius uxoris capita vidimus paullo ante in maximo Regiæ Gallorum Gazæ nummo; ita iuncta utriusque Coniugis capita, PROBI nempe Imperatoris eiusque Uxoris, cuius ignotum alioquin nomen, ostendit nummus itidem maximus & insignis Christinæ Reginæ, & cuius ectypum inde depromptum olim diuulgauimus. Cui autem similem omnino in Thesauris Gallorum Regiis inspicere dein ac versare nobis licuit; & qualem, etsi cum aliis huius Gazæ Regiæ primæ magnitudinis nummis iam editum, hic iure nostro, quo primi eum olim protulimus, denuo conspiciendum damus.

Select. Oper. p. 870.

35. *De* IULIA PROCLA.

Unde vero illam Probi Coniugem, dictam IULIAM PROCLAM, hausit Octauius [a] Strada, id mihi, uti & iam ante nobili antiquario [b] Tristano, plane est incompertum. *Juliæ* quidem *Proclæ* pulcherrimum nummum protulit in lucem [c] Cl. Seguinus a Mytilenæis percussum, & inscriptum ΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ, *Juliam Proclam Heroida:* quænam vero hæc fuerit *Heroina* diu a se, sed frustra, quæsitum tradit vir eleganti iudicio ac industria; neutiquam certe Probi coniugi id nomen tribuit. Monet vero ibidem, uti nos olim quoque, ubi de hisce primum commentaremur, Fr. Gottifredi Romæ antiquitatis illustrissimum indagatorem coniectasse ex nummi fabrica, uti quoque ab eo coram in urbe olim percepi, percussum tempore M. Aurelii Imperatoris, sub quo Proclus quidam Grammaticus est ad Consulatum prouectus; illius Procli filiam esse hanc IULIAM PROCLAM. Alios vero existimare, addit ibidem Seguinus, hanc *Proclam* nobilem fuisse matronam, de Mytilenæis bene meritam, eamque ideo diuinis honoribus ab iis adfectam. Quum vero apertus inde esset coniecturis de hac *Heroina Julia Procla* campus, ipse alibi de eâ egi, ubi obuia dabatur eius rei occasio, maxime ubi primum occurrit mihi *Procli Herois* mentio in Græca inscriptione Thyatirenorum, eaque, ut ibi-

[a] Pag. 160.
[b] To. III. p. 296.
[c] Sel. Num. p. 79.

ibidem monui, in [a] Marmoribus Oxonienſibus, ac præterea in opere Anglicano de ſeptem Aſiæ Eccleſiis, non proinde ex Aſia in Europam a [b] Sponio primum adlata, etſi ille eius quoque meminerit, ut ibi in [c] margine indicaui, nempe: Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩΔΙΟΝ ΑΥΡ. ΠΡΟΚΛΟΝ ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ, &c. *Præſtantiſſimus Thyatirenorum Senatus Clodio Proclo Heroi, Viro Nobili, &c.* Unde hanc *Iuliam Proclam Heroida*, illius *Procli Herois* filiam, aut ex eadem ſtirpe oriundam, haud vane omnino licuit mihi opinari. Quod eodem tempore, quo hæc primum ederem, erudito quoque Harduino, & ex eadem Thyatirenorum inſcriptione, a ſe apud Sponium, ut ibi innuit, viſa, in mentem venit. Quum vero nupero Græcarum Antiquitatum collectori placuerit, ex illo Seguini nummo conflatam quandam huius *Proclæ Heroinæ* Πρωτομὴν in eadem illa Συλλογῇ diuulgare, quo eâdem operâ me ac Harduinum ſugillaret, quod *Iuliam Proclam* filiam illius ſtatueremus, qui in memorata Inſcriptione Thyatirena *Clodius Aurelius Proclus*, non vero *Iulius Proclus*, nec pater proinde huius *Iuliæ Proclæ*, diceretur; *quanta*, ut verba eius ei remetiar, *res eſt* ex Tito Flauio Veſpaſiano *producere* Iuliam Sabinam, Titi filiam, neutiquam patri cognominem; aut vero, quaſi e ſexcentis, quæ in marmoribus antiquis leguntur cum Iuliæ prænomine feminis, exiſtimandum ſit illud omnibus a patre profectum, ac non a matribus ſubinde, maritis, ac aliunde ſæpe adſcitum; uti a *Matre* in ſequenti lapide.

a Append. p. 40.
b Itin. To. III. p. 113.
c Differt. de Veſta &c. p. 385. in Append. Sel. Num. Seguin.
Num. Urb. Ill. p. 355.
Jac. Gronou. Antiq. Græc. To. III.

IULIÆ PROCILLÆ Θ ANN.
XLVIII. L. COCCEIUS CUBITUS
MARITUS ET IULIA IUNIANA
ET COCCEI. PROCULUS FLOK
ENT. CUPITUS FILI. FEC.

Theſ. Grut. DCCXV, 3.

Ibi utique filius a patre Cocceius Proculus, filia vero Iulia a matre dicitur. Quomodo Q. Meſſii Traiani Decii filiam Herenniam Etruscillam, nullo etiam paterno nomine adſumpto, a matre demum appellari paullo ante vidimus. Adde non Romanum, ſed gente Thyatirenum, ut ex eadem Inſcriptione liquet, fuiſſe illum *Proclum Heroa*. Id vero mirari forte magis ſubit (dictum enim cenſorem ſolito indulgere ea in re genio, quis miretur?) quod idem vir cruditus, qui iſtud paullo ante adductum de hac *Iulia Procla Heroina*, velut illius *Procli Herois*, cuius meminit Inſcriptio Thyatirena, filia monuerat, in recuſa poſtmodo cum aliis eius operibus illius libri editione, non ſolum, quod ſæpe & prouide fieri tum ſolet, minus id, quod antea adfirmauerat, probauerit; ſed, quaſi nihil unquam tale ſibi in mentem veniſſet, aut aliis venire debuerit, hanc inſuper comminationem addiderit: „Caue enim hanc Procli „illius filiam eſſe exiſtimes, quem ΠΡΟΚΛΟΝ ΗΡΩΑ Thyatireni pa„riter vocant in vetuſta Inſcriptione apud Sponium in Itiner. Athen. Ergo, iuxta virum doctum, quicunque *Clodii*, vel *Clodiæ*, aut *Iulii* vel *Iuliæ* vocantur in monumentis antiquis, & Græcarum quidem urbium inter alia, quorum amplam ſegetem eædem ſubminiſtrant, e duabus illis antiquis nobiliſſimisque apud Romanos Familiis ſeu Gentibus *Claudiâ* & *Iuliâ* genus

Harduin. Oper. Select. p. III.

continuo arcessere censendi sunt? Quæ utique quo loco haberi debeant, quiuis haud plane hospes in versandis id genus inscriptionibus aliisue cimeliis antiquis, aut variis nominum appellationumue, quæ in iis & apud Auctores sequioris ævi occurrunt, fontibus secernendis facile intelligit. Ne vero, quod adhuc addendum hic venit, hæc *Iulia Procla Heroina*, cuiusdam *Iulii Procli* sub Decio Smyrnæ Proconsulis, cuius in Actis Pionis martyris apud Theod. Ruinartum mentionem reperit dictus supra

Jac. Gronou. Antiq. Græc. ut supra.

censor, filia continuo statuatur, obstat nummi illius fabrica seu singularis elegantia, quem inde duo optimi peritissimique eius rei arbitri, & quibus nummum ipsum versare licuit, de quo paullo ante Fr. Gottifredi, eiusque insuper possessor Abbas Seguinus, ad ipsam M. Aurelii ætatem referunt. Quo loco id insuper dicendum est, quod sub eodem Imperatore re-

To. I. p. 711.

periuntur, quosque alibi iam protuli, Græci Smyrnæorum nummi, in quorum auersa parte *Prætoris Clodii Procli Sophistæ* nomina ac tituli signantur; nota vero sit aliunde, & ex eadem nummorum penu, Sophistarum illius ætatis, & in Proconsulari quidem Asia, non unam urbem incolentium, aut qui haud unam etiam patriam iactarent, indoles: prout e Thesauris Gallorum Regiis duos eiusdem M. Aurelii nummos ibidem adtuli, in quorum auersa parte *Attalus Sophista Duplici Patriæ Smyrnæ Et Laodiceæ* legebatur, nempe ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟΔΙΚ. Sed qua de re plus satis; ut, occasione appellationis illius ΗΡΩΙΔΟΣ huic *Iuliæ Proclæ* tributæ, non ea iam hic repetam, quæ pluribus ad Callimachum de hac voce, ubi eadem legitur, aut Ηρωίναις, vel Ηρώναις, vel Ηρώσσαις, quæ idem innuunt, obseruauimus.

36. *De* Magnia Urbica.

Ut vero ad alias sequentium adhuc Imperatorum Uxores transeam, occurrit continuo MAGNIA URBICA, non tamen iuxta vulgus antiquariorum; qui eam Maxentio Herculii Maximiani filio tribuunt, aut in serie Augustorum post eum demum collocant: ut eos iam mittam, qui Magnentio vel Decentio eandem coniugem adiudicant. Quorum illud tamen dubitanter, ac merito quidem, est a viris in hac supellectile versanda exercitatis, [a] Tristano, [b] Patino, ac [c] Biragio factum; quum nulla utique certa vel probabili etiam coniecturà illa de hac Augusta, velut Maxentii uxore, sententia, ubi eam proprius excutere aliis dein in hac palæstra itidem subactis licuit, niteretur. Primus autem, quod equidem sciam, solers ac eruditus Harduinus eam ad anteriora paullo tempora e nummorum, qui illam exprimunt, forma, adscriptisque vulgo literis KAS retulit, & Carini vel Numeriani, sed Carini verius, uxorem esse in Numismatibus sæculi Constantiniani statuit. Huius vero vestigiis insistens alius inter Gallos hisce antiquitatis studiis deditus nec vulgariter in iis subactus Genebrier, cuius exstat alia ac supra memorata de Nigriniano Dis-

a To. III. p. 462.
b Rom. Imp. p. 365.
c Num. Imper. p. 42.

Pag. 238.

sertatio, hanc *Magniam Urbicam* ad eandem ætatem e nummorum itidem fabrica additisque literis, refert; sed ita, ut non Carini vel Numeriani, sed eorum patris *Cari* uxorem eandem exstitisse statuat. Additis rationum momentis, cur iidem forte Taciti vel Probi, quem Carus excepit, uxori adscribi non possint. Istud vero de Caro inter alia e præclaro eiusdem Augustæ it nummo adsertum; in cuius anteriori parte caput illius depingitur, cum inscriptione MAGNIA URBICA AUG., in auersa vero Mulier sedens cum pomo & hasta, stante a tergo altera Muliere seu Felicitate

Dissert. de Magnia Urbica. Paris. 1704.

cum

cum Cornucopiæ & Caduceo; ante vero ſedentem Mulierem ſtant duo parui liberi, & epigraphe eſt, PUDICITIA AUG. quosque liberos *Carinum* & *Numerianum* deſignare idem cenſet. Cuius autem inſignis nummi, illiusque vix alibi obuii, unà & alterius, quem idem vir eruditus ibi profert, in quo eadem Auguſta conſpicitur, in altera vero nummi parte SALUS PUBLICA, icones hic ſimiliter proſtant.



Mitto quæ de MAGNIÆ & URBICI vel URBICÆ haud ignotis labente imperio nominibus e lapidibus antiquis adtulit vir eruditus. Cui ſententiæ de hac *Magnia Urbica*, velut Cari uxore, acceſſit poſtea in edita nouiſſime Hiſtoria Auguſta e nummis, ut fert titulus, Reſtituta, quodque velut a ſe primum animaduerſum ibidem tangit, Harduinus. Exſtitit vero breui poſt alius eiusdem Regiæ apud Gallos Societatis, quæ de Inſcriptionibus Nummisue antiquis aut recentibus elucidandis illuſtrandisue arbitra velut eſt inſtituta, adſeſſor, qui eam de hac *Magnia Urbica*, ut Cari coniuge, ſententiam ſibi impugnandam in eodem illo celebri conſeſſu ſuſcepit, ut ex editis de Republica Literaria clariſſimi Bernarti, apud Batauos, ſcriptis percipere licuit: nullo cæteroquin indicato Imperatore, cuius uxorem illam exſtitiſſe ſtatuat. Quamquam enim variis, quæ eam in rem adfert idem Cenſor, de Caro, tanquam *Magniæ Urbicæ* coniuge, coniectura omnino adſtruatur: verumtamen eſt aliquid, & de quo ſilet idem Cenſor aut alio refert, quod ſuſpenſum hic quempiam teneat, immo obſtare poſſit, ne illa *Magnia Urbica* Cari uxor & Carini ac Numeriani mater ſtatuatur. Carus nempe ad imperium e dignitate, qua fungebatur, Præfecti Prætorio adſcitus, continuo creatis Cæſaribus, aut iuxta veteres aliquot nummos & inſcriptiones legum Codicis, Auguſtis nuncupatis, duobus filiis Carino & Numeriano, ac miſſo ad tuendas Gallias maiore natu Carino, cum iuniore Numeriano contra Perſas eſt profectus: intraque triennium ſunt iidem, Pater nempe & duo Filii e medio ſublati, ut tradunt veteres, qui de iis agunt, Auctores [a] Vopiſcus, [b] Euſebius, uterque [c] Victor, [d] Eutropius, [e] Zonaras. Unde liquet, quòd depicta Mulier, in præclaro huius *Magniæ Urbicæ* nummo paullo ante adducta, duoque teneræ ætatis pueruli, quorum prior ad eam manus tendit, neutiquam de *Carino* & *Numeriano* poſſint intelligi, tum temporis iam maturæ, ac priore virilis etiam ætatis, iuniore vero uxore continuo ducente, ubi parens Carus eſt ad imperium euectus; immo ambobus paterni faſtigii velut conſortibus ſimul factis. In quo tamen nummi ſchemate magnam ſuæ illius coniecturæ vel adſertionis, quo eam Caro adiudicaret, robur conſtituebat vir eruditus. Adeo ut alius ille id quidem bene ac vere, iuxta ſolertem, qui ei, id ipſo agnoſcente, præiuerat, Harduinum, viderit, nouisque

Select. Oper. pag. 879.

a In Caro c. vi.
b Chronic. p. 178.
c Cæſarib. & Epitom. c. XXXVIII.
d Lib. VIII. c. 12.
e Annal. To. II. p. 638.

que probationibus euicerit, ne eadem *Magnia Urbica* Maxentii uxor, aut vero Magnentii, vel Decentii, deinceps ſtatueretur; ac ut ad Cari ac filiorum, vel qui proxime ac intra breue admodum annorum curriculum imperauerant, Taciti, Floriani, Probi, ætatem referatur continuo eadem Auguſta. Cuius vero ex iis, vel alterius forte Imperatoris, coniux cenſeri omnino debeat eadem Auguſta, probabiles forte coniecturas adferre hactenus viris eruditis ac ſagacibus licet; haud certo tamen, donec id alicuius nummi vel monumenti veteris auctoritate nitatur, ea de re ſtatuere.

37. *De* GALERIA VALERIA Galerii Maximiani *coniuge, &c.*

Neque idem negotium hic faceſſit, quæ in paucis aliquot nummis legitur, GALERIA VALERIA AUG. quam *Valerii Diocletiani* filiam, *Galerii Maximiani* coniugem exſtitiſſe ipſa eius nomina indicant, ut viderunt iam præſtantes antiquarii, & quæ cæteroquin uno VALERIÆ nomine apud Auctores illorum aut proximorum temporum, [a] Lactantium, [b] Euſebium, [c] Eutropium, & [d] Zonaram, vocatur. De qua autem Auguſta, poſt mariti Galerii obitum, varioque eius fato, Maximini, ad quem confugerat, nuptias auerſata, indeque ab eo in exilium acta, infelici tandem eius exitu, plura obſeruat antea ignota, quum nuſpiam alibi legantur, in aureo libello ante annos haud ita multos reperto [e] Lactantius. Neque vero fidem hisce derogabit viri eruditi, ſed [f] *coniecturis* ſuis ac *diuinationibus*, ut ipſemet eas vocat, nimium indulgentis opinatio: dum hanc *Galeriam Valeriam*, non Galerii Maximiani Uxorem, ſed [g] Filiam exſtitiſſe, eandemque dicti modo Maximini ſororem, Conſtantii vero Chlori coniugem ſtatuit. Unde pari dein fiducia ac iure, quod illibenter utique de viro cæteroquin eruditione ac ingenio præſtante, & qui ſe nobis amicum publice profeſſus eſt, dicimus, illius Conſtantii habitam hactenus priorem coniugem, vel iuxta alios, concubinam, magni autem Conſtantini matrem, HELENAM, ſeu quæ, ut primi olim vidimus, & qua de re mox, FL. IUL. HELENA diceretur, præter omnium, coæuorum etiam Auctorum ac monumentorum fidem, nulloque prolato eius rei teſtimonio, Conſtantini Magni uxorem ſtatui poſſe contendit. Sed ne his redarguendis immoremur, non *Flauiam* ſolum, ſed *Iuliam* dictam inſuper, quod modo adtigimus, eandem *Helenam* e ſingulari nummo Romæ apud celebrem tum urbis antiquarium Leonardum Agoſtini a me inſpecto pridem monueram: quod firmauit poſtea alius, & cum integro etiam *Iuliæ* nomine, prolatus ab eruditiſſimo du Cange nummus, FL. IULIA HELENA AUG. A Filio vero Conſtantino AUGUSTÆ appellationem ei demum inditam (quippe a Conſtantio necdum Auguſto, & quo Herculii Maximiani filiam vel priuignam duceret, repudiatam) nummosque cum illo titulo, & quales ſuperſunt etiamnum, percuſſos, tradunt Euſebius ac Sozomenus, itemque Sulpitius Seuerus: *Nam* HELENA *mater principis Conſtantini, quæ* AUGUSTA *cum filio conregnabat.* Ad alteram vero illam eiusdem Conſtantii coniugem & Herculii, iuxta propiores iis temporibus Auctores, Euſebium, Victorem utrumque, Eutropium, priuignam, vel, iuxta alios, filiam, THEODORAM, quod attinet, ea inſuper FL. & MAX. ſeu *Flauiæ* & *Maximianæ* nomine, ut vulgo antiquarii, aut iuxta veterem nummum pridem a nobis adductum, MAXIMA THEODORA AUG. dicitur, in cuius nummi auerſa parte mu-

a De Mort. Perſecut. c. 1.
b Chronic. p. 178.
c Lib IX. c. 14.
d To. 1. p. 640.
e Ut ſupra c. XXXIX, L. & LI.
f Select. Oper. p. 502.
g Ibid. p. 458, 460.
Ibid. p. 478.
Famil. Byzant. Tab. II.
Lib. II. c. 49.

mulier infantem lactens cernitur, & inſcriptio PIETAS ROMANA. Iſtius autem mulieris ibi ſtantis typus eſt ab eo aliquantum diuerſus, quem cum eadem auerſæ illius partis inſcriptione diuulgarunt viri præſtantes, [a] Triſtanus, [b] Patinus, & [c] Du Cange, & cum inſcriptione in priori nummi area FL. MAX. THEODORA, uti e ſequentibus ectypis liquebit. Neque enim hic monendum cenſeo, quòd eadem *Theodora* non Conſtantii vulgo Chlori, ſed Conſtantii nepotis uxor ab [d] Harduino, pro lubitu, nulla certe eius rei ratione vel auctoritate exhibita, traditur.

a To. III. p. 240.
b Num. Imp. p. 359.
c Famil. Byzant p. 15.
d Select. Oper. p. 485.

Infauſtam vero Magni Conſtantini coniugem, eiusdem Herculii itidem filiam (unde a Lactantio de eodem Herculio Maximiano dici legimus, *Conſtantium generum ſuum & generi*, Conſtantii nempe Chlori, *filium*) non FAUSTAM ſolum, ſed FLAVIAM & MAX. *Maximam*, ut ipſe dictus eſt FLAVIUS MAXIMUS CONSTANTINUS, ſeu, ut vulgo nummorum id genus interpretes, a patre nempe, *Maximianam* dictam adſequimur e reſiduis aliquot eius nummis. Qualis eſt ſequens magnitudine inſuper conſpicuus, a me in cimeliis Reginæ Chriſtinæ olim inſpectus, eaque id indulgente diuulgatus, in quo eadem *Fauſta* cum duobus liberis, uno quem ſiniſtra tenet, altero ante illam ſtante, cui eadem dextram porrigit, cernitur, cum inſcriptione PIETAS AUGUSTÆ.

De Mort. Perſec. c. XXIX.

Quo loco omitti haud debet, quamquam eadem AUGUSTÆ nomine haud decoratur, ea, cuius nummus ab [a] Octauio Strada, dein a [b] Chifflетio in Anaſtaſi eſt editus, ac ab [c] Harduino dein Criſpi Cæſaris uxor tradita, e ſimili cum altero ibi Criſpum indicante nummo formâ, nempe FL. MAX. HELENA. Id vero, de quo ſilet vir eruditus, de quapiam Criſpi uxore, *Helena* appellata, ſed de qua nuſpiam apud Auctores occurrat mentio, haud e nummo quopiam, ſed e quadam Lege Codicis Theodoſiani explicandum monuerant iam ante [d] Triſtanus, ac dein [e] Du Cange, viri eximii: cuius autem legis a Conſtantino M. ad Maximum P. V. ſeu *Præfectum Urbis* Romæ, uti cenſet clariſſimus illius Codicis Interpres, non vero P P, ut ea inſcribitur, ſeu *Præfectum Prætorio*, perſcriptæ hæc ſunt

a Pag. 169.
b Pag. 278.
c Sel. Oper. p. 474.
d To. III. p. 569.
e Famil. Byzant. p. 46.

Leg. 1. C. Th. de Indulg Crimin. To. III. p. 267. verba: *Propter* CRISPI *atque* HELENÆ *partum omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, adulteros. Act.* III. *Nouemb. Romæ Probiano & Iuliano Coss.* Mitto hic varias de prioribus illius Legis, & quæ occasionem ei dederit, verbis eiusdem doctissimi Interpretis coniecturas, quòd ea de Crispi & Helenæ Natali, quorum ille dudum ante & e priori uxore Mineruia, non vero ex adducta modo Fausta, & quæ iam Constantino erat nupta, contigerat, non possent intelligi: ac proinde, ut pro *partum* ibi *pactum* legatur, inter Crispum nempe & Helenam matrimonium; vel *paratum* aut *apparatum*, itineris nempe eorum ad urbem Romam: quam ipse amplectitur. Unde is *Helenam* Constantini Matrem, de qua paullo ante, non alteram cognominem Constantini filiam, ea lege designari existimat, idque inde, quod multis post annis, ea cum fratre Constantio tum Imperatore Romam, auctore Ammiano Marcellino, primum venerit. Lib. XVI. c. 10. Quum tamen longe probabilior sit Baronii de eodem loco, & quam sequitur quoque Tristanus, opinatio: ut nempe *Crispi atque Helenæ partum* intelligamus, de fœtu e Crispo ac Helena, quæcunque tandem illa fuerit, edito. Neque mirum adeo vel nouum videri debet, si, quum haud multa de Crispi, dum viueret, actis, si infelicem eius exitum excipias, legantur in priscis illius & proximæ ætatis scriptoribus, nulla occurrat initi ab eo matrimonii, natique ex eodem infantis mentio. Illius vero *Helenæ*, Constantii sororis & Iuliani coniugis, quam Romam *adfectionis specie*, ut ea de re dicto loco Ammianus, duxit secum Constantius, indices adhuc sunt prisci ac superstites nummi, apud [a] alios, sed potissimum apud diligentissimum Byzantinæ historiæ illustratorem [b] Du Cange conspicui, cum inscriptione FL. HELENA AUGUSTA, vel FL. IUL. HELENA AUG. vel etiam HELENA FL. MAX., quod postremum per *Maximianam* reddunt vulgo præstantes antiquarii, & iuxta eos Du Cange, & suadere videtur simile matris *Faustæ*, ut vidimus, illiusque Herculii Maximiani filiæ, adscriptum in nummis eius nomen; quum alioquin a marito Constantino, *Maximi* cognomen nacto, ut *Flauiæ*, ita etiam *Maximæ* appellationem desumpsisse videri posset; quomodo Constantii dein Imperatoris filia FLAVIA MAX. seu *Maxima* CONSTANTIA, ut interpretatur alibi idem Du Cange, in veteri nummo, sed apud Goltzium demum, legitur. Ibidem p. 51. Dictam vero HELENAM Iuliani Imp. coniugem, camque Constantii Imp. sororem, Magni autem seu Maximi Constantini filiam, etsi ea de re fileat memoratus paullo ante vir doctus; aut eandem, quam Crispi vel Constantini Maximi uxorem, ut paullo ante vidimus, statuat, vel unus, qui Juliano in Oriente contra Persas militanti comes adfuit, abunde docebit, grauis præterea Scriptor, Ammianus Marcellinus. Lib. XVI. c. 10.

a Tristan. To. III. p. 231. Patin. Num. Imp. p. 385.
b Famil. Byzant. Tab. XV.

38. *De alus adhuc Augustorum uxoribus.*

Ut autem harum Augustarum agmen iam claudam, & quidem quarum certior e probis ac genuinis nummis fides, succedant prior Magni Theodosii uxor [a] ÆLIA FLACCILLA AUG. Arcadii vero Filii [b] ÆL. EUDOXIA; Theodosii Iunioris [c] ÆL. EUDOCIA; Placidii Valentiniani LICINIA EUDOXIA; Magni Theodosii e Matre cognomine filia, & Constantii Imperatoris ab Honorio renuntiati uxor [d] GALLA PLACIDIA, quam male cum Matre altera dicti Theodosii coniuge confundit [e] illustris Biragius. Cuius autem posterioris *Placidiæ* Bulla insuper seu Sigillum plumbeum

a Du Cange Famil. Byzant. p. 61.
b Ibidem p. 63.
c Ibidem p. 65.
d Ibidem p. 65, & 72.
e Num. Imp. p. 320.

beum e Muſeo S. Genouefæ Pariſienſis depromptum, in Appendice Selectorum Seguini Numismatum conſpicitur, cum illius *Auguſtæ*, ut eadem ibi quoque inſcribitur, titulo, capite autem variis gemmarum ſpiris inſigniter ornato, ac epigraphe D. N. GALLA PLACIDIA P. F. AUG. illinc Victoria ſtat, ſeu Angelus verius, cum Cruce ac literis R. V. nempe, ut ibi illæ quoque enarrantur, *Regina Viſigothorum*, quod eadem Placidia Atolpho Viſigothorum Regi matrimonio fuerit iuncta. Pag. 330.

Hisce vero AUGUSTARUM nummis addendæ inſuper veniunt Marciani Imperatoris uxor, & ſoror Theodoſii iunioris, [a] ÆLIA PULCHERIA; Leonis Magni [b] ÆLIA VERINA in aureo nummo, qualem vidi olim in cimeliis Cl. Seguini, & cui ſimilem exſtare in Cimeliarchio Cæſareo pridem quoque monui; aut Iuſtini, vulgo Thracis, ÆL. MARC. EUPHEMIA, cuius aureum itidem nummum verſaui recens tum in Regiam Gallorum Gazam illatum, neque antea a præſtantibus antiquariis Pariſienſibus viſum: qui autem ſinguli memorati modo nummi AUG. ſeu *Auguſtæ* titulum iisdem Auguſti coniugii conſortibus tribuunt. Ut nunc de IUSTA GRATA HONORIA cum eodem quoque titulo, ſed de qua iam ante, ſileam. Alias inſuper quasdam eorundem temporum & aliquanto etiam anteriorum AUGUSTAS hic mitto, quarum nummi unius ferme, qui eos deſcribit, Goltzii fide nituntur. Cuiusmodi ſunt Galli Cæſaris uxor & Magni Conſtantini filia FL. IUL. CONSTANTIN. AUG. ac ſimiliter, cum addito AUG. titulo, Valentiniani uxor VAL. SEVERA; Valentis fratris ALBIA DOMINICA; Gratiani FL. MAXIMA CONSTANTIA Magni Theodoſii altera uxor GALLA PLACIDIA; Honorii FL. MARCA; Anthemii FL. MARCIANA; Nepotis FL. ARIADNA; Baſiliſci FL. ZENONIDA; Iuſtiniani THEODORA, & Phocæ LEONTIA. Quas ſingulas hic ſeorſim enarrandas duximus, ut minus adhuc in verſando veteri hoc ære, argento, auro, exercitati continuo intelligant, quarum AUGUSTARUM nummi reperiantur hactenus, quique pro genuinis habeantur, aut haberi debeant; ac viciſſim quorum ſuſpecta ſit vel ſubleſta omnino fides; immo qui nullibi etiam viſi, & mere ad lubitum deſcripti videantur & obtruſi.

[a] Fam Byzant. p. 67. & 70.
[b] Ibidem p. 78.

III.

De ALIIS AUGUSTORUM ADFINIBUS *vel* NECESSITUDINIBUS *in Nummis.*

ACcedunt præterea in reſidua veterum Nummorum, quæ ad Hiſtoriam Auguſtam reſpiciunt, penu, aliæ ipſorum Cæſarum vel Auguſtorum ADFINITATES, aut NECESSITUDINES, quæ in iisdem conſignantur. E quibus autem, & cuiusmodi plures ſunt iam a diligentibus antiquariis diuulgati, aut in præclaris Cimeliarchiis adhuc ſunt reconditi, ad ſupplementum ac integritatem Hiſtoriæ Auguſtæ haud parum accedit præſidii. Præcipua certe AUGUSTÆ olim domus ſubſidia vel ornamenta continuo ſe hic offerunt: Gener Auguſti AGRIPPA, eiusque non ſolum liberi, ſed iidem ipſius Auguſti Nepotes & adoptione Filii,

CAIUS & LUCIUS; Priuignus autem eiusdem NERO CLAUDIUS DRUSUS; huius Filius, & eiusdem Augusti, post eum a Tiberio adoptatum, Nepos GERMANICUS; ipsius vero, cum Tiberii filius DRUSUS, tum Germanici liberi NERO ac DRUSUS; denique: *Hic Cæsar & omnis* IULI *Progenies.*

1. *De* MARCELLO, Octauiæ & Cl. Marcelli *filio.*

MARCELLUM vero, Octauiæ, ororis Augusti, & Claudii Marcelli filium, breues illos ac infaustos Quiritium amores, nummus quidam Mediceus, uti pridem monui, arguere nonnullis videbatur; in quo hinc *egregius formâ iuuenis*, illinc S. C. cum inscriptione P. LICINIUS STOLO IIIVIR AAA. FFF., cui geminum vidi postea apud eximium Seguinum. Quamquam in eo nummo iuuenis potius Augusti quam Marcelli signatos vultus alii existiment, de quo ut iudicet peritus huius peculii æstimator, eundem conspiciendum hic damus.

Illius vero Marcelli effigiem e gemma veteri depictam videas apud [a] Ursinum, ac inde apud [b] Tristanum, ne quem terris fata tantum ostenderunt, illa posteris eadem omnino inuidisse conqueramur. Ut nunc mittam illustris Peireskii, depictum hunc Marcellum, ac primo quidem loco, in memorabili illo Achate Tiberiano statuentis, sententiam; a qua alii inter se, cæteroquin diuersi, haud immerito discesserunt celebres huius insignis cimelii interpretes Tristanus, Rubenius, de Roy, ac nouissime Harduinus.

a Illustr. Imag. Tab. LXXXVII.
b To. I. p. 134.

2. *De* M. Antonii *Triumuiri liberis.*

Iuuabit vero huc adducere, non obuios solum & ex iis singulares quosdam M. ANTONII Triumuiri, cui mater e gente Iulia, uxor vero Augusti soror Octauia, sed ipsius Antonii filios, M. ANTONIUM e Fuluia, & ALEXANDRUM e Cleopatra genitos. Hos enim e duobus rarissimis nummis protulere duo præclari in Gallia antiquarii; priorem, nempe *M. Antonium*, [a] Seguinus; posteriorem [b] Tristanus: illum vero *Antylli* nomine, seu cognomen id ei fuerit, quod censet ad Suetonium Casaubonus, a [c] Plutarcho ac [d] Dione appellatum, cuique desponsatam fuisse, incolumi nempe adhuc inter duos illos Triumuiros amicitia, Iuliam Cæsaris Augusti filiam, tradit, præter eundem [e] Dionem, [f] Suetonius. Quæ de altero, & quidem e Cleopatra, filio *Alexandro*, eoque radiato & cum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, Regis nempe Armeniæ, titulo dicenda veniunt, suppeditabit Tristanus. Meretur vero uterque nummus, cum M. ANTONII F. seu *Filii*, tum ALEXANDRI, alterius M. Antonii filii oppido rarus; neque alibi hactenus, quod sciam, visus, hic quoque conspici.

a Select. Numism. p. 112.
b To. I. p. 60.
c In M. Anton. p. 953. & 955.
d Lib. LI. p. 454.
e Ibidem.
f In Aug. c. LXIII.

Qui

Qui nempe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ſeu *Regis* titulus huic Antonii & Cleopatræ filio *Alexandro* in eius nummo tributus, alteri ſimul Matris Cleopatræ nummo fidem adſtruit, inſcripto REGINÆ REGUM FILIORUM REGUM CLEOPATRÆ. Eiusdem vero Matris cognominem filiam & huius Alexandri ſororem Jubæ Regi nuptam, una cum mariti nomine & vultu, exhibet ſingularis nummus ab eximio Morellio, ac ante etiam a nobis, in priori huius operis parte, diuulgatus. Haud vero ita liquidum, quid de ectypo ſequentis nummi ſtatuendum ſit, qui incredibilis venuſtatis e Gaza Palatina in Regiam Brandenburgicam, cum aliis veterum nummorum cimeliis, transiit: quemque alii e gemma veteri expreſſum credunt; & quo quidam non iam Antonii, ſed Iulii & Cleopatræ filium CÆSARIONEM, alii vero ANTINOUM, de quo poſtea, alii rurſus quem volunt aut fingunt (apertus enim hic coniiciendi campus) ſignatum arbitrantur.

Vaill. Hiſt. Ptol. p. 194.

Specim. Tab. XXIII. Diſſ. VIII. p. 543.

3. *De* AGRIPPA *altero* Iuliæ *marito.*

AGRIPPAM vero illum bello inuictum, neque Cæſaris ſolum Generum, ſed Auguſto imperii præcipuum adſertorem, in eius etiam ſocietatem, data ei Tribunitia Poteſtate, quodammodo adſcitum, nummi plures etiamnum oſtentant, quales diuulgarunt iam antiquarii; in quibus nempe modo ſolus occurrit, modo cum Auguſto ſocero coniunctus, cuius ſcilicet perpetuus victoriarum ſocius, vel auctor etiam, exſtiterat. Clarum vero illum maxime triumphis maritimis, ſatis adhuc euincunt & ſuperbum Coronæ Roſtratæ inſigne, & Neptunus cum Delphino ac Tridente, quæ vulgo in iisdem nummis obuia. Haud aliter nempe ac Clitus, quum ad Amorgum aliquot Græcorum Triremes ſubuertiſſet, Neptunus, iuxta Plutarchum, dici voluit Tridente itidem armatus. Rarus vero eſt quidam nummus Mediceus, in quo caput eiusdem Agrippæ ſine corona illa nauali, & in auerſa Tropæum depingitur, cum clypeis & inſcriptione, HERENNIO PRÆT. quæ rurſus ſplendida ſunt victoriarum huius Agrippæ monumenta. Unde etiam Manilius eundem addit viris fortibus in cœlum receptis:

De Fortun. Alexand. p. 338.

Et Cato Fortunæ victor, Matrisque ſub armis
Miles AGRIPPA *ſuæ*;

Lib. I. v. 795.

quem locum non adſequutus eſt ὁ πάνυ Scaliger, qui legendum in eo credidit *Martisque ſub annis Miles Agrippa ſui.* Dictus nempe eo loco *miles*

Agrippa suæ Matris sub armis, hoc est, sensu certe haud valde recondito, Patriæ suæ seu Romæ belligerantis, Jano nondum clauso. Ne quis hic socrum Octauiam, cuius nempe Marcellam filiam duxerat, designari existimet, ut primo coniecerat idem Scaliger, sub qua scilicet militauerit Agrippa; aut cum illustri Huetio *patris sui* legendum coniectet, ut intelligatur socer Augustus, qui Marcellæ loco filiam Iuliam Agrippæ in uxorem dederat. *Matres* nempe, ut notum, vulgo pro *Patria* apud utriusque linguæ Auctores passim dictæ; prout Pindarus de Thebis, [a] Μάτερ ἐμά. Italia Troianorum [b] *antiqua Mater* Virgilio audit; Alba [c] *Romæ parens* apud Florum; Roma Claudiano [d] *Mater Regumque Ducumque*, & Agrippæ proinde inter eos Duces haud infimi. Qua etiam ratione Coloniarum *Matres*, *Parentes*, ac *Metropoles* vulgo nuncupatæ, quæ aliàs *Origines*, *Patria*, aut *Maior* & *Antiqua Patria*, & qua de re nos alibi, vocabantur: ac *parere* proinde eædem dictæ apud Tertullianum: *Scythæ exuberant Persas: Phœnices in Africam eruptant: Romanos Phryges* PARIUNT. Illud autem *sub armis* loquendi genus est eidem Manilio familiare, & sicut de Româ bella gerente, ita de eius æmula:

a Isthm. Od. 1. v. 1.
b Æn. III. v. 96.
c Lib. I. c. 3.
d In Sec. Cons. Hon. v. 175.

Quondam Carthago regnum sortita SUB ARMIS;

Lib. IV. v. 100.

ac rursus:

quumque ipsa SUB ARMIS
Pax agitur.

Ibidem v. 626.

ac usitatum inprimis, quod notandum, æuo Theodosiano, ad quod referunt nonnulli ætatem Manilii, aut ei proximo Constantinianeo, ut liquet e Constantii lege lata anno Christi CCCXLVI: [a] *Quicunque* SUB ARMIS MILITIÆ *munus Comitatense subierunt*. MILES etiam eodem & superiori iam ante æuo pro *Officiali* usurpari solitus, ut alibi ad eundem Codicem Theodosianum obseruat [b] doctissimus eius Commentator: quamquam & Velleius iam olim de se Præfecto Castrorum dixerit: [c] *Tiberii Cæsaris* MILITEM *fecit*; aut Curio apud Cæsarem: [d] *Equidem me Cæsaris* MILITEM *dici volui*. Immo prout ipse J. Cæsar de se, ut Agrippa hoc loco, ad Romam apud Lucanum ait:

a Leg. XXXVIII. C. Th. de Decurion.
b Jac. Gothofr. Comm. C. Th. p. 35. To. III.
c Lib. II. c. 104.
d Bell. Ciu. l. III. c. 32.

Cæsar ubique tuus (liceat modo) nunc quoque MILES.

Lib. I. v. 202.

Ea vero fuit *militis* huius *Agrippæ* apud posteros veneratio, ut aliquot eius nummi a Tito, Domitiano, & Traiano restitui meruerint; laudabili illis temporibus & inducto ab Augusto more, a quo restituti dicuntur apud Suetonium illorum ducum honores, a quibus propagatum est Romanum imperium.

In Aug. c. XXXI.

4. *De* CAIO & LUCIO Agrippæ *ex* Iulia *filus.*

Cæterum, eundem Agrippam a me Romæ olim visum in singulari nummo Augustæ Christinæ pridem monui, in quo hinc Augustus & Liuia cum inscriptione ΣΕΒΑΣΤ. seu *Augusti:* illinc *Agrippa* cum filiis *Caio* & *Lucio* sunt depicti, cum nomine ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ seu Carum *Alabandensium*, a quibus est ille percussus. Eundem vero insignem nummum a celebri Antiquario inter Græcos Augusti nummos, immo iam ante in

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 7.

Ce-

Cenotaphiis Piſanis a doctiſſimo Noriſio editum videas; hic vero oppor- Pag. 93.
tune, & quod a me pridem ante facta fuerat prima eius mentio, inſerendum. Cui & alium, iam ſupra a nobis indicatum, nec tamen vulgatum hactenus, Græcum itidem nummum, cuius ab eximio præſtantiſſimi Begeri noſtri τοῦ μακαρίτου, ſuique auunculi, in Regii Antiquarii munere ſucceſſore Johanne Carolo Schot miſſa eſt ad me delineata ab eodem effigies, addemus; quæ hinc utriusque capita oſtentat, cum ſolis eorum prænominibus ΓΑΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΣ, illinc figuram ſtantis Veneris & ſtolatæ, ſeu eorum Matris Iuliæ, ut ille nec improuide coniectabat, ſub Veneris habitu, quæ dextra pomum tenet, ſiniſtra laciniam veſtis tollit, & epigraphe ΑΡΑΤΟΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΝΕΙΚΑΙΕ. *Aratus Scriba Cilbianorum Nicæenſium.*

Cilbianorum vero *Nicæenſium*, a quibus poſterior nummus eſt percuſſus, ut obiter hoc tangam, mentio itidem occurrit in aliis, quos deſcripſerunt iam celebres antiquarii, Cæſarianis nummis, ut Hadriani, Iuliæ Domnæ, Vaill. Num. Imp. Græc. eiusque filiorum Antonini, vulgo Caracallæ & Getæ, ΝΕΙΚΑΕΩΝ Harduin. Select. Oper. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, vel etiam ΝΕΙΚΑΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΚΙΛΒΑΝΩ, *Ni-* p. 82, 121.
cæenſium in Cilbano, magno ſcilicet ac habitationibus (ut de illo Strabo) apto in Ionia Campo, prope Epheſum, Cayſtro, iuxta Euſtathium ad Lib. III. p. 619.
Periegetem, contermino. Quæ *Cilbianorum* appellatio eſt iisdem nummis addita ad diſcrimen alterius primariæ in Bithynia urbis *Nicææ*. Quum vero ex his Cilbiani alii οἱ Ἄνω, alii οἱ Κάτω, ſeu *Superiores* ac *Inferiores*, ut Lib. V. c. 29.
de iis Plinius, & inde opportune eam in rem ab Harduino adductus, dicantur in aliquot ex indicatis modo Cæſarianis nummis, nempe ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΑΝΩ, vel ΤΩΝ ΑΝΩ, & ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΚΑΤΩ, ad poſteriores ſeu *Inferiores* ſpectaſſe hos *Nicæenſes Cilbianos*, ex addita ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ſeu *Scribæ*, quo munere dictus ibi *Aratus* apud eos fungeretur, appellatione licet ſtatuere. Quod ex alio eiusdem circiter ætatis, certe cuſo ſub Auguſto, nummo, inſcripto ΚΛΕΑΝΔΡΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΤΩΝ ΚΑΤΩ, *Cleandri Scribæ Cilbianorum Inferiorum*, monuit iam celebris Antiquarius: quum alii num- Vaill. ut ſupra p. 198.
mi Regiæ Gallorum Gazæ, aut illuſtris Foucault, præferant, ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ ΑΝΩ, aut ΤΩΝ ΑΝΩ, cum *Archontis* non ſolum, ut exiſtimabat laudatus Antiquarius, ſed etiam cum *Strategi*, ſeu *Prætoris*, qui tum iis præeſſet, nomine.

Ut vero ad *Caium* & *Lucium*, de quibus hic agitur, Auguſti naturâ Nepotes ac adoptione Filios redeam, ſingulares omnino ſunt eorum nummi, qui ex iis CAII ſolum aut LUCII caput & nomen exhibent; quales aliquot protulit Triſtanus (quamquam unus ex iis non ad *Caium* To. I. p. 141.
Agrippæ filium, ſed ad *Caium* Agrippinâ eius filiâ prognatum, vulgo

Ca-

Bonini. *Caligulam*, ut ab erudito Tristani censore est obseruatum, referri debuit) plura vero in dictis modo Cenotaphiis Norisius, in quibusdam autem cum addito supra eorum capita, ut in adducto Alabandensium nummo, Iulio sidere. Qua ratione etiam CÆSAR uterque, postquam Augusti adoptione, ut bene est ab eodem Norisio monitum, sunt in familiam Iuliam, cuius cognomen erat CÆSAR, ipsius Octauii, dein Augusti, exemplo adsciti, dici meruit.

5. *De* NERONE CLAUDIO DRUSO. Neque minus Augusti priuignum, NERONEM CLAUDIUM DRUSUM, etsi in eandem stirpem Iuliam haud adoptatum, nec CÆSAREM proinde dictum, quod utrumque filio eius GERMANICO contigit, ex Senatusconsulto signatum cernimus in præclaris aliquot nummis, & quales sunt etiam a Tito, ut olim vidimus, ac a Domitiano restituti. Quamquam eidem Druso *Augusti Filii* & *Cæsaris* titulum & cognomen tribuat Græcus, & singularis quidem, nummus Gazæ Gallorum Regiæ ab eximio Morellio diuulgatus; in quo nempe huius Drusi laureatum caput inter simpulum ac Lituum, Pontificatûs, quod monuit iam Morellius, & Auguratûs insigne visitur, ac memorabilis epigraphe, ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ, *Drusus Cæsar Augusti Filius*; in auersa vero parte Tiberii & Germanici capita cum nominibus desuper ΤΙΒ. ΓΕΡ. *Tiberius*, *Germanicus*, infra ΚΑΙΣΑΡΕΣ *Cæsares*. Quæ nummi illius inscriptio (in priori eius area *Cæsaris* & *Augusti Filii* nomen ac titulum Seniori Druso tribuentis) & de qua re cæteroquin filet præstans Antiquarius, mihi continuo haud uno nomine mira videbatur; ab aliis certe Romanæ historiæ, quam Auctores, lapides, nummiue exhibent, monumentis aliena: in quibus nusquam illius adoptati ab Augusto Drusi, ac inde *Cæsaris* cognomen nacti, facta occurrit mentio. *Cohæredem* quidem super filiis, qui tum supererant, dicti nempe paullo ante *Caius* & *Lucius*, institutum ab Augusto hunc Drusum tradit Suetonius: sed ita, ut ii facti eidem Druso superstites, soli tum *Augusti Filii* & *Cæsares* dicerentur. Unde in ipsa funebri eiusdem Drusi laudatione *Deos*, teste ibidem Tranquillo, *precatus sit Augustus*, *similes ut* CÆSARES SUOS *facerent*. Accedebat, quòd, ubi fato sunt functi iidem *Cæsares*, ac annis aliquot post mortem huius Drusi, Tiberius, natu maior eius frater, sit in eorum locum ab Augusto adoptatus, a Tiberio autem Germanicus: ac inde in eorum nummis, TI. CÆSAR AUG. F. *Tiberius Cæsar Augusti Filius:* alter vero, GERMANICUS CÆSAR TI. AUG. F. DIVI AUG. N. *Tiberii Augusti Filius Diui Augusti Nepos* sint appellati. *Cæsar* nempe in iis dictus *Germanicus*, quod, ut ipsa nummi inscriptio arguit, mortuo iam Augusto, Tiberii tum Augusti foret adoptione filius. Descriptum vero a celebri Antiquario eundem nummum, sed aliunde depromtum, videre dein mihi licuit, ac in cuius anteriori parte cum iisdem cæteroquin symbolis ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, *Drusus Cæsar Augustus* legitur, & cum iisdem in auersa nummi parte Tiberii & Germanici titulis & capitibus; sed ita ut is *Drusum* in priori parte, non, ut a Morellio factum, ad seniorem Drusum ac Tiberii fratrem, sed ad iuniorem *Drusum* Tiberii filium referat; inscriptum vero in altera nummi parte Tiberium, de *Tiberio* illius Drusi Filio, ac proinde Tiberii Augusti Nepote, interpretetur. Sed quo de hisce, & quæ dicenda adhuc ea de re venient, lectori li-

Specim. Tab. xv. & p. 155.

In Claud. c. 1.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 9.

liquidius constet, nummi ipsius oppido singularis icon, qualis est ab eximio Morellio edita, hic erit subiicienda.

Unum hoc inter nummi illius, eiusque, quem vulgauit celebris Antiquarius, inscriptionem discrimen cernitur; quod in prima nummi area non, ut hic, ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ, sed ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ legitur. Quod utique magis adhuc insolens videri debet, dignumque erat omnino, quod uno verbo adtingeret vir præclarus: quum aliunde sat constet, neque ignorare is posset, qui tot annos in versandis tradendisque antiquis, & quidem Historiæ Augustæ potissimum nummis, triuit, nullum exstitisse DRUSUM, nec Tiberii eo nomine Filium, qui AUGUSTUS sit nuncupatus. Unde aliquid desiderari in priori illa inscriptione, quæ ita forte Liburno a Doctore quodam Medico, illius nummi, ut ex eodem celebri Antiquario discimus, possessore, sit ad eum missa; aut eam ab ipsomet esse properanter lectam, est omnino statuendum. Adde, quòd in auersa illius nummi parte, signata, iuxta præstantem Antiquarium, Tiberii Drusi filii, ac proinde Tiberii Augusti Nepotis, ac simul Germanici capita, cum communi utrique inscriptione *Cæsares*, iique velut annis haud multum dispares, parum cum historiæ veteris fide conueniant, iuxta quam idem ille Drusi filius, post mortem Aui Tiberii Augusti, prætextatus adhuc, iuxta [a] Suetonium, & qui tum primum, iuxta [b] Philonem, e puero in adolescentem euadebat, quum octodecim annis iam ante fato functus foret Germanicus. Unde utique in tractatione huius nummi minus oculatos fuisse duos cæteroquin usu & notitia veterum nummorum hac ætate præ aliis conspicuos dicendum est; aut, si genuina sit tradita eius ab eximio Morellio epigraphe, ut in Græca quapiam urbe percussus ille fuerit; ubi Drusus, alter Liuiæ filius & Augusti priuignus, ab eodem adoptatus & *Cæsar* quoque dictus credebatur; idque eo magis, quod Caii & Lucii in filios adscitorum, ac inde *Cæsarum*, cohæredem, ut e Suetonio paullo ante diximus, eundem instituerat Augustus: atque ita pari, iuxta fratrem Tiberium ac filium Germanicum, honore adfecerat.

I. Vaillant ut supra.

a In Calig. c. XIV.
b Legat. ad Caium p. 995.

6. *De* DRUSO Tiberii *filio.*

Ipsum vero Tiberii filium DRUSUM CÆSAREM, non in aliquot solum Romanis nummis, ac in uno ex iis, quem Titus Imperator restituit, sed in Græcis quoque depictum subinde haud ignorant, qui has eruditæ vetustatis reliquias paullo adtentius tractant. Insignis vero est præ cæteris ille, qui a *Commuui Asiæ*, una cum Germanici adoptione fratre, percussus cernitur, isque a præstantissimo Morellio, iuxta superiorem nummum a nobis memoratum, editus; in cuius nempe priori area legitur: ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *Drusus Et Germanicus Cæsares Iuniores Dii Fratres se*

Specim. Tab. XV. & p. 156.

Mutuo Amantes; illinc vero ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΣΙΝΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, *Sub Caio Asinio Pollione Proconsule*, & in corona querna, ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ, *Commune Asiæ*. Alium cum iisdem typis numum, sed paullo aliter inscriptum, exhibet, quod monet etiam ibi Morellius, Musæum S. Genouefæ, nempe ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΕΛΦΟΙ, *Drusus Cæsar Germanicus Cæsar Fratres*; in cuius nummi altera parte legitur, ΕΠΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΛΕΩΝΟΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, ac in corona itidem querna, ΚΟΙΝΟΥ ΑΣΙΑΣ, *Communis Asiæ sub Alexandro Cleone Sardianorum:* qualem etiam nummum, velut e Gaza Gallorum Regia, priorem autem e Patritii Veneti Hier. Corrari cimeliis, describit celebris Antiquarius. Præclari vero nummi, a Morellio e Musæo Canonici Parisiensis id genus cimeliis instructissimo, adducti eo gratius hic erit ectypum, quod duo in eodem singularia occurrant; prius illa ΝΕΩΝ ΘΕΩΝ, qua *Iuniores Dii* Drusus & Germanicus decorantur, appellatio, haud aliter ac ΝΕΑ ΗΡΗ, *Noua Iuno* Messalina in memorato iam ante, ubi de Mulieribus Augustis egimus, nummo, vel Sabina Hadriani ΝΕΑ ΔΗΜΗΤΗΡ *Noua Ceres* in veteri inscriptione dicitur: alterum, quòd ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ duo illi adoptione fratres nuncupantur, quomodo postea in concordiam fratrum Antoninorum, vulgo Caracallæ & Getæ, sed irrito studio, certamina ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ sunt a Nicæensibus, Sardianis ac Perinthiis, iuxta corum, in Seuero & Iulia Domna, nummos, instituta.

Muse. p. 76.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 10.

7.

De NERONE *ac* DRUSO Germanici *liberis, &c.*

Duos autem, cum eiusdem Drusi Gemellos virilis sexus, ac inde utrumque cornucopiæ insertum; tum, ne desit scilicet aliquis [a] *magna de stirpe Nepotum*, duos etiam Germanici filios, NERONEM ac DRUSUM, conspiciendos præbent veteres nummi. De *Drusi* Gemellis adiri possunt, qui eorum nummum diuulgarunt, illustres antiquarii [b] Tristanus ac [c] Biragius: Germanici vero duos Caio maiores natu filios, ac a [d] Tiberio ad mortem adactos, signatos in nummo Gazæ Mediceæ docebit sequens deprompta inde eius icon.

a Virg. Æneid. VI. v. 864.
b To. I. p. 171.
c Numm. Imp. p. 72.
d Sueton. in Tiber. c. LIV.

In priori nempe eius parte expressa est Tiberii effigies, cum inscriptione TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. P. M.; in auersa autem NE-

NERO ET DRUSUS CÆSARES QUINQ. C. VINC. quæ postrema explicanda veniunt *Quinquennalis Caius Vincius*. Quamquam pro *Vincio*, cuius Gentis aliqua sed obscura occurrit in antiquis lapidibus mentio, *Vinicium* mallem, si per nummi scripturam liceret. Germani quippe gener *M. Vinicius*, cui illius filiam Iuliam uxorem dederat Tiberius; & quem proinde alibi inter Cæsaris *progeneros* recenset Tacitus. Gentilis itaque eius *C. Vinicius* (quo nomine unus inter suffectos Consules occurrit apud Gruterum) & a quo hic honor Germanici liberis habitus, ut eos cum Auo eorundem Tiberio ære signandos curaret. Idem vero QUINQ. seu *Quinquennalis* nummo est inscriptus, quales lustri ac ludorum caussà cum Romæ singulorum ferme Corporum & Collegiorum, tum in Coloniis ac Municipiis plures exstitisse viderunt iam eruditi, & cuius generis *Duumuiri Quinquennales*, *Quinquennales Perpetui*, *Quinquennales* etiam, & *Quinquennalitia Potestate* frequenter occurrunt in lapidibus antiquis, ac inter nummos etiam Gentium Romanarum in superiori Dissertatione indicatos. Talis etiam *in patria sua Quinquennalis* exstitisse traditur Hadrianus, hoc est, Ἄρχων διὰ πέντε ἐτῶν, & Ἄρξας τὸν πενταετηρικὸν, ut tales scilicet vocantur in duabus Inscriptionibus Neapolitanis. *Quinquennales* alias ludos vulgo in Principum honorem, ac pro eorum salute vel parta victoria celebrari solitos, designatos etiam videas in sequenti Postumi nummo aurco; utpote qui per annos septem, iuxta [a] Trebellium, aut decem etiam, iuxta [b] Eutropium, Augusti dignitatem obtinuit. Hinc rarioris nummi, quem vidi apud illustrissimum Colbertum, inscriptio est POSTUMUS PIUS AUG. in auersa autem parte Victoria cum clypeo, sinistro pede basi insistens cernitur, ac epigraphe QUINQUENNALES POSTUMI AUG.

Tacit. Annal. VI, 15.
Ibidem c. 45.
Supra p. 102.
Spartian. in Hadrian. c. XIX.
a Trigint. Tyran. c. II.
b Lib. IX. c. 7.

Occurrunt cæteroquin iidem Germanici liberi NERO & DRUSUS CÆSARES in aliis adhuc nummis, quos duæ figuræ equestres in iisdem repræsentant; uti in quodam Mediceo, iique Caii fratris iussu, ut videtur, expressi cum inscriptione C. CÆSAR DIVI AUG. PRON. AUG. P. M. TR. P. IIII. P. P.

Et hæc quidem de hisce nummis, quibus illi duo Germanici liberi consignantur, ac memorato modo Postumi nummo pridem tradideram, cum adductà etiam prioris illius Gazæ Mediceæ nummi, ac alterius etiam Postumi, icone: quum iidem dein ab eximio Patino sunt quoque, neque uno in opere, diuulgati, sed ille cum duobus Germanici filiis minus integre, uterque etiam citra additam ullam iis lucem. Prolatus est quoque ab eo alter ille memoratus modo a me nummus, cui insculptæ sunt duæ figuræ Equestres, circum autem NERO ET DRUSUS CÆSARES. Quæ nempe *Cæsarum* appellatio iis, tanquam in familiam Iuliam, quod de patre eorum Germanico constat, ut paullo ante vidimus, adoptatis tribuitur.

Diss. de Præst. &c. Num. p. 443, 444.
Num. Imper. p. 60. & Thes. Numism. p. 10.
Num. Imper. p. 69.

8. *De Claudii Imperatoris liberis in nummis.*

In hanc præterea nummorum, quibus Augustorum liberi vel propinqui subinde consignantur, classem inferendus is venit, in quo, a Colonia Patrensi in Achaia percusso, tres CLAUDII Imperatoris LIBERI, cum duplice itidem Cornucopiæ consignantur; qualem cum Mutinæ in Gaza Estensi, tum Romæ apud clarum urbis antiquarium Leonardum Agostini, quod pridem, adducto tum etiam sequenti eius ectypo, monui, inspicere mihi licuit, & quale postea a [a] Patino, [b] Bellorio, & [c] Vaillant, præstantibus antiquariis, est quoque diuulgatum.

a Num. Imper. p. 647.
b In Num. Angeloni p. 48.
c Num. Colon. Imp. p. 108.

Nummi nempe inscriptio, quod ibi quoque tradideram, est LIBERIS AUG. COL. AA. P. seu *Liberis Augustis Coloniæ Augustæ Aroes Patrensis.* Deductam nempe Patras ab Augusto Coloniam monuit iam olim Strabo; & iuxta eundem euincunt plures nummi vulgo inscripti COL. AA. PATREN. & unus etiam sub Augusto COLON. AUGUSTA PATREN. *Aroen* vero aut *Aroam* eandem dictam, antiquo conditoris nomine, docet Pausanias, ut ad alium huius urbis nummum erudite iam obseruauit Cl. Seguinus. Quum vero eandem quoque illarum literarum COL. AA. P. *Coloniæ Augustæ Aroæ Patrensis* explicationem amplexus esset in libro de Nummis Urbium illustratis eruditus Harduinus, id sibi postea in noua Selectorum eius Operum editione, & quasi numquam a se antea prolatum, fugillandum credidit: nempe " quòd, Pausania auctore, vulgo antiquarii in hoc „ nummo & similibus legunt *Colonia Augusta Aroe Patrensis*; additque, „ quod si re ipsa vetus illud nomen *Patrarum* fuit, non commoraretur „ illud in nummis voce *Patrensi.* Quum tamen idem, in recensendis dein aliis illius urbis nummis, uti in priori editione factum ab eo fuerat, ita in hac quoque postrema, adductum a Goltzio nummum refert " ΚΙΜΩΝ „ ΑΡΧΗ ΠΑΤΡΕΩΝ, sed mendose, ut vere ait, pro ΑΡΟΗ ΠΑ- „ ΤΡΕΩΝ, *Aroe Patrensium*, ut nos *Lutetiam Parisiorum* dicimus: commemorato proinde in illius urbis nummis, quod paullo ante negauerat, veteri illo, neque dubio amplius, *Aroes* cum altero recentiori *Patrarum*, seu *Patrensium*, nomine. Adeo ut, vel eo iudice, haud necesse sit utique " prius A ibi, in iisdem nummis, pro *Prima* vel inde interpretari, quod, „ sicuti libri eius de nummis antiquis doceant, A pro *primo*, quoties in „ nummis occurrit, sumi debeat. Certe in nummis, in eâ, quam eodem Coloniæ *Primæ Flauiæ* titulo gloriari memorat ibi vir doctus, Cæsarea Palæstina cusis, id non literâ A, sed adscripto aut integro nomine PRIMA, nempe COL. PRIMA FL. ut in Traiani, Antonini Pii, M. Aurelii, aliisque Cæsarianis nummis; aut quandoque solâ literâ Romanâ P. ut COL. P. F. vel P. FL. AUG. CÆSAR, aut cum duabus interdum literis PR. nempe COL. PR. F. signatum legitur. Quomodo etiam alibi, sub nomine Eumenii Pacati, duos Græcos nummos inscriptos ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ Η ΠΡΟ

Lib. VIII.
Lib. VII. p. 432.
Select. Num. p. 115.
Pag. 384.
Select. Oper. p. 131.
Ibid. p. 132.
Vid. etiam ibid. p. 39, 343, 637.

ΠΡΟ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, aut Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, ἡ Πρώτη Σεβαστὴ Σεβαστῶν, explicat *Cæsarea Prima Augusta Augustorum*; de quibus cæteroquin nummis, quo referendi iidem veniant, consuli potest, quæ nouissime in Batauia in lucem prodiit, erudita doctissimi Cardinalis Norisii Parænesis.

Tria autem capita superiori illo Claudii nummo expressa, totidem Claudii liberos arguunt, virilis nempe sexus BRITANNICUM, ac muliebris ANTONIAM & OCTAVIAM, quarum illam e priori coniuge Petina, hanc vero cum Britannico e Messalina suscepit; quomodo tres eosdem illos Claudii liberos, adscriptisque eorum nominibus, in alio singulari eiusdem Claudii nummo, quem eius possessor ὁ μακαρίτης Morellius protulit, depictos supra vidimus. Eundem vero, quem hic adduximus, nummum, ediderat iam ante Octauius Strada; sed ita ut nihil plane ad eius lucem, nec in qua urbe vel colonia cusus idem foret, indicasset. Pag. 34.

9. *De duobus* BRITANNICI *nummis.*

Alium vero eiusdem BRITANNICI nummum ibi quoque protulerat idem [a] Strada, cum epigraphe in auersa eius parte, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΤΙΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΟ ΝΚΟ, quæ mire exercuit eruditos Antiquarios, dum eandem ad lubitum refingunt, ut videre licet apud [b] Tristanum, à quo nummus ille est denuo editus; sed ubi nouam etiam commentus est, absonam certe & futilibus coniecturis, quod illibenter dico, nixam eius lectionem: nempe ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙΝΕΙΟΥ [pro ea scilicet, quam Goltzius adtulerat ΕΤΙΜΙΝΑΙΟΥ] ΒΑΛΟΙΟΥ. Ad quam vero stabiliendam duo is ignobilia Macedoniæ oppida, unum Ptolemæo Επινείου, alterum Stephano Βαλοίου nomine descriptum, pro uno eodemque, cum adiuncta Metropoleos dignitate, secure venditat. Neque opus pluribus arguere quàm inuito Apolline, & sensu omni ac scripturâ repugnante, hæc hariolatus sit nobilis Antiquarius. Verum non ad *Corinthum*, ut primo conieceram, sed quod ibidem mox addidi, ad *Nicomediam* referendum omnino eundem nummum, signatumque in eo Bithyniæ tum sub Claudio Rectorem, *Aulum Mindium Balbum*, liquet ex alio eorundem *Nicomedensium* nummo, inscripto Α ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΜΗΤΡΟ ΝΕΙΚΟ; atque ita legendum in hoc nummo, qualem etiam aliunde profert ibi celebris Antiquarius, ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒ. ΝΚΟ ΜΕΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Sub Mindio Balbo Nicomediensium Metropoleos.* Neque ignota Triremis effigies in aliis huius Nicomediæ nummis, sicuti in sequenti, cum duobus desuper Ædiculis, deprompto e Gaza Christinæ Augustæ.

a Ibidem.
b To. 1. p. 199.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 13.
Ibid. p. 15.

Alium vero, & insignem quidem, huius Britannici nummum, qui nunc

exstat in Thesauris Gallorum Regiis, e Peireskianis cimeliis, ut ibidem docet, protulerat Tristanus, Alabandæ in Caria signatum, cum Britannici capite & inscriptione in prima nummi area, ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Claudius Britannicus Cæsar*; in altera ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandensium*, cum figura nuda, quæ dextra pateram tenet, infra Equus. Eundem postea nummum e propriis cimeliis, & cum Ceruo loco Equi signatum, adtulit Cl. Seguinus, cui suffragatur quoque celebris Antiquarius. E quo autem nummo id præterea, de quo silent viri præstantes, licet aduertere, cum omissum in eodem, uti in aliis quoque, qui supersunt huius Britannici nummis, gentile, quod, Dione auctore, ei fuit inditum, TIBERII prænomen; tum cognomen GERMANICI; pro quo illud BRITANNICI, post res a parente Claudio in Britannia gestas, & quidem *proprii nominis* loco, quod alibi obseruat idem Dio, & adstruunt omnino supersites adhuc eius nummi, fuerat ei a Senatu delatum. Haud mirum vero, quod CÆSAR tantum, non utique AUGUSTUS, in eodem nummo aliisque vocatur; sed magis forte mira eiusdem Dionis obseruatio, id velut singularis in Claudio moderationis exemplum inter alia tradentis, quod nato filio Britannico AUGUSTI nomen dari non est passus. Id enim ea ætate necdum erat receptum, ut duo tresue etiam Augusti simul imperarent; sicut dein sub M. Aurelio ac L. Vero, & sub Seuero duobusque filiis Antonino & Geta factum, quod vel ex eorum nummis constat; & ad quem, qui sub iis principibus vixit, receptum tum morem respexisse eo loco censendus est Dio. Alium vero eiusdem Britannici nummum laudatus modo Antiquarius ibidem profert, eumque pro rarissimo a laudato Seguino habitum, e Museo Comitis Laza, in quo hinc Britannici caput cum nomine ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, illinc Neronis, cum inscriptione ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. Cuius, uti & superioris *Alabandensium*, cum rara cæteroquin Britannici huius effigie, adsunt hic ectypa.

To. 1. p. 199, 200.

Select. Num. p. 129. Vaill. Num. Imp. Græc. p. 15.

Lib. LX. p. 673.

Ibid. p. 679.

Ut supra p. 673.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 15.

A quibus autem huius BRITANNICI nummis, quos hactenus viderant antiquarii, diuersus est, qui exstat adhuc, & a me olim memoratus ac visus est inter præclara Regiæ Christinæ Gazæ cimelia, qui in priori parte Claudium & Agrippinam ostentat; in altera stantem ac togatum Britannicum, cum inscriptione ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΒΡΕΤΑΝΙΚΟΣ, *Cæsarensium Britannicus*. Duos adhuc eiusdem *Britannici* nummos, a Thessalonicensibus ac Iliensibus cusos, suppeditabit celebris Antiquarius; ac unum itidem e cimeliis illustrissimi Colberti, ΒΡΕΤΑΝ. ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣ. *Britannicus Nero Cæsares*, cum aduersis eorum capitibus.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 15.

10. *De* Vitellii *liberis.*

Duos etiam VITELLII LIBEROS ad posterorum memoriam prodit nummus aureus cum inscriptione LIBERI IMP. GERM. AUG. cuius ecty-

ectypum acceptum feret lector (quæ mea pridem de eo olim edito sunt verba) summo tum literarum Patrono Leopoldo Cardinali Medicco.

Unde mirum utique videri potest, cur ἄπαιδα, seu *sine liberis*, vocet alicubi Vitellium Josephus. Ubi enim comparationem Vitellii ac Vespasiani instituit: Οὐδὲ, inquit, ἀντὶ τοῦ ἡγεμόνος ἀγαθοῦ, τύραννον ὠμότατον, ΑΠΑΙΔΑ δὲ ἀντὶ πατρὸς αἱρεῖσθαι πρὸς ταύτην, *neque enim pro bono Imperatore crudelissimum Tyrannum:* NULLOS *autem habentem* LIBEROS, *præ Patre optaturos principem:* ita enim postrema verba explicanda veniunt, ubi παῖδα pro ἄπαιδα, contra apertum loci sensum, legerat interpres, dum eadem vertit, *aut filium pro patre optaturos principem.* In eo enim discrimen inter Vespasianum ac Vitellium collocat Josephus, ac præferendum inter alia innuit Vespasianum, quod liberos idem haberet, eosque scilicet ætate florentes & unum ex iis Judaicæ expeditionis socium; sine prole autem foret tum, aut haberetur, Vitellius. Verum habuisse Vitellium utriusque sexus liberos, præter indubiam auctoritatem superioris nummi, clare haud uno loco Tacitus ac Suetonius docent; quorum posterior narrat, cum e priori uxore Petronia natum ei filium captum altero oculo; tum de altera, Galeria Fundana, quòd *de hac quoque liberos utriusque sexus tulit*; immo & filiam quidem patri superstitem, & cuius nuptias Otho ambiuerat, quam, ut de eo alibi idem Tranquillus, Vespasianus postea *splendidissime maritauit dotauitque:* filium autem, sub ipsa arrepti imperii initia GERMANICUM a patre dictum, *cinctumque omnibus*, ut de eo Tacitus, *fortunæ principalis insignibus*, breui post infelicia patris fata, Muciani Vespasianarum partium ducis iussu; iuxta Tranquillum vero, una cum patre interfectum. Nisi ideo ἄπαιδα dixerit Josephus præ Vespasiano Vitellium, quod cum infans adhuc foret, ut Tacitus eum ante appellauerat, tum insuper, ut de eodem Suetonius, *titubantis oris, prope mutus & elinguis*, ac imperio proinde parum idoneus, eius filius: Vespasiano autem duo forent filii famâ, ut dixi paullo ante, ac ætate florentes, unus etiam ex iis Judaicæ expeditionis gloriâ conspicuus, iidemque signati similiter in Parentis nummis LIBERI IMP. AUG. VESPAS. Ἀπαιδὲς cæteroquin, ut hoc addam, & ἄτεκνοι dicti apud veteres Atticos Auctores, non solum qui nullos haberent liberos, sed etiam, qui eos amiserant: ut apud Æschylum Persæ dicuntur τοκῆες δὲ ἄπαιδες, *parentes liberis orbi*, quos amiserant nempe in clade Salaminia; & alibi: Ἀτέκνως κλαύσω πολεμάρχας, *liberis orbos plangam duces exercitûs*, qui nullos nempe, ut ibi veteres Critici, liberos successores relinquerent.

Bell. Iud. l. v. c. 10.

In Vitell. c. vi.

In Vespasian. c. xiv.

Histor. l. ii. c. 59.

Histor. l. iv. c. 80.

In Vitell. c. xviii.

Ut supra H. l. ii. c. 79.

In Vitell. c. vi.

Pers. v. 581.

Sept. Theb. v. 834.

II. *De* CÆSARE Domitiani *filio.*

E duobus autem dictis modo Vespasiani liberis alteri, DOMITIANO nempe, Filium CÆSAREM natum, in prima infantia mortuum, ac DIVIS adscriptum, arguit adhuc hodie Matris DOMITIÆ nummus, cum pueruli effigie supra Globum inter Astra collocati, ceu Sideribus recepti, & inscriptione DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI F. Ut liqueat certe

Lib. III. v. 625. certe cur, *ô natæ Deum Diuosque daturæ* dicatur a Silio Italico Domitianus; mox autem:

Ibid. v. 629. SIDEREI *iuxta radiabunt tempora* NATI;

aut cur *Deorum parens* idem a Statio dicatur. Præter alia insuper eiusdem To. I. p. 348. Poëtæ loca, quæ ad illustrationem huius nummi iam adtulit Tristanus, accedunt alii adhuc eiusdem Domitiæ nummi, in quorum auersa parte sedens eadem cum hasta & ante eam puerulus stans cernitur, cum inscriptione DIVI CÆSARIS MATER.

12. *De Imperatorum patribus, qui in nummis occurrunt.*

Neque vero LIBEROS solum, sed PATRES etiam, quamquam priuatos, quod de *Matribus* iam ante vidimus, eadem filiorum pietas hisce nummorum monumentis, & subinde etiam DIVIS adscriptos, consignauit. L. VITELLII parentis actionem Censoriam, cum nomine & dignitatis illius appellatione, ostendit adhuc, & de quo alio loco a nobis agetur, VITELLII Imperatoris nummus. TRAIANI vero PATREM, Divi elogio decoratum, in aliquot Augusti illius nummis legimus, qui inscribuntur in auersa eorum area, DIVUS PATER TRAIANUS, vel DIVI NERVA ET TRAIANUS PATER, cum aduersis eorum capitibus; sicut in sequenti nummo Cimeliarchii Leopoldi Cardinalis Medicei, e quo eundem olim protuli, cernitur.

Vaill. Præst. Num. P. I. pag. 52. P. II. p. 123, 124.

Ut mirari forte quispiam posset, a Plinio Iuniore, ita utrumque, cum adoptiuum tum naturalem Traiani Imperatoris Patrem, qui in posteriori nummo DIVI titulo ex æquo insigniuntur, inuocari, ut eum titulum priori solum, seu Neruæ, a quo fuerat Traianus adoptatus, non vero naturali eius parenti largiatur: indeque etiam aliam ei sedem a sideribus, Panegyr. c. XI. etsi iis vicinam, tribuat; quibus autem illatum a Traiano Neruam iam ante dixerat, & quibus alibi dein subdit hæc de utroque Traiani parente Ibid. c. LXXXIX. verba: *Quanto nunc*, DIVE NERVA, *gaudio fueris:* mox: *Sed & tu*, PATER TRAIANE, *nam tu quoque, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem, &c.* Verum, quum iidem illi Traiani nummi, qui hunc DIVI titulum ex æquo utrique adoptiuo & naturali eius parenti, vel huic etiam soli, tribuunt, sint sexto demum illius Imperatoris Consulatu, ut anterior eorum pars arguit, percussi; Plinianus vero Panegyricus sit eidem ante quartum eius Consulatum dictus; hinc liquet, quòd necdum ea DIVI appellatione consecratus fuerat a Traiano naturalis eius parens. Id vero singulare, etsi forte ab hoc loco alienum, de hoc Traiano Patre monere hic liceat, exstare rarum omnino in cimeliis illustrissimi Pembrochiæ Comitis nummum, in quo eius velut Syriæ sub Nerone Rectoris facta occurrit mentio; ad cuius rei fidem, quod inde demum id constet, iconem præclari eiusdem nummi hic adponendam duximus.

Ad

Ad *Traianum* vero Imperatorem, uxoremque eius *Plotinam* Auguſtam, non ad naturales, uti olim, nummo haud inſpecto, cenſueram, ipſius Hadriani Parentes, reſpicit aureus huius Auguſti nummus, cum aduerſis Traiani & Plotinæ capitibus, ac ſtellis deſuper, & epigraphe DIVIS PARENTIBUS. Neque minus illuſtrandus hic venit, uti ibidem a nobis factum, Auctor Octauiæ, apud quem legitur:

Nero ipſe DIVO *Domitio genitus* PATRE. Verſ. 249.

ubi fruſtra ſollicitant hunc locum eruditi, & pro *ipſe Diuo* putant legendum *inſitiuus*. Haud enim mirum vel inſolitum in antiquis monumentis, quod vel ex adductis modo duobus Traiani nummis liquet, ut DIVUS ibi a Tragico vocetur imperantis tum Neronis pater, quamquam priuatus, & extra Auguſti faſtigii ſocietatem defunctus; cuius etiam *Domitii patris memoriæ honores maximos habuiſſe* ab initio principatûs, & quidem oſtentatione pietatis, dicitur Nero apud Suetonium. Pium vero in parentes exſtitiſſe HADRIANUM, nempe in TRAIANUM, a quo fuerat adoptatus, & eius uxorem PLOTINAM, cuius operâ potiſſimum fuerat ad illud faſtigium euectus, docet memoratus paullo ante illius principis nummus, DIVIS PARENTIBUS, aliique adhuc inſcripti DIVO TRAIANO PATRI AUG. aut DIVUS TRAIANUS PARTH. PATER. Quibus addi poteſt Græcus ac ſingularis eius nummus, in cimeliis illuſtris Foucault, in quo idem non *Traianus* ſolum ſed *Neruæ* etiam *Nepos*, ut in lapidibus ſubinde, dicitur, nempe ΑΥΤ. Κ. ΝΕΡ. ΥΙΩ. ΓΡΑΙΑΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ. h. e. Αὐτοκράτωρ Καίσαρ Νέρουα Υἱωνὸς Τραϊανὸς Ἀδριανός. In Nerone c. IX. Hard. Select. Oper. p. 758.

13. ANTINOUS Hadriani *catamitus in nummis.*

Verum, quæ ſumma eiusdem Imperatoris impietas & veſania exſtitit, catamitum etiam ſuum, in ipſo adoleſcentiæ flore exſtinctum, diuinis honoribus, Templis, Sacerdotiis, Hypophetis, urbe de nomine eius appellata, inſana denique HEROIS ſeu DIVI, immo ΘΕΟΥ etiam, appellatione conſecrari voluit. Quod luculenter utique euincunt ſelecti illi cæteroquin ac plures nummi, quibus ΑΝΤΙΝΟΟΣ (quod nomen fuit, ut vulgo notum, illius amaſii) ΗΡΟΣ, vel ΘΕΟΣ, cum addita eius effigie, inſcribitur. Ἥρωες nempe Græcis, qui Romanis *Diui*, *Conſecrati*, *ſideribus Recepti*; unde ab Auguſto dictus apud [a] Dionem Cocceianum parens Cæſar, Ἥρως Ἰούλιος, *Diuus Julius*, iuxta eius nummos; ac Antoninus, vulgo Caracalla, militibus id efficientibus, ex Senatusconſulto [b] inter Ἥρωας ſeu *Diuos* relatus: & Fauſtinæ M. Aurelii coniugis conſecratio Ἡρῴνας ſeu *Diuæ* nomine, quod ſupra iam monui, a [c] Iuliano Imperatore deſignata. Huius vero ΗΡΩΟΣ ſeu *Diui* Antinoi nummos, ſub inſignis formæ iuuenis effigie, recondunt paſſim illuſtria Cimeliarchia, ac in auerſa eorum parte aut Bouem, aut Arietem, aut Aquilam, aut Equum, aut

a Lib. LI. p. 458.
b Idem l. LXXVIII. p. 892.
c In Cæſarib. p. 334.

Tripodem; quandoque vero Deum Lunum, aut Mercurium cum petaso ac talaribus, aut Antinoi ipsius figuram equestrem cum Caduceo; aut eundem Pegaso, vel Grypho vectum exhibent. Percussi autem sunt iidem nummi ab *Achæis*, *Adrianotheritis* in Thracia, *Ægyptiis*, *Arcadibus*, *Bithynis*, *Bithynienſibus* in Bithynia, *Byzantiis*, *Calchedoniis*, *Corinthiis*, *Cyzicenis*, *Hierapolitanis*, *Iulienſibus* in Phrygia, *Nicomedienſibus*, *Philadelphenſibus* in Lydia, *Sardianis*, *Smyrnæis*, *Tarſenſibus*, *Tianis*, uti de pleriſque olim monueram; & cuius generis nonnullos æri inciſos iam ediderant præſtantes Antiquarii, Octauius Strada, Erizzo, Du Choul, Triſtanus, Seguinus; ac vulgarunt dein Patinus, Biragius, Abbas Nicaſius, Abbas du Camps, Philippus Buonarotti, ac Jo. Vaillant, & quales itidem in præclaris cimeliis obuios deſcripſit nouiſſime Harduinus. Ut vel ſatis inde liqueat, non fuiſſe hunc *Heroa* ex eorum genere, qui in Patria tantum colebantur, & quos Πατρῴους, vel Ἐγχωρίους Ἥρωας vocarunt Græci; quales erant Athenienſium *Heroes*, ad quorum cultum lege Draconis perpetua, ut eam vocat Porphyrius, iidem tenebantur; & quem etiam huic Antinoo a patria delatum docent duo eius nummi, quorum prior eſt a me olim in cimeliis Reginæ Chriſtinæ inſpectus, & de quo paullo poſt uberius, Η ΠΑΤΡΙΣ ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ, *Patria Antinoum Deum*, vel ΑΝΤΙΝΟΟΥ Η ΠΑΤΡΙΣ, *Antinoi Patria*. Ut proinde vere ſit a Clemente Alexandrino traditum, hunc amaſium, non in Ægypto ſolum, ubi is eſt fato functus, ſed apud Græcos etiam, Romani Imperatoris (Hadriani nempe) iuſſu, vel motu, uti ea de re Juſtinus Martyr, conſecratum. Haud vero præterire hic licet unum vel alterum nummum, inſcriptum ΑΝΤΙΝΟΟΣ ΗΡΩΟΣ, vel ΗΡΩΟΣ ΑΝΤΙΝΟΟΥ, quos non *Herois* ſcilicet vel *Dini Antinoi*, ſed *Antinoi Deo geniti* explicandos cenſuerit nouiſſime memoratus modo Harduinus: nempe " qui Heros Hadriano ex „ concubina ſit in Bithynia natus, atque ab eo poſitus ibi prouinciæ Præ„ fectus, vel toti etiam Aſiæ Minori. Spurcas ſe omnino, quod addit „ continuo, fabulas, quas impuri ſcriptores de Hadriano ac Antinoo „ commenti ſunt, prætermittere. Quod profecto viro erudito uti tot alia, quæ illibenter, ſed adigente id eo, de quo a nobis agitur, argumento, tangimus, excidiſſe nollem: idque vel maxime, quod impuris Scriptoribus, qui ſpurcas de Hadriano ac Antinoo fabulas tradiderint, non Dio ſolum, vel Spartianus, vel Aurelius Victor, Gentiles Auctores, ac totidem viro erudito (uti alibi haud ſemel appellantur) fabulatores, ſed e grauiſſimis Scriptoribus Eccleſiaſticis [a] Tertullianus, [b] Clemens Alexandrinus, haud uno loco [c] Origenes, [d] Athanaſius, [e] Chryſoſtomus, [f] Hieronymus, forent adnumerandi, qui Hadriani παιδικὰ, vel τὸν παιδικὸν, vel ἡδονὴς αὐτοῦ ὑπηρέτην, vel τὸν ἐράμενον, vel, quod idem infert, *cinædum*, *in deliciis*, *quem vehementer deperiret*, memorant; aut qualis, metu quandoque & reuerentia, Hadriano tum in imperio Succeſſoris, Antonini Pii, non expreſſe, haud obſcure tamen, ſub ὡραίῳ μειρακίῳ, *formoſi adoleſcentis* nomine, ut a [g] Juſtino Martyre, ac dein a [h] Tatiano deſignatur. An vero *impuri Scriptores* inde dicendi continuo veniant, ut hic & alibi ſubinde fit a viro erudito, qui res quidem *ſpurcas*, ſeu impura ſceleratorum hominum facinora, ſed citra ullam verborum ſpurcitiem, ad id una rerum geſtarum fide adacti narrant, iam ante, ſimili ferente eius rei occaſione, adtigimus.

De Abſtin. l. IV. p. 433.

Protrept. p. 32.

Apolog. I. Sect. XXXVII.

Select. Oper. p. 763.

a Apolog. c. XIII.
b Protrept. p. 32.
c Adu. Cels. l. III. p. 132. & l. VIII. p. 344.
d Orat. cont. Græc. p. 9. To. I. & Apolog. cont. Arian. p. 187.
e Homil. XXVI. Ep. II. ad Corinth. c. XII.
f Catalog. Scrip. Eccl. XXII.
g Apol. I. Sect. 37.
h Orat. ad Græc. Sect. XVI.

mus. Hadriani vero e concubina filium exſtitiſſe eundem Antinoum, & ab eo Bithyniæ, ac forte toti Aſiæ Minori Præfectum, unde, contra omnium veterum, & coætaneorum quidem, ſcriptorum ac monumentorum fidem, nunc primum commiſi eidem viro docto libuit? Verum iſtud e nummis forte, quorum ſola fide ac auctoritate hîc, ut paſſim alibi, nititur vir eruditus, eſt adeo liquidum, ut priſcis quibusque Eccleſiaſticis vel prophanis, probæ alioquin notæ, qualis, ut nunc de aliis ſileam, eſt Dio Coccceianus, Scriptoribus, aliud omnino de hoc Antinoo tradentibus, fides abrogari continuo debeat. Quod ſcilicet, iuxta Harduinum, cuineant duo huius *Herois* nummi modo memorati, iisue ſimiles, quorum alter exhibet ANTINOOΣ HPΩOΣ, alter ANTINOOY HPΩOΣ, hoc eſt, eo interprete, *Antinoi Deo Geniti*, nempe Hadriani. Quum nihil exteroquin iſtud, niſi ſolitum in eius nummis *Antinoi Herois*, ſeu *Diui*, elogium innuat; ut de altero e duobus illis ANTINOOY HPΩOΣ eſt omnino manifeſtum; in priori vero ANTINOOΣ poſſit ibi in ſecundo caſu intelligi, formatum nempe ab Ἀντίνους, in recto caſu, prout ille apud [a] Pauſaniam, & [b] Athenagoram, coætaneos ferme vel ætate proximos, legitur, ſicut promiſcue νόος νοῦς, compoſita vero ἀγχίνοος vel ἀγχίνους, ῥαδύνοος ῥαδύνους, εὔνοος vel εὔνους, &c. unde ſecundo caſu formari potuit ab Ἀντίνους Ἀντίνοος, ſicut a ſimplici voce νοῦς factum νόος: etſi, ut hoc addam, Ἀντίνους eo caſu hodie apud Pauſaniam dicatur. Niſi malit quis, ut HPΩOΣ pro HPΩΣ haud inſolitæ monetariorum ineuriæ adſcribatur, prout minus accurate expreſſum occurrit in aliis nummis huius *Antinoi* nomen; aut vero, ut, iuxta duos præſtantes Antiquarios, HPΩOΣ ibi pro *Heroico*, uti ea vox alibi eo ſenſu legitur, ſumi poſſit, dicique ibi, *Antinous Heroicus*. Certe quæcunque ex iis fuerit illius ſcripturæ in eo nummo ratio, lubricum valde, ne quid acerbius, præter morem ac inſtitutum meum, dicam, id foret, etiamſi tot alia etiam non obſtarent, Hadriani filium exſtitiſſe hunc Antinoum inde ſtatuere; ac merum proinde eſſe, quæ de eo tot luculenti ac fide digni Scriptores tradiderint, commentum. Neque vero eam in viro erudito Græcæ linguæ ignorationem licet ſuſpicari, ut inde quod hic *Heros*, cum a Dione Coccceiano tum ab Origene & Chryſoſtomo, Ἀδριανοῦ τὰ παιδικὰ, vel ab Athanaſio ὁ παιδικὸς, ut ea de re iam ante, ſit dictus, *filium Hadriani* his vocibus deſignari crediderit. Apud unum quidem, quod ſciam, & de quo ſilet cæteroquin vir eruditus, Clementem Alexandrinum de utroque, Hadriano ac Antinoo, dici inter alia videas: Τί μοι ΘΕΟΝ καταλέγεις, τὸν πορνείᾳ τετιμημένον; τί δὲ καὶ ΩΣ ΥΙΟΝ δεικνύειν σοι προσέταξας, *quid mihi refers in numerum* DEORUM *cum, qui ſtupro fuit honoratus? Quare autem & inſiſti lugeri* TANQUAM FILIUM? E quibus tamen pro Hadriani filio habitum eundem Antinoum neutiquam licet colligere, quem eundem ibi ab Hadriano, ut a Ioue Ganymedem, conſecratum tradit; & quem eiusdem Imperatoris *amaſium*, τὸν ἐρώμενον, haud ſemel ibi, non vero *filium*, vocat; adde, qui nec pro tali ab ullo veterum Scriptorum, qui eius meminere, & ei fuerunt coætanei, memoratis iam aliquoties Pauſanio, Iuſtino Martyre, Athenagora, aut aliquanto remotioribus Tertulliano, Origene, Dione Coccceiano, aliisue dein traditur; immo qui *Hadriani Cæſaris ſeruus*, δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, ab Hegeſippo apud Euſebium & apud Hieronymum, *& quem in deliciis habuiſſe*

[a] Lib. VIII. p. 469.
[b] Apolog. pro Chriſt. Sect. XXV.
Lib. VIII. p. 470.
Vid. Buonarott. Oſſeruat. ſopr. Medaglion. p. 29.
Vide ſupra.
Protrept. p. 32.
H. Eccl. l. IV. c. 8.

Catalog. Script. Eccles. XXII. *Cæsar Hadrianus* dicitur. An vero inde Bithyniæ non solum, in qua prouincia erat natus, sed etiam toti Minori Asiæ Præfectus censeri idem Antinous debuerit, ob nummos eius in pluribus eiusdem Asiæ urbibus percussos, ubi id aliunde non constat; immo cum certum sit, eundem valde adhuc iuuenem, quod iidem eius nummi manifesto utique arguunt, in Ægypto, prout ea de re veteres Auctores, & quæ ex antiquo lapide, quem adduxit ad In Hadrian. c. XIV. Spartianum Casaubonus, & de quo paullo post, constat, fato functum. Adde, an illis Minoris Asiæ urbibus vel gentibus adscribi quoque debeant, *Achæi*, *Ægyptii*, *Arcades*, *Adrianotheræ*, urbs Thraciæ, *Byzantium*, *Corinthus*, a quibus exstant quoque cusi in tanti *Herois* honorem nummi. Mitto, quod illis, ac superioribus iam ante temporibus, *Minor Asia* non ab uno Præfecto regeretur; sed eadem in plures Prouincias, ut Proconsularis Asiæ, Bithyniæ cum Propontide, ac Galatiæ, diuisa diuersis Populi Romani vel Augustorum Rectoribus pareret. Duos vero in primis, & quidem e maximorum, quibus Bithynus ille Heros consignatur, genere, recondit Gaza Gallorum Regia nummos, ac inter alios unum inscriptum in auersa nummi parte, cum depicto ibi Equo, ΤΟΙΣ ΑΡΚΑΣΙ. Quo illLib VIII. p. 470. lustratur utique Pausanias, qui adserit apud Mantinenses Arcades habitum pro Deo hunc Antinoum, Festis annuis, Templis, statuis eidem decretis, atque inde, ut addit, quod patria ei foret *Bithynium* (ita enim ibi legendum, Βιθυνίς nempe pro Βιθυνίας) ut bene vidit eruditissimus [a] Sylburgius, ac a Not. ad Pausan. p. 777. b Lib. XII. p. 565. c Lib. V. Sect. 42. d Lib. V. c. I. e In Βιθύνιον. f Lib. LXIX. p. 793. g Ut supra. adstruunt [b] Strabo, [c] Plinius, [d] Ptolemæus, [e] Stephanus, ac nominatim de eâdem, ut Antinoi patria, [f] Dio Cocceianus. Cuius vero urbis Βιθυνίς incolæ Βιθυνιεῖς ex Arcadia, iuxta [g] Pausaniam, & quidem e Mantinensibus, a quibus Bithynienſis ille Heros, & quidem Hadriani iussu, est impense cultus, essent oriundi. Quæ rursus, præter alium illius urbis cum Antinoi sub Mercurii, Arcadis quippe Dei, ut aliunde notum, seu h To. I. p. 547. Cyllenii effigie, adductum a [h] Tristano nummum, egregie illustrat præclarus eiusdem Regiæ Gazæ nummus, in cuius priori parte Antinous conspicitur, cum notabili epigraphe, obiter paullo ante indicata, Η ΠΑΤΡΙΣ ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ, *Patria Antinoum Deum* veneratur: in auersa vero parte ipse cum paludamento ac stola prope cupressum, desuper stella, quæ eum, consecratorum apud Gentiles more, sideribus receptum arguit; adde cum Boue pascente, & inscriptione ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΘΕΟΝ, *Bithynienſium Hadrianorum Deum*. Eadem nempe olim Metropoleon & Coloniarum sacra, eosdemque Deos loci Præsides exstitisse, Diss. IX. p. 572, 573. aliunde, & qua de re iam in priore huius operis parte egimus, sat liquet ex antiquis Auctorum, iuxta Lapides ac Nummos, monumentis. Sicut itaque *Mantinensium* Arcadum, ita Colonorum etiam *Bithynienſium Deus* Mercurius, ac similiter Deorum numero ab utrisque adscriptus Antinous. Exstat vero alius in Regia Gallorum Gaza nummus, hinc cum Antinoi effigie & inscriptione ΑΝΤΙΝΟΩΙ ΗΡΩΙ, illinc Bacchus, seu, sub eius habitu, nudus ferme Antinous Thyrsum supra humeros gestans, & Pantheræ inequitans. Unde rursus illustratur Pausanias, qui plures huius Lib. VIII. p. 470. Antinoi apud Mantinenses statuas Libero Patri similes exstitisse commemorat. Alius etiam nummus a Paphlagonibus Tianis, in memoriam tanti scilicet Herois, cum nuda eiusdem, qualis vulgo Bacchi, effigie depingitur in Gaza Medicea. Superiores vero duos nummos, etsi in editis

Be-

Berolini Gazæ Gallorum Regiæ, quos vulgo vocant, *Medaglioni* iam conſpicuos, ac priorem etiam ab amiciſſimo, dum viueret, Abbate Nicaſio prolatum, ad maiorem eorum, quæ modo de iisdem ab huius Antinoi ciuibus Bithynienſibus percuſſis diximus, fidem, haud inuito, ut opinor, Lectore, hic quoque diuulgamus.

De Boue paſcente in priori nummo addam hoc ſolum, quod ei lucem Strabo fœneratur, qui agrum huius urbis *Bithynii*, a qua percuſſus eſt in conſecrati ſui ciuis Antinoi memoriam idem nummus, *optimis circa Salonem ad* BOVES ALENDOS *paſcuis feracem*, τὴν περὶ Σάλωνα χώραν ἀρίστην ΒΟΥ-ΒΟΣΙΟΙΣ, exſtitiſſe affirmat, uti ea vox βυβόσιος de boum paſcuis apud Callimachum legitur. Haud vero mirabitur quispiam, quòd, ut ΗΡΩΣ ſeu *Diuus* ſignatur in poſteriori ac plerisque aliis, qui hunc Hadriani amaſium etiamnum exhibent, nummis; ita in priori, quo eiusdem patria Bithynium ſuum in illum cultum conteſtari voluit, ΘΕΟΣ nuncupatur, ſicut ANTINOON ΘΕΟΝ in alio nummo Gazæ Eſtenſis olim vidi; ſublato nempe omni, quod ſæpe alias factum, *Diuini* & *Heroici* cultus discrimine. Immo quem non ΗΡΩΟΣ, ſed ΘΕΟΥ appellatione & cultu, nec in Ægypto ſolum, ſed paſſim alibi quoque a Græcis adfectum, tradunt ac ſugillant ii, de quibus iam ante egimus, Eccleſiaſtici Scriptores, Hegeſippus apud Euſebium ac Hieronymum, Iuſtinus, Athenagoras, Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanaſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, aliique. Adeo ut verè quadret in hunc Antinoum, quod de Caio Cæſare legitur in Dionis Excerptis Peireskianis, ſcu verius Conſtantinianis, per adulationem *aliis* HEROA *aliis* DEUM *cum vocantibus*, καὶ τῶν μὲν ΗΡΩΑ, τῶν δὲ ΘΕΟΝ· αὐτὸν καλούντων. Unde e memora-

Lib. xii. p. 565.

Hym. in Apoll. ℣. 50.

Pag. 669.

tis modo Christianis Scriptoribus, ut alios nunc mittam, a Tertulliano de eodem Antinoo iam adsertum videas: *Nescio quem cinædum* DEUM *facitis*, aut, iuxta notam Salmasianam emendationem vel coniecturam ad Spartianum, *Synodi Deum*; vel ab Origene contra Celsum: Τὸ τιμᾶσθαι ὡς ΘΕΩ ΤΩ ΑΝΤΙΝΟΩ, *coli pro* DEO ANTINOUM; ac, ut alibi idem tradit, passuros Ægyptios illum cum Apolline aut Ioue, velut nempe uno e Diis maiorum Gentium, conferri. Hinc Σύνδρομος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν, *Consessor Ægyptiorum Deorum* dictus in veteri Inscriptione Antinous, non vero θεων πάρεδρος, *Deorum Adsessor*, quod postremum erat inferioris ordinis ac dignationis nomen, ut eruditis notum: haud aliter nempe ac Philippus Macedo Σύνδρομος τοῖς δώδεκα θεοῖς credi voluit apud [a] Diodorum: aut Deum Mater Ioui Σύνδρομος & Σύνδρομος vocatur apud [b] Iulianum Imperatorem, aut M. Antoninus apud [c] Herodianum Θεῶν Σύνεδρος. Unde etiam a Christiano [d] Socrate obseruatum video, a Cyzicenis Hadrianum tertium decimum Deum appellatum (quo nomine Demades coli voluit ab Athenienſibus Alexandrum, auctore Æliano; cultum vero eundem a Romano Senatu refert, a quocunque id hauserit, ut obiter hoc notem, Chrysostomus) ab ipso vero Hadriano Antinoum inter Deos relatum.

Apolog. c. XIII.

Lib. VIII. p. 309.

Lib. III. p. 133.

Thes. Grut. LXXXVI, 7.

a Lib. XVI. p. 559.

b Orat. V. p. 179.

c Lib. I. c. II.

d H. Eccl. l. III. c. 23.

Neque vero solus hic adolescens formæ munere cœlestes honores sub ΘΕΟΥ vel ΗΡΩΟΣ nomine est consequutus: quum Deos ob pulcritudinem factos, Helenam, Pelopem, Ganymedem recenseat alicubi [a] Lucianus; & Philippum Butacidem, ob venustatem ab Ægestanis cultum, [b] Herodotus: quodque ad Hadriani ac Antinoi exemplum propius facit (ut mittam Hephæstionem ab Alexandro consecratum) in memoriam Argynni τοῦ ἐραμένης templum Veneri Argynnidi ab Agamemnone, qui eundem deperibat, exstructum, auctoribus [a] Athenæo & [b] Clemente Alexandrino traditur. Scilicet, iuxta Manilium:

V. H. lib. V. c. 12.

Ad II. Corinth. c. XII. Hom. XXVI.

a In Charidemo p. 784 To. II. ed. Amstel.

b Lib. V. c. 47.

a Lib. VIII. p. 603.

b Protrept. p. 24.

Proxima sors Cygni, quem cœlo Iuppiter ipse
Imposuit, FORMÆ *pretium.*

Lib. I. ℣. 337.

Adde haud aliam ob caussam pulcherrimum suæ ætatis post Memnona adolescentem, & Ceteiorum, hoc est Pergamenorum, ut alibi docuimus, ad Troiam ducem Eurypylum, ab Homero *Herois* nomine fuisse nuncupatum, Ἡρῷα Εὐρύπυλον, ac ita inde in veteri & præclaro Pergamenorum nummo insignitum; quem, cum in [a] superiori meo de Nummis Antiquis opere, tum denuo in prioris eius Partis nuper iterum [b] diuulgatæ editione protulimus. Qua occasione ea simul rationum ac auctoritatum momenta, quæ denuo hic tangere haud est utique necesse, adtulimus; unde *Pergamenis* omnino, non vero *Salaminiis* Cypriis, idem ille insignis Reginæ Christinæ nummus, e cuius cimeliis erat illius ad nos ectypum ab erudito Thoma Chiffletio, eidem Reginæ tum a sacris, missum, esset adscribendus. Quod de simili nummo Mediceo, in quo tamen eruditus Gazæ illius custos ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ, non ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, ob insculptam in eo Paphiæ Veneris Ædem, legendum censebat, statuendum nobis itidem videbatur; quodque in nouissima illius nostræ de eodem nummo commentatione, ipsà hodierni custodis Gazæ Mediceæ, peritissimi humanissimique Sebastiani Bianchi, a nobis eam in rem consulti, adsertione est

Iliad. A. ℣. 818. & Odyss. A. ℣. 519.

a Diss. V. p. 479.

b Dissert. To. I. p. 505.

Ibidem p. 509.

est adhuc plenius comprobatum. Ut mirari proinde subeat, cur Harduinus, cum in [a] priori, tum in [b] nouissima libri de Nummis urbium illustratis editione, ubi de Pergamenis ab eo agitur, agnoscat nummum illum *Herois Eurypyli* cum templo Veneris Paphiæ a me adductum Pergamenis esse itidem adscribendum; addat continuo: "similem huic esse num- „ mum Salaminiorum, de quo inferius; nempe ubi Salaminiorum est ei mentio, ac ubi idem ille nummus adducitur, nisi quod ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ, pro ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, in eo legitur; additque: "Adfertur hic nummus „ a Spanhemio in libro de Usu Numismat. p. 480. sed ex alterius viri re- „ latu, cuius hoc loco labare fidem vel eruditionem PUTO, cum ΠΕΡ- „ ΓΑΜΗΝΩΝ agrum tenuisse Eurypylum, apud Auctores a me antea „ commemoratos reperiam, ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ nusquam. Et Pollio Prætor in „ aliis Pergamenorum nummis appellatur: ut idem & in Salaminiorum „ nummis appelletur, vix simile veri est. Quibus verbis quum primo, & vere quidem, conuellantur, quæ antea, seu priori de *Pergamenis* loco, dixerat, quasi talis *Salaminiorum* nummus exstaret; debuit hoc saltem in postrema eiusdem libri & loci editione ab eo tolli ac emendari. Alterum, quòd ita de eodem illo nummo fiat ab eo mentio, quasi is a me, ex alterius scilicet viri relatu, & quidem me adsentiente, sit prolatus, est notandum: quum addat continuo, quod eius (dubium an meam, vel alterius illius viri) labare eo loco fidem ac eruditionem putat, idque se iam ante comprobasse, cum *Pergamenis* idem nummus, neutiquam vero *Salaminiis*, foret tribuendus. Quum tamen eâdem, quam ille citat, superioris mei de Nummis operis paginâ, id solum dixerim, exstare in Gaza Medicea nummum, in quo eruditus olim eius custos (ut constabat mihi ex eorum, quem ille confecerat, nummorum indice) ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ loco, ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ legerat; & quod iisdem, quæ adfert ibi Harduinus, ac pluribus adhuc auctorum testimoniis, redarguo; immo quod, ut id paullo ante innui, in postremæ illius meæ ea de re commentationis editione (quam sibi visam testatur alibi, & cum eius laude idem vir eruditus) ipsius hodierni eiusdem Cimeliarchii Medicei custodis fide est omnino adsertum. Unde verius utique ac opportunius Harduinus id nupero Græcarum Antiquitatum Collectori vitio vertisset; cui *absurdæ pervicaciæ* eos insimulare placuit, me proinde ac dein Harduinum, qui eundem illum nummum, *Salaminiis* abiudicatum, *Pergamenis* unice tribuerent; quum in eundem potius id dictum quadret. Sed de hoc plus satis.

[a] De Num. Urb. Ill. p. 395.
[b] Select. Oper. p. 135.

Num. Urb. Ill. p. 431. Select. Oper. p. 147.

Select. Oper. p. 331.

Antiq. Græc. Vol. I.

Ut vero ab *Heroe Eurypylo* ad HEROEM formâ eo haud inferiorem ANTINOUM adhuc redeam, haud prætereundus hic alius quidam insignis eius nummus in cimeliis Christinæ Augustæ a me itidem olim visus, & vulgata quoque inde eius icon hic denuo reponenda: nempe in qua cinædi illius effigies cum memorabili inscriptione cernitur, ΑΓΑΘΟΣ ΗΡΟΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ, *Bonus Heros Antinous*; in auersa vero parte Taurus seu Apis cum Luna Bicorni, ac nomine ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ, *Hadrianotheritarum*.

De Luna Bicorni signatâ in hoc nummo id solum hic obseruabimus, inde illustrari, quod a Tatiano de hoc *Heroë* dicitur: Πῶς δὲ ὁ τεθνεὼς ὁ Αντίνοος μειράκιον ἐν τῇ Σελήνῃ ὡραῖον καθίδρυται; *quomodo mortuus Antinous formosus adolescens in Luna collocatus est?* Dictus vero ibi in nummo ΑΓΑΘΟΣ ΗΡΩΣ idem *Antinous*, quasi *Bonus* seu *Propitius Diuus*, iuxta notam Gentilium Theologiam, qua vulgo Αγαθὸς Δαίμων, *Bonus* vel *Propitius Genius*, vel etiam Θεὸς Αγαθὸς dicitur, ut in limine Fœderis inter Hierapytenses ac Prianssios in Marmoribus Oxonienssibus legitur ΘΕΟΣ ΑΓΑΘΟΣ. Verum quam in rem occurrit mihi opportune, uti pridem quoque videram, Juliani Imperatoris locus, ubi Magno Constantino, post eius fata, ut hic Antinoo, eadem ΑΓΑΘΟΥ ΗΡΩΟΣ, potiori utique iure quam hisce Hadriani παιδικοῖς, tribuitur, & qui vel solus superiorem nummi epigraphen illustrare merebatur. Hæc enim scribit de Constantii, cuius laudibus dicata est eadem Oratio, erga defunctum parentem pietate & cultu Iulianus: Ὃν οὐκ ἰδίᾳ μόνον σεβόμενος, καὶ δὲ ἐν τοῖς κοινοῖς συλλόγοις διετέλεις ἀνακηρύττων, καθάπερ ΑΓΑΘΟΝ ΗΡΩΑ, *quem tu non priuatim solum venerari soles, sed & publicè tanquam* Propitium Divum *præconio tuo celebras*, seu, ut ad verbum expressit Petauius, *tanquam* Bonum *aliquem* Heroem. Quos autem post hanc vitam Αγαθοὺς Ἥρωας haud alios esse, ut ibidem ad Iulianum monui, quam bonorum virorum solutas corpore animas, præter Poëtas, seu antiquos Gentilium Theologos, ubi *Heroum* id genus fato functorum meminere, docebit Dio Chrysostomus, a quo de Traiano, cui ille fuit familiaris, dictum videas, quod pius ac bonus Imperator, qualis Traianus, οὐ μόνον ἡγεῖται θεοὺς, ἀλλὰ καὶ Δαίμονας, καὶ ΗΡΩΑΣ ΑΓΑΘΟΥΣ, τὰς τῶν ἀγαθῶν ψυχὰς μεταβαλλούσας ἐκ τῆς θνητῆς φύσεως, *non solum putat esse Deos, sed Genios etiam, & Bonos seu Propitios Heroas, animas nempe Bonorum Virorum e mortali natura transformatas.* Quod insuper illustrauimus adductis cum [a] Galeni, seu [b] Plutarchi, huic Dioni συγχρόνῳ, ea de re verbis: ΤΟΥΣ δὲ ΗΡΩΑΣ ψυχὰς κεχωρισμένας τῶν σωμάτων, ΤΑΣ μὲν ΑΓΑΘΑΣ τῶν τὸν βίον διαγόντων ἄριστα ἀνδρῶπων, Heroas *autem animas esse a corporibus separatas, illas quidem* Bonas, *eorum nempe hominum, qui vitam quam optime transegere.* Quam in rem a Tito Romanos milites in obsidione Hierosolymitana ad dimicandum fortiter hortante, dictum refert Iosephus: quòd nemo scilicet ignoret animas bonorum virorum ferro in acie corporibus solutas, a purissimo æthere hospitio recipi, ac inter sidera collocari; ac, ut addit, Δαίμονες δὲ ΑΓΑΘΟΙ καὶ ΗΡΩΕΣ ΕΥΜΕΝΕΙΣ ἰδίοις ἐκγόνοις ἐυφανίζονται, *Genii autem* Boni *ac* Heroes Propitii *se posteris suis videndos offerunt.* Quæ ideo hic quoque reponenda duximus, quod similiter Antinoi post mortem sidus, quale in superiori Bithynienssium nummo depingitur, videre se adfirmaret

Orat. ad Græc. Sect. xvi. — Pag. 117. P. r. — Orat. I. p. 46. — Obseru. ad Iulian. Orat. I. p. 295. — Orat. III. p. 45. — a Hist. Philos. c. VIII. — b De Placit. Philos. l. I. c. 8. — Bell. Jud. l. VII. p. 941.

ret Hadrianus, ac libenter auſcultaret, qui idem dicerent, iuxta Dionem Caſſium. Ut vero a Græcis Ἀγαθοὶ Δαίμονες vel Ἥρωες, ſic a Romanis etiam, ut gemino apud Horatium loco, *Boni Diui*, hoc eſt *propitii*, appellantur, ac poſtremo quidem ex iis ad Auguſtum, DIVIS *orte* BONIS, nempe Diuo Iulio, a quo fuerat in filium adoptatus; aut Venere inſuper & Ænea, e quibus ſe ortam ferebat Gens Iulia. Neque enim video, cur iuxta viros eruditione ac ingenio præſtantes, Tanaquillum Fabrum ac Dacerium, redargui debeant viri docti, qui ita, ut modo innui, ea Poëtæ verba, & quidem conuenienter, iuxta familiares Horatio Græcorum locutiones, ſunt interpretati, prout alibi apud eundem Horatium [a] *orte Saturno*, aut [b] *claris patribus orti*, pro iactata paſſim ea ætate Cæſaris Auguſti a Diuo Iulio, ac inde a Venere origine, legitur. Neque ullatenus his obſtat alibi ab eodem Poëta dictum, quod Auguſto nihil maius terris *Fata donauere*, *bonique Diui:* ubi vox illa *orte*, ut in ſuperiori loco, haud legitur. Eadem Venus cæteroquin BONÆ DEÆ VENERI CNIDIÆ in [c] Marmoribus Oxonienſibus, in [d] aliis ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΘΕΑ ΠΑΝΑΓΑΘΩ inſcribitur; haud aliter ac BONA IUNO apud [e] Maronem:

Et tu lætitiæ Bacchus dator, & BONA IUNO.

h. e. *propitia*, iuxta Seruium. Ut mittam legi etiamnum in antiquis nummis ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Bona Fortuna Nicæenſium*, ut in nummo Fauſtinæ Mediceo; aut in Marmoribus, [f] FORTUNÆ BONÆ SALUTARI, aut BONI EVENTUS, & BONO EVENTUI in aliis Cæſarianis nummis, aut BONÆ SPEI; aut in priſcis lapidibus, FATO BONO, ac in aliâ ephebi cuiusdam, Antinoi huius exemplo, inſcriptione [g] BONO DEO PUERO PHOSPHORO. Mitto iam, & qua de re ad Iulianum egimus, *quod Dii* omnes *Boni*, iuxta Platonem de Republ. ὅτι θεὸς ἀγαθὸς, h. e., iuxta Proclum ad eum locum, ὄντως ἀγαθὸς, καὶ καὶ ἐστι θεὸς, *reuera bonus, quatenus etiam eſt Deus*, & quidem αὐτοαγαθὸς, *per ſe bonus*. Quomodo etiam Ἀγαθοὶ, ſeu *Boni & Propitii Heroes*, iuxta Gentilium Theologos, appellati, tum quod, ut de iis differit Iamblichus, illi ἀίδιοί τε εἰσὶ καὶ συνοπαδοὶ, *perpetui comites Deorum forent*; tum quod bonorum virorum animabus præſidere, & circa τὴν τῶν ψυχῶν διάταξιν, ſeu *in animabus ordinandis*, occupati iidem crederentur. Ita tamen Ἀγαθοὶ ſeu *Boni* iidem Heroes, iuxta eandem Iamblichi Theologiam, ut bona tantum ſecundi tertiique generis darent. Quæ a nobis itidem iam ante ad adductum Iuliani locum, in quo Ἀγαθοῦ Ἥρωος Conſtantini facta occurrit mentio, adlata, ad hoc ΑΓΑΘΟΥ ΗΡΩΟΣ in ſingulari Antinoi nummo elogium referenda denuo, ac opportune quidem, ad maiorem eius lucem, duximus. Expreſſus vero in altera eiusdem nummi parte Apis Ægyptiorum, qualis vulgo depingi olim ſolitus, ac, præter alios, ab Ammiano Marcellino deſcribitur: *Maximeque omnium corniculantis Lunæ ſpecie latere dextro inſignis.* Opportune vero idem Apis in ſuperiori Antinoi nummi parte ſignatus, utpote in Ægypto, ubi periit, primum conſecrati, ac præcipua poſterorum religione, urbe etiam eius nomine, ut de ea Aurelius Victor, condita, nempe quam *Antinoon*, iuxta alios, Ammianus vocat; apud Græcos vero ea cum Ἀντίνοος, tum Ἀντινόεια etiam, ut apud Stephanum ac Epiphanium, eſt appellata. Percuſſus autem ille nummus ab *Hadrianotheritis*, urbis in Mœſia ab Hadriano exſtructæ incolis, ac a ſtudio venationis nomen, ut eius ratio indicat, ac

a Lib. I. Od. 12.
b Lib. IV. Od. 6.
c Pag. 91. P. I.
d Theſ. Grut. LIX, 1.
e Æn. I. v. 734.
f Theſ. Grut. MCXXII, 1.
g Ibid. LXXXVI, 3.

Lib. LXIX. p. 793.
Lib. IV. Od. 2. & 5.
De Myſter. Sect. I. c. 10, 20. Sect. II. c. 1, 2.
Ibid. Sect. II. c. 9.
Lib. XXII. c. 15.
Ibidem.

In Hadrian. c. xx. ut innuit etiam Spartianus, fortitæ: HADRIANOTHERAS *in quodam loco, quod illic feliciter esset venatus, & ursam occidisset, aliquando constituit.* Oblata vero est mihi eiusdem oppidi mentio in duobus aliis nummis, uno Antonini Pii, altero Philippi senioris Mediceo, cum eadem inscriptione ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ. Ex quibus utique liquet minus vere obseruatum a doctissimis Spartiani interpretibus, hanc urbem Græcis non *Hadrianotheras*, sed breuiter tantum Ἀδριανοῦ, & corrupte Ἀδριανοῦς dictam; aut, sed quod leue est, ut voluit ὁ πάνυ Salmasius, *Adrianotheras* eandem nuncupatam. Eadem vero sub diuiso nomine Ἀδριανοῦ Θήρας occurrit hodie non apud [a] Dionem solum, sed præterea apud [b] Aristidem aliquoties, & cuius similiter mentio exstat in Actis Concilii Calchedonensis, sub duobus itidem nominibus Ἀδριανοῦ Θηρῶν; ut vero habet Latina versio, *Adrianotherorum* (verius *Hadriani Therorum*) *Sanctæ Ecclesiæ Dei Hellesponti.* Diuisum nempe est in duas voces Ἀδριανοῦ Θήρας urbis illius nomen, iuxta similium urbium, quæ conditorum nomina præferunt, exempla, ut Πομπηιόπολις in Cilicia, prius *Soli* appellata, vulgo apud Auctores Πομπηΐα πόλις, *urbs Pompeii*, a quo nempe est instaurata. Una cæteroquin voce dicta, ut vidimus, non a Romanis solum, ut ex Spartiano liquet, *Hadrianotheras*, sed a loci, quod arguunt memorati modo eius nummi, incolis, Ἀδριανοθήρας, iuxta similes in casu recto flexiones, Ὀνοματοθήρας, Ὀρνιθοθήρας, Φυγαδοθήρας, aliasque minus vulgares a θήρα & θηράω itidem deductas, cuius generis aliquot selectiores collegit eruditissimus Reinesius. Venationi nempe summe deditum fuisse Hadrianum, ac unde is urbem eo nomine in Mysia condiderit, tradit Dio; peculiariter vero Spartianus, quod feliciter esset ibi aliquando, & cæsa quidem ursa, ut vidimus, venatus. Diuersam vero fuisse hanc urbem Ἀδριανοθήρας, contra quam statuebat ad eundem Spartianum Casaubonus, ab altera dicta Ἀδριανοί, e qua oriundus erat ipse Aristides; ex eodem, qui alibi adhuc huius oppidi meminit, ac e Philostrato præterea, licet colligere.

a Lib. LXIX. p. 792.
b Serm. Sacr. I. p. 500. & III. p. 546.
Variar. l. I. c. 6.
In Hadrian. c. xx.
Serm. Sacr. III. p. 546, 547. Vit. Soph. p. 578.

14. *De* GALERIO ANTONINO Antonini Pii *filio.*

Ut vero ad Hadriani successores pergamus, offert se parum, dum hæc olim commentarer, adhuc notus Antonini Pii & Faustinæ uxoris filius, cuius nummi a [a] Tristano primum editi facta est tum a me mentio, & cum pleniori eius inscriptione, quam tum e Gaza Christinæ Reginæ, ac e cimeliis Mediceis, uti ab eorum custode P. Fitton factum itidem fuerat, suppleuimus, nempe Μ. ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟΣ, in anteriori vero parte cum Matris Faustinæ, tum mortuæ & consecratæ, nomine ac effigie ΘΕΑ ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ, *Diua Faustina.* Editus est dein idem nummus cum eadem a me adducta eius epigraphe ab illustri [b] Biragio, & dein quoque a [c] Patino, ac e Thesauris Gallorum Regiis a [d] I. Vaillant, clarissimis antiquariis, sed cum addito ab utroque *Annii* ante *Galerium* nomine: nempe Μ. ΑΝΝΙΟΣ ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟΣ, *M. Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini Filius*; & quomodo in simili, quem adtulerat, ut diximus, Tristanus, nummo, supplendum ille censuit. Ita etiam idem nummus, aliusque ei similis, cum inscriptione ΑΝ. ΓΑΛΕΡΙΟΣ &c. e cimeliis illustris Foucault, ab Harduino adducuntur. Verum testimonio ac fide Cl. Oudineti, peritiâ rerum antiquarum & humanitate præterea singulari commendatissimi, certum est, abesse omnino illud ΑΝΝΙΟΥ nomen a singulari huius Galerii nummo, qui reperitur in Gaza Gallorum re-

a To. I. p. 614.
b Num. Imp. p. 207.
c Ibid. p. 186.
d Num. Imp. Græc. p. 48.
To. I. p. 615.
Select. Oper. p. 772.

regia. Iſtud vero ſuppeditabit alius, qui duos M. Antonini & Fauſtinæ Iunioris Filios exhibet, nummus; nempe hinc COMMODUM, illinc non *Antoninum Geminum*, qui Marci huius filius quadrimus, iuxta [a] Lampridium, eſt elatus, ſed ANNIUM VERUM, qui ſeptennis, ut de eo [b] Capitolinus, obiit; utrumque vero eum CÆSARIS appellatione. Cuius utique nummi, quod e cimeliis Cardinalis de Maximis fueram olim nactus, ectypum, pridem ad Iuliani Imp. [c] Cæſares protuli; & quod itidem cum ab eruditiſſimo [d] Bellorio factum, tum a celebri inter Gallos [e] Antiquario: in cuius autem nummi priore area ſignatur COMMODUS CÆS. ANTONINI AUG. FIL. eum eius effigie; in auerſa vero parte ANNIUS VERUS CÆSAR ANTONINI AUG. FIL., eum expreſſa itidem eius ieone. Neque enim euipiam negotium hie faceſſet vir eruditus, qui in libro de Numismatibus Sæculi Conſtantiniani, cum ſignatos illo nummo *Commodum* ae *Annium Verum*, de duobus non Marei Aurelii, ſed Antonini Pii Filiis interpretatur; tum ſuperiorem illum *Galerii Antonini* Græeum nummum, qui reuera Pii filium, ut vidimus, exhibet, eundem cenſet eum illo Romano, quo *Annius Verus* Marei filius conſignatur. Præterquam enim quod id ab omnibus aliis, qui duos hosee nummos verſarunt, aut de iis egere, præſtantibus antiquariis aut viris in hae palæſtra exereitatis diſeedit, aliis præterea nummis, de quibus mox, omnino eonuellitur; præterea, inquam, id omne opportune eſt ab eodem Harduino in nouiſſima Selectorum eius Operum, ae inter ea huius quoque libri editione, ſublatum. Quod prouide ab eo factum euineunt utique, præter alia, duo deſcripti iam a celebri Antiquario Græci nummi; prior hinc cum M. Aurelii ac L. Veri nominibus ΑΥΤ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. Α. ΟΥΗΡΟΣ, *Imperator Marcus Aurelius Antoninus L. Verus*, eum eorum effigie; illine aduerſis *Commodi & Anni Veri* eapitibus, eum inſcriptione Κ. Α. ΣΥΡΙΩΝ, *Commodus Annius Syrorum*, uti idem nummus, ac velut e Theſauro Regio, addueitur itidem & explieatur: ſed quod ex altero nummo, qui ſeruatur in Gaza Gallorum Regia, lueulentius adhue eonſtat, in quo eaput M. Aurelii eum epigraphe eernitur, ΑΥ. ΚΑΙΣ. ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ, *Imperator Cæſar Aurelius Antoninus*; in altera vero parte aduerſa itidem *Commodi* ae *Annii Veri*, eum palma intermedia, capita & cum inſeriptione, Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΥΙΟΙ, *M. Aurelii Antonini Filii*. Quales autem duo inſignes nummi, ac velut e Theſauris Regiis, addueuntur quoque & explieantur nouiſſime ab Harduino. Oecurrunt vero alii adhue deſcripti a viris præelaris [a] Octauio Strada, [b] Triſtano, ae [c] Biragio nummi, in quibus ille poſtremus M. Aurelii Filius, omiſſo *Annii*, ſolo VERI nomine ſignatur: nempe COMMODUS CÆSAR VERUS CÆS. aut CÆSAR; alius vero Græcus ab *Amaſtrianis* euſus, & a Triſtano itidem adductus, eum inſeriptione ΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Verus Cæſar*. Verum, quod hic in tyronum gratiam dieendum eſt, e quibus priores illi, cum Romanis COMMODI ac VERI nominibus, dubiæ ſunt apud peritos antiquarios fidei; ae inde etiam in deſcriptis a eelebri Antiquario præſtantioribus Imperatorum Romanorum nummis omiſſi: alter vero, qui exſtat in Gaza Gallorum Regia, non ad filium, ſed ad parentem M. Aurelium iuuenem, ac VERUM tum paterno ae auito nomine appellatum, eſt omnino, ut factum etiam a peritiſſimis Gazæ huius cuſtodibus, referendus.

[a] In Commodo c. 1.
[b] In M. Anton. c. xxi.
[c] Pag. 85.
[d] Vid. Birag. Imp. Num. p. 232.
[e] Vaill. Præſt. Imp. Num. p. 89. P. 1.
Harduin. p. 37.
Vaill. Num. Imp. Græc. p. 62.
Select. Oper. p. 779.
[a] Pag. 67.
[b] To 1. p. 614.
[c] Num. Imp. p. 232, 233.

Cuiusmodi alii occurrunt adhuc Græci nummi, in quibus illa ΟΥΗΡΟΥ appellatio eidem Marco tribuitur; uti in eo, quem ad Iuliani Cæsares, ubi is solo etiam illo Ουήρι nomine designatur, olim [a] adtuli cum inscriptione M. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *M. Aurelius Verus Cæsar*. Mitto, quòd alibi ad [b] eosdem Cæsares adductus est a me rarissimus, nec vulgatus antea, huius M. Aurelii nummus, in quo iuuenilis itidem eius effigies, & circum eam inscriptio, ΒΗΡΙΣΣΙΜΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Verissimus Cæsar*, post delatum proinde eidem ab Hadriano, iuxta [c] Dionem & [d] Capitolinum, illud *Verissimi* nomen; quodque ei, nempe Ουηρισσίμῳ (uti quoque apud Dionem pro Ουηρισσίμῳ legendum liquet) superstite adhuc Antonino Pio tribuit quoque [e] Iustinus Martyr. Neque tamen *Verissimum* dictum similiter huius M. Aurelii filium, seu Βηρίσσιμον, quod de eo tradit Herodianus, sed ΒΗΡΟΝ seu VERUM, e memoratis paullo ante genuinis eius nummis cum addita CÆSARIS appellatione vidimus; ac unde Capitolino fides continuo accedit, dicenti: *Filium nomine* VERUM CÆSAREM, *exacto sub aure tubere, septennem amisit*. Qui insuper nummi *Verum*, pro *Seuero*, apud Lampridium reponendum arguunt, ubi de Commodo agens ait: *Appellatus est autem* CÆSAR *cum fratre suo* VERO, non, ut legitur in scriptis editisque eius libris, *Seuero*. Eiusdem vero sub *Sexti* nomine mentionem a Galeno fieri notauit ad eum Lampridii locum ὁ πάνυ Casaubonus, ac proinde dictum illum *Sextum Verum*; atque ita apud Lampridium pro *Seuero* rescribendum: in quam sententiam concessit etiam Tristanus; & quidem, ut in re inde extra dubium posita, præmissis in titulo, ubi de eodem *Vero* agit, nominibus SEXTUS VERUS CÆSAR. Verum, propterea quod ille *Sextus*, sine addito *Veri* nomine, a Galeno ibi, & quem a se curatum docet, appellatur, haud de Marci Imperatoris, sed de Maximi, viri magnæ iis temporibus auctoritatis, filio Galenum loqui, haud vane contendit doctissimus Reinesius. Ut mittam, quod primum ei, non *Sexti* sed *Annii*, nomen tribuunt memorati modo plures nummi.

a Pag. 85.

b Pag. 366.

c Lib. LXIX. p. 797.

d In M. Anton. c. 1.

e Apol. ad Anton. P. ab initio.

Lib. 1. c. 1.

In M. Anton. c. XXI.

In Commod. c. 1.

De Præcogn. ad Posium.

To. 1. p. 679.

Var. Lect. l. III. c. 2.

15. *De* Commodi *liberis in nummis.*

COMMODUM vero huius ANNII VERI fratrem, ac parentis Marci degenerem utique successorem, liberos suscepisse, qua de re silent Auctores, euincit aureus illius non CÆSARIS solum, uti in adductis ante nummis, sed IMPERATORIS iam & AUGUSTI nummus, quem apud Cl. Seguinum me vidisse memini; in cuius auersa parte, sicut in descriptis supra Vitellii ac Vespasiani nummis, legebatur, LIBERI AUG. Quod adstruit insuper Harduinus e Commodi nummo, ab *Hadrianopolitis* in Thracia percusso, in cuius anteriori parte caput Commodi Imperatoris barbatum ac laureatum; in auersa, iuxta Harduinum, caput Cæsaris necdum, cultu puerili: e quo autem nummo, ut ex altero a me pridem adducto, inscripto LIBERI AUG. liqueat liberos e Crispina Commodum suscepisse. Verum celebris Antiquarius, a quo fit mentio, ut videtur, huius nummi e cimeliis illustris Foucault, non puerulum Cæsarem illo exhiberi statuit, sed, ut verisimile ei videtur, caput Marciæ Commodi amasiæ cum paludamento.

Select. Oper. p. 790.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 66.

Non hic iam tangam, quos obiter supra indicauimus, VALERIANOS IUNIORES, & SALONINUM quendam VALERIANUM: aut infantes in Matrum gremio subinde hærentes, qui propera morte sunt sublati: cuius generis, ut alios mittam, duos FAUSTÆ, Magni Constantini uxoris, liberos videre licet in adducto supra Augustæ illius nummo.

DISSER-

DISSERTATIO DUODECIMA
DE
PRÆSTANTIA ET USU
NUMISMATUM
ANTIQUORUM.

De TITULIS *&* HONORIBUS *Primi & Secundi*, CÆSARUM *&* AUGUSTORUM, *Faſtigii in Nummis Cæſarianis.*

REPLICANTI mihi olim, quum hæc in urbe, iuxta veteres eius nummos, æterna, primum commentarer, ſuperiorum ætatum memoriam, ſubiit continuo animum priſcæ CÆSARUM Maieſtatis cogitatio. Mitto alia dominæ quondam gentium decora, quæ veteris elegantiæ ſtudio incenſum poterant me adficere haud leuiter ac delectare. Unum illud, inter alia, me ſingulari quadam voluptate perfundebat, quod intueri ſubinde liceret antiquas illorum hominum imagines, ante quas proſtratos olim memineram Reges Regum, easdemque numinum inſtar, conſenſu quodam generis humani, ſacratas. Hinc eam temporum felicitatem mihi tacitus gratulabar, quæ, poſt longum tot ſæculorum decurſum, ſignatos adhuc hodie eorum vultus, eademque veteris faſtigii inſignia, in Statuis aut Nummis antiquis, beata ac inuidenda copia ſuppeditabat. Immo poſteriorum eo maius hic agnoſcebam beneficium, quo expreſſa in iis nomina ac titulos noueram, unde ſinguli dignoſci etiamnum poſſent, & digito *hic Iulius*, *ille Auguſtus*, atque ita de cæteris, ad noſtram ac poſteritatis memoriam, demonſtrari.

I.
De Titulis Secundi, CÆSARUM, *Faſtigii.*

I. *De Titulo* CÆSARIS.

EQuidem haud obſcura circa CÆSARUM TITULOS ac HONORES, immo primigenia quædam lux ex iisdem Nummis continuo adfulget. Alios nempe ex iis noſti Candidatis, ſeu verius deſignatis Imperii Hæredibus, alios ipſis Imperatoribus tribui, quosdam etiam utrisque communes exſtitiſſe. Cuius poſtremi generis nota eſt prima illa CÆSARIS ap-

pellatio, quæ (ex recepto in Romanorum Fastis aliisue monumentis Gentis IULIÆ cognomine, quodque is tulerit, qui sub *Dictatoris Perpetui* ac *Parentis Patriæ* titulis rebus Romanis aliquamdiu præfuit) hæreditarium exin non CAII duntaxat OCTAVII, qui a magno eius auunculo fuerat *in familiam* IULIAM *nomenque* illud CÆSARIS *adscitus*, sed cum sequentium aliquot Imperatorum, tum aliorum etiam, cognomen euasit, qui ab eadem huius CÆSARIS, AUGUSTI dein quoque dicti, familia, vel natura, vel adoptione genus ducebant.

I. CÆSARIS *cognomen unde* C. Octauio *fuerit tributum.*

Facile enim id nobis iam concedet, ut opinor, vir eruditus, id quod magno consensu est ab antiquis probatisque rerum Romanarum Auctoribus traditum, Suetonio, Appiano, Dione, Aurelio Victore, Eutropio, Seruio, aliisque, OCTAVIUM nempe, quod modo diximus, in familiam IULIAM nomenque CÆSARIS adsumptum: non vero, quod nuper ille censuit, ex materno demum genere, quoniam filius erat sororis Dictatoris, quæ *Iulia* & *Cæsar*, sicut etiam eius filia & Augusti soror *Octauia* dicta sit, *Cæsarem* eum appellatum. Præterquam enim, quòd non *Iulia* soror Iulii Cæsaris, sed filia eiusdem Iuliæ *Attia* mater Cæsaris Augusti exstitit, ut præter [a] Velleium, [b] Suetonium, [c] Auctorem Dialogi de Corrupta Eloquentia, [d] Dionem duobus locis, [e] Seruium, ut de ipso [f] Marone fileam (a quo quæsita inde in diuino poëmate Gentis *Attiæ*, eiusque antiquissimæ, originis commemoratio) e [g] Cicerone, quem ille e fabulatorum ac suppositorum ab impia factione Auctorum numero merito exemerat, præterea liquet; cuius autem ea de re locum adtulerunt iam ad Suetonium viri docti. Ut mirari omnino liceat, quo iure & qua auctoritate inductus vir eruditus, eandem *Attiam*, tanti principis matrem, ex omni Iulii Cæsaris auunculi & filii Augusti stemmate eradendam, abolendamque omnem eius memoriam censuerit; maiori proinde quam M. Antonius offensione, qui eam per contemptum, ut ex Tullio discimus, *Aricinam*, sed *matrem* simul, Octauii nempe C. Cæsaris, vocat. Neque vero virum doctum ullatenus, etsi prima fronte videri queat, iuuare hic potest, & de quo is etiam plane silet, quod in sequentibus paullo post de eodem Octauio eiusque matre apud Tullium verbis, pro *is tibi Aricina natus ignobilis videatur*, in aliis & antiquis etiam editionibus, ac ad fidem veterum aliquot Codicum, legantur priora verba, *ut is tibi Iulia natus &c.* Quum vero, vel in superioribus Ciceronis verbis, dicatur matris huius Octauii *pater M. Attius Balbus*, non vero aliquis e Gente Iulia, iuxta Harduinum; cuius autem *Aricinæ* eidem Tullio similiter dictæ mater, quod aliunde, ut vidimus, constat, fuerit *Iulia* soror C. Iulii Dictatoris: hinc, ob manifestum adeo, in adductis ante Tullianis verbis de Octauii Cæsaris velut matre *Iuliâ*, quæ auia eius fuit, mendum, aut *Iuliæ filiâ natus*, aut *Iulia nata*, quæ de matre proinde Iuliæ filia, non de filio sunt intelligenda, pridem legendum censuerunt viri præclari Antonius Augustinus, Muretus, Lambinus, Ursinus; alii vero, iuxta veteres etiam Tullii codices, & quam lectionem prætulit, ac in contextum admisit harum nuper literarum decus Græuius, legendum hic censuerunt: *is tibi Aricina natus*, quæ nempe *Aricina mater*, ut Aricino municipio oriunda, a M. Antonio per contemptum, ut ex eodem Tullio vidimus, fuerat dicta. Unde mirari quispiam posset, priorem illam lectionem, etsi in manifesto

errore

Harduin. Select. Oper. p. 694. Ibid. p. 878.

a Lib. II. c. LIX.
b In Aug. c. IV.
c Cap. XXVIII.
d Lib. XLV. p. 269.
e Ad Æn. v. 568.
f Ibidem.
g Philipp. III. c. 6.

Select. Oper. p. 693.

Ut supra.

Ut supra Philipp. III. c. 6.

errore cubantem, *Iulia natus*, non retentam ſolum in nupera Jacobi Gronouii Tullianorum Operum editione, ſed nullam etiam animaduerſionem eidem ab eo additam: niſi quod vocula *is* negligi ibi non debuerit. Haud vero, quod contendit præterea eruditiſſimus Harduinus, Auguſti demum *auunculus*, quod ita demum a Plinio vocetur, non vero *proauunculus*, ut falſo nempe a Suetonio, Dione, & Appiano dicitur, fuit Iulius; ſed reuera *magnus* ſeu *maior*, ut a [a] Velleio, [b] Seneca, ac [c] Suetonio dicitur, *auunculus*; etſi ſolo *auunculi* nomine, neque a [d] Plinio ſolum, ſed ab ipſo etiam [e] Suetonio haud ſemel, uti etiam a [f] Velleio, alibi deſignetur. Haud aliter nempe ac apud [g] Senecam Claudius Diuum Auguſtum ſuum vocat *auunculum*, qui tamen *maior* erat *auunculus*, uti a [h] Suetonio etiam dicitur; *Octauiæ* quippe, de qua mox, frater, quæ erat Claudii auia, Antoniæ vero, quâ ille prognatus, mater. Quomodo Germanici, ut alia mittam, *auunculus* haud ſemel dicitur apud [i] Tacitum Auguſtus; qui tamen *magnus* ſeu *maior* erat eius *auunculus*, auiæ quippe eius Octauiæ frater. Adde eundem Auguſtum, ante aditam maioris auunculi hæreditatem, uno *C. Octauii* paternæ Gentis, nusquam vero, materno illo ſcilicet iuxta virum eruditum, *Cæſaris* nomine appellatum. Quod, ut aliunde obuium, ita ex ipſo quoque Cicerone conſtat; apud quem inter alia legitur: *Nobiscum hic perhonorifice, & amice* OCTAVIUS; *quem quidam ſui* CÆSAREM *ſalutabant, Philippus non: ita ne nos quidem.* Immo cui viri eruditi adſertioni de CÆSARIS nomine, quod Auguſtus a matre *Iulia*, non vero ab eius demum in urbem Romam aduentu, adſumtoque Parentis Iulii Cæſaris, a quo fuerat adoptatus, cognomine, tulerit, aduerſatur itidem haud dubiæ iuxta Tullium fidei eidem Harduino Auctor Plinius: *Qualiter Auguſto Cæſare in prima iuuenta urbem intrante, poſt obitum patris*, AD NOMEN INGENS (*Cæſaris* nempe) CAPESSENDUM: priora enim illa *Auguſti Cæſaris*, quibus poſtea perpetuo vocari conſueuit, nomina per προλήψιν ibi dicta quiuis videt, & ſequentia ſatis oſtendunt.

a Lib. II. c. 59. b De Mort. Claud. c In Aug. c. VII. d Lib. VII. c. 45. & 68. e In Aug. c. X. &c. f Lib. II. c. 60. g Conſol. ad Polyb. cap. XXXIV. h In Claud. c. III. i Annal. II. c. 46.

Ad Attic. l. XIV. Epiſt. 12.

Lib. II. c. 8.

Quæ autem CÆSARIS appellatio ab hoc Cæſare Auguſto, deficiente progenie maſcula, eſt dein ad Nepotes ex Filia Iulia, ſed in Filios tum adoptatos, ut vel ex notis eam in rem nummis liquet, CAIUM & LUCIUM translata; ac unde prior ille apud [a] Senecam, *Caius Cæſar diui Auguſti filius ac nepos* dicitur. Iis vero primis iuuentæ annis amiſſis, ad Priuignum, & ductâ pridem ante eâdem, de qua modo, Auguſti Filiâ, Generum ac in Filium tum ab eo adſumptum, transiit ſimul hoc CÆSARIS nomen; indeque cuſi in eius honorem nummi, qui utrumque arguerent, eum inſcriptione TI. CÆSAR AUGUSTI F. Neque enim audiendus eſt idem Harduinus, dum, poſt ei nuptum datam filiam Iuliam, Tiberium *Cæſarem* appellatum ſtatuit: quod poſtremum utique poſt dictorum modo Caii & Lucii Cæſarum obitum, ubi inde in eorum locum eſt in Filium adoptatus, contigit; quum circiter annis iam ante quindecim, Agrippa mortuo, Iuliam duxiſſet Tiberius. Unde etiam inter cauſſas, cur Rhodum ille ſeceſſerat, cum eiusdem uxoris Iuliæ, ex eius adulteriis, quam tamen *neque criminari, neque dimittere auderet*, tædium: tum ad euitandam Caii & Lucii in Filios & Cæſares adoptatorum offenſionem, numeratur; &, quod inſuper a Dione in Excerptis Conſtantinianis additur

2. Tiberio *quomodo idem* CÆSARIS *nomen ſit additum.*

a Conſol. ad Polyb. c. 34.

Select. Oper. p. 694.

Sueton. in Tiber. c. X.

Excerpt. p. 662.

tur, quod ægre tum tulit ὅτι μὴ καὶ ΚΑΙΣΑΡ ἀπεδείχθη, *quod non esset etiam* CÆSAR *renuntiatus*, uti nono post anno contigit. Adde, quòd nec prior illius Iuliæ maritus Agrippa, idemque Tribunitiæ Potestatis consors a socero Augusto factus, usquam tamen CÆSAR, utpote haud in Filium adoptatus, fuerit dictus.

3. *Ad filios, tam naturales quam adoptivos in Familia Iulia* CÆSARIS *nomen translatum.*

Eadem vero ratione DRUSUS & GERMANICUS, ille natura, hic adoptione Tiberii Filius; & Germanici dein, ut de eo alicubi [a] Suetonius, in *Iuliam Familiam adoptati*, præter CAIUM Imperatorem, Filii, NERO ac DRUSUS; simul Claudii natura quoque & adoptione Filii, BRITANNICUS & NERO eodem CÆSARIS titulo sunt insigniti. Quamquam, ad CLAUDIUM quod adtinet, qui paternum GERMANICI cognomen, antequam imperium capesseret, demum tulerat; ab eo, ubi Imperator factus, adscriptum continuo est, ut vel e nummis eius liquet, CÆSARIS nomen, idque cum aliorum ante se principum, qui cæteroquin ex eadem *Claudiorum* Gente orti in IULIAM adoptione transierant Tiberii & Caii exemplo; tum, ut statuere licet, quod, etsi eidem Claudio adoptiui, aut adoptati in Familiam Iuliam, honor non contigisset, idem tamen Liuiæ, Augusti coniugis, eiusque dein in Familiam ac nomen IULIÆ adscitæ, nepos foret: ac unde eum diuinos eidem honores ac in Circensi pompa currum Elephantorum Augusto similem decerni curasse docet Tranquillus. Quod longe utique, non conuenientius solum dicam, sed certius, quam, cum memorato iam aliquoties viro erudito, istud in Claudio CÆSARIS cognomen ab auia OCTAVIA Augusti sorore arcessere: quæ scilicet nata etiam ipsa e Iulia sorore Iulii Cæsaris, eiusdem cum fratre Augusto hæreditatem ac nomen susceperat. Quæ autem singula vel inde penitus conuelluntur; quod illud, de eadem Octauia in familiam Iulii Cæsaris ac nomen una cum Augusto seu Octauio fratre adsumpta, nullo Auctore, vel nummo, alioue veteri monumento indice, immo præter solita id genus adoptionum, quæ ad sorores adoptatorum nihil adtinebant, exempla dicitur: tum quod non *Iuliæ*, sororis Iulii Cæsaris, sed *Attiæ* filia, uti eâ quoque natus, ut vidimus, frater Octauius Cæsar dein & Augustus, eadem foret. Adde, quòd nuspiam, post aditam scilicet, ut Harduino videbatur, cum fratre Augusto Iulii Cæsaris hæreditatem, & susceptum nomen, *Iuliam* aut *Cæsarem*, quibus tamen nominibus a viro docto appellatur, dictam eandem *Octauiam* legimus: sed eam cum adhuc superstitem, tum post eius obitum, haud alio quam solo *Octauiæ* nomine vocari, non ab Historicis solum aliisque Scriptoribus eorum proximorumque temporum, uti a [a] Seneca: *Diuus Augustus amisit Octauiam sororem carissimam*; ac [b] alibi; sed ab ipso quoque indubitatæ, iuxta virum doctum, fidei [c] Plinio: *Marcellus Octauiâ genitus*; alibi itidem, [d] *Marcellus Octauiâ sorore Augusti genitus.* Haud mirum vero, si inde eiusdem Claudii naturâ filius BRITANNICUS, ac cæteroquin [e] *ultimus Claudiorum sanguis*, ac habitus tum hæres & successor in imperio, CÆSAR quoque, uti e nummis itidem & Auctoribus constat, sit appellatus. Quomodo etiam dictus est NERO, qui Claudii adoptione filius maternum præterea ab Augusto, eiusque filia Iulia, cuius neptis erat Mater Agrippina, genus, ut notum, duceret. Quod utrumque docet singularis nummus a celebri Antiquario iam vulgatus, in quo hinc Matris Agrippinæ effigies & inscriptio,

a In Claud. c. 11.

In Claud. c. 11.

Hard. Select. Oper. p. 716.

a Consol. ad Polyb. cap. XXXIV.
b Consol. ad Marciam c. 11.
c Lib. XXXVII. c. 1.
d Lib. XIX. c. 1.
e Tacit. Ann. XIII. c. 17.

Vaill. Præst. Num. p. 63. P. II.

ſcriptio, AGRIPPINÆ AUGUSTÆ, illinc Neronis imberbis nudum caput, cum epigraphe NERO CLAUD. DIVI CLAUD. F. CÆSAR AUG. GERMAN. adſumpto tum ibi, pro more, adoptantis CLAUDII, loco gentilis eius DOMITII, quo nuſpiam in nummis appellatus legitur, nomine. Inſignis vero, neque hic prætereundus, Græcus, qui utrumque hunc Cæſarem *Britannicum* & *Neronem* exhibet, nummus a præſtantiſſimo Morellio e Gallicis Theſauris iam adductus eſt; in quo hinc NEPΩN BPETAN. KAIΣ. *Nero Britannicus Cæſares* cum corum capitibus, illinc IAIEΩN ΣKAMANΔPOΣ, *Ilienſium Scamander*, cum ſolita iacentis Fluuii effigie. Specim. Tab. XVI.

4. *Poſt* Neronem, *qui* CÆSARES *ſunt dicti.*

Poſt NERONEM vero, ſi rurſus virum eruditum, nouæ illius ſententiæ adſertorem, audias, [a] non merus in ſequutis dein Romanis principibus dignitatis titulus exſtitit illa CÆSARIS appellatio; ſed hæreditarium eiusdem Familiæ cognomen: adeo ut nemo CÆSAR ſit dictus, niſi qui ipſomet AUGUSTO, ac ſorore eius IULIA foret prognatus. Id enim, quod addit, cum ſitus illius nominis in nummis Titi ac Antonini Pii omnino, in quibus CÆSAR poſt prænomen ac ante cognomen ipſum ponitur, ut T. CÆSAR VESPASIANUS; NERVA CÆSAR TRAIANUS & T. ÆL. CÆSAR ANTONINUS; tum præterea aliquot Imperatorum numismata cum inſcriptione ÆTERNITATIS AUG. vel AUGG. admonent. In quibus vero refellendis haud multum mihi nunc laborandum puto; quum me omni ea cura, quod iam ante obſeruare mihi licuit, ab ipſomet Harduino opportune liberatum videam. Quandoquidem hæc, & ſuperiora paullo ante ex eo adducta, omnino iis repugnant, quæ de [a] *deficiente* in *Nerone* CÆSARUM *progenie*; [b] *finita* poſt eius obitum IULIORUM *Claudiorumque domo*; & [c] *exſtincti* AUGUSTI *generis*, ac proinde eo adhuc imperante, [d] *qui unus ſupereſſet e familiâ ad ſummum faſtigium genitâ*; ac unde [e] *Nero ultimus Æneadum*, nempe Gentis Iuliæ, quæ ab Ænea genus duceret; magno conſenſu antiquis ac probatis auctoribus Suetonio, Tacito, Dione, Auſonio, adde [f] Aurelio itidem Victore, [g] Eutropio, aliisque ſint prodita. Eos enim pro fabulatoribus tum habebat, quum hæc commentaretur vir doctus; qui ab eo tempore illam ſuam de veterum id genus Auctorum falſitate ſententiam publice & aperte retractauit. Quorum proinde haud dubiâ amplius vel ſubleſtâ fide, uti nec corum inſuper, qui origines ſequentium Cæſarum adtigerunt, illud de *hæreditario* hoc eorundem familiæ, velut qui Auguſto vel ſorore eius forent prognati, *nomine* abunde conuelletur. Ut mittam, quòd illud de IULIA, caque CÆSARE inſuper dicta, Auguſti ſorore OCTAVIA, nullius utique, ut id paullo ante adtigimus, vel Auctoris, vel nummi alteriusue monumenti antiqui auctoritate nititur. Neque vero vocis CÆSARIS

a Hard. Select. Oper. p. 683. & 878.

a Sueton. in Galb. c. 1.
b Tacit. Hiſt. 1. c. 18.
c Dio l. LVI. p. 589.
d Tacit. Ann. XIII. c. 7.
e Auſon. Cæſares Ep. 11.
f Cæſarib. c. v.
g Lib. VII. c. 9.

situs in nummis, quem ille quoque eam in rem, ut diximus, obtendit, in nummis TITI ac ANTONINI PII id utique, uti mox videbitur, arguit: inscriptiones autem, quas is quoque eam in rem memorat, in pluribus Cæsarum nummis obuiæ ÆTERNIT. AUG. vel AUGG. quiduis aliud potius, quam hæreditarium illud vel CÆSARIS, vel AUGUSTI cognomen, quod Imperatores illi tulerint, sine dubio innuunt. Quod omnino alii Imperatorum nummi inscripti ÆTERNIT. IMPERII, aut ÆTERNA MEMORIA abunde ostendunt, ac in singulari Titi nummo ÆTERNITATI FLAVIORUM; haud insolito utique, neque unius gentis vel ætatis, erga rerum dominos adsentationis genere, iuxta illud Poëtæ: *Æternum te Roma cupit.* Quomodo id ipsum quoque indicant geminæ aliorum nummorum inscriptiones, in quibus, uti Gallieni, legitur PERENNITATI AUG. aut eiusdem, ac iam ante Alexandri Seueri, PERPETUITATI vel PERPETUITATE AUG. Quo loco tamen monendum est, exstare singularem quendam apud Dionem Cocceianum locum, unde viri eruditi de illo CÆSARIS, ut hæreditario familiæ in sequutis Neronem Imperatoribus cognomine, coniectura videtur firmari utcunque posse ac illustrari. Nempe ubi ab eodem Dione, illoque viro consulari, de principum Romanorum, qui vulgo iis tribui solerent, titulis ac nominibus, eorumque vi ac significatione agitur, id inter alia dicitur: Lib. LIII. p. 509. Η' γὰρ ΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ, ἥτε ΤΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ πρόσρησις δύναμιν μὲν οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκεῖαν προσέθηκε· δηλοῖ δὲ ἄλλως, τὸ μὲν ΤΗΝ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ ΣΦΩΝ ΔΙΑΔΟΧΗΝ, τὸ δὲ τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα, *nam* CÆSARIS *&* AUGUSTI *appellatio nihil quidem iis potentiæ adiicit; sed prius quidem* (Cæsaris nempe) SUCCESSIONEM STIRPIS; *alterum vero splendorem dignitatis significat.* Verum quibus verbis γένους διαδοχήν, *stirpis successionem*, quam nomen CÆSARIS indicet, haud deducta utique ab *Augusto* vel sorore eius *Iulia*, uti hæc a viro erudito vocatur, nempe *Octauia*, ad longam illam principum, qui exinde, & e diuersis quidem Familiis ad Dionis usque tempora imperarunt, seriem, generis successio intelligitur; id enim inter alia aperte redarguunt eiusdem Dionis de Galba loquentis, eaque paullo ante indicata obiter verba: Lib. LVI. p. 589. Πρῶτος μετὰ τοῦ Αὐγούστου γένος ἐκ τῶν ἄλλων Ρωμαίων ἐμονάρχησεν, *primus Romanorum, post extinctum Augusti genus, imperauit.* Hoc enim demum superioribus Dionis verbis innuitur, quòd, uti nummi, lapides, Auctores simul aperte, sicut etiam liquebit, contestantur, illud *ingens*, ut a Plinio dicitur, CÆSARIS *nomen*, quod tulerant priores principes, a sequentibus dein Imperatoribus, etsi forent alia quam *Iulia Cæsarum* familia orti, inter solemnes primi fastigii titulos non solum sit ambitiose retentum ac usurpatum; sed eorundem quoque naturâ vel adoptione liberis ac destinatis successoribus datum, quò illud eam, qua prognati iidem erant, stirpem continuo proderet. Hinc Spartianus de Aurelio Vero, quem in successorem, & de quo postea, adsumpserat Hadrianus: *Sed ab Hadriano adscitus in Æliorum familiam, hoc est in Hadriani transcriptus, & appellatus est* CÆSAR; dein, ubi eos tangit, qui CÆSARIS nomen haud uno titulo vel iure tulerint, *quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes*, CÆSARUM *nomine consecrati sunt.* Sed ut de viro crudito mereri adhuc nobis liceat, duo sunt insuper apud Appianum loca, e quibus illa post Neronem generis

Lib. IV. c. 28.

In Æl. Vero c. II.

Ibid. c. VII.

ris ab Auguſto in iis, qui tum imperabant, Cæſaribus, hoc eſt Hadriano, vel Antonino Pio, ſucceſſio adſeri videtur. Prior locus eſt, ut obſeruo, ubi ab Appiano de Auguſto dicitur, quòd confirmata longo tempore potentia, & felix per omnia ac formidandus, γένος, ut addit, ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ διαδοχὴν τὴν ἐπικρατοῦσαν ὁμοίως ἐπ' ἐκείνῳ κατέλιπεν, *ſtirpem a ſe & ſucceſſionem eodem modo imperantem poſt ſe reliquit.* Alter locus, & quem viderat ad Suetonium ὁ πάνυ Caſaubonus, eſt, ubi de Auguſto itidem ab Appiano de Triumuiris agente dicitur: Καὶ τοῦ ἑνὸς αὐτῶν μάλιστα ἀρετῇ καὶ τύχῃ τὴν ἀρχὴν συστησαμένου τε ἐς ἕδραν ἀσφαλῆ, καὶ γένος καὶ ΟΝΟΜΑ ΤΟ ΝΥΝ ΑΡΧΟΝ ἀφ' ἑαυτοῦ καταλιπόντος, *maxime propter unius eorum virtutem ac fortunam, qui imperio in ſecura ſede conſtituto, & genus & NOMEN NUNC IMPERANS poſt ſe reliquit.* Ad quæ autem poſtrema verba, notat, qui ea primus adduxit ὁ πάνυ, "tam falſum domum Auguſtam, quæ tum fuit, „ genus traxiſſe ab Auguſto, quam verum de nomine, nam omnes *Cæſa-* „ *res* dicti. Ac ad priorem quidem Appiani locum quod adtinet, is eam vim habere tantum poſſet, quòd Auguſtus non ſolum primus imperium, & quo diutiſſime, non ut Iulius proinde ad breue biennii circiter tempus, ſit potitus, tenuerit; ſed illud inſuper ſtirpi ſuæ, & ſucceſſoribus eodem modo imperantibus reliquerit; quorum prius ad quatuor ſequentes Cæſares vel Auguſtos, natura vel adoptione eodem Auguſto prognatos, ſit referendum: alterum ad ſucceſſores eius in genere *Cæſares* dictos, qui pari nempe, iuxta eum, titulo ac iure deinceps imperarunt. Verum quum in altero eiusdem Appiani loco legatur expreſſe γένος τὸ νῦν ἄρχον, *imperantem nunc ſtirpem*, prioribus illis verbis ad domum Auguſtam, quæ tum Appiani ætate Romæ imperaret, reſpexiſſe itidem, cenſendus eſt, ac proinde ad Antoninum Pium, ſub quo hiſtorias ſuas concinnaſſe traditur. Qua ratione adductum a viro erudito huius Antonini ſtemma, quo genus illius paternum ab Octauia, Auguſti ſorore, deducitur, fundari poſſe videretur; ni tota illa, quæ ibi ab eo refertur, generis eiusdem Imperatoris Antonini paterna maternaque ſeries meris coniecturis, nullius etiam nummi alteriusue antiqui monumenti auctoritate, niteretur; ab omni autem abiret veterum Auctorum fide, qui paterno *Aureliorum*, materno vero *Antoninorum* genere, & quidem qui *Arrii*, iuxta Capitolinum, dicerentur, ortum tradunt. Nec obſtat tamen, quin aliquà forte alicuius ex eius maioribus cum Auguſti progenie neceſſitudine inde ſe velut Auguſti generi inſertum haberi voluerit idem Antoninus; aut pro tali ſit ab adulatoribus iactatus; etſi altum ea de re, ut dixi, in aliis illius aut ſequentis ætatis monumentis, quæ utique id non præteriiſſent, ubi de eo principe agunt, ſilentium. Unde etiam id *falſum*, a magno Caſaubono, ut vidimus, citra ambages dicitur; veriſſimum autem, quod de *Cæſaris*, vel (ut hoc addam) *Auguſti* nomine ibidem dicitur, quod ipſe, aliorum Imperatorum ante & poſt ſe exemplo, tulerit; & quale utrumque nomen velut hæreditarium ad eos transiit: prout de poſtremo ab Alexandro Imperatore dici apud Lampridium legimus: *Auguſtus primus, primus eſt Auctor imperii, &* IN EIUS NOMEN *omnes, velut quadam adoptione, aut* IURE HÆREDITARIO SUCCEDIMUS. Idem nempe quod dixerat poſtremis ante verbis Appianus: Καὶ ὄνομα τὸ νῦν ἄρχον ἀφ' ἑαυτοῦ καταλιπόντος, *& qui nomen nunc imperans poſt ſe reliquit.* Hæreditaria proinde illa nominis CÆSARIS,

Bell. Ciu. l. 2, p. 352.

Com. ad Galb. c. 1.

Bell. Ciu. l. IV. p. 598.

Caſaubon. ut ſupra.

In Anton. Pio c. 1.

In Alex. Seu. c. x.

de qua hic agitur, non vero generis, ab eodem Augusto successio, in longa illa *Cæsarum* vel *Augustorum*, qui post Neronem imperarunt, serie; etiamsi unius forte vel alterius ex iis origo Octauium Cæsarem seu Augustum non adtingeret, haud insolita erga principes adulatione, fuisset relata. Neque vero hæreditario familiæ, vel auitæ illius successionis, iure susceptum esse a plerisque Romanis principibus imperium, sat e Romanorum annalibus & monumentis constat, prout de Quintillo, qui post fratrem Claudium Gotthicum imperauit, a Vopisco dicitur: *Quintillus frater eiusdem, delatum sibi omnium indicio susceptit imperium*, NON HÆREDITARIUM *sed merito virtutum.* Quomodo cæteroquin iactatum subinde, non *a primo* quidem *Augusto*, sed ab alio e Decessoribus Augusti, Imperatoris genus, uti de Seuero a Spartiano dicitur, quod *ipse in Marci* (nempe Antonini) *familiam transire voluerit*; ac prout in antiquis Inscriptionibus haud semel *M. Antonini Filius*, ac inde *Pii Nepos*; Antoninus vero Seueri Filius, Diui M. Antonini Nepos, & qua de re postea, appellatur. Adde, quòd, si etiam unus forte vel alter exstitisset in tanta Romanorum Imperatorum serie, qui se Iulia vel Augusti stirpe ortum venditaret; haud inde id de reliquis omnibus statuendum fuerat, iisque etiam, qui Syri, Afri, Hispani, Galli, ac aliunde, & barbaris subinde parentibus nati traduntur a Græcis aut Romanis, & ex eorum numero ab Ecclesiasticis quoque Scriptoribus. Sequiori equidem ætate exstitisse adhuc Romæ Toxotium Paulæ maritum, & Eustochii patrem, qui Æneæ & Iuliorum sanguis haberetur, docebit Hieronymus in Paulæ Epitaphio: *Tali igitur stirpe generata iuncta est viro Toxotio, qui* ÆNEAE *&* IULIORUM *altissimum sanguinem trahit. Unde etiam filia eius, Christi virgo, Eustochium* IULIA *nuncupatur, & ipse* IULIUS *a magno demissum nomen Iulo.* Quam autem fidem illa de hoc Toxotio, ceu Æneâ & Iuliâ gente prognato, adsertio Hieronymi ætate mereatur, iam non tangimus; quum & ab illo ibidem de Rogato, Paulæ huius Toxotii uxoris parente, dicatur: *Nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere*; ac sub finem illius Epistolæ, de eadem Paula in sepulcri titulo, inter alia:

In Claudio c. XII.

In Seuero c. X.

Epist. LXXXVI. p. 671. To. IV. ult. edit. Paris.

Ibid. p. 670.

Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles.

Ibid. p. 680.

5. Galba, *quare* CÆSAR *sit dictus.*

Ne vero longius ab Augusti temporibus nunc abeam, ab eo qui Neronem excepit, eoque orto gente Sulpicia GALBA, statim adsumptum illud inter supremæ dignitatis titulos nomen (immo qui, ubi occisum Neronem comperit, *suscepisse* CÆSARIS *appellationem* a Suetonio dicitur) docent etiamnum superstites eiusdem principis nummi, inscripti, SER. SULP. GALBA IMP. CAES. AUG. Adde adoptatum mox in filium & successorem PISONEM, CÆSAREM appellatum, ut eâ *nominis maiestate*, sicut de *Cæsaris* nomine a Floro alicubi dicitur, illud luculentius testatum redderet. Unde ait de se idem Piso apud Tacitum: *Sextus dies agitur, commilitones, in quo ignarus futuri, & siue optandum* HOC NOMEN, *siue timendum erat,* CÆSAR *adscitus sum*; deinde utraque illa Cæsaris, Galbæ suàque, appellatione: GALBAM *consensus generis humani, me Galba, consentientibus vobis,* CÆSAREM *dixit.* Quod vero adducta illa tria postrema in Galbæ nummis nomina IMP. CÆSAR AUGU-

In Galb. c. XI.

Lib. III. c. 4.

Histor. I. c. 29.

Ibid. c. 30.

GUSTUS, ex materno Galbæ genere (cuius nempe mater *Liuia* Druſi Cæſaris filia ac Tiberii Auguſti neptis, exſtiterit) profecta ſtatuit idem, cum quo, & illibenter quidem, nobis hic res eſt, vir eruditus; id partim unâ eius coniecturâ nititur, eaque aliena ab omnibus veterum Hiſtoricorum de Galbæ progenie teſtimoniis; quibus, ut iam e Dione vidimus, primus, poſt extinctum Auguſti genus, imperaſſe dicitur; & a Suetonio, *nullo gradu contigens* CÆSARUM *domum*; quique ſtatuarum titulis *Pronepotem ſe Q. Catuli Capitolini*, non vero, iuxta eundem Harduinum, *Neronis Claudii Druſi*, inſcripſerit: adde, qui dum Piſonem adoptat, non illa materni generis e *Cæſarum* domo, ſed *Sulpitiæ* demum & *Lutatiæ* (e qua nempe ortus idem Q. Catulus) in quas familias hic Piſo ea adoptione adſciſceretur, *decora* apud Tacitum oſtentat. Neque vero id de Galba adſtruunt, quorum proinde fidem potius hic ſequatur vir eruditus, veteres Galbæ nummi; etſi, non e Romanis quidem, qui plures adhuc ſuperſunt huius principis nummi, ſed inter Græcos unus forte occurrat inter cimelia illuſtris Foucault, in quo additum ſit eiusdem Galbæ nominibus LIVII nomen: nempe ΑΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. *Lucius Liuius Sulpicius Galba Cæſar Auguſtus*. Neque enim, ut alioquin ab eodem Harduino traditur, quod inſerta eſſet in familiam *Liuiam Sulpicia*, inde ullatenus ſequitur, maternum eidem Galbæ genus e *Liuiâ* Germanici ſororis filia, eademque Tiberii Auguſti nepte, eſſe arceſſendum. Immo cuius, ſcilicet *Liuiæ* alterius *Liuiæ* Neronis Druſi filiæ, quæ Lucii Sulpicii Galbæ, Imperatoris Galbæ parentis, uxor, quod ille ſtatuit, exſtiterit, nulla, quod fidem forte vix apud Lectorem inueniet, & eſt tamen veriſſimum, occurrit hactenus apud veteres Auctores, vel in nummis aliisue antiquis monumentis memoria. *Liuiæ* quidem Druſi Cæſaris uxoris & Germanici ſororis, quæ mater ſcilicet huius Liuiæ fuerit, & quæ *duos virilis ſexus*, quos gemino cornucopiæ in veteri nummo ſignatos ſupra vidimus, ſimul enixa apud Tacitum dicitur; *Iuliæ* etiam, quæ huius Druſi filia exſtitit, ac Neroni uni e Germanici liberis nupſit, fit apud rerum Romanarum Scriptores mentio; nusquam vero *Liuiæ* eiusdem Druſi filiæ, & quæ *Liuio Sulpicio Galbæ* nupſerit. Unde, hæc legentibus ac veteris memoriæ ſtudioſis, gratiſſimum, & quod flagitabat omnino adſertionis illius de hac *Liuia* illaque Galbæ matre nouitas, feciſſet vir eruditus, ſi arcanum illud, ac unde id forte exſculpſerit, aperuiſſet. An forte, etſi de eo ſilet, quod a Plutarcho de Galba dicitur, *aliquam ei fuiſſe cum Liuia Auguſti coniuge generis propinquitatem*, ἦν δὲ καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γαλβᾶς, indeque eum ad Conſulatum ab illa euectum: ſed quod nullatenus a matre, quæ, iuxta virum eruditum, Tiberii Auguſti foret neptis & Germanici ſororis filia, atque inde e Cæſarum domo maternum genus ducere Galbam argueret. Quod utique non præteriiſſet Plutarchus; immo qui id de Galba præmiſerat, quòd is adhuc priuatus, ſed omnium opulentiſſimus *ad Cæſarum domum adſpirarit*, εἰς τὸν Καισάρων παρῆλθεν οἶκον, quique, ut addit, quum nobilitate e Seruiorum familia præcelleret, maiores tamen animos e Catuli (quibus haud aliena, quæ e Tranquillo & Tacito paullo ante adduximus) non proinde e Iuliorum vel Cæſarum domûs, propinquitate gereret.

Hard. Select. Oper. p. 625.

In Galba c. 11.

Ibidem.

Hiſtor. 1. c. 15.

Select. Oper. p. 725.

Annal. IV. c. 24.

Sueton. in Claud. c. XXIX. Tacit. Annal. III. c. 29. & alibi.

In Galba p. 1054.

6. Otho, *qua ratione* CÆSARIS *nomen adsumpserit.*

Huius vero Galbæ exemplo, ab eo, qui mox ei succesſit, OTHONE, eſt quoque adſumptus idem CÆSARIS titulus, & quidem, iuxta eundem [a] Harduinum (nullo tamen, non dicam veteri Auctore, ſed nummo, qui id ſuaderet vel comprobaret, eam in rem adducto) ob matrem, nempe *Antoniam*, Claudii ſcilicet Imperatoris filiam, quæ ex Octauia ſorore Auguſti genus duceret. Idem tamen Otho apud [b] Tacitum, *ſe primum in familiam nouam nouum imperium intuliſſe* teſtatur: materque eius apud Suetonium [c] *Albia Terentia ſplendidiſſima femina* dicitur: quorum vero probatorum ſcriptorum, cum quibus vir eruditus in gratiam rediit, auctoritate uti iam tuto apud eum licet.

a Select. Oper. p. 726.
b Histor. II. c. 48.
c In Othon. c. 1.

7. *An* Vitellius *illud* CÆSARIS *nomen tulerit.*

Eundem vero CÆSARIS titulum a VITELLIO omiſſum vel reiectum tradunt iidem [a] Suetonius ac [b] Tacitus, & [c] Plutarchus præterea, & conteſtantur, qui inſpecti ſunt hactenus probi illius principis nummi, uti & inſcriptiones, a quibus exulare hactenus illud CÆSARIS nomen liquet. Neque enim pro genuino eiusdem Vitellii nummo habendus eſt is, qui nuper a [d] viro quodam harum antiquitatum ſtudioſo memoratur cum inſcriptione, VIT. CÆSAR IMPERATOR PONT. P. P. P. E. SEMPER AUGUSTUS, quique pro adulterino haud immerito ab [e] alio hisce quoque ſtudiis dedito reiicitur. Neque vero hisce aduerſatur, ſed eadem adſtruit potius, id quod a Tacito in extremis demum Vitellii & ante propinquam eius cædem dicitur: *Quin & CÆSAREM ſe dici voluit, adſpernatus antea, ſed hinc ſuperſtitione nominis, & quia in metu conſilia prudentum.* Quod vero natum fuiſſe eundem Vitellium e Liuia ſeu Iulia Germanici filia, idque ex eo GERMANICI, quod ei nummi tribuunt, cognomento, ac præterea e quodam Nicomediensium nummo, in quo hinc caput Germanici, illinc inſcriptum parentis P. Vitellii Bithynii tum Proconſulis nomen, contendit Harduinus; ac inde demum, nec aliunde cum GERMANICUM tum CÆSAREM AUGUSTUM appellatum VITELLIUM, refutatione utique, quod citra ullam viri eruditi contumeliam dicere hic mihi liceat, haudquaquam indiget. GERMANICI enim titulum Vitellio, qui Germanicis exercitibus præerat, & a quibus eſt Imperator renuntiatus, *delatum ab uniuerſis*, quod tradit Suetonius, idque deceſſorum principum Caii, Claudii, Neronis, exemplo *cupide receptum*, licet utique ſtatuere. CÆSARIS vero nomine, quod tuliſſe eum tradit Harduinus, eundem, uti ibidem Tranquillus, abſtinuiſſe paullo ante vidimus. AUGUSTI vero iam conſecratum primi faſtigii titulum ab eo dilatum aliquamdiu, dein, quod teſtantur eius nummi, adſcriptum liquet. Unde, an ex eo GERMANICI titulo, vel ex Proconſulis Bithyniæ P. Vitellii, illiusque Vitellii Imperatoris, non parentis, iuxta virum doctum, ſed patrui (Lucii enim Vitellii bis Conſulis ac Cenſoris, Publii autem fratris, filius exſtitit Imperator Vitellius) nomine, pro more in Nicomediæ Bithyniæ Metropoleos nummo, illinc cum Germanici Cæſaris, cuius cum extraordinario imperio in Orientem miſſi *comes* exſtitiſſe apud Suetonium dicitur, effigie, matrem huius Vitellii Imperatoris exſtitiſſe Iuliam ſeu Liuiam Germanici filiam, qua de re ne γϱ῀ quidem occurrit in antiquis monumentis, ſomniare continuo liceat, cuius diiudicandum relinquimus.

a In Vitell. c. VIII.
b Hiſt. I. c. 62. II. c. 62.
c In Galb. p. 1063.
d Vid. Electa Rei Num. Hamb. an. 1709 p. 91, 92.
e Ibid. p. 92, 93.
Hiſtor. l. III. c. 58.

Vid. Vaiſſ. Num. Imp. Græc. p. 10.
Select. Oper. p. 725.

In Vitell. c. VIII.

In Vitell. c. II.

A VESPASIANO vero, adſumpto vel unico illo CÆSARIS nomine, eoque proprio etiam nomini, præter morem hactenus receptum, in eius nummis præmiſſo, CÆSAR VESPASIANUS; aut eo cum aliis ſupremi faſtigii titulis coniuncto, IMP. CÆS. AUG. VESPASIANUS, noua illa maieſtas *genti* antea *obſcuræ*, ut [a] Suetonio eadem vocatur, eſt continuo adſerta. Quod enim tradit, cum quo nobis hic res eſt, vir doctus, id [b] Veſpaſiano veluti Auguſti pronepote factum; qui nempe matre Iulia, quæ Iuliâ Auguſti filia ſit prognata, ac proinde neptis Auguſti exſtiterit, eademque Flauii Veſpaſiani parentis uxor, foret ortus: id vero inde demum conſtare, quod in nummis Titi CÆSARIS nomen VESPASIANO præponatur, eiusque filia Iulia ſit appellata, quam fidem mereatur quiuis, vel me ſilente, intelligit. Cur vero e laudatis cæteroquin, ac ad Cæſareum faſtigium euectis principibus, VESPASIANO ac TITO, hæreditarium illum materni e Cæſarum domo generis ſplendorem præteriiſſent coæui, qui eorum vitas aut res geſtas enarrant, Scriptores, Suetonius, Tacitus, aut, qui in Flauiorum laudes cæteroquin excurrunt, Martialis ac Statius; adde, qui præ cæteris res eorundem ante imperium & in eodem capeſſendo eſt perſecutus, quique bene de iis mereri omni opera intendit, Joſephus. Ad ſitum vero nominis *Cæſaris*, inter prænomen *Titi* & *Veſpaſiani* cognomen in Titi nummis inſerti, quod adtinet, factum id ad diſcrimen eorum, qui in parentis honorem percuſſi, citra alios Auguſtæ dignitatis titulos, CÆSAR VESPASIANUS, aut CÆSAR IMP. VESPASIANUS ſignantur. Unde a paternis illis nummis ſolo T. ſeu *Titi* prænomine addito diſtinguuntur, adducti a viro docto, qui in Titi honorem ſunt percuſſi, nummi: nempe T. CÆSAR VESPASIANUS, ut alii inſuper T. CÆSAR IMP. VESPASIANUS. Adeo ut in poſtremis hisce Titi nummis, non *Cæſaris* ſolum, ſed *Imperatoris* etiam nomen ſit inter *Titi* & *Veſpaſiani* nomina ſimiliter inſertum; unde tamen *Imperatorem* hæreditarium eſſe familiæ cognomen, haud ſtatuet, ut opinor, Harduinus: ut nec ubi a Plinio, quod ignorare non potuit, ſimiliter dicitur: [a] *Imperatores Cæſares Veſpaſiani pater filiusque*; alibi, [b] *Titus Imperator Cæſar*. Ut mittam inſuper, quod *Titi* etiam prænomini præmiſſum ſubinde legitur *Cæſaris* nomen, ut apud Tacitum *Cæſar Titus*. Neque vero dictas paſſim apud Romanos Imperatorum temporibus IULIAS, quarum ingens utique ſyllabus in antiquis Inſcriptionibus legitur, a *Iulia* Auguſti filia; aut, quod alibi ſtatuit, ut vidimus, vir eruditus, *Iuliâ* Auguſti ſorore nomen ſortitas, quiſpiam, cui id genus monumenta verſare ſubinde contigit, arbitrabitur, vel forte coniectabit. Immo, cur ipſa Veſpaſiani filia, quæ DOMITILLA, haud diffitente viro docto, eſt dicta, non potius ab illa ſcilicet eius auia, & cui, iuxta eundem Harduinum, Romani orbis principatum Gens Flauiorum debuit, IULIA nempe eſt appellata? Id vero haud hic eſt prætereundum, quod hoc ipſum CÆSARIS nomen, cum in parentis VESPASIANI, velut ſupremi faſtigii titulus; tum in filiorum eiusdem, illo adhuc ſuperſtite, TITI ac VESPASIANI, eorumque velut candidatorum imperii, nummis, *ſuperſtitione nominis Cæſaris*, ut a Tacito de eo dici paullo ante vidimus, ſit conſignatus: nempe vel amborum ſimul TITUS ET DOMITIANUS CÆSARES, aut ſingulorum ex iis ſeorſim, T. CÆSAR VESPASIANUS, vel CÆSAR AUG.

8. *Unde* Veſpaſiano *ac* Tito *quæſitum ſit nomen* CÆSARIS.

[a] In Veſpaſ. c. 1.
[b] Select. Oper. p. 693, 730.

[a] Lib. VII. c. 49.
[b] Lib. II. c. 25.

Hiſtor. l. v. c. 1.

Select. Oper. p. 694.

Hiſtor. l. II. c. 18.

F.

F. DOMITIANUS. Qua ratione originem seu renouationem potius adsequimur illius moris, iuxta quem non intra solitos duntaxat prioris fastigii titulos mansit hoc CÆSARIS nomen; sed ad Imperatorum liberos designatosque imperii hæredes est quoque translatum, atque ita ceu infra AUGUSTI maiestatem, ab eoque tum diuersum. Adeo ut, quod hæreditarium fuerat in domo Cæsarum eorum, qui natura vel adoptione, ut vidimus, in eam adsciscebantur, familiæ cognomen, ut *Caii Octauii* primum, dein CAII CÆSARIS, tum sub eodem principe CAII & LUCII, mox TIBERII, tum GERMANICI, & DRUSI ac utriusque liberorum, dein etiam BRITANNICI & NERONIS exemplo vidimus; ita etiam proximæ post AUGUSTUM dignitatis titulus, ac paternæ velut hæreditatis accessio in hisce duobus Vespasiani liberis, TITO ac DOMITIANO, adoptati a Galba PISONIS exemplo, similiter fieret. Unde etiam unà CÆSARIS, omissis aliis Gentis vel Familiæ nominibus, ipsoque eorum prænomine, appellatione subinde iidem designantur a coæuis Auctoribus, [a] Iosepho ac [b] Tacito, cum parens eorum & Augustus Vespasianus, tum duo illi eius filii, necdum imperium adepti, ac proinde dispari titulo ac iure. Ita ut errare liqueat, quod obiter hic dicendum est, cum [d] Victorem Schotti, qui a Traiano Hadrianum adoptante diuisa primum nomina *Cæsaris* atque *Augusti* statuit; tum [e] Spartianum de Ælio Vero dicentem, quòd *primus tantum Cæsaris nomen acceperit*, quod Pisoni iam ante, ut de eo supra dictum est, & mox adhuc dicetur, contigerat; quique Ælius eo modo, ut mox addit Spartianus, sit adoptatus, [f] *quasi quidam principum filii viri, & designati augustæ maiestatis hæredes.* Adde Capitolinum idem de Ælio Cæsare in filii eius L. Veri vita tradentem: *Huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Hadriano adoptatus* PRIMUS CÆSAR *est dictus*; & ad Spartianum τὸν πάνυ Casaubonum, qui eidem Ælio Vero hunc *Cæsaris* titulum ac honorem primum delatum censet; errare autem Victorem, qui Hadrianum primum *Cæsarem* a Traiano dictum fuisse statuit. Mirum vero, quod de TRAIANO iidem sileant, quem a Nerua in Senatu CÆSAREM declaratum non tradit solum Dio, sed aperte etiam, qui factum illud coram ipso Traiano celebrat, iunior Plinius: *Simul filius, simul* CÆSAR, *mox Imperator*; & paullo post: *Iam* CÆSAR, *iam Imperator, iam Germanicus.* Immo, quod adserunt etiam veteres nummi, uti ille ab illustri Tristano iam vulgatus, in quo consignata est adoptionis illius, de qua iam ante idem Plinius, qua simul in Filium ac *Cæsarem* est a Nerua adscitus, memoria: in quo nempe nummo caput Traiani & inscriptio cernitur, NERVA TRAIAN. CÆS. GERM. NER. AUG. F. TR. P. COS. II. *Nerua Traianus Cæsar Germanicus Neruæ Augusti Filius Tribunitia Potestate, Consul Bis*; ubi inter principatus titulos unum ei *Cæsaris* & *Tribunitiæ Potestatis*, non vero *Imperatoris* vel *Augusti* nomen tribuitur: in altera vero nummi area, Nerua & Traianus exhibentur stantes, quorum ille huic e prouincia reduci, etiam ante a se adoptato, manum porrigit, cum epigraphe ADOPTIO. Quo referri insuper potest alius Traiani nummus e Thesauro Maurosseniano ab illustri Biragio adductus, cum Neruæ & Traiani capitibus, ac inscriptione, TRAIANUS IMP. CÆSAR. Quamquam, quod hic obiter monendum est, non adeo, uti ab Hadriano Ælius Verus in

a Bell. Iud. l. VII. c. 27.
b Hist. IV. c. 8.
c Ioseph. Bell. Jud. l. VII. c. 1, 2, 3. Tacit. Hist. IV. c. 85.
d Cæsar. c. XIII.
e In Æl. Vero c. 1.
f Ibid. c. 11.
In L. Vero c. 1.
Not. ad Spartian. in Æl. Vero c. 11.
Lib. LXVIII. p. 770, 771.
Panegyr. c. VIII.
Ibid. c. IX.
To. I. p. 378.
Num. Imp. p. 147.

in successorem solum imperii, quam ut eius *particeps sociusque*, uti de eodem Plinius, adoptatus sit a Nerua Traianus. Verum anterius adhuc, Panegyr. c. IX. ac ut successoris in imperio designati, exemplum suppeditare poterat memoratus iam PISO, quem in CÆSAREM, velut futurum successorem, a Galba declaratum e Taeito iam ante vidimus, ac docent insuper [a] Dio Cocceianus cum apud Xiphilinum, tum in [b] Excerptis Constantinianis, in quibus ille eo *Cæsaris* nomine designatur. Etsi vero haud diuturna fuerit hæc Pisonis, breui post adoptantis Galbæ cædem itidem interfecti, adoptio, nec inde consignata publicis illorum temporum monumentis (adeo etiam ut de *Pisone irritum fuisse* obseruet alibi Tacitus id, quod cæteroquin iusserant patres sub Vespasiani principatu, de celebranda eius memoria) haud eo minus, *finita*, ut ea de re apud eundem Tacitum Galba, *Iuliorum Claudiorumque domo*, auctor idem exstitit ex aliena domo successorem in imperio sub consecrato, uti illud a Spartiano alicubi dicitur, CÆSARIS nomine, eoque in filium prius adoptato, designandi. Qua ratione mox in TITO, ut vidimus, ac DOMITIANO primum, dum superfuit parens Vespasianus, dictis CÆSARIBUS; dein post eius obitum, suo ordine AUGUSTIS; morem, post exstinctam Cæsarum familiam, diuersæ utriusque huius appellationis ac dignitatis liquet ad sequentes dein Imperatores, eorumque designatos successores, transiisse. Hinc mutata etiam primum nominis CÆSARIS sedes in nummis Vespasiani, ut nempe IMP. CÆSAR VESPASIANUS, ac dein IMP. CÆS. DOMITIAN. AUG. & IMP. CÆS. NERVA, ac in cæteris dein principibus, neque perpetuo tamen, obtinuerit: quum antea M. OTHO IMP. CÆSAR, & SER. SULP. GALBA IMP. CÆSAR AUG. ut de prioribus ante eum Imperatoribus fileam, in quibus CÆSAR erat hæreditarium familiæ haud minus quam dignitatis cognomen, NERO CLAUD. CÆS. AUG. vel TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. &c. in nummis, aliisque id genus monumentis exhiberetur. Quam in rem inserendus hic venit rarissimus nummus æreus sub Vespasiano percussus, cui similem etiam argenteum ab Occone primum, dein ab illustri Biragio descriptum quoque videas; in cuius nempe anteriori parte Vespasiani effigies, in altera duæ figuræ equitantes conspiciuntur, iuxta sequens ectypum e nummo Gazæ Mediceæ expressum, indeque olim a me diuulgatum, cum inscriptione TITUS ET DOMITIANUS CÆSARES PRINC. IUVENT.

E cuius præclari nummi, quem Patinus dein, quique exstat hodie in Thesauris Gallorum Regiis, protulit, inscriptione licet colligere: primò, inductum pridem illum morem, ut in designatione CÆSARUM, præter solita donatiua & congiaria, facti illius memoria, una cum eorum vultibus, Num. Imp. p. 108.

nummis consignaretur; unde inter præcipua secundi illius Cæsarum fastigii, id quoque receptum, præter luculentam nummorum, qui id adstruunt, congeriem, aperte docet Herodianus, a quo de Seuero dicitur, ut de Clodio Albino Cæsare a se renuntiato fidem faceret, νομίσματά τε αὐτοῦ κοπῆναι ἐπέτρεψε, *nummos cum eius imagine signari permisit*: secundò, a Senatu in Vespasiani honorem renouatam hanc CÆSARUM in duobus eius filiis appellationem, quò firmare in iis illam Imperatoris dignitatis successionem videretur; exemplo utique & iisdem titulis ac honoribus ab Augusto adoptatorum in filios CAII & LUCII fratrum: cuius rei memoria obuio illius principis nummo, de quo iam ante, erat itidem tradita, cum amborum fratrum imagine similique *Cæsarum* & *Principum Iuuentutis* inscriptione, C. L. CÆSARES AUGUSTI F. COS. DESIG. PRINC. IUVENT. tertiò, omnino restituendam Spartiano antiquam lectionem de Ælio Vero dicenti, ut vidimus: *Nihil habet in vita memorabile, nisi quod tantum* CÆSAR *est appellatus*; ubi male *primus tantum*, contra rei veritatem & meliorum codicum fidem, legendum censuit magnus Casaubonus: quartò, non per πρόληψιν, utique, ut visum quibusdam eruditis, CÆSARIS nomen candidatis imperii ab Auctoribus quandoque tribui ante Ælium Verum; quod tamen reuera serius sub eodem denuo sit receptum. Adde, quòd, præter fratres TITUM & DOMITIANUM, accedit iisdem Domitiani filius adhuc infans CÆSAR salutatus, ac post mortem inter Diuos, cum addito illo *Cæsaris* nomine relatus, ut liquet e matris Domitiæ nummis supra descriptis, DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI F., & ad quem respexit alicubi Martialis:

Lib. IV. Epigr. 3.

Suspicor has pueri CÆSARIS *esse niues.*

Quintò, non solum CÆSARIS, sed etiam PRINCIPIS IUVENTUTIS appellationem, tesseram velut fuisse futuræ in imperium successionis; unde vulgo in nummis & marmoribus utrumque, qua de re paullo post, Augustorum liberis aut hæredibus tributum videas.

9. *Quid statuendum sit de adsumto* CÆSARIS *nomine, tam intra, quam extra familiam Iuliam.*

E quibus autem, quæ de hoc CÆSARIS nomine in antiquis Imperatorum, ante ac post Neronem, nummis, consignata vidimus, satis, ut opinor, liquet, hæreditarium illud fuisse in sex prioribus, ut qui Cæsarum domum natura vel adoptione adtingebant, familiæ cognomen: ita tamen, ut simul solemnis futuræ ad imperii successionem gradus, ac summi etiam fastigii titulus, euaderet. Quod utique CLAUDII Imperatoris exemplum manifeste ostendit; qui, etsi auias haberet, a patre Liuiam & a matre Octauiam, illam Augusti coniugem, hanc sororem, quod tamen haud e *Iulia*, sed e *Claudiorum* gente foret ortus, neque in *Iuliam*, [a] instar fratris maioris Germanici, adoptatus, unde a Galba dici apud Tacitum post Neronis obitum vidimus, [b] *finita Iuliorum Claudiorumque domo*, haud CÆSAR proinde, iuxta fratrem, sed eius loco GERMANICUS, ut de eo Suetonius, paterno nempe cognomine, est appellatus: [c] *Mox, fratre maiore in* IULIAM *familiam adoptato*, GERMANICI *cognomen adsumpsit*. Idem vero, ubi est ad imperium adscitus, quod cum e nummis illius & inscriptionibus constat, tum ex eiusdem literis seu edictis ab initio principatus a Iosepho memoratis, præter illa, quæ antea gesserat, *Ti-*

Lib. II. c. 49.

In Æl. Ver. c. 11.

a Sueton. in Claud. c. 11.
b Histor. l. 1. c. 16.
c Ut supra.

d Antiq. l. XIX. c. 4, 3.

Tiberii Claudii Germanici nomina, CÆSARIS inſuper, ut de AUGUSTI titulo nunc ſileam, nomen continuo arripuit, Τιβέριος Κλαυδιὸς Καίσαρ Σεβαστὸς Γερμανικὸς, *Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus.* Quomodo etiam, qui ab eo adoptatus in *familiam Claudiam & nomen Neronis transierat*, uti a Plinio aliquoties vocatur, *Domitius Nero*, CÆSAR quoque (iuxta Britannicum, Claudii ſanguinem, quod antea vidimus) haud aliter ac antea Caius vel Lucius Auguſti Nepotes & adoptione Filii; vel Druſus & Germanicus Tiberii, ille naturâ, hic adoptione itidem filius, eſt ſimiliter nuncupatus. Unde factum dein, ut ob *nominis* illius, cuius *maieſtatem* colere iam adſueuerant Romani, ſeu, prout a Tacito dici vidimus, *ſuperſtitionem*, &, iuxta Spartianum de eodem *duraturum cum æternitate imperii nomen*, a ſequutis dein Imperatoribus, etſi aliis gentibus ſeu familiis forent prognati, quæque Cæſarum Iuliam nulla propinqua neceſſitudine vel adfinitate adtingerent, illud inter primi faſtigii titulos ſit continuo retentum, & ad eorum quoque liberos ac ſucceſſores, uti mox a Galba, eoque Piſonem in filium & ſucceſſorem adoptante, ſimiliter translatum. Vana proinde ſunt, ut modeſtiſſime dicam, & meri luxuriantis ingenii luſus, iisque, quæ paullo ante eam in rem prolata adtulimus, ſimilia, quæcunque protulit vir eruditus aliorum poſt Flauios Cæſarum vel Auguſtorum Stemmata, quæ ſcilicet eos omnes *Auguſto* & ſorore eius *Iulia*, nempe *Octauia*, prognatos; atque ita CÆSARIS in nummis eorum nomen, cognomen eſſe familiæ hæreditarium continuo euincerent. Quæ, quum neque veterum nummorum fide vel auctoritate nitantur, ſed inanibus tantum, quæ ex iis pro lubitu, ac ſingulari quadam diuinandi fiducia, arceſſuntur, coniecturis; ſint vero ab omnibus, agnoſcente id eodem Harduino, & qua de re iam ante, veterum probatorumque Auctorum, ut de Inſcriptionibus ſileam, monumentis plane aliena, eo minus refellenda hic ſigillatim veniunt, quod ab ea, ut diximus, quam tulerat tum de Auctoribus illis velut fabulatoribus vel ſuppoſitis ſententia opportune receſſerit.

Ut ſupra.

Tacit. Hiſt. XII. c. 26. Lib. II. c. 24. l. IV. c. 3. &c.

Lib. IV. c. 4. Hiſt. l. III. c. 58.

In Æl. Ver. c. 1.

10. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Quod vero, ut hoc addam, e ſitu nominis *Cæſaris* in quorundam Imperatorum nummis, nempe T. CÆSAR VESPASIANUS, vel NERVA CÆSAR TRAIANUS, vel T. ÆL. CÆS. ANTONINUS PIUS inſcriptis, id de illo unius omnium Imperatorum familiæ cognomine confici poſſe cenſuit vir eruditus, quam vim habeat, iam ante, ubi de Tito ageremus, vidimus, & promiſcuus, in nummis eorundem aliorumue Imperatorum, nominis *Cæſaris* ſitus abunde utique oſtendit. Unde etiam conſtare poteſt, quid de uno vel altero nummo poſtremorum, quos Harduinus ibi memorat, Imperatorum *Carini* & *Numeriani* ſit ſtatuendum; in quibus CÆSAR ſit bis in titulo poſitus: nempe in Græco *Carini* nummo A. K. M. A. KAPINOΣ K. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Carinus Cæſar*; in altero autem fratris eius *Numeriani*, IMP. C. M. AUR. NUMERIANUS NOB. C. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Numerianus Nobiliſſimus Cæſar*; in aduerſa vero nummi area, VIRTUS AUGGG. *trium* nempe *Auguſtorum*, Cari, Carini, & Numeriani. Quo loco id primo tenendum, quod in tanta veterum nummorum, & Cæſarianorum quidem, qui bono literarum ac veteris potiſſimum Hiſtoriæ fato, etiamnum proſtant, copia, haud liceat utique ex uno forte vel altero etiam nummo, non quod

Ibidem p. 876. & 879.

aliquid noui demum ac singulare aliisque nummis vel Auctoribus indictum contineat, sed quod omnibus aliis monumentis ac notæ sat aliunde consuetudini aduersetur, temere quid ac fidenter adfirmare. Id vero apud omnes antiquarios, seu qui veteres, & Cæsarianos maxime, diligenter hactenus ac adtente versarunt, nummos, ut cum Plinio loquar, in confesso est, CÆSARIS in iis, post finitam Cæsarum familiam, nomen modo supremi, modo secundi demum fastigii, seu destinati ad imperantis tum Augusti successionem, principis titulum continere: nusquam proinde bis in eodem Cæsariano nummo, ad denotandum utrumque illud nec eodem tempore conueniens fastigium, comparere. Consuetum vero in iisdem nummis, ut priori significatione, inter alios supremæ dignitatis titulos, & frequentius ante gentilia vel hæreditaria Imperatorum nomina vel cognomina, uti in priori *Carini* nummo factum cernimus, CÆSARIS, ultimus vero AUGUSTI titulus collocetur, ut IMP. C. vel CÆSAR NERVA TRAIANUS AUG. ubi vero successorem in Imperio illud *Cæsaris* nomen designaret, postremo fere loco ponatur, M. AURELIUS CÆSAR, vel COMMODO CÆSARI, vel M. AURELIUS ANTONINUS (Caracalla nempe) CÆSAR, vel P. SEPT. GETA CÆSAR; ac post Gordiani tempora addita in Philippi filii, quod vidit etiam Harduinus, ac aliorum dein Cæsarum, uti Numeriani quoque nummis, NOB. vel NOBILIS. seu NOBILISSIMI CÆSARIS appellatione. Unde vix liquere putem, quo iure vel titulo bis idem CÆSARIS nomen in adductis duorum fratrum, necdum, iuxta illum, *Augustorum* nummis, idque præter receptam trium ferme sæculorum consuetudinem, poneretur: aut cur demum ex Augusti priorumque Cæsarum stirpe se oriundos, repetito *Cæsaris* nomine, tum primum iidem fratres testatum consignatumque voluerint. Adde, qua ratione factum sit, ut Numerianus in priori nummi area NOBILISS. CÆSAR, ac proinde necdum *Augustus* dicatur: in altera vero eiusdem nummi parte, AUGUSTI, iuxta parentem ac fratrem Carum & Carinum, titulo decoretur; prout tres Augusti simul imperantes noto illo literarum in AUGGG. nomine compendio, in nummis, lapidum, legumque utriusque Codicis inscriptionibus designari consueuerunt. Exstat vero similis Numeriani nummus apud illustrem Biragium, in cuius auersa parte legitur solum VIRTUS AUGG. *duorum* proinde non *trium Augustorum*, quomodo alioquin legitur in auerso Cari nummo apud eundem Biragium, VIRTUS AUGGG. sed qua de re, an tres simul *Augusti* fuerint Carus & duo filii eius Carinus & Numerianus, an duo tantum, quod postremum a Baronio traditum, ad Iuliani Cæsares olim contra Scaligerum adserui, & est ab aliis dein impugnatum, ut paullo post, ubi de *Augusti* titulo ac nomine agetur, videbimus. Ad nummum vero Numeriani ab Harduino adductum quod adtinet, & qualis cæteroquin, si illud AUGGG. pro AUGG. mittas, apud illustrem Biragium, ut modo diximus, describitur, cum repetito proinde *Cæsaris* nomine in priori eius area, si genuina est & certa illa eius inscriptio, nempe IMP. C. M. AUR. NUMERIANUS NOB. C., id præter morem cæteroquin in iis monumentis receptum contigisse statuendum est, ut, cum ea, qua ornatus a patre ad imperium euecto cum Carino fratre, quod a priscis Auctoribus traditur, & firmant hic ipse aliique eorum nummi, CÆSARIS dignitas; tum supremum, quod

Ibid. p. 823.

Num. Imp. p. 421.

Ibid. p. 519.

quod adeptus poſtea fuerat, ſeu ante, ſeu poſt parentis obitum, uti ea de re mox, AUGUSTI faſtigium ſignaretur. In Græco vero *Carini* nummo, quem ſupra quoque a viro erudito e cimeliis viri præclari ex eadem Societate P. Chamillart adductum vidimus, A. K. M. A. KAPINOΣ K. diſpiciendum venit, an loco poſtremæ literæ K, non litera Σ. fuerit forte expreſſa, h. e. Σεβαστὸς, *Auguſtus*, pro recepto in Græcis nummis huius nominis unius literæ Σ, & frequentius cum tribus ΣEB. deſignati ſitu, ut in aliis Græcis huius Carini nummis ab eodem Harduino adductis, A. K. M. A. KAPINOΣ ΣEB. Quod præmiſſum etiam A, ſeu Αυτοκράτορος, una litera nomen, quod in Carini e Cæſaris dignitate ad Auguſti faſtigium euecti nummis demum legitur, videtur omnino comprobare: priores nempe illius adhuc Cæſaris nummi inſcripti CARINUS NOBIL. CÆS. vel M. AUR. CARINUS N. vel NOB. C. alii vero IMP. C. M. AUR. CARINUS P. F. AUG. vel cum ſolo cognomine IMP. CARINUS P. F. AUG. Sed quæcunque tandem fuerit repetita CÆSARIS nominis in duobus illis Carini ac Numeriani nummis ratio, id utique ſat eſt, ut opinor, manifeſtum, neutiquam inde id factum, quò illud familiæ cognomen iis, velut Auguſto prognatis, debitum continuo adſereretur; quodque, ne alia iam tangam, nusquam in priorum ante eos Cæſarum, quique, iuxta virum doctum, eodem ſucceſſionis iure illud fuerant nacti, nummis comparet. Ut nunc mittam, quæ de Caro, ut in Illyrico, & Pœnis quidem parentibus, genito, e Fabio Ceriliano, qui eius & filiorum *Carini & Numeriani tempora ſolertiſſime perſequutus* [a] a Vopiſco dicitur, adferuntur; quum a [b] Victore Schotti, [c] Eutropio, immo ab [d] Euſebio quoque, & a Sidonio Narbonæ natus cum duobus filiis tradatur, & qui, ut viderunt iam alii, ad Narbonem ait:

Hard. Select. Oper. p. 876.

Ibid. p. 877.

Vid. Birag. Num. Imp. p. 420.

a In Caro c. IV.
b Cæſar c. XXVIII.
c Lib. IX. c. 12.
d Chronic. p. 178.

[e] *Quid quod Cæſaribus ferax creandis,*
Felix prole virum, ſimul dediſti
NATOS *cum* GENITORE PRINCIPANTES.

e Carm. XXIII. v. 28. &c.

II. *De* NOBILISSIMI CÆSARIS *Titulo.*

Ad NOBILISSIMI vero appellationem quod adtinet, titulo CÆSARIS in memoratis ſupra Numeriani nummis additam; conſtat eam a Philippi Iunioris temporibus in Cæſarianis nummis fuiſſe vulgo receptam. Eandem tamen iam ante Maximo Maximini filio tribuit vetus lapis; [a] C. IULIUS. VERUS. MAX. NOBILISSIMUS. CÆSAR, immo alius inſuper, in quo legitur: [b] IMP. CÆS. CAIUS. IUL. VERUS NOB. IMPERATOR. V. eraſo nempe ibi MAX. ſeu MAXIMI, quod gerebat, nomine. Ut mittam ante eundem NOBILISSIMI titulum Commodo iam Auguſto delatum in alio veteri lapide, nempe ubi, præter alios titulos, M. AUR. COMMODO. ANTONINO. PIO. FEL. AUG. &c. additur in fine NOBILISSIMO PRINCIPI, quomodo Βασιλεὺς εὐγενέστατος, *Imperator Nobiliſſimus* ab Herodiano dicitur: prout etiam in eius nummis NOBILITAS AUG. primum ſignatur, uti NOBILITAS ſolum in aliis Getæ Cæſaris necdum Auguſti, quos deſcripſerunt celebres Antiquarii, ac unde de Natali eius die in Actis Paſſionis Perpetuæ & Felicitatis, quæ

a Th. Grut. p. CLI, 5.
b Ibid. p. CLVIII, 7.

Ibidem p. CCLXXII, 4.

Lib. II. c. 9.

Pag. 16. edit. Rom. Ibidem p. 28. sub Seuero contigit, legitur: *Natale tunc Getæ Cæsaris*; dein: *Quid utique non permittitis refrigerare noxiis* NOBILISSIMI CÆSARIS *scilicet, & Natali eiusdem pugnaturis?* Quibus gemini Philippi Patris nummi ab illustri [a] Biragio, ac dein ab eruditissimo [b] Harduino sunt itidem adducti, cum eadem inscriptione NOBILITAS AUG. & NOBILITAS AUGG. ac in Iunioris etiam Philippi, necdum Augusti, aliorumque dein Cæsarum, ut paullo ante diximus, usque ad Iouianum nummis, N. vel NOB. vel NOBIL. C. aut CÆS. seu NOBILISSIMI CÆSARIS, obuia dein occurrit appellatio, & post Iouiani fata subinde adhuc, uti id ex Byzantinæ Historiæ Scriptoribus liquet, renouata. Factum vero paullatim, ut inter Augustorum liberos, alii *Cæsares*, alii *Nobilissimi*, iique Iuniores vulgo, dicerentur: sicut manifeste colligas e loco Nicephori, quem ad Procopii Anecdota adnotauit vir doctus; alii vero destinatis temporibus primo *Nobilissimi*, dein *Cæsares* vocarentur: immo, ut illa *Nobilissimi dignitas*, Ναβελισσίμια ἀξίωμα, uti appellari dein meruit, non in filios solum, sed in alios insuper, uti fratres, patrueles, & extraneos etiam subinde, sit collata. Ita iam sub Constantino *Cæsaris* quidem nomen Delmatium, Ναβελισσίμια vero titulum, præter vestem purpuream & auro prætextam, fratres eius Constantium & Hannibalianum, ob consanguinitatem, nactos tradit [a] Zozimus. Prout etiam Valentinianus, Placidia Honorii Imperatoris sorore & Constantio Magistro militum genitus, *Nobilissimi* titulo ab Honorio decoratus ab Olympiodoro apud [b] Photium, ac iuxta eum a [c] Philostorgio, quod pridem vidimus, dicitur. Unde etiam factum, ut hoc addam, quod a me olim quoque monitum est, ut idem Valentinianus [d] *Nobilissimi Pueri* nomine; uti alibi ipse Honorius, decennis, iuxta [e] Zonaram, Imperator, in aliquot [f] Legibus Codicis Theodosiani leguntur appellati. Haud aliter nempe ac *nobiles pueri* dicti iam olim Tacito Augusti natura vel adoptione filii, Britannicus & Nero. Plura vero id genus exempla cum propinquorum, tum extraneorum, qui eo *Nobilissimi* titulo sunt a Constantinopolitanis Imperatoribus donati, suppeditabunt historiæ Byzantinæ Scriptores, & cuius rei aliquot exempla congessit eruditissimus [g] du Cange. Ut mittam, quod est in Chronico Paschali seu Alexandrino obuium, ac vidit iam doctissimus [h] Reinesius, Augustorum Filias; uti [i] Arcadiam, Pulcheriam, Ariadnam Marinam, singulas nempe ubi de earum Natalibus agitur, Επιφανεστάτας, seu *Nobilissimas* appellari. Dicti sunt enim a Græcis illis Επιφανεστάτη, vel Επιφανεστάτας vocibus, qui a Romanis *Nobilissimi* ac *Nobilissimæ* dicebantur, Domus Augustæ liberi, vel eodem iuxta eos titulo decorati, ut præter alia, quæ id manifesto arguunt, docet Philostorgius, ubi a Iouiano Imperatore alterum filium Varonianum dicit appellatum Επιφανέστατον, ὁ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ Ναβελίσσιμον ἀναγορεύει; nempe Επιφανέστατον *quod apud Romanos* NOBILISSIMUM *notat.* Unde liquet, ut obiter hoc tangam, quod Flauium Valerium Constantium dictum in Marmore Oxoniensi, τὸν Επιφανέστατον Καίσαρα, minus accurate *Illustrissimum Cæsarem* vertit doctissimus Interpres, qui, pro recepto titulo ac more, *Nobilissimus* dici debuisset. Factum vero postea, uti pridem diximus, ut PROTONOBILISSIMI quoque titulus sit illatus inter honores Aulæ Byzantinæ, immo ΠΡΩΤΟΝΩΒΕΛΙΣΣΙΜΟΥΠΕΡΤΑΤΟΥ, sicut *Protosebasti*, *Protopatritii*, *Protocancellarii*, & sexcentorum id genus.

a Num. Imp. p. 344. 345. b Select. Oper. p. 831.

a Lib II. p. 117. edit. Oxon. b Biblioth. p. 190. c H. Eccl. l. XII. c. 10. d Leg. VIII. C. Th. De Priuileg. e Annal. p. 39. To. II. f Leg. V. C. Th. de Proxim. Leg. III. & IV. de Exfecut. g Gloss. Med. & inf. Græcit. p. 1010. To. II. h Var. Lect. l. II. c. 40. i Chron. p. 306, 307.

H. Eccl. l. VIII. c. 8.

Append. p. 117.

III. *De*

III. *De* PRINCIPIS IUVENTUTIS *appellatione.*

Sicut vero CÆSARIS, dictique dein NOBILISSIMI, ita quoque PRINCIPIS IUVENTUTIS appellationem, ſymbolum fuiſſe futuræ in imperium ſucceſſionis, clariſſime oſtendunt, cum memorati iam ante, tum plures id genus nummi; in quibus, uti & in antiquis Marmoribus, utrumque Auguſtorum liberis aut hæredibus tributum conſtat. Quem nempe poſtremum PRINCIPIS IUVENTUTIS delatum in eam ſpem titulum, in *Caio* ac *Lucio*, Auguſti adoptione Filiis ac Cæſaribus, cœptum; in *Druſo* Tiberii & *Germanico* continuatum, iuxta adductum a Goltzio nummum, verum haud alibi viſum hactenus, ac inde haud immerito ſuſpectum; *Germanico* tamen, quod vel ex Ouidio ac aliunde conſtat, tributum, *Tu Iuuenum Princeps, cui & Germania nomen*; in *Nerone* autem *Tito*, ac *Domitiano* propagatum; ac reliquis dein Cæſaribus paſſim, uti *M. Antonino*, *Commodo*, *Antonino Caracallæ*, *Getæ*, *Diadumeniano*, *Maximo*, &, quos paullo ante enumeraui, Cæſaribus, ac inter eos *Conſtantiis*, *Conſtantinis*, & *Criſpo* datum, veteres nummi ante oculos ponunt. Eundem certe, ut de aliis mittam, Conſtantino Magno adſcribi in nummo Reginæ Chriſtinæ, ac filio eius Conſtantino Iuniori, ut de Conſtantio fratre ſileam, in nummo æreo maximo Gazæ Barberinæ olim notaueram; quod e vulgata poſtea ab eruditiſſimo du Cange Hiſtoria Byzantina poteſt plenius percipi. Idem vero, ut hoc addam, de *Tiberio* Druſi filio, ac Tiberii Imperatoris nepote, quem *Caligula adoptauit*, *appellauitque Principem Iuuentutis*, tradit Suetonius, &, quod ad eum viderunt viri docti, Dio Cocceianus: ſed cuius ea de re verba haud ſunt hic omittenda: Τὸν δὲ δὴ Τιβέριον, καίπερ ἐς τε τοὺς ἐφήβους ἐγγεγραφέντα, καὶ τὴς νεότητος προκριθέντα, καὶ τέλος ἐσποιηθέντα ἀνεχρήσατο. *Tiberium vero iam puberem, & IUVENTUTIS PRINCIPEM, ac denique adoptatum ſuſtulit.* Ut vel inde liqueat, cur cum ab Arriano Ἐφήβαρχος dictus ſit, ut obſeruo, *Princeps Iuuentutis*; tum diu ante apud Zonaram Προκριθεὶς, ſeu Πρόκριτος τῆς Νεότητος, haud aliter ac Πρόκριτον τῆς Ἱππάδος declaratum a Pio Marcum alibi tradit idem Dio in Excerptis Conſtantinianis, & *principem Iuuentutis* reddit ibi Valeſius; Capitolinus vero, *Scuirum turmis Equitum Romanorum*; aut quomodo Πρόκριτος τῆς Γερουσίας, *Princeps Senatus* dictus legitur apud eundem Dionem ſeu Xiphilinum Pertinax.

De Ponto l. II. Eleg. v.

Vid. Biragi Num. Imper.

In Caligul. c. XV.

Lib. LIX. p. 645.

Diſſert. VI.

Excerpt. Dion. p. 722. In M. Antonin. c. VI. Lib. LXXIII. p. 832.

Nomen vero illud *Principis Iuuentutis* nobiliſſimis adoleſcentibus Equeſtris ordinis, libera adhuc Republica, conceſſum nemo neſcit; unde rex Perſeus apud Liuium: [a] *Equites enim illis Principes Iuuentutis*; *Equites, eo nomine ſeminarium Senatus*; ut pridem, neque tum extra cenſoriam notam, vidimus. Hinc, qui in adductis iam ante nummis *Princeps Iuuentutis* appellatur, Domitianus, a Iuuenali dictus *Iam Princeps Equitum*, ubi vetus Scholiaſtes: *Magiſter Equitum factus eſt ſcilicet.* Unde etiam per figuras Equeſtres deſignati ſubinde, uti in nummis Titi, Domitiani, atque etiam Seueri, Antonini Caracallæ, & Getæ, cum inſcriptione PRINCIPIS IUVENTUTIS: nonnunquam etiam, ut in nummis Neronis & Commodi, EQUESTER ORDO PRINCIPI IUVENTUTIS. Et de Commodo quidem ait Lampridius: *Cooptatus inter tres ſolos Principes Iuuentutis, quum*

I. *Quinam libera Rep. eo nomine ſint dicti.*

[a] Lib. XLII. c. 61.

Satyr. IV v. 32.

In Commodo c. II.

quum togam sumpsit. Quem locum, quod genuinum eius sensum non adsequerentur, de mendo suspectum habuerunt doctissimi Interpretes. Hinc pro *tres solos* emendabat Lipsius *trossulos*; qua voce antiquitus *Equites* designati. Acute sane, & eidem continuo suffragantibus harum literarum triumuiris, Casaubono, Grutero, Salmasio. At mihi liceat, cum pace tantorum virorum, adsensum hic meum aliquantum cohibere. Mitto insolitum obsoletæ pridem vocis usum, ubi obuia & familiaris occurrebat. Hanc certe *Trossulorum* vocem pro *Equitibus* ab oppido *Trossulo* deductam, a Gracchorum temporibus antiquatam videre licet apud Plinium, quibus iam tum pudebat multos eo nomine appellari; idque, ut existimat vir summus, propter vocis ambiguitatem, qua vir mollis etiam ac delicatus (a Græco τρυσσὸς) designabatur. Quid dicam superuacuum hic eiusdem vocis usum? Neque enim alii *Principes Iuuentutis*, quam ex Equestri Ordine, ut parum necesse fuerit, & præter receptum loquendi morem, dici Commodum cooptatum inter *Equites Principes Iuuentutis.* Neque magis opportuna aut necessaria eiusdem Salmasii emendatio, *inter trossulos Princeps Iuuentutis*; quo nempe unicus ea ætate princeps iuuentutis Commodus designetur. Præterquam enim quod hæc eodem laborat incommodo, accedit aliud haud leue, quod vim vocis *cooptandi* non adtendisse videatur vir incomparabilis, quæ de adlecto in plurium collegium, non de unico *principe iuuentutis* dici potuit. Ita *cooptati* a Collegis Pontifices, Augures, Tribuni plebis apud rerum Romanarum Scriptores, & de qua voce paullo infra. Nulla itaque, si quid iudico, mutatione opus apud Lampridium, aut vocis pridem antiquatæ & omnino superuacuæ notatione. Delecti nempe vulgo nobilissimi adolescentes Equestris Ordinis, qui *Principes Iuuentutis* appellarentur. Eiusdem designationis & ordinis, ut modo videbamus, *Seuiri turmis Equitum Romanorum*, quorum frequens mentio in Lapidibus antiquis. Talis Commodi huius parens Marcus a Pio designatus, neque unicus tamen, sed inter plures, quod ratio nominis docet, & præterea facile e Capitolino discas: *Et Seuirum Turmis Equitum Romanorum iam Consulem designatum creauit & edenti* CUM COLLEGIS *Seuirales ludos adsedit. Collegæ* itaque Marco in illo Seuiratu, inter quos a Pio adlectus. Ita Commodus cum togam virilem sumeret (non ut Caius aut Lucius Cæsares, præter morem, *necdum posita puerili prætexta*) inter *Principes Iuuentutis cooptatus*, qui non plures quam *tres soli* exstitisse dicuntur. Neque insolitum hunc numerum colligas præterea ex præclaro Getæ Nummo, in quo tres figuræ Equestres occurrunt cum inscriptione, PRINC. IUVENT. Immo haud incommode rationem illius numeri eruere mihi videor. *Seuiri* nempe, quod vel nomen arguit, sex numero totidem Turmis Equitum Romanorum erant præfecti. Distincti vero iidem, iuxta Lapides antiquos, in *Seniores* & *Iuniores*, adeo ut tres e *Iunioribus* constarent; qui vulgo, tradito e veteri Rep. titulo ac more, *Principes Iuuentutis* dicti. In eo autem seu plurium seu trium collegio facile credimus primas obtinuisse, seu quasi Principum Principem exstitisse filium & successorem Augusti. Quo respexisse etiam videtur Curtius, ubi Alexandrum de Philota, Romano more, induxit loquentem: *Equitatui, optimæ exercitus parti, Principibus nobilissimæ Iuuentutis unum præfeci.*

Lib. xxxiii. c. 2.

In M. Antonin. c. vi.

Tacit. Annal. 1. c. 3. Capitolin. in Commod. c. ii.

Lib. vi. c. 9.

Quæ

Quæ iam olim a me de hoc Lampridii loco, contra magnos eius commentatores, Casaubonum & Salmasium in primis, adserta, doctissimi Norisii calculis adprobata leguntur in [a] Pisanis eius Cenotaphiis, ubi itidem de Caio & Lucio *Principibus Iuuentutis* appellatis agitur. Opportune vero ab illo, unde & superiora haud parum illustrantur, adducta ibidem celebris Monumenti Ancyrani verba, quibus inter alias Augusti res gestas designatorum quoque eorundem Caii & Lucii *Principum Iuuentutis* fit mentio, nempe: *Equites Autem Romani Uniuersi Principem* Caium *Hastis Argenteis Donatum Appellauerunt*; ubi lacunam, in edito a Lipsio primum eodem insigni Monumento, per vocem *Caium* supplendam credidit. Unde, etsi forte minus commoda aut adaptata ei lacunæ, prout a Busbequio descriptum erat idem rerum ab Augusto gestarum Breuiarium, foret illa huius *Caii* insertio; haud ideo tamen merebatur vir illustri doctrina & dignitate, & a quo fuerat nunquam læsus, a Critico Batauo in notis ad illud Marmor Ancyranum contumelioſe adeo perstringi: *Super quos tamen* (nempe Lipsium & Casaubonum) *copriam agere concupiuit auctor grandium Commentariorum in Cenotaphia Pisana*, ut alios mittam eiusdem urbanitatis flosculos, *ferrei nempe Scriptoris, qui stupide & obtuse offendit*; quibus verbis eum, ob unam vel alteram in illo monumento vocem explicatam vel suppletam, exagitat. Verum non felicior idem ille inficetus adeo, ut mollissime dicam, censor est, in lacunâ, in adductis supra eiusdem Monumenti verbis, & quidem e Cossonianis schedis, supplendâ: *Equites autem Romani uniuersi Principem Iuuentutis Romanorum parm . . . . hastis argenteis donatum appellauerunt*; dein, ut ipse proxime ad earum fidem legendum statuit: *Equites autem Romani uniuersi Principem iuuentutis* Romanorum *parmis* utrumque *& hastis argenteis donatum appellauerunt*. Qua fide vero, ut hinc ordiar, illud *Romanorum* sit a Cossonio ibi suppletum; idque ab eo, qui manibus eius parentauit, retentum, statuant viri, qui haud *stupide & obtuse* sunt in his literis versati. Ubinam rogo, vel apud Auctores, vel in aliis rerum Romanarum monumentis ille legit, *Principes Iuuentutis Romanorum* dictos, seu additum illud postremum *Romanorum* nomen, de iis qui olim ita honoris ergo sunt appellati, vel qui a Censoribus primum ex Equitibus erat lectus; vel subinde ordinis velut Equestris duces patritii & primæ nobilitatis e Quiritium numero, uti paullo ante e Liuio vidimus, iuuenes vel adolescentes, ac dein, proprio eam in rem titulo, Augustorum liberi ac destinati in imperio successores? *Seuiros* quidem, & qua de re ante, appellatos legimus, *turmis Equitum Romanorum* præfectos; ac vero *Principes Iuuentutis* solum eos dici, quos modo memorauimus. Adde, quòd aliena fuisset illa *Romanorum* in adductis Ancyrani monumenti verbis repetitio; quum in proximis ante verbis dicatur: *Equites autem Romani uniuersi Principem &c.* neque vero patiatur lacunæ ibi post *Principem Iuuentutis* spatium, ut ea, quæ supplet Criticus Batauus, *Romanorum parmis utrumque &c.* in ea suppleri possent. Verum opportune contigit, ut haud ita pridem copia mihi sit in Angliæ Metropoli facta a viro eruditissimo eiusdem Monumenti Ancyrani, accurate denuo ac adtente ad ipsum Marmor a celeberrimo Gallo Medico, ac Botanicorum non tantum hac ætate, quod vel ex editis eius in ea scientia commentationibus constat, principe, sed earum quoque litera-

2. Caius & Lucius Principes Iuventutis.

[a] Pag. 108.

Jac. Gronou. Not. ad Monum. Ancyr. p. 83.

terarum, quibus vulgo eruditi censentur, peritiâ haud vulgariter instructo, rogatu Tournebœufii descripti, ac eidem Smyrnæ tum agenti, quo illud aliquando publici iuris ab eo fieret, exhibiti. Quod, dum breui facturus est vir eximius, una cum pluribus ineditis Græcis Inscriptionibus, quibus noua & insignis Appendix fiet Marmorum Oxonienſium; ea inde tantum verba, uti ad hunc ipsum Ancyranum lapidem sunt haud ita pridem a laudato Medico descripta, huc adferemus, quibus collati illius *Principis Iuuentutis* tituli facta occurrit mentio:

EQUITES. AUTEM. ROMANI. UNIVERSI. PRINCIPEM IUVENTUTIS . . . . . ET. HASTIS. ARGENTEIS DONATUM. APPELLAVERUNT.

Ubi UTRUMQUE, non vero (quod erat hic alienum) ROMANORUM PARMIS UTRUMQUE, suppleri posse quiuis videt. De *Utroque* vero *Caio* ac *Lucio* ibi agi, non solo autem *Caio*, quod suppleuerat Lipsius, præter Auctores ac Nummos, vel quæ præcedunt proxime in eo monumento verba, EX. EO. DIE. QUO. DEDUCTI. SUNT. IN. FORUM. ac superiora, etiam SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. ANNUM. QUINTUM. ET. DECIMUM. AGENTIS. CONSULES. DESIGNAVIT, satis superque arguebant. Ut mirum equidem videri possit viris magnis, Lipsio & Casaubono, ut de Norisio, horum auctoritate adducto, fileam, non subolusse de alia litera aut voce, quam C. seu *Caio*, supplenda in eodem marmore; quasi de uno e duobus filiis Augusti adoptiuis, præter historiæ fidem, non vero de duobus, ageretur. Quod si per lacunæ spatium liceret, non UTRUMQUE solum, sed PARMIS quoque, quod in eo Cossonius insuper legerat, ad Dionis ea de re & Nummorum fidem, retinendum putarem. Quamquam, ut hoc addam, si alterutra vox demum sit ibi retinenda, vel inde PARMIS potius quam UTRUMQ. supplere ibi liceat, iuxta fidem descripti ab [a] Octauio Strada, ac inde ab illustri [b] Biragio adducti nummi; in quo nempe duo, Caii & Lucii, quæ se mutuo respiciunt, capita conspiciuntur, & inscriptio, CAIO ET LUCIO, uti in Pisana inscriptione CÆSS. PRINCIPI. IUVENTUTIS, de utroque nempe ita appellato.

[a] Pag. 58.

[b] Num. Imp. p. 58.

3. *Ex equestri Ordine eo nomine lecti adolescentuli.*

Ex iis vero, quæ hactenus de illo PRINCIPUM IUVENTUTIS titulo diximus, abunde liquet de Equestris Ordinis, in quo censeri solebant patritii ac nobilissimi Romanorum, qui pubertatem ingressi virilem togam induerant, *adolescentulis* sermonem esse, uti iidem ab agente de iis Q. Cicerone dicuntur: [a] *Primum cognoscendi sunt Equites: pauci enim sunt*; mox: *Multo enim facilius illa* ADOLESCENTULORUM *ætas ad amicitiam adiungitur*; dein: *Jam studia* ADOLESCENTULORUM *in suffragando &c.* In eo autem positum fuisse singularem illum, & quidem, ut de eo Augustus in dicto Marmore, HONORIS CAUSA, delatum duobus adolescentulis eius Filiis, seu, ut in eodem Marmore legitur, ANNUM QUINTUM ET DECIMUM AGENTIBUS, titulum PRINCIPIS IUVENTUTIS licet statuere: quòd, quum, recepto hactenus in Republica, & quem paullo ante adtigimus, more, unus, qui a Censoribus primus in Equestri Ordine legebatur, *Princeps Iuuentutis* diceretur, tum primum duo,

[a] De Petit. Consulat. c. VIII.

duo, & quaſi omnium illius *adoleſcentulorum Ordinis*, ut de illo Q. Cicero, *nobiliſſimi*, & quidem ab ipſo *Uniuerſo Equeſtri Ordine*, ſint eo nomine appellati. Accedit, quòd inde cenſerentur velut illius Ordinis ductores; uti, præter alia, in Circenſibus dein ſeu Decurſionibus Equeſtribus, quæ in eorundem Caii & Lucii, ut paullo ante vidimus, aliorumque id genus *Principum Iuuentutis* nummis conſignantur, & in ſolemni inprimis ac notiſſimo (quique a patritiis & nobiliſſimis pueris, uti a [a] Suetonio ac [b] Dione iidem appellantur, peragi conſueuerat) Troiæ ludo. Quomodo aliàs, ſed & antequam Nero, *maturatâ*, ut alibi dein a [c] Tacito dicitur, *virili toga*, foret, ut paullo poſt contigit, *Princeps Iuuentutis* appellatus, de eo ac Britannico, biennio adhuc Iuniore, traditur: *Circenſibus ludis*, *cum* PUERI NOBILES *equis ludicrum Troiæ inirent*, INTERQUE EOS BRITANNICUS *Imperatore genitus*, *& L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum* NERONIS *adſcitus. Inter* alios proinde *nobiles pueros*, ſeu, ut de illo puerili Troiæ ludo Suetonius, *turmâ duplici maiorum minorumque puerorum* decurrunt Britannicus ac Nero necdum adoptatus, ac *Princeps Iuuentutis* dictus, etſi ille Principis tum imperantis priuignus, hic naturalis filius forent. Idem autem Nero poſt Claudii adoptionem, de qua ſequenti libro [a] Tacitus, ac delatum mox [b] *Principis Iuuentutis* titulum, *ludicro Circenſium*, *triumphalium veſte*; Britannicus vero, cui eadem illa *Principis Iuuentutis* appellatio haud conceſſa legitur, *in prætexta transuecti ſunt*. Quæ utique egregie illuſtrat adductus iam ab eximio Patino, & de quo obiter paullo ante, Getæ nummus, in quo cernuntur tres Equeſtres figuræ decurrentes; in alio etiam, iuxta celebrem Antiquarium, quinque, e quibus una ductoris vice fungitur, cum inſcriptione PRINC. IUVENT. COS. Quo autem typo Equeſtrem illum, & qui *puerorum* Feſto etiam dicitur, Troiæ ludum deſignari haud immerito cenſuit; & qualis etiam inter Seueri nummos, quemque alibi dein idem Patinus profert, conſpicitur: ut ille proinde non debuerit priori loco ſuſpectus eidem videri, quod nusquam ſcilicet Seuerus dictus ſit *Princeps Iuuentutis*. Quum enim Seuero ſuperſtite & Auguſto, in filium Getam collata ab eo fuiſſet *Cæſaris*, ac ſimul, pro recepto more, *Principis Iuuentutis* appellatio; inde in auerſa nummi eiusdem Seueri parte conſignatur poſtremi huius tituli, filio tum conceſſi, & equeſtri illa decurſione ſeu Troiæ ludo, pro conſueto itidem more, celebrati, memoria. Haud aliter nempe ac ſingularis Veſpaſiani nummus Gazæ Mediceæ, a me pridem vulgatus, in auerſa parte duos exhibet decurrentes filios, Titum ac Domitianum, *Cæſares* & *Principes Iuuentutis* itidem inſcriptos. Sed iuuabit hic memorati Getæ nummi iconem proferre, & quidem ſolam, quoniam Titum & Domitianum, *Principes Iuuentutis* in ſingulari Veſpaſiani nummo dictos iam ſupra, ubi de Cæſarum titulo ei itidem adſcripto, ageremus, exhibuimus. Ad Caii, Auguſti Filii, nummum quod attinet, quem Noriſius profert in Cenotaphiis Piſanis, quemque eundem exhibere ait tanquam Principem Iuuentutis, is non huc ſpectat, ſed ad eiusdem Principis profectionem in Armeniam, quod vel ex iſtius nummi icone, quam ſupra itidem delineandam curauimus, cuiuis, ut opinor, erit manifeſtum.

a In I. Cæſ. c. XXXIX.
b Lib. LI. p. 460.
c Annal. XII. c. 41.

Annal. XI. c. 11.

Ut ſupra in I. Cæſ. c. XXXIX.

a Annal. XII. c. 25.
b Ibid. c. 41.

Num. Imp. p. 252.

Vaill. Præſt. Num. p. 41. P. 11.

In voce *Troia*.

Theſ. Num. p. 80.

Noriſ. Cenotaph. p. 109.

Diſſert. X. p. 205.

4. *An hæc dignitas conueniat cum Magistro Equitum sub Dictatore.*

Neque tamen intra hæc stetisse, aut omnino, uti censet doctissimus Norisius, vim pristinæ Magistri Equitum sub Dictatore dignitatis adumbrasse hanc delatam Augustorum liberis vel destinatis successoribus PRINCIPIS IUVENTUTIS appellationem, licet utique statuere. Neque vero Equitum solum vel Equestrium Decursionum aut Transuectionum simulacra occurrunt in signatis subinde *Principum* id genus *Iuuentutis* nummis, sed subinde, & frequentius quidem, exhibentur stantes iidem ac paludati, ac interdum togati, cum uno, aut duobus in utraque manu signis Legionis; aut vero cum Aquilâ, vel solâ, vel inter duo signa militaria, immo etiam cum tropæo; adde cum Clypeo interdum vel Scipione, Hasta purâ vel Pilo, aut Globo, & ad pedes Captiuo: cuiusmodi plura utique symbola Philippi Iunioris, illiusque PRINCIPIS IUVENTUTIS, nummi, in Gaza Gallorum Regia & in aliis Cimeliarchiis, proferunt, quæ pedestris potius quam equestris Ordinis vel militiæ Ducem aut Magistrum videntur omnino euincere. Quod, cum iis abunde est notum, qui in versanda penu Romanorum nummaria haud sunt plane hospites; tum e sequentibus Cæsarum, uti Commodi, Philippi, Valeriani præterea, & Constantini denique, nummis, iisque inscriptis PRINCEPS aut PRINCIPI IUVENTUTIS, satis superque innotescit.

Quo loco illud haud prætereundum est, quòd apud Ciceronem, ut pridem vidimus, & qui inde videbatur illustrari, lucemque iis nummis commodare, *signiferi* ac *Principis Iuuentutis*, & Equestris quidem Ordinis, promiscua veluti est appellatio: nempe de nobili iuuene vel adolescente C. Torquato inquit: *Cum* PRINCEPS, *cum auctor*, *cum* SIGNIFER *esset* IUVENTUTIS, *parens eius*, *&c.* Exstat vero alius adhuc apud eum locus, ubi *signifer* & *Princeps* Equestris itidem Ordinis Atticus ab eo dicitur: *Equitatus ille*, *quem ego in Cliuo Capitolino te* SIGNIFERO *ac* PRINCIPE *collocaram*, *Senatum deseruit*. Quibus autem locis eam voci huic *signiferi* vim inesse liquet, qua quis velut primus ordinis ductor designatur; quod in Romanorum, ut aliunde notum, agminibus

Orat. pro Sulla c. XII.

Ad Attic. l. II. Epist. 1.

esset

eſſent in principiis ſigna, ac proinde *ſigniferi*: unde etiam *ſignifer ſeditionis*, pro primo eius auctore ſeu concitatore, ab eodem Tullio dicitur: *Quis iſte Sergius? armiger Catilinæ*; dein: *Signifer ſeditionis*; alibi rurſus: *Qui cauſſæ noſtræ duces, & quaſi ſigniferi fuiſſent.* Id vero adductis modo nummis cum Signis Legionis ac PRINCIPIS IUVENTUTIS appellatione tradi liquet, quod iam innui, pedeſtris etiam militiæ duces exſtitiſſe, qui eo titulo deſignantur, ſeu utriusque militiæ exercitiis adſuetos, quod iam vidit doctiſſimus Dodwellus, eo titulo adfectos Auguſtorum liberos ac deſtinatos in imperio ſucceſſores. Adeo etiam ut ab erudiſſimo Harduino dicatur, "quod Princeps Iuuentutis ſemper fuerit Dux „ primus turmarum pedeſtrium, *General d'Infanterie:* tum alibi, *Colo-* „ *nel General d'Infanterie:* ut illud nunc mittam *turmas*, præter notam & vulgarem vocis illius ſignificationem, de *pedeſtribus*, non vero *equeſtribus* copiis ibi ab eodem dici. Idem vero alibi Commodi nummum, in quo is dextrâ Equum fræno, lævâ autem virgam tenet, dicit eſſe *ſymbolum Principis Iuuentutis vel Magiſtri Equitum.* Quod poſtremum adſtruere aliquantum poſſent adducta paullo ante Iuuenalis de Domitiano verba: *Iam Princeps Equitum*, h. e. *Magiſter Equitum*, iuxta veterem eius Scholiaſtem.

Pro Domo c. VI. Pro Plancio c. XXX. Prælect. Cambden. p. 576. Select. Oper. p. 647. Ibid. p. 738. Ibid. p. 786.

IV. *De Liberis Auguſtorum aut ſecundi faſtigii conſortibus* IN SACERDOTUM COLLEGIA *Cooptatis.*

In hunc vero ordinem ſecundi faſtigii, una cum *Cæſaris*, *Principis Iuuentutis*, aut *Nobiliſſimi* titulis, referri inſuper debent Sacerdotales dignitates, puta PONTIFICIS, AUGURIS, SACERDOTIS etiam COOPTATI IN OMNIA CONLEGIA SUPRA NUMERUM, idque EX S. C. Ad hæc enim Sacerdotia vulgo adſciti, qui in ſpem ſuccedendi in imperio euehi a prima iuuentute vel pueritiâ conſuerant. Clarum id utique e Cæſarum ſeu *Principum* id genus *Iuuentutis* nummis, uti & lapidibus etiam antiquis, qui eosdem titulos iis largiuntur.

1. *Quare Auguſtorum Liberi inter Sacerdotes cooptati ſint.*

Ratio autem illius inſtituti, ut inde ordiar, petenda primo ex auito liberæ adhuc urbis more, iuxta quem propria fuerunt per aliquot ſæcula Patritiorum nobiliſſimarumque Familiarum apud Romanos Sacerdotia: unde Sacerdotes e plebeis Familiis adlegi ægrius tuliſſe Patres refert [a] Liuius, quam cum viderent vulgari Conſulatum. Hinc *nobiliſſimi ac Sacerdotes viri* coniuncti alicubi apud [b] Velleium; & *nobiles adoleſcentuli auitis ac paternis ſacerdotiis* ab Othone ornati, apud [c] Tacitum; & apud Symmachum, iuxta antiqui moris veſtigia: *Decreuit nobilibus ſacerdotia.* Altera vero cauſſa, ſolemnis dein huius moris Imperatorum liberos deſtinatosue ad imperium Succeſſores Sacerdotiis ab ipſa etiam pueritia ornandi, arceſſenda eſt ex arcanis Auguſti conſiliis, ut, ſicut ſupremum rerum aliarum arbitrium, ita ſacra omnia & cærimonias Deorum apud Romanos receptas in ſua ſuæue Domus haberet poteſtate. Hinc inter reliquos honores ab Auguſto admiſſos, illum quoque Dio alicubi commemorat, ut Sacerdotes quoscunque pro arbitrio conſtitueret, neglecto etiam numero antiquitus recepto, quem tradit poſtea in immenſum creuiſſe. Ita factum eſt,

a Lib. x. c. 6. b Lib. II. c. 124. c Hiſtor. I. c. 77. Lib. LI. p. 457.

ut, præter receptam Pontificis Maximi dignitatem, auctus sit ab eo Sacerdotum numerus, & in eorum Collegia unus e filiorum suorum loco cultis, aut in filios adoptatis, continuo adscitus; quomodo, aut Clau-
Annal. I. c. 3. dium Marcellum, sororis filium, ut ea de re Tacitus, *admodum adolescentem Pontificatu*, quod mox sequitur, *extulit*; aut in Caium, in filium cum Lucio fratre adoptatum, eumque adhuc impubcrem, Sacer-
Lib. LV. p. 534. dotium contulisse, apud Dionem dicitur. Hinc Lituum etiam & simpulum videas in obuio nummo, qui eundem Caium & Lucium fratrem signat, totidem, quod obuium, Auguratûs simul & Pontificatûs insignia: in aliis autem nummis PONT. seu *Pontificem*, præter alios titulos, inscribi eundem Caium, depictis etiam in iis Simpulo & Cultro victimario. Quo nempe honore mactatus similiter fuerat a J. Cæsare, & quidem puer adhuc, ipse Augustus, quem ille, breui dein in filium adoptandum,
Lib. II. c. 59. iuxta Velleium, *Pontificatûs Sacerdotio honorauit*. Unde id quoque, præter alia, ab iisdem Iulio & Augusto mutuati sunt sequentes Imperatores, ut, qui ipsi Sacerdotiis a teneris ferme fuerant inaugurati, filios suos quoque & destinatos in Imperio successores, in eadem etiam, pueros adhuc & adolescentulos, cooptarent. Ita TIBERIUS eodem, quo est in Filium ac Cæsarem ab Augusto adscitus, anno, Tribunitiæ nempe eius
Birag. Num. Impp. p. 61, 62, 63. Potestatis sexto, in præclaro eius nummo, ac in aliis dein, AUGUR & PONTIFEX, vel PONTIFEX tantum, dicitur, & ad utrumque illud sacerdotium, forte ante adoptionem, ut Augusti priuignus, ac Tribunitiæ Potestatis consors, iam euectus. Naturalis vero eius filius DRUSUS PONT. seu *Pontifex* itidem in veteri nummo inscriptus; adoptione vero
Annal. I. c. 62. filius GERMANICUS *Auguratu ac vetustissimis cærimoniis*, iuxta Tacitum, *fuit præditus*, & post cuius mortem decretum idem refert, *ne quis*
Annal. II. c. 83. *Flamen aut Augur in Germanici locum, nisi Gentis Iuliæ, crearetur*. Quomodo TITUM quoque ac DOMITIANUM eâdem PONTIFICIS appellatione in residuis eorum nummis decoratos; postremum etiam AUG. & PONT. seu duplici quoque *Auguratus & Pontificatus* Sacerdotio in iis insignitum cernimus. Qui cæteroquin PONTIFICIS titulus aliis dein Cæsaribus seu Iuuentutis Principibus, uti *Antonino Caracallæ*, *Septimio Getæ*, *Seuero Alexandro*, adde, in quibusdam nummis, *Gordiano Africano* filio, etsi *Augusto* in iis, iuxta parentem adhuc superstitem, dicto, sed cui, ut ex nummis etiam eius liquet, delata erat Pontificis Maximi dignitas, tribuitur. Ut hæc totidem, quæ modo adtigimus, Sacerdotia quasi primi fastigii tyrocinia facile agnoscas. Ita hoc velut rudimento sacris ac cærimoniis Deorum Cæsares sunt initiati; sicut iidem postea Augusti supremam Sacerdotii dignitatem, Pontificatum nempe Maximum, consequebantur. Arcanum hoc cum aliis id genus recluſit nobis Dio, sed
Lib. LIII. p. 503. cuius ea de re locum non recte cepit interpres: Ἐκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱεροσύναις ἱεροῦσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι, ἀρχιερέων τε τινὰ αὐτῶν, κἂν δύο, κἂν τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύσιν. *Ex eo autem quòd omnibus Sacerdotiis inaugurati sunt Imperatores, & quòd alios in pleraque illa Collegia adscisunt, semperque unus eorum, ubi duo vel tres simul imperant, Maximum Pontificatum gerit, continuo fit, ut omnium Religionum & Sacrorum Domini euadant.* Vides hic apertam huius moris originem: inauguratos omnibus Sacerdotiis Imperatores, seu Sacerdotes in

omnia

omnia Collegia cooptatos, & *alios in eadem ab iis adlectos*, h. e. Cæſares ac in ſpem ſucceſſionis adoleſcentes; non autem, ut ſenſum peruerterat Interpres, *ac plerosque in ea Collegia adſciſcunt*, contra Dionis mentem, & totam arcani illius politici rationem: prout id agnouit, meamque de illius loco verſionem adhibuit Cl. Pagi. Inde etiam perſpicua fit inſcriptio obiter paullo ante adducta; quæ nempe in notis iisque præclaris Neronis, Principis adhuc Iuuentutis, necdum Auguſti, nummis legitur: ſed quos hactenus nimis leuiter adtigere præſtantes antiquarii, SACER. COOP. IN OMN. COL. SUPRA NUM. *Sacerdos Cooptatus In Omnia Collegia Supra Numerum*; quibus ſingulis opus eſt aliqua notatione. Male autem, quod ante omnia monendum eſt, nummum cum ea inſcriptione ad *Neronem Druſum Germanicum*, Tiberii Imperatoris Fratrem, retulit vir doctus, deceptus, cum aliis nonnullis, illa nominum communione, quæ tum huic Druſo, tum Neroni, poſt eum a Claudio eiusdem Druſi filio adoptatum, fuit; ut ex aliis etiam eius nummis liquet inſcriptis NERONI CLAUDIO DRUSO GERM. cum illius adhuc adoleſcentis effigie, & inſcriptione, PRINC. IUVENT.

Critic. Baron. p. 54. To. I.

Jac. Gutlier. de Jur. Pont. l. I. c. 9.

Haud ignotum cæteroquin, & Tullio aliisque familiare loquendi genus *Sacerdotis in Collegia cooptati*; ut: [a] *Ciceronem noſtrum in veſtrum Collegium cooptari volo*; alibi: [b] *Faunius cooptatus in Augurum Collegium*; apud Liuium: [c] *Triumuir Epulo Q. Fulnius M. F. in locum eius Triumuir cooptatus, tum prætextatus erat*; item de C. Seruilio Gemino: [d] *Pontifex in locum eius a Collegio cooptatus eſt Q. Fuluius Flaccus*; dein: [e] *Pontifex Maximus M. Æmilius Lepidus, quum multi clari viri petiſſent, & Decemuir Sacrorum Q. Marcius Philippus, in eiusdem locum eſt cooptatus.* Quæ loca vel ideo adtulimus, ne de ſolis inter Sacerdotes Auguribus, cum quibusdam eruditis, hanc vocem *cooptari* uſurpatam credas; quam hic de Triumuiris Epulonibus, Pontificibus Maximis, Decemuiris Sacrorum adhiberi promiſcue cernimus. *Cooptari* itaque, quod vel inſcriptio dicti nummi arguebat, dicti omnium Collegiorum apud Romanos Sacerdotes, ſicut *nominari*, *adlegi*, *capi*, ac, iuxta Seruii gloſſam, *creari*; nempe: *Et ſunt propria verba, quæ nulla ratione mutentur, nam ut Sacerdotes* CREARI, *Virgines* CAPI *dicimus*; quam tamen poſtremam vocem, præter Veſtales, ad Flamines etiam Diales, Pontifices, & Augures ſpectaſſe docet Gellius. *Nominabat* nempe Sacerdotem, puta Augurem, unus aut duo e Collegis (*neque enim licebat a pluribus nominari*, ut Cicero alicubi obſeruat) qua *nominatione* idem in Collegium *cooptari* dicebatur. Hinc alibi idem Tullius: *Poſtremum Auguratus locum, in quem ego eum, ut quod a Patre accepi Filio reddam, mea nominatione* COOPTABO; Plinius Iunior: *Qui me nominationis die per hos continuos annos inter Sacerdotes nominabat, tanquam in locum ſuum* COOPTARET. Sic in Inſcriptione apud diligentiſſimum Sponium, ſed ab erudito Suareſio Conimbricenſi Epiſcopo prius edita: *L. Cælio &c. Flauiali Sacerdoti Splendidiſſimo Pontifici Minori* COOPTATO IN COLL. (ſeu *Collegium*) OMNIUM *Fratrum Centonianorum Et Dendroſor.* Verum cuius vocis COOPTATI in genere, ac citra additum *Sacerdotii* vel *Sacerdotiorum* nomen, occurrit multiplex mentio in lapidea tabula Romæ reperta, e qua prolixa Inſcriptio a Grutero adducitur: ac ubi quædam, inter alia, le-

2. *De uſu vocis* cooptari.

a Epiſt. v. ad Brut.
b In Bruto c. XXVI.
c Lib. XL. c. 42.
d Ibidem.
e Ibidem.

Ad Æn. VII.

Lib. I. c. 12.

Philipp. II. c. 2.

Philipp. XIII. c. 5.

Lib. IV. Epiſt. 8.

Miſcell. p. 177.

leguntur in honorem Antonini Caracallæ, & in qua ille, uti Nero in eo, de quo hic agimus, nummo, sed in genere citra additam sacerdotiorum aut alterius dignitatis, quæ ibi compareat, mentionem, LATERANO ET RUFINO SUPER NUMERUM COOPTATUS EX S. C. dicitur. Ab illustri Scaligero illius quoque Inscriptionis fit mentio in Animaduersionibus Eusebianis, sed omissis vocibus SUPER NUMERUM. Verum propius ad eundem Neronis nummum, & similis in Principe Iuuentutis, ac designati in Imperio successoris exempli illustrationem respicit Lampridii in Commodo locus, quem ad eum vidit iam eruditus Areschotani Ducis nummorum interpres: *Adsumptus in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos Commodus.*

Thes. Grut. p. ccc.

In Commodo c. XII.

3. *Supra numerum Augustorum Liberi cooptati.*

Idem vero Nero SUPRA NUMERUM seu Ὑπερεξάριθμος Sacerdos cooptatus, haud aliter nempe ac adoptiuus Parens Claudius [a] AD NUMERUM *Sodalium Augustorum sorte ductorum* EXTRA ORDINEM *adlectus* a Tranquillo dicitur. Quo referri possunt Inscriptiones aliquot antiquæ, velut apud Gruterum: [b] ADLECTO SUPRA NUMERUM *Sodalium Augustorum.* Immo neque insueto etiam in aliis honoribus conferendis titulo ac more, sicut apud Tacitum, ut [c] SUPRA NUMERUM *legeretur, qui templi curam susciperet*; alibi de Comitiis Prætorum: [d] *Tres, qui* SUPRA NUMERUM *petebant*; quique [e] *Candidati* SUPRA NUMERUM a Suetonio vocantur; apud Plinium quoque de Ciuitatum Buleutis: [f] *Quos indulgentia tua quibusdam ciuitatibus* SUPRA LEGITIMUM NUMERUM *adiicere permisit*; & rursus alio loco: [g] *Quominus statim reuocandos putarem, quos habet* SUPRA NUMERUM. Ita & imaginariæ militiæ genus a Claudio institutum, [h] *quod vocaretur* SUPER NUMERUM, seu, ut tradunt quidam libri, SUPRA NUMERUM; ut mittam SUPERNUMERARIOS illos milites, Scholarios, aliosque, quos e Vegetio, Procopio, & Codice Theodosiano ad eum Suetonii locum erudite, ut solet, obseruat ὁ πάνυ, & quo referri etiam possunt [i] *Extraordinariæ* illæ *Cohortes*, seu [k] *Extraordinarii milites*, quorum fit mentio in veteri Romanorum militia apud Liuium.

a Sueton. in Claud. c. VI.
b Thes. Grut. CCCCXLIV, CCCCLI, 4.
c Annal. IV. c. 56
d Annal. XIV. c. 28.
e In Neron. c. XV.
f Lib. X. Epist. 117.
g Ibid. Ep. 32.
h Sueton. in Claud. c. XXV.
i Lib. XXXIV. c. 47.
k Lib. XXXV. c. 5.

4. *In plura simul Collegia iidem Cooptati.*

Neque vero mirum, ut vidimus, audire Neronem SACERDOTEM IN OMNIA CONLEGIA COOPTATUM, hoc est, *Augurem, Pontificem, Septemuirum Epulonum, XVuirum Sacris Faciundis*, seu *Sacerdotem Summorum Collegiorum*, ut eadem a Suetonio appellantur; *Sodalem* præterea *Augustalem*, & e *Saliorum* numero; denique, quod apud Dionem, optimum illius Neroniani nummi interpretem, vidimus: Ἐν πᾶσιν ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, *in omnibus Sacerdotiis inaugurari.* Id quidem libera adhuc urbe receptum subinde legimus, quamquam rarius, idque pro eximio honore habitum, ut quis in duo demum Sacerdotalia Collegia cooptaretur. Sic Liuius de C. Fabio Maximo Augure & Pontifice: [a] *Nam* DUO SACERDOTIA *habuit.* Quomodo unus vel alter *Augur* simul & *Decemuir* factus apud eum legitur, ut [b] T. Otacilius Crassus; alibi: [c] *In M. Pomponii Mathonis Auguris & Decemuiri locum creati, decemuir M. Aurelius Cotta, augur Tib. Sempronius Gracchus, &c.* non unus nempe, sed duo tum suffecti. Contigit vero dein, & quidem ex concessa Augusto, & qua de re paullo ante, Sacerdotes quot & quoscunque vellet creandi potestate, ut sub eo *familiæ nouitas*, quod ait Velleius, haud ob-

In Aug. c. 100.
Lib. LIII. p. 508.
a Lib. XXX. c. 26.
b Lib. XXVI. c. 6
c Lib XXIX. c. 38.
Lib. II. c. 127.

obstiterit, quominus M. Agrippa & Statilius Taurus *ad complura eniterentur Sacerdotia.* Ita Galbæ ante imperium & sub Claudio delatum *Sacerdotium triplex*; *inter Quindecemuiros* nempe *Sodalesque Titios*, *item Augustales* COOPTATUS; & Vitellius, eodem Suetonio auctore, *trium principum indulgentia*, Caii nempe, Claudii, & Neronis, *Sacerdotiis amplissimis* auctus. E quibus autem unum fuisse *Quindecemuiratum*, licet e noto huius Vitellii iam Augusti nummo, in quo conseruata est Sacerdotii huius memoria, colligere: nempe XV VIR SAC. FAC. *Quindecemuir Sacris Faciundis*, cum sculptis in eo Tripodis, Delphini, & corui, Auguralis auis, symbolis. Vespasianus etiam sub eodem Claudio *duplex Sacerdotium* aceepisse dicitur. Inde etiam illa exclamatio hominis quantumuis multum accipientis, plura non accipere iniuriæ loco ducentis, apud Neronis educatorem: *A me numerari voluit annum* (i. e. ordinarium me Consulem fecit) *sed decst mihi ad Sacerdotium.* COOPTATUS IN COLLEGIUM *sum*; *sed cur in unum?* Idem vero alibi meminit *Sacerdotiorum Candidati.* Ut non mirum proinde sit, Neronem imperii candidatum, seu in filium & successorem a Claudio adscitum, haud *in unum* utique, aut *duplex* etiam vel *triplex*, iuxta successorem Galbam, sed *In Omnia Collegia*, quod ex insigni eius nummo discimus, ab eodem Claudio, & quidem *Supra Numerum*, *Cooptatum.* Unde etiam in eodem Neronis nummo conspiciuntur Patera, Tripus, Capeduncula, & Lituus, ad designanda multiplicia illa, quæ paullo ante enumerauimus, Sacerdotia, quod viderunt iam præstantes antiquarii, seu ad declarandum Neronem, ut de Germanico iam ante Tacitus, *Auguratu & vetustissimis cærimoniis præditum.*

Sueton. in Galb. c. VIII.

In Vitell. c. V.

Idem in Vesp. c. IV.

Seneca de Ira l. III. c. 31.

De Benef. l. IV. c. 28.

Ann. I. c. 62.

Neque vero frustra additum in eodem Neronis nummo, EX S. C. Ab Amplissimo enim Ordine sunt collati vulgo, ut aliunde notum, tituli ac honores, quibus vel Augusti, vel eorum liberi & successores ornabantur; maxime ubi iidem erant *extra ordinem*, seu *supra numerum*; aut quum alioquin nondum per leges capax eiusmodi honorum ætas foret. Ita Marcum Pius *in Collegia Sacerdotum* IUBENTE SENATU *recepit*; qui iam ante, & quidem octauo ætatis anno, in Saliorum Collegium relatus ab Hadriano fuerat. Immo, sicut in adlata paullo ante Inscriptione de Antonino Caracalla, ut vidimus, dicitur, [a] *Supra Numerum Cooptatus* EX S. C.

Capitol. in M. Antonin. c. VII.

Ibid. c. IV.

a Thes. Grut. p. CIII.

5. *Ætatis gratia in cooptandis Sacerdotibus facta.*

Liberæ autem urbis temporibus facta est etiam nonnunquam ætatis gratia in cooptandis Sacerdotibus: sicut inter Neronis huius maiores, [b] *Cn. Domitius Ænobarbus* OPPIDO ADOLESCENS SACERDOS *lectus* apud Liuium legitur, qui tamen perrarò illud factum alibi innuit: [c] *Augur T. Sempronius Gracchus* ADMODUM ADOLESCENS, *quod tunc* PERRARUM *in* MANDANDIS SACERDOTIIS *erat.* Quod, ut adhue singulare Claudii Imp. temporibus, de Marciæ filio prædicat Seneca: *Hac sanctitate morum effecit, ut* PUER ADMODUM *dignus Sacerdotio videretur.* Quamquam solis interdum pueris delata fuerint e quarundam Gentium institutis Sacerdotia. Ita priscis temporibus apud Ægienses in Achaia Iouis Sacerdotium Puero formâ præstanti creditum, cui pubescenti alius succederet, obseruat Pausanias: & apud Thebanos Apollini Ismenio puer claris natalibus, forma itidem ac robore præstans, annuus Sacerdos, prout alibi refert idem

b Lib. XLIII. c. 28.

c Lib. XXIX. c. 28.

Consol. ad Marc. c. XXIV.

Lib. VII. p. 445.

Lib. IX. p. 517.

Auctor, deligebatur. Haud aliter nempe ac Elagabalus, adhuc iuuenis, *pulchritudine*, *ac statura*, & SACERDOTIO *conspicuus* a Capitolino traditur, & quod firmant eius nummi, in quibus, præter signatos eius vultus, inscribitur SACERDOS DEI SOLIS ELAGABAL. Ad ea vero Nobilissimorum Cæsarum Sacerdotia referendi sunt quoque ii nummi, in quibus visuntur Instrumenta Sacerdotalia, & inscriptiones, quæ Augustorum filios respiciunt, puta, SEVERI PII AUG. FIL. & quales nummos explicandos quiuis videt de Seueri liberis, Antonino Caracalla & Geta in Sacerdotalia id genus Collegia, ut ante de iisdem vidimus, cooptatis.

II.

De Titulis PRIMI *in Orbe Romano* FASTIGII.

I. *De Titulo* CÆSARIS.

CÆSARIS quidem, quæ ab Augusti temporibus hæreditaria fuit in Domo Augusta usque ad Galbam appellatio, sub sequentibus dein Principibus, cum ad destinatos in Imperio successores Augustorum, ut paullo ante vidimus, Filios ac Hæredes designandos; tum ad ipsos quoque Imperatores rerum Dominos est translata: ac ita, ad declarandum hæreditariam veluti, non generis quidem ac familiæ a Cæsare Augusto, sed dignitatis exinde propagatæ successionem, studiose ab iis retenta. A qua tamen Vitellium abstinuisse liquere videtur ex eius nummis vulgo inscriptis, A VITELLIUS GERMANICUS IMP. AUG. vere proinde a Suetonio ad-
In Vitell. c. IX. sertum: *Vitellius Germanici cognomen recepit*, *Augusti distulit*, CÆSARIS *in perpetuum recusauit*. Unde rariores statuendi sunt ii huius Vitellii nummi, quales tamen antiquarii proferunt, qui ab eo serius adsumptum AUGUSTI cognomen præferunt. At vero *Cæsarem* eum tandem dici voluisse, quo superstitione nominis inclinatam fortunam tum aliquantum eri-
Histor. III. c. 58. geret, sed sero nimis & irrito conatu, apud Tacitum legimus. Neque vero alia notior extra fines Romani Imperii aut nobilior Romanorum Principum exstitit appellatio; & qua utique eosdem a Persis vocari solitos tradit Procopius, ubi Legatos Cosröis ad Belisarium de Iustiniano Im-
Bell. Persic. l. II. c. I. peratore querentes inducit: Οτι Ο ΚΑΙΣΑΡ, οὕτω γὰρ τῶν Ρωμαίων καλοῦσι Βασιλέα Πέρσαι, *quod* CÆSAR, *ita enim Romanum Imperatorem vocant Persæ*, non *Augustum* scilicet aut *Imperatorem*. Quo etiam respexisse videtur Iustinianus, qui huius nominis dignitatem præ aliis principatûs vo-
Præf. Nou. XXX. cabulis alicubi extollit hoc modo: *Qua de caussâ apud omnes terræ populos nominatissimum* CÆSARIS *nomen est*, & *nos*, *præter omnes alias Imperatoriæ maiestatis notas*, *eo gloriamur*. Ut proinde haud mirum videri debeat, illud CÆSARIS nomen in Græcis dein Latinisque Imperatorum nummis, inter primos supremæ illius dignitatis titulos retentum, intueri. Neque vero hic denuo tangimus, quæ iam supra, ubi de hac CÆSARIS appellatione Imperatorum liberis, aut destinatis in Imperio successoribus delata agebatur, nobis adlata sunt, & quo loco expendimus nouam nempe

pe & ſingularem omnino viri eruditi ſententiam; quâ ſtatuit *Cæſarem* fuiſſe hæreditarium familiæ in ſequutis dein per aliquot ſæcula Imperatoribus cognomen, utpote qui ex *Cæſare Auguſto* & ſorore eius *Iulia*, quæ & ipſa *Cæſar* fuerit, erant prognati.

II. *De Titulo* AUGUSTORUM.

AUGUSTI quoque, ſi ratio habenda hie foret nuperæ viri illius eruditiſſimi adſertionis, transiit a primo, qui illud nomen tulit, ad ſequentes dein Imperatores, non adeo ut ſupremæ dignitatis titulus, quam ut hæreditarium itidem familiæ cognomen, iis nempe, qui de ſtirpe vel conſanguinitate Octauii Auguſti, a Senatu delatum. Quæ utique quantum, non dieam ab omni veterum Auctorum, eum quibus ille nouiſſime in gratiam rediit, fide abeant; ſed ab omni etiam vel leuiſſima veri ſpeeie, in tanta veterum, qui illud ſupremi in Orbe Romano faſtigii nomen tulerunt, e variis & barbaris ſubinde gentibus prognati, & militari factione ſæpius, quam exſpectato Senatûs decreto nuncupati AUGUSTI, quiuis, ut opinor, vel me ſilente, intelligit. Unum proinde ſolum hie addam grauiſſimi Auctoris ae viri Conſularis, Dionis nempe Coeeeiani eam in rem teſtimonium; a quo, ubi de titulis ae honoribus Imperatorum ab eo agitur, ae inter alia de AUGUSTI appellatione, nominatim dieitur, nullam quidem poteſtatem peculiarem *Auguſti* nomen adiicere, ſed tantum τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα, *ſplendorem dignitatis* ſignificare.

1. *Nomen* AUGUSTI *non fuit familiæ hæreditarium cognomen.*

Lib. LIII. p. 507.

Illud vero AUGUSTI nomen a Senatu Populoque Romano Octauiano Cæſari, nouo & ampliori cognomento quam ROMULI, quod tamen ille vehementer ambiuerit, delatum tradit etiam [a] Dio. Religioſam equidem fuiſſe illam AUGUSTI appellationem, ae vi illius nominis viuos quaſi & valentes Cæſares conſeeratos, præter [b] Tranquillum aut [c] Dionem, manifeſtò [d] Appianus refert: ut ſeilieet iam tum, quod eam in rem tradit etiam [e] Florus, *dum colunt terras ipſo nomine & titulo conſecrarentur*; ae prout Gratianus Imperator ab [f] Auſonio vocatur *poteſtate Imperator*, *Auguſtus ſanctitate*; a coætaneo vero ipſi Auguſto Poëta dicitur:

2. *De vi ac ſignificatione vocis* AUGUSTUS.

a Ibidem.
b In Auguſto c. VII.
c Ut ſupra.
d Bell. Ciu. l. I. p. 352.
e Lib. IV. c. 12.
f Gratiar. Act. p. 706. ed. Varior. Amſt.
g Ouid. Faſt. l. I. ℣. 609. &c.

[g] *Sancta vocant* AUGUSTA *patres:* AUGUSTA *vocantur*
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

Certe a Græcis dictum videas σεβασμοῦ τυγχάνειν, pro *conſecrari*, ut aliquoties apud Diodorum, qui & τοῦ σεβασμοῦ τυγχανόντων ζώων, ſeu de *conſecratis beſtiis* apud Ægyptios mentionem facit. Inde etiam Σεβαστικοὶ, ſeu religioſæ eontemplationi addicti, inter diſeipulos Pythagoræ, ut in libro Anonymi de vita huius Philoſophi apud Photium legitur. Qua ratione etiam AUGUSTI eognomen, non Imperatorum ſolum, ſed Deorum etiam titulis additum legitur in antiquis lapidibus, ut monuit iam, adductis aliquot eius rei exemplis, doctiſſimus Reineſius. Cuiusmodi plura ſuppeditare poſſunt indices Theſauri Gruteriani; ut IOVI AUG. APOLLINI AUGUSTO, MERCURIO AUGUSTO: item MARTI, NEPTU-

Lib. I. p. 20, 77.

Biblioth. p. 134.

Syntagm. p. 88.

NO, &c. AUG. Ac de Deabus similiter IUNONI AUGUSTÆ, vel etiam IUNONIBUS AUG. DIANA AUGUSTA, MINERVA AUG. Quæ proinde *venerabilis*, ut subinde etiam est dicta, AUGUSTI appellatio in nummis Imperatorum passim consignata legitur; eaque etiam prima destinatis Imperatoribus deferri consuerat, [a] *nuncupatio Augusta* ab Ammiano Marcellino dicta; alibi [b] *honorum vertex*; aut [c] *apex summæ potestatis* tum etiam *superior potestas*, & *Augustum culmen*; ac similiter a Lactantio [d] *maxima potestas*, ac [e] *primi honoris titulus*. Ita Græcis passim, ut Libanio, [f] μεγάλη vel μείζω προσηγορία, μείζω τάξις, μείζω θρόνος, τὸ ἄκρον, κορυφὴ τῆς ἐξουσίας, ab [g] Eusebio in Vita Constantini, μέγιστον τῆς ἀνωτάτω βασιλείας σύμβολον· alibi: ἀνώτατος παρὰ Ρωμαίοις τιμὴ (quibus alioquin vocibus, τιμῆς τῆς ἀνωτάτω, *Patritiatum* vocat alicubi, ut obseruo, [h] Procopius) Augustus ipse [i] ὁ κρείττων: quibus nempe singulis appellationibus unum AUGUSTI nomen ac dignitas designatur. Ut agnoscere utique liceat, cur non solum coniunctum sit idem nomen cum reliquis supremæ potestatis appellationibus, sed etiam, iisdem omissis, occurrat solum in multis Imperatorum nummis: nempe CÆSAR AUGUSTUS, ac dein illius exemplo, TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUSTUS, HADRIANUS AUGUSTUS, ANTONINUS AUGUSTUS de Caracalla, GALLIENUS AUGUSTUS, & ita in aliis. Neque frustra proinde, de hac appellatione ab Octauiano Augusto ad successores transmissa, ait Chrysostomus: Καὶ τοσοῦτον ἐτιμήθη ὁ ἀνὴρ, ὡς καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ γενέσθαι προσηγορίαν τοῦ ἀξιώματος, *ac in tantum vir ille cultus est, ut nomen eius fieret appellatio dignitatis*; non proinde, de qua re paullo ante, hæreditarium familiæ cognomen, seu eorum qui ab eo vel a sorore genus ducerent.

a Lib. xxvi. c. 4.
b Ibid. c. 11.
c Ibid. c. vi.
d De Mort. Perf. c. xx.
e Ibid. c. xliv.
f Orat. Fun. Iulian. p 284.
Idem Basilic. p. 111.
g Lib. iv. c 68.
h Bell. Vandal. l. ii. c. 6.
i Liban. ut supra p. 284.
Homil. iii. p. 718. To. v. ed. Saint.

3. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Adeo ut neutiquam opus sit ea hic pluribus conuellere, quæ vel superiora abunde, ut opinor, redarguunt, immo, ut cum venia viri eruditissimi, cui eadem comminisci libuit, hoc dicam, quæ vel sola eorum commemoratione, nullo quippe tibicine fulta, continuo corruunt. " Qualia „ sunt, quod non Senatui, aut Ciuitati seu urbi Romæ, vel Exercitui „ Σεβαστὸς, seu *Augustus*, sed Prouinciis solum *Augustus*, h. e. venerabi- „ lis foret & sacrosanctus: ad quas nempe mittatur a Senatu vice ipsius „ Senatûs reuerenter & honorifice habendus. Hæc enim distinguenda „ esse vocabula in nummis antiquis, *Imperator*, *Princeps*, & *Augustus*: „ quod *Imperator* in exercitu, *Princeps* in urbe, *Augustus* in prouinciis „ sit appellatus. Hinc nullum a prouinciis cusum, nisi suis *Augustis* num- „ mum; nullum iis cum *Principe* ciuitatis seu urbis Romæ commercium, „ quod alibi ab eodem adstruitur: nempe ne hæreditaria *Augusti* in pro- „ uinciis potestas foret, vel *Imperatoris* in Exercitibus, lege cautum, ut „ neutra dignitas *Imperatoris* vel *Augusti* ad Nepotes transiret; &, quod „ alibi adhuc tangit, ne imperium Augusti in prouinciis ultra vicenos an- „ nos prorogaretur, diligenter cauebatur. Ne & illud adhuc præteream, „ quod alio itidem loco eam in rem legitur, quòd Constantius a Senatu „ obtinuit, ut *Augusti* titulum cum principatu gereret annis pluribus, quam „ ullus ante se Principum præter Augustum: sed impetrauit etiam, ut „ Iulianus (qui a Flauia Constantii Filia Fl. Claudius dictus est) sibi Col- „ lega adsignaretur per annos decem, & idem sibi decedenti e Magistra- „ tu succederet annis decem; in quo Iulianus *Augusti* titulum annos XX. gesse-

Harduin. Select Oper. P. 477.
Idem p. 503.
Idem p. 478.
Idem p. 683.
Idem p. 482.
Idem p. 118.

„ geſſerit. Quibus hæc addi inſuper debent, alibi adhuc de hoc AUGUSTI nomine ab eodem viro erudito, & quidem poſtremo loco, ſeu in Addendis ſuis illis Operibus, tradita: "*Auguſtus* idem valet atque *Guber-* Addend. p. 937.
„ *nator ordinarius* a Senatu deſignatus e multis in eadem familia Cæſarum „ hæreditariis, ſeruato ordine proximitatis cum deceſſore, coque nomi- „ ne venerandus, Σεβαστὸς, Auguſtus. Ipſa viri eruditi verba, ne quid- quam eidem adfingi poſſet quis forte arbitrari, omnino, ac ideo quod id argumenti, in quo verſamur, ratio a nobis flagitaret, illibenter cæteroquin, adtulimus. Quam noua enim ſit & inaudita hactenus per tot ſæcula hæc Romani imperii ſub Cæſaribus forma ac adminiſtratio; quantum eadem ab omni non dicam Auctorum veterum, nec profanorum ſolum, ſed Eccleſiaſticorum etiam, quos vocant, aliorumue monumentorum, ipſaque nummorum, de qua dubitare forte poterant, qui omnis eorum tractationis ſunt plane rudes, fide abeant, probare iam, quod valde foret ſuperuacuum ac inutilis operæ, non adgredior: quum etiam illa ſint forte ex eorum numero, quæ, ſi per bibliopolam viro erudito licuiſſet, is e ſuis illis commentationibus tollere, & e luce ad tenebras damnare conſtituerat. Ut mittam, quòd eadem, vel ex iis, quæ iam diximus, aut quæ dicenda adhuc veniunt, de hoc AUGUSTI nomine, corruant; aut quòd, quid de iis ſtatuendum ſit, aliunde, vel leuiter hisce literis tincto nec plane in hiſtoria Romana hoſpiti, conſtare ſat poſſit.

4. *Nomen illud inditum Imperatoribus ad ſplendorem dignitatis ſignificandum.*

AUGUSTI equidem, ut obiter hæc ſolum tangam, inditum olim Romanis Imperatoribus nomen, non ad peculiarem aliquam imperii partem ſeu poteſtatem indicandam; ſed unicè ad ſplendorem dignitatis declarandum, ut paullo ante e Dione, eoque Conſulari & grauiſſimo Auctore vidimus; adde, & quod ſolemne ſupremæ poteſtatis inſigne dein exſtitit. Neque vero inde illud eſt a Senatu delatum, quò demum is, qui eo gauderet, in Romani orbis Prouinciis vice Senatûs, non vero in urbe, aut apud Exercitus, *Auguſtus* vel Σεβαστὸς ac inde *reuerenter* ac honorifice haberetur; nullosue a prouinciis cuſos, niſi ſuis Auguſtis, nummos, ſatis utique, quò de aliis ſileam, redarguunt, quod a Senatu populoque Romano repertum illud ſit in Auguſti, pacatis tum prouinciis, rerum domini, ac in urbe deinceps agentis, honorem; utque eo titulo, qua de re paullo ante, viuus valensque conſecraretur. Adeo etiam ut illud AUGUSTI nomen, primi in orbe Romano faſtigii, ac ſummæ in eo poteſtatis, ut ab Euſebio aliisque probatis Auctoribus dici vidimus, inſigne deinceps fuerit. Adde, quòd plures etiam *Auguſti* pedem extra Romam aut Italiam non extulerint, nunquam proinde in Prouinciis viſi; minus ad eas a Senatu, velut illius Legati & earum Rectores, miſſi: quòd præterea ab Exercitibus, etiam ſæpe haud exſpectato Senatus decreto, aut ab eorum deceſſoribus Auguſtis, citra vel ante Senatus conſenſum; aut a ſemetipſis quandoque, ut inter alios de Galerio Maximo tradit quoque Euſebius, nomen *Auguſti* tulerint: quòd denique plurimi & obuii paſſim occurrant, aut a viris præſtantibus vulgati, qui in urbe ſeu Romæ, & quidem cum S. C. nota, deſcripti ſunt cum eodem AUGUSTI titulo Imperatorum nummi. Mitto, quòd etiam plures exſtant eorum cuſi in Prouinciis nummi, qui ΑΥΤ. & ΚΑΙΣ. ſeu *Imperatoris* & *Cæſaris* titulos tantum, non vero ΣΕΒ. ſeu Σεβαστοῦ vel *Auguſti*, iis tribuunt: quales inter maximos etiam, vulgo Ita- H. Eccl. l. VIII. c. 13.

lis *Medaglioni* dictos, conspiciuntur in Hadriani, Antonini, M. Aurelii, L. Veri, Commodi, Seueri, aliorumque nummis, qui exstant inter cimelia Gallorum Regia, Medicea, Cardinalis Carpegna, Abbatis de Camps, aliaque, citra ullam proinde suorum illorum ΣΕΒΑΣΤΩΝ seu AUGUSTORUM mentionem. Neque certe conciliari id potest cum Proconsulari extra urbem, de qua postea agetur, Potestate Imperatoribus nominatim a Senatu data, ab iis autem subinde cum destinatis in imperio successoribus seu Cæsaribus communicata; neque cum Imperatorum vel Augustorum ad Prouinciarum Rectores, quorum fit a priscis Iuris Romanorum antistibus mentio, Rescriptis; quibus utique non *Augusti* vulgo, sed *Imperatoris* duntaxat nomen inscribitur aut præfigitur, ut [a] *Imperatoris Titi Antonini*, Pii nempe; aut [b] *Imperator noster D. Marcus*; aut [c] *Imperatores Antoninus & Verus*; aut, [d] *Oratio Imperatoris Antonini*, Marci nempe, *& Commodi*; ac de Caracalla similiter, [e] *Imperatoris Antonini*, & quæ plura id genus haud ita pridem ad postremam hanc Ulpiani Legem, de iis qui *in orbe Romano Ciues effecti*, [f] vidimus, ac sunt in illo Legum Romanarum thesauro passim obuia. Adde, quæ de illa AUGUSTI tituli vel cognominis in prouinciis solum Romani orbis, haud vero in urbe, vel in Exercitibus, agnitione ac potestate a viro erudito tradita, neutiquam insuper conueniunt cum instituta ab Augusto, ac retenta dein a Successoribus, inter Imperatores vel Augustos ac Senatum Populumque Romanum Prouinciarum diuisione, iuxta quam alii *Legati & Proprætores Augusti*, Πρεσβευταὶ καὶ Αντιστρατηγοὶ τοῦ Σεβαστοῦ, alii vero Populi, iique demum a Senatu missi, *Proconsules* vel *Prætores*, Ανθύπατοι vel Στρατηγοὶ, & quæ singula e nummis itidem, qui in prouinciis sunt percussi, fiunt manifesta.

a Leg. VIII. D. de Statu Hom. l. III. D. de Pactis &c.
b Leg. XXXIX. D. Legat. & Fideicom.
c. Leg. III. D. ad Leg. Jul. Annon.
d Leg. XVI. D. de Sponsal.
e Leg. XVII. D. de Statu Hom.
f Orb. Rom. l. II. c. 3. & 4.

5. *An* AUGUSTI *nomen unquam ab Imperatoribus depositum fuerit.*

Neque vero depositum ab Imperatoribus adhuc superstitibus, nisi a Diocletiano forte & Herculio, illud *Augusti* nomen, legimus; aut vero iis, ubi, quod a viro docto similiter traditur, per annos unum, vel alterum, vel tres, quinque, septem, decem, ac plures etiam sub *Augusti* nomine in prouinciis imperassent, esse illud nomen a Senatu ademptum, eosque dein ad vitam priuatam redactos, ullis, non Auctorum dicam, sed nummorum veterum testimoniis nititur. Immo quæ etiam haud parum infirmant vel conuellunt Consecrationes in eorundem *Augustorum* nummis obuiæ, & frequenter etiam cum sola DIVI AUGUSTI, omissis aliis supremi fastigii titulis, appellatione: ut DIVUS CLAUDIUS AUGUSTUS, DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS, DIVUS TITUS AUG. DIVUS HADRIANUS AUG. &c. in eadem, vel auersa eorum nummorum parte, cum S. C. Quos utique nummos nemo in urbe, & quidem mox ab illorum *Augustorum* obitu, percussos inficiabitur, ut opinor. Et hæc quidem paucis adtigi, ut iis demum, qui a me vel coram, vel per literas petierunt, ne nouas illas viri eruditissimi ac haud uno loco conspicuas in nuperis eius Operibus sententias, in eà, quæ mihi præ manibus erat de Romanorum principum titulis ac honoribus, repetitæ, ut aiunt, operæ, e nummis illustranda Commentatione indictas plane præterirem.

6. *An* Augustum *sequuti Imperato-*

Ex adductis vero paullo ante aliquot Imperatorum nummis, cum solis in iis CÆSARIS & AUGUSTI titulis, liquet, haud leuiter errare alium virum eruditum, qui illud AUGUSTI cognomen a Tiberio, Caio, Nerone, Galba, aliisque reiectum putat; a Pio vero, Marco, Pertinace pri-

primum admissum, ANTONINI nomine postea in eiusdem locum suffecto, omissum, post Maximinum vero denuo renouatum; a cuius temporibus scilicet Imperatores AUGUSTI, non ANTONINI sint appellati. Mira hæc omnia in eo viro, qui data opera de Imperatorum titulis ac dignitate commentabatur, & qui prisca Nummorum Lapidumue monumenta hic ante omnia consulere debuit. In iis enim videre potuisset promiscue ab Imperatoribus post Augustum (qui inde ἀρχὴ τοῦ Σεβασμοῦ, καὶ τοῖς ἑπειτα, *Augustæ huius appellationis origo etiam iis, qui eum sequuti sunt*, a Philone dicitur) cognomen AUGUSTI adsumptum, ac Tiberio quidem excepto, de quo tamen Suetonius refert, eum AUGUSTI nomen licet hæreditarium (in filium enim fuerat a Cæsare Augusto adscitus) nullis, nisi ad Reges aut ad Dynastas, Epistolis addidisse. Verum neque solum AUGUSTI FIL., sed passim etiam AUGUSTUS in eius nummis, quales sunt in thecis nummariis & in Antiquariorum libris obuii, dicitur. Unde præter alios Cæsares, a Flauiis, Nerua item, Traiano, Hadriano, iam ante Antoninum Pium, ac post Pertinacem, ab omnibus Antoninis; aliisque ante & post Maximinum receptum illius nominis usum videas, neque disiunctum ab Antonini nomine. Quomodo nempe de Seuero tradit Spartianus, eum ex omnibus Imperatoribus M. Antoninum tantum coluisse, *ut Antonini nomen omnibus deinceps quasi* AUGUSTI *adscribendum* putaret. Utriusque vero nominis diuersa hic ratio: istud vice gentilis seu hæreditarii cognominis a Caracalla, Elagabalo, aliisque usurpatum; prius vero delatum ut receptus ac solemnis primi fastigii titulus. Neque etiam apud Dionem, Caligulam *Augusti*, sed *Iuuenis* seu *Iunioris Augusti* appellationem sibi delatam in contumeliæ argumentum vertisse, superstites eiusdem Cæsaris nummi cum *Augusti* titulo satis produnt. Unde neque Galbam, ob adsumptum, iuxta Tranquillum, *Cæsaris* nomen, ideo altero AUGUSTI caruisse, signata utriusque nominis in eius nummis memoria finit dubitare. Dilatum quidem illud AUGUSTI nomen a Vitellio tradit, ut paullo ante vidimus, Tranquillus; nec longam tamen eius rei moram fuisse, ex eius nummis, qui, ut diximus, sine hoc titulo & cum eodem prostant, licet percipere.

res omnes id nomen usurparint. J. Cæsar Bulengerus de Imper. Rom. l. 1. c. 12.

Legat. ad Caium p. 1012.

In Aug. c. XXVI.

In Seuero c. XIX.

Lib. LIX. p. 650.

In Galb. c. XI.

Id vero nouum & singulare post Antonini Pii mortem contigit, ut duo simul Imperatores illo AUGUSTI titulo fuerint insigniti, nempe qui *Diui Fratres* in Legum Romanarum Syntagmate vulgo appellantur, M. Antoninus & L. Verus. Quod tangit quoque Ammianus Marcellinus, ubi ab eo dicitur, quòd ante Valentem fratrem & Gratianum filium a Valentiniano, non *Cæsares*, sed *Augustos* continuo nuncupatos, nemo *adsciuit sibi pari potestate Collegam, præter principem Marcum.* Quod vero tradit memoratus aliquoties vir eruditissimus, "primum exstitisse hunc „ Gratianum, qui Augusti Filius nomen AUGUSTI, patre, Valen„ tiniano scilicet, superstite gesserit: id utique vel ipsa nummorum, quorum alioquin fide solum nititur, auctoritate conuellitur. Ex iis enim, etsi aliunde non liqueret, manifesto constat, COMMODUM, Marco parente per triennium adhuc superstite, AUGUSTUM quoque appellatum. Immo inde factum, ut, cum ætatis intuitu, tum ad aliquod cum Marco parente adhuc superstite discrimen, AUGUSTUS IUN. seu *Iunior* dictus

7. *Duo simul* AUGUSTI *post* Antonini Pii *mortem.* Lib. XXVII. c. 6.

Hard. Select. Oper. p. 334.

Critic. Baron. p. 171. To. I. dictus legatur idem in singulari nummo, quod vidit etiam eruditissimus Pagi: quomodo adhuc se ipsum Commodus apud Herodianum in concione ad milites post parentis obitum vocat: Σὺν ἐμοὶ βασιλεῖ νέῳ, *mecum Imperatore Iuniore*. Ut proinde huic rei haud opus sit Aristidis Rhetoris illa ætate ad eam firmandam testimonio, apud quem legitur inscripta de Smyrna Oratio duobus tum Augustis Patri & Filio, *Imperatori* (Græcis nempe verbis) *Cæsari Marco Aurelio Antonino* AUGUSTO, tum cum iisdem omnino titulis: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Αὐρηλίῳ Κομόδῳ ΣΕΒΑΣΤΩ Αἴλιος Ἀριστείδης χαίρειν, *Imperatori Cæsari Aurelio Commodo Augusto Ælius Aristides salutem.* Ad quam autem Orationem in aliâ dein ad Commodum, patre iam mortuo, respicit: Τὰ μὲν οὖν παλαιὰ μέμνησαι κατὰ τὴν πρώτην ἀκούσας ἀρχήν, καὶ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΣΥΝΗΡΧΕΣ, *& antiqua quidem, quando* CUM PATRE *primum* IMPERABAS, *audire te meministi.* Ut de controuersio inter eruditos Legationis Athenagoræ titulo, *Ad Imperatores M. Aurelium Antoninum & L. Aurelium Commodum*, nunc non agam, quod ea nomina uterque tulerit *L. Verus* Marci Collega & Gener, tum Marci filius, & quo loco id de priori, seu *L. Vero*, intelligi adseruit eruditissimus Pagi. Adde nunc ANTONINUM CARACALLAM, & GETAM etiam, etsi aliquanto serius, AUGUSTOS cum superstite patre Seuero, ac priorem quidem per plures annos, dictos, quod similiter nummi eius, & magno quidem numero, comprobant, uti aliquot etiam [a]Legum tituli in Codice Iustinianeo, in quibus *Impp. Seuerus & Antoninus A A* legitur. Immo quod vel ipsum Harduinum suffragatorem tulit, qui ad annum Christi CC. Seueri autem VIII. Antoninum illum, nempe *Caracallam*, AUGUSTUM appellatum tradit, multosque dein eius nummos cum illo titulo, usque ad abdicatum, scilicet anno demum Tribunitiæ Potestatis fere XIX. a Seuero imperium, notat: Getam vero *Augustum* quoque renuntiatum anno iam ante Patris abdicationem tradit. Idem agnoscit quoque de Philippis Patre & Filio, quod simul AUGUSTI fuerint, adducitque eam in rem Filii nummos, cum inscriptione ADVENTUS AUGG., VIRTUS AUGG., CONCORDIA AUGUSTORUM. Adde e Cari Augusti filiis, nempe natu maiorem Carinum, AUGUSTUM itidem cum Patre nuncupatum; prout arguunt, cum ab aliis antiquariis tum ab ipso Harduino descripti in Caro nummi, hinc IMP. C. M. AUREL. CARUS AUG. illinc, seu in auersa parte, MONETA AUGG., vel VICTORIA AUGG.; vel IMP. CARUS AUG., & in altera nummi area VIRTUS AUGG. exhibentes. Quibus addere licet nummum, ab illustri Biragio adductum e schedis Sponianis, cum inscriptione CARUS ET CARINUS AUGG. & quæ inde possunt utcunque illustrari, quod de Carino a Vopisco traditur: *Hic quum* CÆSAR *decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis, ac Britanniis & Africa, relictus a patre Cæsarianum teneret imperium, sed ea lege ut omnia faceret, quæ* AUGUSTI *faciunt, &c.* Ut haud mirum proinde foret, si in nummis, ab eo in illis partibus, ubi imperabat, cusis, se AUGUSTUM, iuxta parentem Carum procul in Oriente agentem, nuncupari iusserit.

a Leg. 1. C. de Rei Vindic. L. 1. C. de Usufruct. L. 1. C. de Repetit. L. 1. C. de Posthum. Reuers. L. 1. C. de Quæstion.

b Ibid. p. 800, 806, 807.

Ibid. p. 833, 835.

Ibid. p. 876.

Num. Imp. p. 419.

In Carin. c. XVI.

8. *An* Carus *simul cum*

Id vero minus forte liquidum, an tres simul tum AUGUSTI fuerint, *Carus* nempe, duoque eius filii *Carinus* & *Numerianus*. Quod equidem vi-

videtur adſtruere Cari nummus ab illuſtri Scaligero ad[a] Euſebium adductus, cum epigraphe VIRTUS AUGGG., & cui inde ſententiæ de tribus Auguſtis, qui eodem tempore ſint viſi, ſuffragatur[b] eruditiſſimus Pagi: idque firmari inſuper ſtatuit legum aliquot in Codice Iuſtinianeo inſcriptionibus, in quibus legitur: [c] *Imppp. Carus, Carinus, Numerianus, A. A. A.*, ſeu tres *Auguſti*. Ne tamen continuo ab ea ſententia, quam olim ad Iuliani [d] Cæſares, & cuius facta eſt ibi ab cruditiſſimo Pagi mentio, adtuleram, de duobus tum, non tribus ſimul, *Auguſtis*, mihi recedendum putem, facit præſertim, quod illa nummi inſcriptio in Caro a Scaligero adducta VIRTUS AUGGG., agnoſcente ibi eodem Scaligero, in aliis eiusdem Cari nummis cum duplici tantum GG. ſeu AUGG. ſignetur. Quomodo etiam adductus inter alios ab eruditiſſimo [e] Harduino, & de quo iam ante, Numeriani nummus, in quo ſimiliter VIRTUS AUGGG. legitur; qui tamen, cum eodem nempe typo in auerſa nummi parte, inter deſcriptos a [f] Biragio nummos VIRTUS AUGG. traditur, duorum proinde non trium *Auguſtorum*. Adeo ut de vera eorundem nummorum lectione accuratius forte eſſet inquirendum. Ad legum vero in Codice inſcriptiones quod adtinet, id utique eruditis notum, & aliquot etiam exemplis ab iis, uti ab ipſo Pagi, Noriſio, aliisque ſubinde oſtenſum, & a me quoque haud ita pridem, adductis aliquot illuſtribus eius rei exemplis, adſertum eſt, haud ſinceras eſſe plurimas earum in Codice Iuſtinianeo Legum inſcriptiones. Immo, ne longius abeam, quod vel indicatæ modo aliquot illius Codicis Leges cum trium illorum *Auguſtorum* in earum titulo mentione continuo euincunt, quibus nempe in ſubſcriptione tantum additur CARO ET CARINO A. A. CONS. 283. atque ubi ita duorum tantum *Auguſtorum* fit mentio. Accedit, quod nullus ſit ex Auctoribus illius ætatis, qui de hisce Imperatoribus, Caro ac duobus filiis, egerunt, a quo quidpiam de tribus hisce eodem tempore Auguſtis ſit proditum, niſi quis eò referre velit Eutropii ac Hieronymi in Chronico Euſebiano verba, quòd *Carus regnauit cum filiis Carino & Numeriano annis duobus*; ſed quod de Cæſaribus ab eo ſtatim ab initio ſuſcepti imperii nuncupatis, ex nummis, [a] marmoribus, aliisque Auctoribus, Vopiſco ac utroque [b] Victore, dici conſtat. Ne iam τοῦ πάνυ Salmaſii auctoritatem hic obtendam, qui ad [c] Vopiſcum duos tantum, non tres, *Auguſtos*, Carinum nempe ac Numerianum, idque poſt Cari demum obitum, nuncupatos ſtatuit. Quamquam Carinum, Caro adhuc ſuperſtite, *Auguſtum* quoque appellatum euincunt omnino, quod virum maximum fugit, adducti paullo ante nummi: ita tamen ut nuſpiam tres ſed duo tantum AUGUSTI exſtarent, Numeriano adhuc intra CÆSARIS faſtigium manente. Illud nempe, in ea veterum Scriptorum ac Annalium, de trium horum principum incertâ, compendiosâ valde, & contrariâ ſibi interdum narratione, e pluribus adhuc ſuperſtitibus eorundem nummis licet utique ſtatuere; Carum primo ſolum ſub *Auguſti* titulo imperaſſe, nuncupatis utroque filio *Cæſaribus*, Carinum breui Auguſti quoque dignitate ab eo affectum; ut duo tum *Auguſti* imperarent, ſicut etiam poſt Cari parentis obitum, Numeriano nempe Auguſto itidem in eius locum ſuffecto. Unde hæc Nemeſiani, qui eâdem ætate vixit, de geminis tum *Auguſtis*, Carino nempe ac Numeriano, verba eâdem in re adduxit iam ad Vopiſcum ὁ πάνυ:

duobus filiis itidem AUGUSTIS *imperauit.*

a Animadu. p. 241.
b Critic Baron. p. 303, 304. To. I.
c Leg. IX. C. de Rei Vindic. L. V. C. de Mun. Patrim. L. V. C. Qu. Ciu Mun. L. XVI. C. de Fidecom. L. VI. & VII. C. de Prædic. & Al. I.
d Pag. 120.
e Select. Oper. p. 876.
f Num. Imp. p. 471.

Critic. Baron. p. 308. To. I.
Orb. Rom. p. 176, 177. &c.

Leg. IX. C. de Rei Vindic. L. XVI. C. de Fideicom. L. V. & VI. C. de Prædiis &c. Et Al. &c.
Lib. IX. c. 12. Chron. p. 178.

a Theſ. Grut. CCLXXVIII. 1, 2, 3, 4, 5.
b De Cæſarib c. XXXVIII. Epitom. c. XXXVIII.
c Not. ad Vopiſc. in Caro c. XVIII.

Cyneg. v. 80.

videorque mihi iam cernere FRATRES,
AUGUSTOS *habitus*, *Romam*, *clarumque Senatum*;

& quæ plura ibidem leguntur: unde haud confestim adeo post Cari obitum periisse Numerianum licet omnino statuere. Quæ utique singula e nummis eorundem Principum adstrui videas, uti e subscriptionibus legum aliquot Codicis Justinianei, in quibus, primi iidem Carinus & Numerianus NOBILISSIMI CÆSARES leguntur appellati: dein, superstite adhuc Caro, duo interdum, ut vidimus, AUGG. seu *Augusti*, ac similiter dein in Carini & Numeriani nummis; ubi nempe iidem postea, patre mortuo, hunc titulum simul ferunt. Quum enim plures utique sint eorundem Imperatorum nummi ab illustri Biragio post Occonem descripti, in quibus AUGG. seu duo ex iis *Augusti* leguntur appellati; unus omnino occurrit in Caro, idemque Scaligero, ut vidimus, ex Occone memoratus, cum illa trium *Augustorum* mentione, seu VIRTUS AUGGG. Adeo etiam, ut, si sua illius nummi inscriptioni fides constare debeat, qualis tradita est ab Occone, id de eo aut simili forte nummo aduertendum foret, quod obseruat, qui cæteroquin pro tribus *Augustis* nuncupatis Caro duobusque filiis ibi militat, eruditissimus Pagi: "nempe, quod „ ait, usum tulisse, ut puri puti *Cæsares* cum *Augustis* coniunctim no„ minati, nuncuparentur & ipsi AUGUSTI sparsim (quod addit) in hoc „ opere demonstraui. Accedat postremo loco Maximianus Herculius, qui post depositum cum *Augusti* nomine imperium, *bis* dein, ut de eo Lactantius, seu denuo *Augustus* a filio Maxentio, mutatis rerum vicibus, nuncupatus, *habebat imperium commune cum filio.*

Num. Imp. p. 419.

Critic. Baron. p. 302. To. 1.

De Mort. Persec. c. XXVI.

Ibid. c. XXVIII.

9. *De singulari* Gratiani *nummo, cum inscrip.* AUGG. AUG.

Dantur vero alii eiusdem, de quo modo agebatur, Gratiani nummi, de quibus exstant vulgatæ haud ita pridem virorum eruditorum, qui in diuersa abeunt, Dissertationes: quarum autem, quod in iis de AUGUSTI haud unius titulo, qui in iisdem nummis comparet, agatur, haud prætereunda hic nobis est aliqua commemoratio. Eo autem paucis defungemur; nec enim opus est illa, quæ [a] publice iam prostant, hic denuo sigillatim expendere; aut ea, quæ alterius sunt loci (ut quod adtinet ad inscriptionem in auersa eorundem Gratiani nummorum parte expressam, nempe GLORIA NOVI SÆCULI) nunc quoque tangere. In anteriori vero eorundem area, & circum Gratiani effigiem, occurrunt descriptæ a viris præstantibus literæ, sed cum aliquo postremarum literarum, siue spatii, quod eas diuidit, discrimine; nempe, ut apud Occonem & [b] Biragium, D. N. GRATIANUS AUGG. AUG., vel, iuxta [c] Harduinum & [d] Begerum, viros præstantes, AUG. G. AUG. vel citra ullam inter literas distinctionem, aliquodue inter eas punctum AUGGAUG. prout ita in septem illustris Foucaultii nummis legi asserit vir linguarum Orientalium & rei antiquariæ peritia eximius [e] Gallandus; ac similiter in iis, quos consuluit, huius Gratiani nummis exquisita ac multiplici doctrina inclytus [f] Leibnitius. Natæ vero inde quinque diuersæ earundem literarum explicationes. Prima, & quæ a veterum nummorum hac ætate singulari usu ac notitia insigni Andrea Morellio probata [g] dicitur, nempe AUGUSTORUM AUGUSTUS; Valentinianus scilicet Iunior, Gratiani frater, & Theodosius M.

a Vid. Diar. Treu. Menf. Iul Aug. an. 1701. Item Hard. Select. Oper. p. 414, 504. & Elect. Rei Num. an. 1709 p. 320. &c.

b Num. Imp. p. 511.

c Ut supra.

d Contin. Thes. Brand. p. 829.

e Diar. Treu. Mens. Iul. an. 1701.

f Diss. de Num. Gratian. in Elect. Rel Num. ut supra p. 320.

g Leibnit. Diss. ut sup. p. 322.

M. Auguſtus itidem ab ipſo Gratiano nuncupatus, & horum proinde *Auguſtorum* velut caput idem Gratianus *Auguſtus*, & cuius nomen & effigies in eadem nummi area cernitur. Altera explicatio eſt Anonymi cuiusdam, AUGUSTI GERMANUS AUGUSTUS, Valentiniani nempe Iunioris frater, ut modo diximus, Gratianus. Quæ explicatio, ut bene alioquin ab eximio Harduino conuellitur; ita minus forte commode, *germanum* „ pro *fratre* vix dici putat apud probos Latinitatis Auctores: Latinitas „ autem, quod addit, in nummis antiquis ſit ſupra quam dici poteſt ſin„ cera & accurata. Quod poſtremum ut viro erudito libenter largimur; ita ad vocem *germani* pro *fratre* quod adtinet, ipſe mox Terentium ac Virgilium, qui *germanum* ac *germanam* de *fratre* ac *ſorore* dixerint, adducit; ſed ita, ut dicat, Comicum vocando, *ô mi germane*, *fratrem* ſubintellexiſſe, quæ vox ibi præceſſerat; Maroni vero, ut Poëtæ, multa licere: quæ de caſtigato adeo ævi Auguſtei ſcriptore, quam vim habere debeant, nunc mitto. Neque vero ſemel aut bis forte, ſed ſæpius, quod eſt apud eundem obuium, *germanus* & *germana*, nulla præuia facta vocum *fratris* aut *ſororis* mentione, dicuntur, ut [a] *Regna Tyri germanus habebat Pygmalion*; vel: [b] *Hæc germanus Eryx*, & quæ plura id genus, quæ hanc vocem *germanus*, non pro adiectiuo, ut vult Harduinus, a Virgilio habitam ſat utique arguunt. Adde notam Seruii ad poſtremum e duobus illis Poëtæ locis gloſſam: *Germanus eſt ſecundum Varronem de eadem genitrice manans*, frater nempe uterinus. Gratiani vero, de quo hic agitur, ætate, an incorruptam illam ſermonis Romani ſinceritatem adhuc obtinuiſſe, ſtatuit idem vir doctus? Certe apud Ammianum Marcellinum, eiusdem ævi cum Gratiano Scriptorem, ac ubi de illo ac Valente in AUGUSTOS a Valentiniano adſcitis agitur, legas: *Valentinianus morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos* GERMANUM (fratrem nempe Valentem) *nuncupauit & filium*. Adeo ut, quum litera F. non *Fratrem* in nummis aliisque monumentis, ſed *Filium* deſignare ſoleat, inde etiam eius loco G. pro *Germano* ſeu *Fratre* potuiſſet ibi, ni alia, de quibus mox, obſtarent, intelligi. Eiusdem vero ponderis eſt tertia Anonymi itidem dictarum in Gratiani nummo literarum explicatio; nempe AUGUSTO GENITUS AUGUSTUS, quæ præter conſuetum in nummis ac lapidibus, non adoptiuorum ſolum, ſed naturalium etiam *Filiorum* morem, literâ F. ſe *Auguſti Filium* declarandi, dicuntur. Quarta vero, indicante ſed non probante præſtantiſſimo Morellio, eſt ab aliis, quorum nomina reticentur, tradita, nempe AUGUSTI AUGUSTUS, vel bini Auguſti ſeniores, Valentinianus & Valens fratres, cum Gratiano iuuene Auguſto; vel, extincto Valentiniano patre, Gratianus & Valentinianus Iunior fratres, ac Theodoſius poſt Valentis obitum in ſocietatem Auguſti faſtigii adſcitus. Quinta denique & poſtrema explicatio earundem in illo Gratiani nummo literarum AUGG. AUG. eſt ea, quam eruditiſſimus Harduinus protulit, ac pluribus dein tueri eſt adgreſſus; nempe, AUGUSTI GENER AUGUSTUS: quodque ita eſt interpretatus, ut non ad hunc, qualis vulgo hactenus e coæuis etiam aliisque Auctoribus, Annalibus, Marmoribus, ac Nummis innotuit, Gratianum, ſed ad alium eodem nomine, qui aliquanto ſerius Romanorum Imperator fuerit, ea inſcriptio referatur; qui nempe ducta Honoria Honorii Augu-

Diar. Treu. Menſ. Jul. & Aug. an. 1701.

Select. Oper. p. 504.

a Æn. 1. v. 340.
b Æn. v. v. 412.

Lib. XXVII. c. 6.

In Diar. Treuir. Octob. an. 1702. & in Elect. Rei Num. p. 334.

Select. Oper. p. 419, 504.

sti Filia, se AUGUSTI GENERUM in iis nummis inscribi curauerit. Illius autem Gratiani Augusti patrem fuisse Gratianum, natum, ut videtur, patre Pescennio Iusto Gratiano, uno e posteris Pescennii Iusti Nigri Aug. Id vero inde erui, quod exstet in aureis nummis Regiæ Gallorum Gazæ inscriptio D. N. IUST. GRAT. HONORIA P. F. AUG. *Domina Nostra Iusta Honoria Pia Filia Augusti*; & de qua iam antea, ubi AUGUSTAS in nummis consignatas vidimus. Neque opus utique ea de illo Gratiano modo dicta, & ad quem referri debeat is, de quo hic agitur, Gratiani nummus, pluribus hic refellere: quum unâ viri eruditione & ingenio præstantis, sed qui utinam huic minus indulsisset, fictione nitantur. Id autem eo magis mirum videri debet, quod alia dari ab eodem poterat, & cui ipse in Notis ad Themistium præiuerat, eaque commoda ac probabilis traditæ illius explicationis D. N. *Gratianus Gener Augusti* ratio. Dixerat nempe in Oratione ad Gratianum Valentiniani filium ab eodem Harduino primum edita, & qui solus eo nomine inter Augustos hactenus comparuit, Themistius: *Urbs Constantini ac filii eius Constantii*, QUORUM SANGUINI ET TU IMMIXTUS ES, *ac unde fit ut Conditorum nostrorum genus immortale iam nobis sit, & communione tua firmatum*, Themist. Orat. XVI. p. 167. Ἡ γὰρ τοῦ πόλις τοῦ Κωνσταντίνου, καὶ τοῦ υἱέως τοῦ Κωνσταντίου (non Κωνσταντίνου) ΟΙΣ ΣΥ ΚΑΙ ΤΩ ΑΙΜΑΤΙ ΣΥΝΕΜΙΧΘΗΣ, καὶ τὸ γένος ἡμῶν τῶν οἰκιστῶν ἀθάνατον ἤδη καὶ ἀσφαλὲς τῇ σῇ κοινωνίᾳ. Ad quæ autem verba οἷς σὺ καὶ τῷ αἵματι συνεμίχθης, *quorum sanguini & tu immixtus es*, bene ac eruditè notat Harduinus, inde nempe id dici, quod Gratianus Constantii filiam postremam, Constantiam a patris nomine appellatam, ut refert Lib. XXI. c. 15. Ammianus, quam alii Helenam, alii Flauiam Maximam Faustinam perperam nominarunt, duxerat uxorem. Id ab Ammiano utique non dicto solum loco, de Constantii filia postrema, quam ubi illa adoleuisset, in uxorem ducturus esset Gratianus, sed alio insuper, ubi ea dicitur, *cum ducere-* Lib. XXIX. c. 6. *tur Gratiano nuptura*, a Quadis propemodum fuisse capta, adfirmatur. Adeo ut eo matrimonio Constantinianæ familiæ innexum se iure potuerit gloriari Gratianus, qui parente tum priuato natus demum foret; atque inde se *Augusti*, Constantii nempe, *Generum*, consignatâ eius rei in nummis memoria, iactare. Ita frequens apud Lactantium, ubi principum seu Imperatorum illius ætatis meminit, *Generi*, ac subinde citra additum eius nomen, occurrit mentio: *Sic Generum ipsius* (Galerii nempe Maximiani) De Mort. Pers. c. XXVI. *Maxentium Romæ factum Imperatorem:* alibi, *legiones detestantes scelus*, Ibid. c. XXVII. *quod socer Generum* (idem Galerius Maxentium) *oppugnaret*: item, *Dio-* Ibid. c. XXIX. *cletianus a Genero nuper accitus*, ab eodem nempe Galerio, qui Diocletiani erat gener, denique de Maximiano Herculio: *Ut Constantinum Imperatorem Generum suum, Generi filium, circumueniret*. Quod etiam, si daretur aliqua inter literas illas distinctio, vel *Gener* diserte diceretur, verisimillimum ex adductis prius Ammiani locis agnoscit laudatus paullo ante, sed laude Differt. de Num. Aliq. Gratian. in Elect. Rei Num. p. 122. mea maior, Leibnitius. Quod adstrui insuper potest ex huius Gratiani verbis ad præceptorem Consulem a se nuncupatum, Ausonium scilicet: *Palmatam, inquis, tibi missi, in qua* DIVUS CONSTANTIUS PARENS Gratiar. Act. p. 723. ed. Var. Amst. NOSTER *intextus est*. Adeo ut, quem *Parentem* ibi vocat, addito simul *Constantii* nomine, ne de patre *Valentiniano* quis eum loqui arbitraretur, *Generum* dicere in nummo potuerit, ubi AUG. F. *Augusti Filii*

non

non nisi de Valentiniano potuisset intelligi. Neque appellationis illius GENERIS in aliis nummis nouitas obstare hic posset, haud minus quam SOCERI in nummo Maxentii IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO SOCERO, aut ADFINIS in alio eiusdem nummo, IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO ADFINI, nisi quod integris literis, quum id pateretur eorundem nummorum ratio, sint eædem voces inscriptæ.

10. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Quod si tamen in iisdem Gratiani, de quibus hic agimus, nummis, adsint literarum interualla, ut apud Occonem ac inde apud Biragium legantur, nempe AUGG. AUG., haud dubium omnino mihi videtur, quin, solito in nummis prioris vocis usu, legendum sit AUGUSTI AUGUSTUS, atque ita per vocem priorem plurium numero AUGUSTI intelligantur, ob Gratiani Decennalia in auersa duorum id genus nummorum parte, ut erudite obseruat laudatus Leibnitius, consignata, Valens & Gratianus; AUGUSTUS vero sit Valentinianus Iunior, Gratiani frater, isque post parentis obitum quadrimus, iuxta [a] Victorem ac [b] Zonaram, aut quinquennis, iuxta [c] Zosimum, inconsulto Gratiano, a Tribunis militum nuncupatus anno superiore *Augustus*. Idem proinde, velut non *Iunior* solum, sed nomine tantum, viuo Valente, quod aliunde constat, *Augustus*, a duobus reliquis velut potioribus ac vere *Augustis*, ac *Cæsaris* demum instar, in illis Gratiani nummis seiungitur. Quomodo etiam a Themistio de Valente & Gratiano, & quidem in Oratione ad eundem Gratianum, dicitur: Συνάρχει τῷ πατραδέλφῳ, *una cum patruo imperat*; & alio loco: Ὁ δὲ ἐμὸς ἔρως δυοῖν βασιλέοιν ἐστὶν, *amor autem meus duos Imperatores complectitur:* quibus autem verbis non respexisse Gentilem Oratorem ac Philosophum ad illud Ignatianum de Christo Seruatore, ὁ ἔρως μου ἐσταύρωται, *amor meus est crucifixus*, licet equidem statuere. Ad eadem vero Themistii verba vere obseruat, qui primus illam Orationem diuulgauit eximia eruditione Harduinus, haud temere factum, quod nulla illius Valentiniani, sed Valentis & Gratiani fiat ibi, adde & superiori eiusdem Orationis loco, mentio: quod nempe inconsulto, ut iam diximus, Gratiano creatus foret Augustus ille Valentinianus Junior; immo toto quadriennio, quamdiu superstes fuit Valens, solus, ut patet ex Inscriptione legum Codicis, in quibus nusquam ante Theodosium illius Valentiniani Iunioris nomen legitur, imperium in Occidente administrarit Gratianus. Immo de quo Valentiniano alibi adhuc silet Themistius, quod ille nomen solum *Augusti* gereret, Gratiani vero dominatu totus Occidens teneretur; idque firmari insuper adductis e Gruteri Thesauro Inscriptionibus obseruat idem Harduinus; & iuxta eum, haud uno etiam loco, eruditissimus Pagi. Quod insuper inde, haud longe petito eius rei exemplo, illustrandum venit; quod Valente fratre a Valentiniano in *Augustum*, *concinentibus uniuersorum sententiis*, ut Ammianus Marcellinus loquitur, adscito, *unus* ab eodem dicitur *nuncupatione prælatus*, nempe Valentinianus; *alter*, seu Valens, *honoris specie adscitus*, immo quem paullo ante dixerat, *participem quidem legitimæ potestatis*, *sed in modum Apparitoris morigerum:* etsi ea de re aliter, sed in Oratione ad illos duos Imperatores fratres, loquitur, ut obseruo, Themistius. Unde potiori utique ratione hic Valentinianus Junior, quinquennis circiter, & quidem Gratiano, ut diximus, nescio,

a Epitom. c. XLI.
b Annal. p. 43. To. II.
c Lib. IV. p. 231.
Orat. XIII. p. 169.
Ibid. p. 177.
Not. p. 466.
Not. ad Themist. p. 472. Critic. Baron. p. 542. & 581. To. I.
Lib. XXVI. c. 5.
Ibid. c. 4.

nuncupatus a militibus *Augustus*, ac proinde ut nominis quidem, sed non eiusdem potestatis cum eodem Gratiano fratre ac patruo Valente, consors, potuit in iis Gratiani nummis seorsim ab iis duobus *Augustis*, & posteriori quidem loco, Cæsaris instar, etsi cum eodem *Augusti* titulo, designari.

11. *De discrimine inter eos, qui simul* AUGUSTI *sunt dicti.*

Neque vero hæc prima tum fuere inter eos, qui AUGUSTI cæteroquin nomine simul gauderent, discrimina: ut nempe, "quod in dicta mo-
„ do Oratione a Themistio tangitur, id fere (ut Græca verba compen-
„ dii caussa hic omittamus) ab omnibus antea Imperatoribus sit admissum,
„ ut, dum alii liberos, alii fratres, alii alios sanguinis necessitudine con-
„ iunctos socios Augustæ potestatis adsciscerent, protinus, qui eâ il-
„ los cohonestauerant, priores sibi partes vindicare studuerint: atque ita,
„ quod idem ille Orator ac Philosophus ibi præmiserat, indito utrique
„ *Imperatoris* vel *Augusti* nomine, res ipsa alteri solum conueniret. Unde etiam, ut hic & Diuos Fratres M. Antoninum & L. Verum simul *Augustos*, sed auctoritate dispari, ut vere monuit illustris Cuperus, nunc mittam, factum subinde, ut *Maiores* etiam alii ac *Seniores*, alii *Minores* ac *Iuniores Augusti*, sint ab Auctoribus, vel in nummis, uti *Seniorum* & *Iuniorum* nomina in iis comparent, appellati: quod postremum vel e memorato supra Commodi, a patre Marco e Cæsare in *Augusti* dein nomen, ut vidimus, adsumpti, nummo liquere potest, in quo IUN. AUG. seu *Iunior Augustus* dicitur; ac similiter in altero Galerii Maximiani a Socero Diocletiano descripti apud illustrem Biragium nummo, IMP. C. GAL. VAL. MAXIMIANUS IUN. AUG. quem autem non ad patrem Galerium, sed ad eius Filium, Scriptoribus rerum Romanarum, quod ipse agnoscit, ignotum, refert Harduinus. Quomodo de eodem Diocletiano a Spartiano dicitur: *Diocletiane Auguste, tot Principum maxime*; & a Lactantio: *Tres participes regni sui fecit*, unum nempe Augustum, Maximianum Herculium, duos autem Cæsares, Constantium & dictum modo *Galerium Maximianum*, eumque postea cum Constantio *Augustum* ab eodem Diocletiano, abdicante tum imperium, appellatum. Ut mittam, quòd aperte ab Eusebio dicatur, πρωτοστάτης τῶν εἰρημένων, seu, qui inter Imperatores supra dictos principem locum obtineret, ac a Iuliano Imperatore in Cæsaribus; ut non iis solum maior, sed quem ipsi chori instar circumstarent, immo cui totidem velut δορυφόρων, seu *apparitorum*, vicem præstare vel inuiti cogerentur. Ut mirari proinde liceat, unde, posthabitis tot luculentis ac manifestis veterum, & eiusdem quidem ætatis, Auctorum testimoniis, primatum tamen Maximiano Herculio supra Diocletianum adsertum ire voluerit vir doctus; neque in [a] priori solum de Nummis Sæculi Constantiniani editione, sed in [b] hac etiam postrema; quum contrarium vel ex ipsa nummorum, quibus solis tamen illum ea in re inniti sat constat, qui DIOCLETIANO ET MAXIMIANO AUGG. aut cum adsumptis eorum cognominibus, IOVIO & HERCULIO sunt vulgo inscripti, fabrica clarum sit. Frustra vero inde priori loco positum Diocletiani nomen statuit Harduinus, quod is iam duos Consulatus & priuatus quidem gessisset, ac ætate esset prouectior. Mitto enim, quòd non duo, sed unus & suffectus quidem Consulatus foret a Diocletiano paullo ante imperium, ut bene id est ab eruditissimo Pagi monitum, gestus: alterum vero Consulatum iam Augustus,

Not. ad Themist. p. 76.

Num. Imp. p. 413.

Select. Oper. p. 420. & 460.

In Ælio Vero c. 1.

De Mort. Pers. c. VII.

H. Eccl. l. VIII. c. 3.

Pag. 315. ed. Lips. Iulian. Oper.

a Pag. 74.

b Select. Oper. p. 444.

Critic. Baron. p. 387. To. I.

guſtus, & ipſis Kalendis Januariis, cum Ariſtobulo ſuſceperit, ut conſtat e ſubſcriptione legis Codicis Iuſtinianei, quæ dicitur *propoſita Kalendis Januariis Diocletiano Aug. II. & Ariſtobulo Coſſ.* Immo quæ ipſa ratio gemini Conſulatus, iuxta virum eruditum, a Diocletiano adhuc priuato geſti vel idonea cauſſa exſtitiſſet, cur ſimul cum Herculio ad imperium euectus, ante Collegam, ætate inſuper iuniorem, locum obtinuiſſet. Quod vero læuum in utriusque Imperatoris nummis latus, ac præterea Scipionem eburneum, Conſulatus ſcilicet inſigne, teneat Maximianus, quo loco haberi debeat haud multis hic tangam; quum ambos, Diocletianum & Maximianum, eiusmodi Scipionem dextra gerentes videre liceat in inſigni illo nummo Mediceo Cardinalis Leopoldi, quem a nobis olim memoratum erudita dein commentatione illuſtrauit doctiſſimus Noriſius.

Ut hoc addam denique de AUGUSTORUM Filiis, quòd iidem, etſi iam *Auguſti*, illum tamen ſummæ poteſtatis titulum ſubinde, paternæ maieſtatis intuitu, omitterent; ſicut e nummis Commodi & Getæ eſt iam ab aliis, uti a laudato paullo ante Pagi, monitum. Critic. Baron. p. 71. To. 1.

12. PERPETUI, *qua ratione* AUGUSTI *ſint dicti.*

Ut vero id de AUGUSTI appellatione, quæ in nummis legitur, adhuc tangam, PERPETUI nomen, ſæculo Conſtantiniano ac ſequenti, eſt ei ſubinde additum; uti in Conſtantii, Magni Conſtantini Filii, nummis aliquot aureis, quales ſunt iam a præſtantibus [a] Antiquariis deſcripti, ac proſtant in Gaza Gallorum Regia, Farneſiana, aliisque; nempe FL. IUL. CONSTANTIUS PERP. AUG. ac ſimiliter proximo ſæculo in [b] Leonis Senioris, [c] Anthemii, [d] Leonis Iunioris, [e] Zenonis, Nepotis, ac [f] Phocæ Auguſtorum nummis. Immo prout, diu ante, legitur Traiani nummus inſcriptus [g] IMP. NERVA CÆS. P.P. IMP. TRAIANUS AUG. PERP. alius vero eiusdem Principis, in quo [h] ROMA·PERPETUA AUG. Adde [i] PERPETUITATI AUG. exſtare in pluribus Alexandri Seueri, Gallieni, Cari, & Valerii Seueri nummis: nempe prout in acclamationibus nuncupatorum recens Auguſtorum, non ſolum ſolemne illud *Dii te ſeruent*, ſed etiam [k] *Dii te perpetuent*, eſt acclamatum. Quomodo etiam cum PERPETUI CÆSARES dicuntur in [l] Inſcriptione veteri, tum IMP. PERPETUUS in nummis [m] Alexandri Seueri & Probi, qualem ad [n] Iuliani Cæſares olim adtulimus inſcriptum PERPETUO IMP. C. PROBO INVICTO AUG. & cui alium nuper addidit e muſeo P. Chamillard Harduinus [o] PERPETUO IMP. PROBO AUG. E quo autem, & qua de re paullo poſt, colligit, hunc *Perpetui Imperatoris* titulum, „ Probo ibi conceſſum velut eximiam quandam honoris prærogatiuam, „ aperte docere, non fuiſſe omnes Imperatores Romanorum *perpetuos Im-*

a Vid. Birag. Num. Imp. p. 492, 493. Hard. Sel. Oper. p. 491, 492.
b Birag. p. 545. & Du Cang. Famil. Byz. p. 78.
c Birag. p. 549.
d Ibid. p. 550.
e Ibid. p. 551.
f Ibid. p. 581.
g Ibid. p. 149.
h Ibid.
i Ibid. p. 318, 321, 324, 418, 548.
k Lamprid. in Alex. Seu. c. VI.
l Theſ. Grut. CLXI, 3.
m Birag. p. 318.
n Pag. 113.
o Seleƈt. Oper. p. 871.

„ *Imperatores*, sed ad tempus duntaxat a Senatu præstitutum. Ut hic mittam, quæ ea de re iam ante vidimus; & qua ratione ÆTERNITAS AUGUSTI, vel AUGUSTORUM vel IMPERII, sæpius itidem in Cæsarianis nummis consignantur. Immo prout etiam factum, ut frequens illa sequentibus dein sæculis, ac nostra etiam ætate recepta adhuc SEMPER AUGUSTI appellatio, iam a Diocletiani temporibus originem duxerit, ut liquet ex antiquis Inscriptionibus, quæ [a] ei & Collegæ Maximiano, ac dein quoque [b] Constantio Chloro, Constantino, ac sequutis Imperatoribus, [c] Iuliano, Iouiano, Valentiniano, Valenti, aliisque dein illum tribuunt; prout etiam Iustinianus, in aliquot Præfationum vel Epistolarum in [d] Codice titulis, Αεὶ Σεβαστὸς, ac in Zenonis Imperatoris [e] Constitutione una etiam voce Αεισεβαστὸς, audit, nempe sicut nota Comici vox *semperlenitas*. Idem vero titulus Iuliano Imperatori in nummis primum delatus cernitur, e quibus exstant nonnulli a viris præstantibus [f] descripti iam & vulgati, nempe D. N. CL. IULIANUS SEMP. AUG. *Dominus Noster Claudius Iulianus Semper Augustus:* prout alioquin in maximo & singulari Probi Augusti nummo, quem e cimeliis Regiæ Gallorum Gazæ olim ad Iuliani Cæsares protulimus, legitur VICTORIOSO SEMPER.

a Thes. Grut. CCLXXIX.
b Ibid. CCLXXX, 6.
c Ibidem CCLXXXIV, 3. &c.
d Const. III. C. de Vet. Iur. Enucl.
e De Nouis Operib.
f Du Cange Fam Byz. Tab. XIV. Birag. Num. Imp. p. 497.
Pag. 112.

13. *De* ΣΕΒΑΣΤΟΥ *siue Augusti appellatione tandem diuersa a Principis fastigio.*

Adde factum insuper sequiori Cæsarum ætate, ut Σεβαστοῦ, seu *Augusti*, appellatio, nouum quoque dignitatis nomen euaderet a principis fastigio diuersum, quod Alexio Comneno & fratri eius Isaacio a Nicephoro Botoniate tributum narrat [a] Nicephorus Bryennius. Quod de Alexio Comneno, quem *Sebastum* appellauerat Botoniates, tradit quoque [b] Zonaras: Ὁ βασιλεὺς ἐντίμως δεξάμενος ΣΕΒΑΣΤΟΝ τετίμηκε, *Imperator, illo honorifice accepto*, SEBASTI (seu Augusti) *titulo decorauit*. Quomodo augustior adhuc accessit ΠΑΝΥΠΕΡΣΕΒΑΣΤΟΥ appellatio ab eodem *Sebasti* fastigio disiuncta, quam ipsi Nicephoro Bryennio in generum adscito concessit Imperator Alexius Comnenus, auctore itidem Zonara: [c] Τούτῳ τὴν θυγατέρα ταύτην κατεγγυήσας, τετίμηκε τὸν ἄνδρα ΠΑΝΥΠΕΡΣΕΒΑΣΤΟΝ, *cui filiam uxorem dedit, Panhypersebasti titulum eidem impertiens.* Cæteroquin, a voce Σεβαστοῦ pro *Augusto*, σεβάζεσθαι dixerunt etiam Græci recentiores pro *Augustum* vel *Augustam nuncupari*: prout de Eudocia Michaelis Imperatoris matre loquitur idem Bryennius. Quæ quum in superiori huius operis editione, annis circiter decem & octo vulgata ante editum ab eruditissimo Du Cange Glossarium *Mediæ*, ut illud vocat, *Græcitatis* legantur, haud utique a nobis ea inde petita poterit quis suspicari; & quæ aliis insuper auctoritatibus e Byzantinis, qui interea prodierant, Scriptoribus, ab eo firmantur, & cum accessione plurium adhuc id genus formatarum a voce Σεβαστοῦ dignitatum, ut Σεβαστοτάτη, Πανσεβάστη, Πρωτοσεβάστη, Πανυπερσαβεστάτη & Σεβαστηπεστάτη, ac apud doctissimum Reinesium, Σεβαστοφάντη, seu *Augusto-Sacerdotis*, ut ex prolata ab eo Inscriptione liquet.

a Lib. III. c. 28.
b Annal. p. 291. To. II.
c Ibid. p. 298. To. II.
Lib. II. c. 18.
Syntagm. p. 375.

14. *De voce* ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ *etiam a Græcis usurpata.*

Cæterum, ut hoc addam, promiscue eadem AUGUSTI dignitas in Græcis nummis cum Latina ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ tum Græca ΣΕΒΑΣΤΟΥ voce appellatur; ut instar proprii & gentilis talium Cæsarum nominis retentum illud videatur. Neque enim demum circa Iustiniani tempora vocem Αυγούστη apud Græcos inductam, ut visum quibusdam eruditis, satis

su-

superque ostendunt, cum inter alios nummus Domitiani coniugis in præstantissimi Morellii schedis a me olim visus, cum inscriptione ΔΟΜΙΤΙΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ, tum varia insuper Hadriani, Antonini Pii, aliorumque Imperatorum numismata cum eodem nomine ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, & quibus adscribendus venit unus Iuliæ Seueri Musei Seguiniani, cum inscriptione ΙΟΥΛΙΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ. Utramque etiam appellationem coniunxit non semel Eusebius, qui de Constantio Chloro ait, quòd, ubi imperium abdicassent Diocletianus & Maximianus, πρῶτος Αὔγυστος καὶ Σεβαστὸς ἀνηγορεύετο, *primus Augustus & Sebastus nuncupatus est*; ac alibi de Constantini Filiis, qui post parentis obitum renuntiati sunt Αὐτοκράτορες Αὔγυστοι, Σέβαστοι. Unde etiam in Codice Justiniano in locis paullo ante indicatis, Αἰὶ Σεβαστὸς, & quandoque una voce, ut paullo ante diximus, Ἀεισεβαστὸς καὶ Ἀειαύγυστος, *Semper-Sebastus & Semper-Augustus*, inter reliquos Imperatoris titulos reperias. Unde etiam natæ dein videntur illæ, quas modo vidimus, Σεβαστοῦ, & compositorum inde nominum, diuersæ ab AUGUSTI fastigio appellationes, quæ sub Constantinopolitanis Imperatoribus sunt paullatim inductæ. Eundem alioquin AUGUSTI titulum in Occidente Francorum Reges etiam usurpasse docet Gregorius Turonensis. Neque vero facessent negotium designati frequenter in nummis, quod antea quoque vidimus, plures *Augusti*, puta A. A. vel A. A. A. pro more scilicet eorum temporum, quibus Acta, Leges, aliaque monumenta publica simul imperantium nomina præferebant: quamquam, ut recte obseruat Jurisconsultorum suæ ætatis decus, Jac. Gothofredus, Leges illæ aut monumenta unum ex his auctorem haberent.

Sect. Num. p. 163.

In Procem. Vit. Constant. l. 1. p. 405.

In Prolegom. C. Theodos.

15. *De Augustorum Diademate peculiari.*

Quibus addendum aliud venit, quo hæc summi in orbe Romano fastigii appellatio plenius adhuc e veteri nummorum penu illustretur; nempe, quòd labente imperio usu peculiaris Diadematis fuerit eadem dignitas ab inferiori *Cæsarum* distincta. Manifeste hoc discrimen notat Ammianus Marcellinus, apud quem Julianus Cæsar a militibus, *nullo silente*, AUGUSTUS *renuntiatus*, *iubebatur diadema proferre*; *negansque unquam habuisse*, *uxoris colli vel capitis poscebatur*. Unde loco Diadematis frustra quæsiti, Torquem eius capiti impositum idem Ammianus ibidem tradit, *ut coronatus speciem saltem obscuram superioris prætenderet potestatis*: & hæc ex adductis similibus ipsius Juliani, Libanii, ac Zonaræ locis illustrat ibi doctissimus Valesius; haud aliter vero, ut hoc addam, ac Hypatio per seditionem Imperatori renuntiato, Torquem, itidem penuriâ Diadematis, impositum auctor est Procopius, & quod, pridem a me monitum, ut a Jordane similiter prolatum in auctis postremæ, quæ exinde prodiit, Parisiensis Ammiani editionis Lindenbrogianis notis tangitur. Immo unde *Diadematis* nomine eundem Torquem Juliani capiti impositum vocant [a] Gregorius Nazianzenus & [b] Zosimus. Quum autem alibi dein ad Ammiani de eodem Juliano verba, quod [c] *quinquennalia Augustus iam edidit*, *& ambitioso utebatur diademate lapidum fulgore distincto*, obseruet laudatus Valesius, Diadema fuisse tum inter insignia Augusti imperii, nec Cæsaribus concessum; id certe clarissime tradit Chrysostomus, ubi de hoc ipso Juliano & fratre eius Gallo Cæsaribus renuntiatis agens, ait: Καὶ δέχεται ΧΩΡΙΣ ΔΙΑΔΗΜΑΤΟΣ τὴν βασιλείαν οὗτος· τοσοῦτον καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ τετελευτηκότος ἐξουσίας τὸ μέτρον ἦν, *& suscepit ille* SINE DIADE-

Lib. xx. c. 4.

Bell. Pers. l. 1. c. 24.

Pag. 36.

a Orat. III. p. 67.
b Lib. III. p. 153.
c Lib. XXI. c. 1.

Orat. LXIV. In S. Babyl. To. v. p. 159. ed. Sauil.

DEMATE *principatum. Hæc enim potestatis illius, & quam frater habue-*
H. Eccl. l. VII. c. 15. *rat, mensura quædam erat.* Unde idem Iulianus apud Philostorgium dicitur fuisse in habitu Cæsaris per quinquennium, ἐν δὲ τῷ διαδήματι post Constantium, hoc est *cum Augusti fastigio*, duobus annis cum dimidio.
Lib. III. Neque aliter Zosimus Diadema παρασήμιον vocat Imperatoriæ dignitatis, ac inter Augustæ potestatis insignia, Cæsaribus yero inconcessum: immo de eodem Iuliano alibi tradit, quòd is, ubi a militibus fuisset nuncupatus Augustus, missis ad Constantium Legatis, si ei ita videretur, paratum se
Ibid. p. 154. declararat, *diademate posito, Cæsaris dignitatem retinere*, τὴν τοῦ Καίσαρος ἔχειν ἀξίαν, ἀποθέμενος τὸ διάδημα. Unde etiam ante feretrum eiusdem Constantii idem Iulianus, etsi solus etiam tum Augustus, sublato diademate in auctoris sui, a quo nempe Cæsaris dignitate fuerat ornatus, funere pro-
a Orat. Funeb. Julian. p. 289. b H. Eccl. l. IV. c. 1. cessisse a [a] Libanio dicitur. Quibus addi potest e memorato iam [b] Philostorgio Constantinæ Constantini filiæ exemplum, quæ a patre Diademate simul ac nomine *Augustæ* decorata legitur. Hæc vero, & quæ aliunde congeri adhuc possent, clarissima illius moris testimonia, iuxta quem proprium fuisse primi *Augustorum*, non vero secundi Cæsarum fastigii, Diadema arguitur, haud parum rursus turbant alia Auctorum veterum loca, in quibus Coronas seu Diademata *Cæsaribus* quoque concessa legimus. Eusebius certe de Constantio Chloro adhuc Cæsare cum Galerio Maximia-
De Vita Constant. l. I. c. 18. no ait: Τὸ μὲν κατ' ἀρχὰς ΤΩ τῶν Αὐτοκρατόρων ΚΑΙΣΑΡΩΝ ΔΙΑΔΗΜΑΤΙ λαμπρυνόμενος, *qui* (Constantius nempe) *initio quidem Imperatorum* CÆSARUM DIADEMATE *decoratus*, postea, ut ibi additur, summum honoris fastigium apud Romanos adeptus, *Augustus*, & primus quidem, ante Galerium nempe, est appellatus. Ita Claudianus de Honorio *Cæsare* id velut singulare obseruat, quòd eius, quem necdum *Augustum* appellauerat parens Theodosius,

III. Cons. Honor. v. 84.

Sacro meritos ornat DIADEMATE *crines*;

& idem alibi de eodem Honorio adhuc puero & *Cæsare*; de cuius matris, sed velut in anticipato honore, quem *Augustus* breui renuntiandus obtenturus esset, vaticinantis, blanditiis dicitur:

IV. Cons. Honor. v. 165.

Sæpe tuas etiam, iam nunc gaudente marito,
Velauit Regina comas, festinaque voti
Præsumptum DIADEMA *dedit*;

mox:

Nec dilatus honos, mutatus PRINCIPE CÆSAR
Protinus æquaris fratri;

Arcadio nempe, iuxta quem *Augustus* a patre Theodosio nuncupatus est Honorius. Illustris quoque ea de re est locus posteriore adhuc ætate apud Nicephorum Bryennium, qui, ubi parenti suo Bryennio oblatam a Botoniate *Cæsaris* dignitatem refert: Κακεῖσε, inquit, καὶ τῆς υἱοθεσίας ἐπὶ ΤΟΙΣ
Lib. IV. c. 3. ΚΑΙΣΑΡΣΙ γενέσθαι, καὶ ΤΩ ΣΤΕΦΑΝΩ ταινιοῦσθαι συνήθως, *inde solita in* CÆSARUM *renuntiatione usurpata adoptione, &* CORONA PRO MORE *redimiri.* Quæ ita videntur concilianda, ut statuamus proprium fuisse

Con-

Conſtantinianeâ & ſequentibus ætatibus *Auguſtorum* inſigne, Diadema ſeu Coronam auream, gemmis contextam, quam ταινίαν τὴν χρυσὴν, aut λιθοκόλλητον, aut βασιλικὴν, vel ἐκ τῶν λίθων στέφανον, *faſciam auream, gemmis contextam, faſciam Regiam*, vel *coronam ex gemmis*, vocarunt Græci. Eandem vero gemmatam coronam ita alicubi deſcribit Chryſoſtomus: Καὶ καθάπερ τὸν στέφανον πλέκων χρυσοῦν, εἶτα μαργαρίτας ἐντιθεὶς τῇ πυκνότητι τῶν λίθων λαμπρότερον ἐργάζεται ΤΟ ΔΙΑΔΗΜΑ, *& ſicut aliquis coronam nectens auream, dein gemmas adponens, earum multitudine ſplendidius efficit* DIADEMA. Ita de Iuliano recuſante dignitatem *Auguſti* Libanius: Φεύγοντος δὲ ταινίαν τὴν χρυσὴν, *defugientis coronam auream.* Hinc inter officia Domus Auguſtæ legitur in lapidibus aliquot antiquis AB AURO GEMMATO. De illo itaque Diademate ſeu aurea & gemmata Corona intelligenda liquet ea Auctorum loca, quæ Diadema aut Coronam ſoli Auguſto faſtigio vindicant. Quamquam neque ſtatuendum ſit, lapſu temporis, omni Diademate aut Corona Cæſares ita dictos caruiſſe, quod adducta paullo ante manifeſta Auctorum loca omnino redarguunt; ſed habuiſſe etiam eosdem Coronas vel Diademata ſimiliter dicta, quæ minoris forent pretii ac ſplendoris, ſicut etiam in Byzantinis monumentis legiſſe memini. Adde, quæ nec perpetuo, uti equidem a Conſtantinopolitanis Imperatoribus, primi Conſtantini exemplo, factum conſtat, a *Cæſaribus* geſtarentur. Conſtantio certe parenti Magni Conſtantini adhuc *Cæſari* Diadema illi faſtigio peculiare tribuit omnino, ut vidimus, Euſebius; in cuius vero nummis ab eruditiſſimo Du Cange vulgatis cum inſcriptione NOB. C. ſeu *Nobiliſſimi Cæſaris* ferme corona laurea, niſi quod in duobus nummis radiata quoque, cernitur; qualis etiam in aliquot Magni Conſtantini, & ſimiliter filiorum Criſpi, Conſtantini Iunioris, Conſtantii, adhuc *Cæſarum* nummis corona laurea vulgo cernitur. Verum exſtant alii *Cæſarum* ſeu Imperatorum id genus nummi, in quibus ſublato omni diſcrimine, ante & poſt *nuncupationem Auguſtam*, cum λιθοκολλήτῳ ταινίᾳ, ſeu *contexta e gemmis faſcia* vel *corona*, citra ullum diſcrimen, iidem depinguntur; quod olim quoque monui, adductis Conſtantini parentis, illiusque *Auguſti*, ac filiorum Criſpi & Conſtantis adhuc *Cæſarum* nummis, ſeu depictis inde iconibus. Quod e ſequentibus ectypis fiet etiam cuiuis manifeſtum: quum non aliunde certius poſſit hodie aut plenius, quid ea de re ſtatuendum ſit, quam e veteri id genus nummorum fide, conſtare.

Orat. LXXVII. in S. Meletium p. 337. Tom. ed. Sauil.

Orat. Funeb. in Julian. p. 284.

Theſ. Grut. DLXXXII, 5.

Fam. Byzant. Tab. I.

Ita autem licet hunc nodum, ut mihi pridem viſum eſt, ac a me monitum, ſoluere, quod ſub Conſtantino M. inductus ſit primum, loco laureæ,

reæ, solemnis ac ordinarius etiam usus gemmati Diadematis, more pridem Regibus in Oriente ac in Ægypto familiari. Quomodo M. Antonius usus
Lib. IV. c. 11. diademate, iuxta uxorem & Reginam Cleopatram, a Floro dicitur. Inde autem, quod Regium nomen, ac proinde proprium Regum insigne, auersarentur Romani, Diademate caruerunt per aliquot sæcula eorum Imperatores vel *Augusti*, aut rarissime eo usi conspiciuntur. Diademata quidem occurrunt subinde Liuiæ Augusti, Antoniæ Neronis, Drusillæ, & aliarum quoque dein Augustarum, ut Otaciliæ Philippi, & Saloninæ Gallieni coniugum in antiquis earum nummis capita: cuiusmodi aliquot vulgauit Tristanus, & quales in Regiis aliisque insignibus Gazis aut Musæis videre mihi licuit; sed quibus Dearum, *Iunonis* puta, *Veneris*, *Cereris*, aliarumue capita sub Augustarum illarum effigie depinguntur. Ad Imperatores vero quod adtinet, haud parum abfuisse, quin Caligula *Diadema statim sumeret, atque ita speciem principatus in regni formam conuerteret*,
a In Calig. c. XXI auctor est [a] Suetonius; ac similiter de eo Victor Schotti: [b] *Insigne regni*
b De Cæsarib. c. III. *capiti nectere tentauerat*; quale vero illum [c] *capiti suo imposuisse* ab alte-
c Epitom. c. III. ro Victore traditur. Sed haud leuiter errat Sulpicius Seuerus, & ex more, quod ad eum vere monuit vir doctus, suorum temporum, quod solent nonnunquam Auctores, de superioribus ætatibus iudicium facit, dum
Lib. II. c. 43. inquit: *A Vespasiano, ut mos est, Diademate capiti imposito ab exercitu Imperator consalutatus.* Antoninum vero Caracallam non tentasse solum, ut illo insigni Regio ornaretur, constare potest ex aliquot & præclaris eius nummis, quales sunt duo Tarsensium in Cilicia cusi, iique e maximorum genere, qui, illo procul dubio haud inuito, hoc ei capitis ornamentum
Pag. 215. To. II. tribuunt. Prior est ab illustri Tristano iam editus, cum vero diademate seu fascia lata, ac, ut aliunde constat, candida; alter exstat in Gaza Gallorum Regia, cum diuerso seu e gemmis contexto diademate; quibus reuinctum cernitur caput Caracallæ, quod lectori oculos ante ponunt duæ sequentes eorundem singularium nummorum icones.



a Ut supra. b Spartian. in Carac. c. XXI. Victor Epit. c. XXI. c Lib. V. v. 60. d Lib. I. c. 6. e Diss. de Præst. &c. Num. To. I. p. 466. f Lib. III. c. 3.

Id vero, & quod iam vidit [a] Tristanus, tum Magni Alexandri, quem scilicet [b] & vultu & rerum gestarum gloria referret Caracalla, immo cuius nomine se iussit appellari, exemplo factum; [c] *Pellæo* proinde vel [d] *Macedonico*, ut a Lucano ac Herodiano vocari [e] alibi vidimus diademate, seu, ut de illo Curtius, [f] *cærulea fascia albo distincta*, in priori Tarsensium nummo redimitus cernitur. In altero autem cum gemmato diademate, Parthorum Regum instar, a quibus velut a se deuictis, PARTHICI, quod

quod non e Spartiano ſolum, ſed e nummis eius ac lapidibus potiſſimum conſtat, cognomen retulit; quorum autem in Oriente Regum, uti Sacerdotum etiam, qua de re mox, reuincta ſubinde gemmatis Tiaris capita alibi quoque vidimus. Quo proinde regio ac ſolemni maxime Regum in Oriente cultu, dum in ea terrarum parte ageret, non vero Romæ, ubi inſolitum adhuc erat illud primi *Auguſtorum* faſtigii inſigne, ornari voluit, aut ſe effingi paſſus eſt, hic Antoninus. Is vero, qui filius eius habitus eſt, Antoninus Elagabalus, ut de eo Lampridius, *voluit uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret; ſed*, ut mox addit, *quo uſus eſt domi.* Apud Herodianum vero, dum is in Phœnicia Sacerdos eſſet Dei Elagabali, necdum *Imperator* vel *Auguſtus*, capite coronam geſtaſſe dicitur pretioſorum lapidum coloribus fulgentem; dein vero eum Romam ad ſuſcipiendum imperium profectum, eo Sacerdotali patrii illius Dei habitu uſum, ac cum illo coronæ illius geſtamine depictam ſuam imaginem Romam ante aduentum miſiſſe, ne, peregrini illius ac barbari habitûs nouitate, urbem ingreſſus, ſpectatorum oculos perſtringeret. Unde liquet, quòd minus accurate ὁ πάνυ Salmaſius, ubi ad Solinum vere dixiſſet, „ Diadema Regum faſcia erat candida & lata; tales erant Sacerdotum in„ fulæ &c. addat mox: Diadema Imperatorum tale fuit, quod primus He„ liogabalus gemmatum uſurpauit. Neque enim, ut Romanorum Imperator, ſed ut patrii numinis Sacerdos, prout bene omnino ex adductis Herodiani locis vidit iam illuſtris Cuperus, tali capitis inſigni ornatus fuit idem Elagabalus; qui etiam, ſi Lampridio fides, domi ſolum, dum in urbe egit, uſus ſit gemmato illo diademate. De Aureliano vero Imperatore notat Victor in Epitome: *Iſte* PRIMUS *apud Romanos* DIADEMA *capiti innexuit, gemmisque & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, uſus eſt.* Occurrit vero apud Triſtanum, quod monuit iam dicto loco laudatus Cuperus, nummi mentio, qui hinc Aureliani diademate, illinc Waballathi coronâ laurea cinctum caput exhibeat: quum cæteroquin Waballathus, Regum in Oriente ritu, diademate redimitus in aliquot eius nummis conſpiciatur, in quorum priori parte laureatus demum, ſolito Imperatorum more, Aurelianus depingitur.

In Caracall. c. XVII. Ut ſup. p. 479. In Elagabal. c. XXIII. Lib. v. c. 5. Pag. 270. Not. ad Lactant. de Mort. Perſ. p. 127. Ut ſupra. Cap. XXXV. Pag. 211. To. III.

16. *Quis Imperatorum gemmato Diademate primus ſit uſus.*

Poſt Diocletianum vero omnes dein Imperatores gemmato uſos Diademate, quod addit dicto paullo loco magnus Salmaſius, non euincunt utique ſuperſtites adhuc magno numero eorum nummi; quum Conſtantii Chlori, Galerii Maximiani, Maximini, aut Maxentii nummi laureata tantum, vel galeata, aut ſubinde cum corona radiata, nuſpiam cum gemmato diademate, ſi unum forte, ſub IOVII titulo a Triſtano vulgatum, Galerii nummum mittas, exhibeant eorum capita. Adeo ut a Conſtantino Magno inductum eſſe illius gemmati diadematis, ceu ſolemnis deinceps *Auguſtorum* inſignis, uſum, arguant omnino cum illius, tum ſequentium dein Auguſtorum nummi. Unde etiam id de eodem Conſtantino monet Victor: *Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate.* Item, quòd primus ille omnium Imperatorum uſus ſit diademate gemmis aliisque lapidibus ambitioſius ornato, tradit Cedrenus, ut ad Ammianum Marcellinum monuit iam doctiſſimus Valeſius. Quem autem huius Conſtantini in veſte nempe auro intexta, *Imperiali purpura cum Diademate*, ἁλυσγίδα τε βασιλικὴν σὺν αὐτῷ διαδήματι, &, quod mox addit,

Pag. 433. To. III. Epitom. c. XLI. Not. ad Lib. XXI. c. 1. Paneg. Conſtantin. c. V.

cum lapidibus, cultum vel ornatum, tangit simul & excusat in eo Eusebius: quod is nempe hunc omnem apparatum, eosque, qui talia suspicerent, derideret, ut res inutiles & nullius fructûs; sed qui ad decentem ornatum, subditorum tantum caussa, iis uteretur. Quæ res (quòd scilicet non gemmatum solum, sed vere λιθοκόλλητα, seu e *lapidibus pretiosis contextum*, ut de eo tradit, quod modo diximus, Cedrenus, diadema gestaret idem Constantinus) liquebit e sequentibus eius nummis; quales olim ad Iuliani Cæsares, ubi velut armillis id genus λιθοκολλήτοις ornatum perstringit eundem Constantinum, tacito nomine, Mercurius, pridem adtuli.

Pag. 158, & 399.

Ita vero a Constantino adsumptum solemnem dein Diadematis gemmati seu e pretiosis lapidibus contexti usum constat; ut is tamen, cum aliis honorum insignibus, eiusdem etiam insignis gerendi facultatem in filios, in partem curarum ac imperii adscitos, deriuari pateretur. Certe de Constantina filia diserte id tradentem vidimus Philostorgium; Diademate nempe eandem a patre ornatam. Ut minus equidem mirum sit, eiusdem fratres eo cultu conspicuos intueri in superioribus aliisque eorum nummis. Verum haud continuo, quæ patris fuerat in liberos, eadem fuit postea Constantii filii in consobrinos Gallum & Julianum indulgentia; a quo uterque *Cæsares* quidem renuntiati, sed *cum modo ac mensura*, nempe χωρὶς τοῦ διαδήματος, *sine diademate*, ut manifesto & signanter utrumque a Chrysostomo notatum vidimus: & quibus pauculis verbis meâ sententiâ totam rem illam, perplexam alioquin ac implicatam, nobis manifestam fecit. Ita *Diadema*, & quidem ex auro & lapillis contextum, Augusti fastigii proprium & peculiare mansit insigne, ut coæui illorum temporum Auctores docent; quibus inde per τὸ διάδημα, & per χρυσὴν aut λιθοκόλλητον ταινίαν, eandem *superiorem potestatem*, seu μεγάλην προσηγορίαν diximus designari, aut simpliciter etiam per χρυσὴν περὶ τῇ κεφαλῇ, *aurum supra caput*, ut de diademate Iuliani loquitur Libanius. Quæ rursus tamen turbare videtur Iuliani nummus, qualis utique in adductis huius principis ab eruditissimo Du Cange nummis conspicitur; cum gemmato nempe diademate & inscriptione D. N. IULIANUS NOB. CÆS. & cui simile omnino diadema, cum AUGUSTI titulo, apud eundem tribuitur, ut e sequentibus utriusque illius nummi iconibus, posterioris vero cum SEMP. AUG. seu *Semper Augusti*, de quo paullo ante, titulo, fiet cuiuis manifestum.

Lib. III. c. 22.

Julian. Imp. Epitaph. p. 305.

Famil. Byzant. Tab. XIII.

Tab. XIV.

Verum

Verum cuius prioris nummi cum gemmato diademate ac NOB. CÆS. ſeu *Nobiliſſimi Cæſaris* titulo, ſicut id ex epigraphe alterius partis in corona querna VOT. V. MULT. X. continuo liquet, ea habenda eſt ratio; quòd nummus ille ſit percuſſus, quum idem Iulianus ageret Viennæ in Gallia, ut de eo coæuus Auctor Ammianus Marcellinus, & qui inde inſigniter illuſtratur, ipſique nummo facem clariſſimam viciſſim præfert: *Quinquennalia* AUGUSTUS *iam edidit, & ambitioſo diademate utebatur lapidum fulgore diſtincto; cum inter exordia principatus adſumpti vili corona circumdatus erat Xyſtarcho ſimilis purpurato.* Eodem nempe anno, quo agebantur illa Cæſarei Iuliani imperii Quinquennalia, *Auguſtus* paullo ante fuerat a militibus nuncupatus. Unde, & quo partim ſe intra *Cæſaris* proteſtatem contineret, ſuperſtite etiamnum, a quo *Cæſar* fuerat ante quinquennium nuncupatus, Auguſto, in honorem autem illorum, quæ tum celebrabantur, Cæſarei illius imperii Quinquennalium nummus eſſet percuſſus; NOBILISSIMI CÆSARIS retentum quidem in eo nomen; ſed tamen, quod AUGUSTUS foret iam a militibus nuncupatus, ac ſe pro tali gereret, cum adſumpto primum *Auguſti* illius faſtigii inſigni, ſeu gemmato diademate. Unde etiam, in aliis eius tum *Cæſaris* anterioribus nummis, idem ſine ullo diademate vel corona, uti de eo ab Ammiano, Chryſoſtomo, Philoſtorgio, dici vidimus, ſed nudo ſolum capite, apud eundem Du Cange, & in Theſauro Brandenburgico ab eximio Begero noſtro iam vulgatis, comparet. Lib. XXI. c. 1. Tab. XIII.

Quibus proinde luculenter adſtruitur, quod paullo ante monui, ſolemnem e gemmis vel lapidibus pretioſis contexti diadematis uſum a Conſtantino inductum: illud filiis etiam, *Cæſarum* ac *Imperatorum* inſuper titulo ornatis, ab eo quidem conceſſum; haud vero ab iis, Conſtantio Gallo vel Iuliano, etſi patruelibus, nuncupatis *Cæſaribus* continuò delatum, ſed, ut proprium ſupremæ poteſtatis inſigne, AUGUSTIS demum fuiſſe reſeruatum. Quomodo, & ex ſola illa veterum nummorum contemplatione, tota res illa, perplexa alioquin, ut vidimus, ac incerta, fit manifeſta. Qua ratione inde conciliantur, quæ paullo ante aduerſa videbantur ea in re Auctorum veterum loca a nobis prolata, quæ *Cæſaribus* modo concederent, modo adimerent *Diadema.* Quamquam, ut hoc addam, inter inſignia Regia ad Lazorum Regem a Iuſtiniano, iuxta morem, miſſa recenſentur ab Agathia στέφανος χρυσοῦς λιθοκόλλητος, *corona aurea gemmata.* Exſtat vero eadem Iuſtiniani ætate Theodati Gothorum in Italia Regis nummus, cum ſingulari omnino contexta e variis gemmarum ordinibus ac ſpiris tiaræ inſtar corona, ipſoque inſuper thorace variis itidem gemmarum texturis ornato. Haud aliter ac Theodeberti Francorum Regis caput corona, ſeu tiara, cum multiplici itidem gemmarum Lib. III. p. 90. ed. Reg.

Tab. III. Fam. VIII.

rum ordine contexta, in alio illius ætatis nummo apud eundem Du Cange; Iustiniani vero cum gemmato, pro more Constantinopolitanorum Imperatorum, diademate, iuxta additas hic eorum icones, & Iustiniani quidem priori loco, cernitur.

Ne iam hic tangam Ιουστινιάνειον illud, seu peculiare ipsius Iustiniani diadema, quod e musiuo opere illum Romæ erexisse, narrat in Anecdotis Procopius.

III. *De* IMPERATORIS *Titulo in Nummis.*

I. *De* IMPERATORIS *nomine duplici respectu Augustis tributo.*

IMPERATORIS vero nomen, in Nummis iuxta & in Lapidibus antiquis, duplici respectu Augustis, ac interdum Cæsaribus, seu primi & secundi fastigii principibus, tribui norunt, qui vel in iis versandis tractandisue sunt etiamnum tyrones: uno nempe, quo vice, ut plurimum, Prænominis, summi in orbe Romano imperii potestas: altero, quo, Cognominis instar, & quidem crebro subinde iteratum, partæ de hostibus victoriæ decus, idque iuxta receptum iam liberæ urbis temporibus morem, designabatur. Quam utramque huius appellationis Romanis principibus concessæ, iisque exinde peculiaris, vim ac significationem tangit haud uno loco Dio Cocceianus; primo, ubi summum [a] Julio Cæsari, eiusque filiis, quibus alioquin carebat, ac nepotibus, imperium a Senatu delatum traditur, dein, ubi id [b] Augusto itidem, eiusque successoribus, ab amplissimo ordine collatum denuo dicitur. Unum huc adferam, ac priorem quidem, ubi de ea, seu de ratione utriusque illius *Imperatoris* nominis, appellatione agitur, Auctoris illius locum: ΤΟ ΤΕ ΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ὄνομα, οὐ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔτι μόνον, ὥσπερ ἄλλοι τε, καὶ ἐκεῖνος ὡς πολλάκις ἐκ τῶν πολέμων ἐπεκλήθησαν, οὐδ' ὡς οἱ τινὰ αὐτοτελῆ ἡγεμονίαν, ἢ καὶ ἄλλην τινὰ ἐξουσίαν λαβόντες, ἀνομάζοντο, ἀλλὰ καθάπαξ τοῦτο δὴ καὶ νῦν τοῖς τὸ ΚΡΑΤΟΣ ἔχουσι διδόμενον, ἐκείνῳ τότε πρώτῳτε καὶ πρῶτον ὥσπερ ΤΙ ΚΥΡΙΟΝ προσέθεσαν. IMPERATORIS *quoque nomen, non pro antiqua tantum consuetudine, qua cum alii, tum ipse quoque id sæpius ex bello reportauerat; neque ea ratione, qua vocantur ii, quibus merum aliquod imperium, aut alia quæpiam potestas defertur: sed eo modo, quo nunc iis datur, qui* SUMMUM *obtinent* IMPERIUM, *tum ei primo ac primum, tanquam* QUID *eidem* PROPRIUM, *imposuerunt*, & quæ plura, de quibus etiam mox, ibidem leguntur. Adeo ut, ex duplici illa *Imperatoris* appellatione, prior, quod mox ibi ab eodem Dione tangitur, iis tantum principibus cederet, qui e re belli feliciter a semet vel suis auspiciis gesta, & quidem, quoties id contigerat, more veteri erant consequuti: posterior autem, cum ipsi primum

[a] Lib. XLIII. p. 245.

[b] Lib. LII. p. 404. LIII. p. 588.

Lib. XLIII. p. 235.

mum Iulio, tum Augusto rursus, eiusque in Romano imperio successoribus sit delata.

Qua ratione, ut inde ordiar, proprio illo omnibus Romanis Imperatoribus nomine, seu, uti illud haud semel a [a] Suetonio dicitur, ac in Cæsaris nummis potissimum apparet, *Prænomine*, *summum* in Orbe Romano, seu velut Urbis & Orbis *imperium*, *ac plenam potestatem*, [b] τὸ κράτος, καὶ τὴν αὐτοτελῆ ἐξουσίαν, ut ea de re, dicto paullo ante loco, ac [c] alibi idem Dio, designari quiuis intelligit. Nempe, quo recepto quidem Reipublicæ temporibus nomine, sed ampliori longe & augustiore significatione, odiosi iam per aliquot sæcula Regii, ac post Iulii cædem aboliti Dictatoris nominis, ut obseruat idem [d] Dio, inuidia ciuili *Imperatoris* vocabulo, vi tamen summi imperii penes illos manente, minueretur.

2. *De* IMPERATORIS *appellatione, quà summum designat imperium.*

E quibus utique, & quæ aliunde præterea cuiuis in Romanæ & Augustæ quidem Historiæ notitia, veterumque, qui de ea agunt, aut ad eam referri debent, monumentorum tractatione haud plane hospiti sunt comperta, constare potest, quid de nouis iis, & quæ vel modo dicta utcunque destruunt, viri ingenio ac eruditione cæteroquin præstantis adsertionibus statuendum videatur. Quales in variis Selectorum eius Operum, quæ in lucem, ubi iam hæc fueram commentatus, prodierunt, dispersas, & quidem ipsis eius verbis hic complectar, nempe: "Hæc tria Hard. Select. Oper. p. 477.
„ inter se distinguenda vocabula in nummis antiquis; *Imperator*, *Princeps*,
„ *Augustus:* Imperator in exercitu, Princeps in urbe, Augustus in pro-
„ uinciis appellatus. Neque enim aut vim vocis, aut Romanorum liber-
„ tatem satis norunt, qui hæc duo nomina primi consociarunt, *Impera-*
„ *tor Romanorum*: quæ locutio in nummis probisue sigillis omnino non
„ occurrit ante sæculum Christi decimum tertium iam senescens. *Impe-* Ibid. p. 876.
„ *rator* ergo Præfectus Exercitui summo cum imperio. "Cum duo simul Ibid. p. 846.
„ Imperatores erant, uti Valerianus & Gallienus, habuisse unumquemque
„ Imperatorem sub se militantem exercitum. Aliud vero extitisse Græcum Ibid. p. 696, & 810.
„ Αὐτοκράτως, aliud Latinum *Imperatoris* nomen. Αὐτοκράτως nempe, su-
„ prema pollens in exercitibus & in rebus ciuilibus potestate. Hoc est
„ enim esse Αὐτοκράτορα; *Imperatorem* ad exercitus tantum pertinuisse, seu
„ qui supremus Exercituum dux esset. Julium vero Cæsarem non fuisse, ut
„ vates mentitur, *Imperatorem unicum*, quem nec sua ætas, sed longe Ibid. p. 613.
„ posterior *primum Imperatorum* appellauit: nec umquam eundem dictum
„ fuisse in nummis IMP. CÆSAR, sed tantum, sicut Pompeius CN.
„ MAGNUS IMP. ita CÆSAR IMP. Caligulam vero nec Imperato-
„ rem fuisse, nec Αὐτοκράτορα: nec enim prouinciam Narbonensem in Ibid. p. 340.
„ nummis eius aureis vel argenteis, nec Senatum in æreis hunc titulum
„ ei detulisse. Eum Cæsarem & Principem tantum fuisse: seu (ut de eo
„ alibi dein loquitur vir doctus) non fuisse cum illa ratione IMP. in Oc- Ibid. p. 711.
„ cidente, aut omnino Αὐτοκράτορα in Oriente extra Judæam; neque alio
„ nomine eum, quam *Caium principem*, & quidem centies, a Plinio ap-
„ pellari. Neque eum alicui exercitui præfectum esse a Senatu; nec ius Ibid. p. 714.
„ ei summum in Exercitu fuisse. Quod vero Claudius a Suetonio *præno-* Ibid. p. 719.
„ *mine Imperatoris abstinuisse* dicitur; atqui non hanc ciuilitatem in Clau-
„ dio, sed *necessitatem fuisse*. Neque enim ei licuisse hunc titulum in Oc-
„ cidente sumere, ubi summus Exercituum Imperii Dux non fuerit. Suam

[a] In J. Cæs. c. LXXVI. Tiberio c. XXVI. Claudio c. XIII.
[b] Lib. XLIII. p. 245.
[c] Lib. LIII. p. 508.
[d] Lib. LIII. p. 507, 508.

Ibid. p. 338. „ denique imperitiam veteres quosdam Scriptores, & forte νοθείαν, eo „ indicio prodere, quod Imperatores Romanos βασιλεῖς atque eorum po-
Ibid. p. 810. „ testatem βασιλείαν vocant. Quod manifestius adhuc urget in postremo Opere, seu Historia Augusta e nummis antiquis restituta, ubi occasione nummi Antonini Caracallæ, inscripti ANTONINON BAΣI. obser- „ uat eos, qui Αντωνῖνον Βασιλέα interpretantur, nescire Βασιλέας a Græcis „ nunquam dictos fuisse, aut a Latinis *Reges* Augustos, nisi ab imperi- „ tis scriptoribus, ac forte suppositiis. Quibus mox hanc cautelam addit: " Βασιλέα autem cum negamus, siue *Regem* appellatum esse Impera- „ torum Romanorum aliquem, nisi forte ab imperitis ac suppositiis „ Scriptoribus, sacros profecto Scriptores excipimus, qui neque proprie „ Latini neque Græci. Judaicæ more gentis ii sunt locuti, quæ supre- „ mam quamlibet potestatem *regiam* appellabat: unde hæc vox Judæo- „ rum: *Non habemus Regem*, *nisi Cæsarem*, Tiberium videlicet: Et de „ Nerone, ut simile veri, Petrus in priori Epistola, *Regem honorificate*, „ & *Regi quasi præcellenti*. Quibus statim subdit: "Itaque legendum in „ hocce (Antonini Caracallæ) nummo continua oratione: Αντωνῖνον βιόδωρος „ ἀγαπᾷ Σιτὼ Καφυατῶν, *Antoninum diligit alma Ceres*, siue *Ceres frugifera Caphyatarum*; Cererem enim, Græcis Σιτὼ, ceu Caphyatarum præsulem depingi in auersa nummi parte.

Nemo vero, ut opinor, a me nunc expectat vel exigit, ut in iis sigillatim expendendis refellendisue multum immorer: quum ea vel a me iam obiter de illo *Imperatoris* nomine monita; vel aliunde sat comperta & constans, ut iam innui, Historiæ Augustæ notitia, ac veterum, qui de ea agunt, aut ad eam respiciunt, Nummorum, Lapidum, Scriptorumue probæ nec dubiæ hactenus notæ fides, abunde redarguunt. Neque enim ideo, quod veteres, quos vocat, Romanæ historiæ artifices, & quidem ex iis Velleium, Suetonium, Tacitum, Herodianum, Dionem, ut de Philone, Josepho, aliisque sileam, pro fabulatoribus vel supposititiis habuit, dum hæc commentaretur vir doctus, ideo labat aut suspecta esse debet, & quam ipsemet iis postea adsertum iuit, eorum fides: maxime quum eam adstruant potius, quam destruant luculenta veterum nummorum testimonia. E quibus utique vel solis liquere potest aliud omnino, quam supremum exercitûs aut rei militaris Præfectum, seu *Generalissimum*, uti ab eo dicitur, designare inscriptum in iis Cæsarum seu Augustorum nummis *Imperatoris*, ut de eo Suetonius, & qua de re postea, *Prænomen*; sed maius quid omnino ac diuersum ab eodem nomine, quo summi exercitus Ducis, partæque eius ductu victoriæ decus consignabatur. Unde etiam iteratum subinde in Cæsarum vel Augustorum nummis illud postrema significatione usurpatum IMP. & quidem II, III, IIII, aut sæpius etiam nomen; quæ utique eosdem cum Augustos, tum summos exercitûs Imperatores fuisse, quod negabat vir eruditus, omnino arguunt, nempe quibus summa totius Romani imperii erat credita. Neque aliud, aut maius quid in Græcis Augustorum nummis Αυτοκράτορος, quam in Romanis *Imperatoris* nomine intelligi; priori nempe ad supremam in ciuilibus æque ac in militaribus potestatem; posteriori eo quoque, non vero ad exercitus tantum respici, vel inde, ut opinor, euincitur: quòd, sicut Σεβαστὼ dicuntur in Græcis eorum nummis, qui in Romanis *Augusti* appel-

pellantur, neque diuersa sit in iis utriusque illius vocis significatio; ita qui *Imperatores* in hisce nuncupantur, haud alia quam Αυτοκράτορος voce in Græcis vocari soleant. Adde, quòd olim apud Græcos Αυτοκράτως in genere diceretur, cui demandata erat suprema alicuius muneris, vel ciuilis vel militaris, administratio: unde, & qua de re alibi iam egimus, cum Στρατηγοὶ Αυτοκράτορες, tum Αυτοκράτορες τοῦ Πολέμου, aut κατὰ τὸν Πόλεμον, *Prætores summi exercitus*, aut *belli Duces*; tum Πρέσβεις & Πρεσβευταὶ Αυτοκράτορες ὑπὲρ τῆς Εἰρήνης, *Legati plena cum potestate de Pace*, quales hodie vulgo *Plenipotentiarii*, dicuntur. Immo, prout etiam appellatos in antiquis & præclaris nummis Typhonem ac Tigranem similiter ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ nominibus, &, iuxta Liuium, Antiochum M. declaratum ab Ætolis *Imperatorem Regem*, seu summum belli Ducem, ibi quoque vidimus, & quidem, iuxta illud Comici:

Diff. de Præst. &c. Num. p. 443. To. I.

Æschin. adu. Ctesiph. p. 283. ed. Græc. Lat. Paris.

Lib. XXXV. c. 45.

Sed ubi summus Imperator non adest ad exercitum.

Amphitr. Act. I. Sc. III.

3. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Quam etiam veterem, cum vocabuli Αυτοκράτορος apud Græcos, tum apud Romanos *Imperatoris*, pro eo cui suprema belli aut imperii alicuius militaris administratio erat demandata, significationem, tum aliam simul ac nouam earundem vocum tangit Dio; quibus τὸ κράτος, ut diximus, ac αὐτοτελὴς ἐξουσία in genere, seu in uniuersum summa imperii Romani, ac proinde tam ciuilis quam militaris, potestas in unum Iulium, ac dein similiter in Augustum, eiusque Successores erat collata. Unde etiam, qui Romanis *Imperatores*, ii Βασιλεῖς vulgo, & qua de re mox, a Græcorum Scriptoribus sunt dein appellati; ut vel inde liqueat maius quidpiam & augustius ea voce *Imperatoris*, quam summam exercitus Præfecturam, iuxta virum doctum, designari. Iulium vero Cæsarem sua iam ætate, non vero longe posteriore demum, *Imperatorem* a Senatu, & eâ quidem nouâ & augustiore illius vocis significatione, appellatum, præter Dionem haud uno loco id tradentem, & quidem, quod filii quoque eius, quibus cæteroquin carebat, ac nepotes ferrent, docet etiam Suetonius. Quibus licet insuper addere, quòd idem ille, quo summa totius imperii in eum collata censebatur, titulus ei demum, bellis omnibus ab eo confectis, & post eius in urbem e postrema Hispaniensi contra Pompeii filium expeditione reditum, delatus apud Dionem legitur; ac similiter Augusto, post Actiacam victoriam subactamque Ægyptum Romam itidem reuerso. Quod vero Caligula nec Αυτοκράτωρ fuerit nec *Imperator*, nusquam certe in Occidente *Imperator*, nec Αυτοκράτωρ in Oriente extra Iudæam, ne alia iam tangam, inde, vel ex viri docti sententia, qui demum hoc nomen de *Imperatore* exercitus dici contendit, refellitur, quòd dentur etiamnum eius nummi, in quibus adscriptum *Imperatoris* nomen legitur; nempe C. Cæsar Aug. Germanicus Imp. & alii, qualem adfert ipse vir doctus, cum additis insuper supremæ potestatis titulis P. M. Tr. P. Cos. Frustra enim Imp. cognomen Caligulæ ibi natalium iure, ab Auo scilicet Nerone Druso, tribui contendit vir doctus. *Imperatoris* quippe nomen huic Druso non fuisse hæreditarium vel hinc liquet, quod filius eius & ipsius Caligulæ pater Germanicus, illud, uti e nummis eius etiamnum constat, haud tulerit. Quod etiam præclare adstruit adductus mox

Lib. XLIII. p. 255. & l. LII. p. 808.

In J. Cæsar. c. XII.

Lib. XLIII. p. 234, 235.

Select. Oper. p. 714, 715.

ab eodem Harduino singularis Germanici nummus, cum suo & Caligulæ
Select. Oper. p. 715. filii, cuius iussu est ille percussus, nomine, GERMANICUS CÆS. P. C. CÆSARIS AUG. COS. II. IMP. *Germanicus Cæsar Pater Caii Cæsaris Augusti Consulis Bis Imperatoris:* ubi *Imperatoris* titulus Caligulæ tum imperanti & Augusto, non vero parenti eius Germanico, tribuitur. Ut mittam, quòd neutiquam ea vis aut ratio fuerit illius *Imperatoris* nominis, priuatis Exercituum Ducibus, ob rem bello feliciter gestam delati, ut illud continuo ad eorum filios ac hæredes transiret. Haud ignoro equi-
Ibidem p. 718. dem, ab illo viro docto nummum quendam inscriptum GERMAN. I. N. D. V. T. I. IIII. Germanico tribui; nempe, ut hæc interpretari eidem libuit, *Germanicus Imperator Neglecto Duplicis Victoriæ Triumpho Imperator Quater*; atque ita non semel ibi, sed bis IMPERATOR, & quidem IIII. appellatur. Verum, præterquam quod ad Iulium Cæsarem, agnoscente id ibidem Harduino, referant eundem nummum, qui de eo egerunt, antiquarii; & inter eos, qui illum protulit & explicare adgres-
To. 1. p. 26. sus est, Tristanus; quid de ioculari illa vocis in eo seu literarum I. N. D. V. T. I. IIII. interpretatione statuendum sit, non multis iam hic tangam. Neque vero ADLOCUTIO COH. in uno solum huius Caligulæ nummo est obuia; aut ea quidem res memorabilis adeo, ut ad unam forte militarem seditionem a Caligula sedatam, annis quoque consequentibus, ut ille existimat, consignata in aliis dein nummis eadem inscriptio
[a] Sueton. in Calig. c. XXII. referri continuo debeat. Adde, quòd [a] FILIUS CASTRORUM, & PATER EXERCITUUM dictus legatur idem Caius, quæ utique ad supremum Exercituum Ducem omnino respiciunt; immo a Philone coæuo Scriptore (neque enim inde, vel ob memoratam ibi eiusdem Caii se pro Ioue coli
[b] Select. Oper. p. 348. volentis vesaniam suspecta esse debuit eidem [b] Harduino, aut potius ex-
[c] In Flaccum p. 966. plosa, libri & Auctoris illius fides) de eo dicitur: [c] Τιβερίου τελευτήσαντος, Γαΐου δὲ ἀποδεχθέντος Αυτοκράτορος, *Tiberio mortuo, Caio autem declarato Im-*
[d] Antiq. l. XVIII. c. 8. *peratore*, ac prout etiam eundem Caium a [d] Iosepho Τέλαρον Αὐτοκράτορα dictum agnoscit ac redarguit
[e] Select. Oper. p. 711. [e] vir doctus. Neque vero is solus Imperator uno *Principis* nomine est a Plinio appellatus: aut tandem id ignorare potuit ipse luculentus Auctoris illius editor ac interpres, id eidem Plinio esse familiare, ubi ab eo de Tiberio, Claudio, aut Nerone agitur; quos vix alio ferme, nullo certe frequentius, quam *principis* titulo appellat, *Tiberius princeps*, *Claudius princips*, *Nero princeps*; immo ipsum tum imperantem ita nominat Vespasianum, qui alioquin [a] *Imperator Vespasianus* audit,
[a] Lib. XXVI. c. 4. [b] Lib. XXXIII. c. 2. l. XXXV. c. 10. aut [b] *Imperator Vespasianus Augustus*; & quidem ubi, confecto a Tito filio bello Judaico, ipse non in exercitu vel extra urbem, sed Romæ Pacis templum conderet; Ædem Honoris & Virtutis restitueret; & præclara quædam opera in iis dicaret: quæ alioquin, iuxta virum doctum, nec *Imperatoris*, nec *Augusti*, quorum ille in Exercitu, hic in Prouinciis ita vocaretur, opera forent, sed *Principis*. Immo, & quo vel unico, Auctoris quippe, iuxta virum, quo, in eo præsertim genere, nihil diligentius
Select. Oper. p. 704. aut accuratius dici potest, Plinii nempe, quod alibi apud eum legitur, testimonio corruit omnis illa de *Imperatoris*, qui in Exercitu demum obtineret, titulo, & quo Caius & Claudius caruerint, obseruatio: nempe, quum de lauri silua, quæ Augusti temporibus mire e fato lauri ra-
Lib. XV. c. 30. mo prouenit, egisset, addit: *Ex ea triumphans postea Cæsar* (Augustus) *lau-*

laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde IMPERATORES CÆSARES *cunctos.* Vides promiscue ab Augusto ad Vespasianum usque, cuius temporibus hoc scripsit Plinius, *cunctos Cæsares*, ac inter eos proinde Caium quoque & Claudium, recepto ab Augusto summæ in orbe Romano potestatis *Imperatorum* prænomine appellari. Claudium certe haud omnino illo *Imperatoris* titulo abstinuisse, minime autem, quòd id non ciuilitatis, sed necessitatis, ut contendit vir doctus, fuerit, fidem etiamnum faciunt aliquot eius nummi, in quibus statim sub initium imperii, IMP. RECEPT. aut cum aliis primi fastigii titulis, TI. CLAUDIUS CÆS. AUG. P. M. TR. P. XI. IMP. P. P. COS. V. legitur. Ut nunc mittam eius nummos, in quibus VICTORIA AUG. vel DE BRITANNIS, aut DE GERMANIS legitur, cum Arcu Triumphali, aliisque Victoriæ insignibus, Clypeis, Tropæis, quæ summum Exercituum Imperatorem omnino designant. Neque vero, quæ ratio scilicet fuerit, cur eidem Claudio *Imperatoris* titulum sumere in Occidente non licuerit, indicat vir doctus; & minus adhuc, quinam hisce Caligulæ & Claudii temporibus *Imperator* vel in reliquo præter Judæam Oriente, vel in Occidente tum exstiterit.

Select. Oper. p. 719.

An vero suam imperitiam, vel νοθείαν etiam, probent Scriptores veteres, missis sacris Scriptoribus Euangelista [a] Johanne ac [b] Petro Apostolo, qui Romanos Imperatores Βασιλεῖς, & eorum potestatem βασιλείαν vocant, quod haud uno loco contendit, ut vidimus, vir doctus, iis iudicandum relinquimus, qui norunt id non inferiori demum seu Constantiniano æuo, sed superioribus iam sæculis, & a primis Imperatorum Romanorum temporibus fuisse familiare. Certe in Diodori, ac proinde Augustæi æui Scriptoris, Eclogis legitur, de ipso *Imperatoris* (acclamatione militari, ob cæsum certum hostium numerum, appellati) nomine; nempe Romanos Ἰμπεράτορα αὐτὸν ἀναγορεύειν, καὶ ἀνακαλεῖν, ὅ ἐστι βασιλέα, *Imperatorem ipsum vocare, & renunciare, id est* REGEM, etsi male id ibi de *Imperatore* dicitur, qui a Græcis non Βασιλεὺς, sed Στρατηγὸς Αὐτοκράτωρ vocabatur. Piget vero ex aliis, & optimis quidem nec νοθείας suspectis, Auctoribus obuia eam in rem testimonia operose huc adferre, ut Dionis Chrysostomi, qui sub Traiano vixit, de Nerone: [a] Καὶ Νέρων μὲν ὁ τῶν βασιλέων σφοδρότατος, *Nero Imperatorum vehementissimus*; ac alibi de eodem aliisque Imperatoribus in genere: [b] Καί τοι τῶν νῦν βασιλέων τὶς, *quamquam Imperatorum huius sæculi quidam*, Nero rursus, quod sequentia ibidem docent. Quo etiam nomine designantur ab Appiano, [c] Ρωμαίων Βασιλεῖς, *Romanorum Imperatores*, & alibi haud semel [d] βασιλεῦσι de iisdem *Imperatoribus* dicitur. Sic de M. Antonino & Commodo testes eiusdem ætatis, vel Athenagoras, a quo appellantur ab initio Legationis pro Christianis μεγάλοι βασιλέων, vel Aristides Rhetor, a quo similiter vocantur iidem [e] ὦ μέγιστοι βασιλεῖς, *maximi Imperatores*; alibi [f] οἱ θεῶν γνώμῃ βασιλεῖς, *ipsi Deorum voluntate Imperatores*, ac alio rursus loco, [g] τοὺς πάντα ἀρίστους βασιλέας, *per omnia optimos Imperatores.* Neque, qui sub Commodo, & sequutis aliquot Imperatoribus, vitam se egisse in historiarum suarum limine testatur, Herodianus, & qui *optimus scriptor* a magno Casaubono alibi dici meruit, aliis quam βασιλέως & βασιλείας nominibus *Romanos Imperatores* ac *Romanum Imperium* vocare consueuit; sic statim ab initio Historiarum, [h] τῷ βασι-

4. *De* BAΣΙΛΕΟΣ *titulo Romanis Imperatoribus tributo.*

a Euang. D. Johan. c. XIX. v. 15.
b 1. Epist. v, 21.
Eclog. l. XXXVI. in fine.
a Orat. XXXI. p. 355.
b Orat. LXX. p. 627.
c Bell. Ciu. l. I. p. 414.
d Ibid. l. I. p. 417. & l. II. p. 715.
e Gratul. Smyrn. p. 473. To. I.
f Palinod. ad Smyrn. p. 461. ibid.
g Epist. ad Impp. M. Anton. & Commod. p. 289. To. II.
h Lib. I. c. I.

σιλεύοντι Μάρκῳ, *Imperanti* seu *Imperatori Marco*, alibi [a] βασίλειος οἶκος, [b] βασιλικαὶ τιμαὶ, *domus Imperatoria* seu *Augusta*; *honores* seu *tituli Imperatorii*. Quomodo etiam a grauissimo Scriptore Dione Cassio, ubi egit de *Imperatoris* seu Αὐτοκράτορος nomine, Augusto ac eius successoribus delato, dein additur: [c] Τοῦ δὲ τῆς πολιτείας τέλους εἰς αὐτοὺς ἀνακειμένου, οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ βασιλεύονται, *quum autem ad Imperatores nunc summa reipublicæ deferatur, fieri non potest quin sub regno sint Romani.* Unde in Tabula eorundem temporum Paschali Bibliothecæ Vaticanæ, ac a me olim ibi inspecta, mentio fit ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *Imperii Alexandri Imperatoris.* Apud Philostratum quoque *Imperatores* Αὐτοκράτορας & Βασιλεῖς dici promiscue videas; uti inter alia, [d] ὑπὲρ τοῦ βασιλέως, de M. Antonino *Imperatore* dicitur: alibi, [e] τὰ βασίλεια, de *palatio Imperatoris*, & βασίλειον δικάσιμον, de *Imperatoris prætorio*; ita etiam [f] Ἰουλία τῇ Βασιλίδι, de *Julia Augusta* Seueri Coniuge, non *Regina*, ut ibi prior Interpres, & qui viro docto imposuit, quod pridem vidimus, ac vidit etiam posterior, idemque præclara eruditione conspicuus, in nouissima & luculenta omnino illius Scriptores editione, Gottofredus Olearius. Ne iam Constantiniani æui Scriptoris vel Ecclesiasticos vel profanos huc aduocem; ipsumque inter alios Eusebium, a quo [g] βασιλέας, [h] βασιλικοὺς οἴκους, [i] βασιλικὰ διατάγματα, de *Imperatoribus*, *Imperatoris palatiis*, *Imperatoriis Rescriptis* dici constat; & ipsum Constantinum alicubi [k] βασιλέα ἐκ βασιλέως, *Imperatorem Imperatore genitum.* Neque aliter apud Julianum Cæsarem de Constantio tum Imperatore & Constantini filio: [l] Πατρὶ γὰρ ὑπήκοος ἅμα καὶ βασιλεῖ, *parenti enim simul ac Imperatori morigerus.* Idem Julianus alibi ad eundem Constantium: [m] Ὦ φίλε βασιλεῖ, *o chare Imperator.* Quam in rem opportuna sunt omnino, neque hic prætereunda, etsi crebris citationibus has commentationes obruere haud mihi constitutum sedeat, quæ apud Cyrenensem Episcopum leguntur obiter a me olim indicata verba, &, quod aduerti postea, nec dissimulare hic licet, quæ iam ad Spartianum adtulit ex parte ὁ πάνυ Casaubonus. Nempe ubi, quum *Regis* nomen ab eo tempore, quo Tarquinios populus Romanus e ciuitate expulerat, Romanos fuisse exosos monuisset, addit: Ἀπὸ τούτου γὰρ ἡμεῖς μὲν ὑμᾶς ἀξιοῦμεν καὶ ΚΑΛΟΥΜΕΝ ΒΑΣΙΛΕΑΣ, καὶ ΓΡΑΦΟΜΕΝ οὕτως· ὑμεῖς δὲ εἴτε εἰδότες, εἴτε μὴ, συνηθείᾳ δὲ συγχωροῦντες, τὸν ὄγκον τῆς προσηγορίας ἀναδυομένοις ἐοικότα. οὐκοῦν οὔτε πρὸς πόλιν, οὔτε πρὸς ὑπαρχον γράφοντες, οὔτε πρὸς ἄρχοντα βάρβαρον ἐκαλλωπίσασθε ποτε τῷ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ὀνόματι, ἀλλ' ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ εἶναι ποιεῖσθε; *Nos enim ex illo* Regis *nomine vos dignamur, & ita* Scribimus: *vos autem, siue scientes, siue inscientes, consuetudini id tribuentes, appellationis huius inuidiam declinare velle videmini; neque ergo ad ciuitatem, neque ad priuatum, neque ad prouinciæ Præfectum scribentes, neque ad barbarum principem istud* Regis *nomen unquam affectatis: sed* Imperatores *vos dicitis.* Quibus addit illud *Imperatoris* seu Αὐτοκράτορος nomen, esse militaris imperii in Republica Athenienſium olim receptum, non vero quod *Monarcham* significaret: ac proinde argumentum id esse moderationis in Romanorum administratione; quod, etiamsi illa Respublica manifeste in *Monarchiam* desciuerit, nihilominus, malorum odio, qui Tyrannidem consectantur, caute & circumspecte *Imperatoris* non *Regis* nomen usurpet. Quæ singula utique cum iis, quæ e Dione paul-

a Lib. III. c. 22.
b Lib. V. c. 25.
c Lib. VIII. p. 507.
d Vit. Soph. l. II. p. 163. ult. ed. Lipſ.
e Ibid. p. 160.
f Vit. Apoll. l. I. c. 3.
g H. Eccl. l. VIII. c. 13.
h Ibid. l. VIII. c. 1.
i Ibid. l. VIII. c. 17.
k Ibid. l. IX. c. 9.
l Orat. I. p. 4. ed. Lipſ.
m Orat. II. p. 50.
Not. ad Spartian. in Hadr. c. XII.
Syneſ. de Regno p. 19.

paullo ante eam in rem adtulimus, ſunt plane conſentanea. Quamquam *Monarchia* quoque dicta ſit ſubinde eadem Imperatorum dominatio, uti a dicto paullo ante Juliano Cæſare, immo pridem ante, ab Ariſtide, ac iis quidem verbis, quæ cum iis poſtremo loco e Syneſio modo memoratis ſunt plane conſona: nempe ubi de *Imperatore* a Smyrnæo Rhetore dicitur: Τὸν τὴν τελειοτάτην ἔχοντα MONAPXIAN, τυράννων τε κακῶν ἄμοιρον, καὶ βασιλέως σεμνότητος μείζονα, *eum perfectiſſimam obtinere* MONARCHIAM, *quæ ſit Tyrannidis malorum expers, & Regia poteſtate maior.* Græcorum vero Auctorum exemplo dicti etiam ſubinde *Imperatores* a Latinis Scriptoribus *Reges*, & eorum Coniuges, *Reginæ*, & *regnare* pro *imperare*, ut apud Lucanum, [a] *Cæſaribus regnare vacet*; de Domitiano apud Papinium, [b] *longamque tibi, Rex magne, iuuentam*; ac ex inferiori dein ætate apud Claudianum aliquoties de Maria Honorii Imperatoris coniuge:

Orat. III. p. 108.

a Lib. IX. v. 90.
b Sylu. l. IV.

[c] *Magnorum ſoboles Regum, parituraque Reges*;

c Epithal. Honor. v. 253.

item alibi: [d] *Oracula Regis Eloquio creuere tuo*; *Imperatoris* nempe, & quod viderunt ibi Interpretes, Reſcripta. Ut mittam, quòd [e] *Imperatori populo*, de Romanis dicatur apud Tacitum a Romano Imperatore, nempe Tiberio; quos, libera adhuc Republica, Carthaginis nempe euerſores, *populum late Regem* vocat Maro. Verum nec apud Poëtas ſolum, quibus omnia licent, ac *mentiri* proinde, ut de iis loquentem ſupra vidimus virum doctum, ſed a ſoluto quoque ſermone Latinis Scriptoribus, neque tamen νοθείας ſuſpectis, aut ſuppoſititiis, Romanos Imperatores *Regum* nomine appellatos legimus. Qualis utique eſt Tertullianus, qui agens de ultimo iudicii die dicit: *Tot ſpectans* REGES, *qui in cœlum recepti nuntiabantur*, *conſecratos* nempe Imperatores Diuis adſcriptos; alibi: *Omnibus ſolemnibus* REGUM, *incipiente anno*, *&c.* ac alio inſuper loco: *Romana quondam Regina*, pro *Auguſta*. Tertulliano addemus Cyprianum, dicentem alicubi: *Secuta eſt defenſio ruinis* REGUM, h. e. Deciorum, quorum, quæ paullo ante contigerat, cladem ibi tangit idem ſanctiſſimus Antiſtes. Adde Arnobium: *Sedet cunctus populus*, *& Senatus*; *Conſulatibus functi patres*; *Diis proximi atque auguſtiſſimi* REGES; alibi, *Tyrannos ac* REGES *veſtros*; & Lactantium de Diocletiano dicentem, *veteranus Rex* pro *ſeniore Imperatore*, ut in nummis eius legitur; denique Sulpicium Seuerum, qui de legatis, quos Ariani miſerant ad Conſtantium Imperatorem, ait, quòd *apud* REGEM *facile ſuperiores extiterunt:* & alio loco, quòd *omnis inuidia eſſet in* REGE, eodem nempe Conſtantio. Neque tamen ideo probari debent Græcorum Auctorum interpretes, qui Βασιλεῖς ac Βασιλίδας vel Βασιλίσσας, ubi de Romanorum *Imperatoribus* vel *Auguſtis* eorum uxoribus agitur, *Reges* & *Reginas* vulgo vertunt, atque ita lectorem incautum alio traducunt, ut inter alios prior Philoſtrati interpres, & de quo paullo ante. Ad nummum vero, de quo iam ante, Antonini Caracallæ quod adtinet, inſcriptum in priore nummi area ANTONINON BAΣI. in altera vero cum Cereris velatæ, ac, ut ſolet, tædiferæ effigie, & gentili nomine Arcadum KAΦYATΩN, ut eum deſcribit ac apud ſe eſſe teſtatur celebris Antiquarius, nemo utique quidpiam aliud, quam hunc Antoninum *Imperatorem* dimidiata illa voce, BAΣI

d De Conſul. Mallii v. 36.
e Annal. III. c. 6.

Æn. I. v. 22.

De Spectacul. c. XXX.
Ad Uxor. l. II. c. 6.
De Virg. Veland. c. VII.
Ad Demetrian. p. 192. ed. Oxon.
Lib. IV. p. 150.
Ibid. l. I. p. 39.
De Mort. Perſ. c. XIX.
Lib. II. p. 57. ed. Varior.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 102.

pro

pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ, designari credidisset. Neque mirum adeo, etsi haud in nummis alioquin consuetum, videri poterat, ut usitatâ, & ea maxime ætate apud Græcos de Romano Imperatore Βασιλέως voce, hunc illius Antonini nummum signassent Caphyatæ Arcades, haud minus quam Commodi nummum a me primum olim traditum Nicænses, ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΚΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΧΕΙ, *Commodo Imperante Orbis Felix Est.* Harduin. Sel. Oper. p. 820. Frustra enim inter hæc discrimen quærit vir doctus, quod is etiam βασιλεύει, qui βασιλεὺς non sit. Ut enim qua auctoritate id nitatur iam mittam, satis est, quòd de Romanis Imperatoribus vox illa usurpari soleat, sicut ab Herodiano de alio Antonino seu Marco, nempe βασιλεύοντι Μάρκῳ, dici vidimus; neque vero minus sit insolita in nummis Cæsarianis vox illa βασιλεύειν quam altera βασιλέως. Adde, quòd inde illo Βασιλέως titulo ab istis Caphyatis Arcadibus, præter receptum alioquin in nummorum inscriptionibus morem, signatus videatur hic Antoninus Caracalla; & quòd, ut supra vidimus, primus quoque ex Imperatoribus diadematus conspiciatur in præclaris aliquot Tarsensium nummis: idque, ut ibidem diximus, vel Magni Alexandri, cuius etiam nomine appellari voluerit, vel Parthorum Regum a se deuictorum, ac unde PARTHICUS est dictus, ac quemadmodum in nummis etiam eius inscribi- Orbis Roman. p. 210, 211. tur, exemplo. Hinc MAGNUS appellatur idem Antoninus, & quod alibi haud ita pridem vidimus, cum in libris illius ætatis Iurisconsultorum, tum in nummo etiam inscripto DIVO ANTONINO MAGNO. Ut vel inde liqueat, quàm parum sollicitus esse debuerit vir doctus ac nimium ingeniosus hoc loco, ut tam longe ab obuia & natiua vocis ΒΑΣΙ. seu Βασιλέως explicatione recederet, ac nescio quam miram adeo interpretationem pro arbitrio sit commentus; nempe ut, quod iam ante obiter vidimus, quæ leguntur in hoc nummo continua oratione ANTONINON ΒΑΣΙ. notent Ἀντωνῖνον βιόδωρος ἀγαπᾷ Σιτὼ cum addito gentili loci nomine ΚΑΦΥΑΤΩΝ, *Antoninum diligit alma* seu *frugifera Ceres Caphyatarum.* Quis serio hæc a viro erudito, & non ut merum ingenii lusum prolata, possit credere? & id non esse potius coniectoris vel harioli (ut id cum venia viri ingenio & eruditione præstantis nunc dicam) quam fidi interpretis partibus fungi. Quis utique non videt, quam sit a more id genus in nummis, & quidem Græcis potissimum, ac iis temporibus, inscriptionum, maxime autem in titulis ac honoribus Imperatorum designandis, abhorrens, singularum nempe unius vocabuli literarum in totidem diuersas voces diuisio. Adde, quàm parum insuper congrua vel usitata, vel aliquo modo speciosa sit ea, quæ inde efficitur, verborum illorum congeries ac significatio, ut eadem pro omni consueti honoris titulo huius Imperatoris Antonini nomini continuo adderetur. Frustra proinde est omnino, qui aliud ex illis nummi verbis ANTONINON ΒΑΣΙ. extundere cogitat, quam *Antoninum Regem*, seu, Lib. III. p. 109. Romanorum more, *Imperatorem* iis designari. Cererem quidem Σιτοῦς nomine non in Arcadia, sed in Sicilia cultam, præter Athenæum a viro V. H. l. I. c. 27. docto adductum, docet insuper Ælianus: sed quæ Σιτὼ, seu *Frugifera* Dea cum alibi, tum in Romanis etiam nummis dicta, spicas tûm manu gestare solet, vel cum spicea corona cerni: in hoc vero Caphyatarum nummo velata exhibetur & tædifera, quod lugentis & quærentis amissam filiam Cereris est solitum in iis symbolum, & quomodo lugentis habitu in

quc-

quodam Elaii montis Arcadiæ antro latuiſſe hanc Deam, indeque a Parcis eductam tradit Pauſanias. Idem vero, ut obiter hoc de *Caphyatis* in eadem Arcadia, a quibus ſignatus eſt hic nummus, moneam, ingentem platanum tradit fuiſſe prope fontem ſupra eorum oppidum a Menelao ſatam, dictamque inde *Menelaida:* cuius vero platani pridem ante facta fuerat mentio a Theophraſto, ac inde a Plinio, qui eam non a Menelao, ſed ab Agamemnone ſatam tradunt.

Lib. VIII. p. 529.
Ibid. p. 490.
H. Pl. l. IV. c. 14. p. 95.
Lib. XVI. c. 44.

Imperatorum vero, Βασιλέων a Græcis dictorum, exemplo Roma quoque eorum ſedes Βασιλίδος, vel Βασιλευούσης πόλεως nomine, non ab Euſebio primum aliisque illius & proximæ ætatis ſcriptoribus paſſim dicta; ſed pridem ante ab Herodiano, ac in præclaris Marmoribus Romæ, quum ibi agerem, ſeu paullo ante, effoſſis, EN TH BAΣIAIΔI ΡΩΜΗ, ſicut poſtea eius exemplo altera Roma, diuiſo tum imperio, iisdem nominibus eſt ornata, quæ obuia utique apud Byzantinæ Hiſtoriæ Conditores; ac in Latinis etiam Chronicis, Victoris Turonenſis, aut Marcellini Comitis, *Urbs Regia* & *Urbs Auguſta* frequenter occurrit, quibus vulgo Conſtantinopolis deſignatur. Alioquin capita Prouinciarum ſeu *Metropoles*, ut hoc addam, dictæ etiam Αυτοκρατορίδες; ſicut Sepphorim Γαλιλαίᾳ παντὸς Αυτοκρατορίδα, *totius Galileæ principem* vocat alicubi Ioſephus. Cuius vero urbis nomen, ut obiter hoc addam, corrupte aliquoties apud eum legitur Σέμφωγις, nempe pro Σέπφωγις, ut recte præferunt alia Auctoris illius loca, & firmant illius urbis nummi adhuc paſſim obuii, cum inſcriptione ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ.

Antiq. l. XVIII. c. 3.

Neque vero illud præterire hic licet, utrumque, cum Græcorum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ & ΒΑΣΙΛΕΩΣ tum Latinum IMPERATORIS, vocabulum, non *Auguſtis* ſolum ſeu primi faſtigii principibus, ſed ſecundi etiam ſeu *Cæſaribus* ſubinde cum in nummis tum ab Auctoribus tribui. Cuius autem rei primum in Hiſtoria Auguſta exemplum ſuppeditat TITUS. Neque enim is ſolum captis Hieroſolymis IMPERATOR magnis militum acclamationibus ſalutatus apud [a] Suetonium ac [b] Ioſephum dicitur; ſed qui inde Romam reuerſus, *haud deſtitit*, auctore eodem [c] Tranquillo, *participem atque etiam tutorem imperii agere.* Unde is etiam *Imperatorii* nominis, etſi adhuc *Cæſar*, cum patre Veſpaſiano conſors in eius nummis paſſim legitur: IMPERATOR T. CÆSAR AUGUST. F. vel T. CÆSAR. IMP. VESP. PONT. TR. POT. ne eum antiquiore illa & militari vocis *Imperatoris* ſignificatione appellatum quis demum ſtatuat. Idem vero de TRAIANO, viuo adhuc Nerua, euincit quoque nummus eius aureus inſcriptus cum aduerſis Neruæ ac Traiani capitibus, TRAIANUS IMP. CÆSAR; ac unde Plinius haud parum illuſtratur, ubi præter alia de Traiano a Nerua in filium & imperii conſortem adſcito ait: *Simul filius, ſimul* CÆSAR, *mox* IMPERATOR *& cenſor Tribunitiæ Poteſtatis, & omnia pariter, & ſtatim factus es, quæ proxime parens verus in alterum filium* (Veſpaſianus nempe in Titum) *contulit.* Idem quoque de COMMODO dicendum venit, de quo tradit Capitolinus, quòd parens Marcus in eum contulerit *cito nomen* CÆSARIS, *& mox Sacerdotium, ſtatimque* NOMEN IMPERATORIS. Eius rei fidem etiamnum faciunt plures huius Commodi Cæſaris, & Marco ſuperſtite, nummi, non cum IMPERATORIS ſolum, ſed cum AUGUSTI quoque, de

5. *De nomine* IMPERATORIS & ΒΑΣΙΛΕΩΣ Cæſaribus *etiam dato.*

a In Tito c. 1.
b Bell. Jud. l. VII. c. 32.
c Ut ſupra c. VI.

Paneg. cap. CXLVII.

In M. Anton. c. XVI.

quo supra iam egimus, titulo, ac unde ambo Βασιλεῖς ab Aristide haud semel, quod paullo ante vidimus, sunt nuncupati. Quod utrumque in Seueri Filiis, ANTONINO, vulgo CARACALLA, & GETA, obtinuisse, ex eorum quoque nummis constat. Illustre quoque eam in rem exemplum præbet Eusebius, a quo de Constantio Chloro dicitur, quod supra vidimus: Τὸν μὲν καταρχῆς τῷ τῶν Αὐτοκρατόρων Καισάρων διαδήματι λαμπρυνόμενος, *initio quidem* IMPERATORUM CÆSARUM *diademate ornatus.* De Maxentio autem, quod a Lactantio dicitur, eum *Romæ factum Imperatorem*, id omnino ea significatione qua *Augustus*, non, ut existimabat doctissimus Toinardus, qua *Cæsar*, intelligendum esse, vere monuit, & ex Eutropio ac aliunde constat, eruditissimus Bauldri. Verum Julianum, quem in *Cæsarem* modo adsciuerat *Imperatoris muricis fulgore flagrantem* Constantius, ab uniuersa plebe paullo post Viennam ingressum, *Imperatorem clementem & faustum* appellatum docet Ammianus. Ita eadem Cæsaris dignitas in Gallum Juliani fratrem a Constantio collata, Βασιλέως nomine a Gregorio Theologo designatur: Ἐπεὶ δὲ τὸν μὲν ἀδελφὸν ἡ φιλανθρωπία τοῦ Καίσαρος ἀποδείκνυσι ΒΑΣΙΛΕΑ; *postquam vero beneuolentiâ principis* CÆSAR *esset nuncupatus.* Nec aliter Procopius de Justiniano Cæsare renuntiato, ἀνεῖπεν αὐτὸν ΒΑΣΙΛΕΑ, *renuntiarunt ipsum Imperatorem.* Unde frequenter apud eosdem Byzantinos Scriptores *Cæsares* dicuntur Augustis συμβασιλεύειν, quod *conregnare* vocat Sulpicius Seuerus.

Vit. Constant. l. 1. c. 8.

De Mort. Pers. c. xxvi.

Lib. xv. c. 8.

Ibidem.

Orat. 1. in Julian.

Hist. Anecdot.

Lib. 11. c. 49.

Cæterum, ut AUGUSTI, ita IMPERATORIS quoque nomen cum priscis Galliæ Regibus a Byzantinis Scriptoribus interdum communicatum, ut cum Clodouæo ab Anastasio, quod ex veteribus Chartis, aliisque coæuis monumentis obseruarunt viri docti, ac inter alios clarissimi nominis Jurisconsultus Jac. Gottofredus.

Diatrib. de Jure Præced. 6.

De significatione vocis IMPER. *in aliquot* J. Cæsaris *nummis.*

Illud vero insuper circa hunc IMPERATORIS titulum e Nummis obseruandum venit, exstare aliquot signatos in honorem Julii Cæsaris, eiusque iam mortui, nummos, in quibus unus ille honoris titulus, neque tamen Prænominis vice, ei tribuitur; haud vero ob partam aliquam victoriam, sed ea significatione, qua summa imperii ei delata apud Suetonium ac Dionem, ut antea vidimus, dicitur, & qua eum in iis nummis, qui vulgo inter Consulares comparent, non ornari licet omnino statuere; nempe CÆSAR IMP. vel IMPER. & subinde cum sidere Julio. Quum enim in aliis, ante eius obitum cusis, dicatur, more Reipublicæ antiquo, IMP. QUINT. in aliis IMP. SEX. ac præterea DICT. QUARTO, aut DICTATOR PERPETUO, unus ille IMP. titulus in duobus tantum nummis, & aliquot etiam post eius mortem signatis, haud de alio quam de summo illo *Imperatoris* titulo ei tum primum a senatu, nec diu ante eius cædem, concesso potest intelligi, quod, sicut in pluribus aliis Imperatorum Romanorum nummis occurrit, illud summæ potestatis nomen in iis, non Prænominis, sed Cognominis potius locum occupet. Quæ est etiam celebris Antiquarii de uno ex iis Julii huius nummis sententia. Ut mittam, quod ab Occone ac dein apud illustrem Biragium descripti occurrant id genus nummi, sed minus forte accurati, in quibus prænominis vicem ille *Imperatoris* titulus obtinet, nempe IMP. CÆSAR; qualem etiam inter Juliæ Gentis nummos adduxit & explicat Patinus, sed qui verius ad Augustum ex inscriptione in altera nummi parte C. CÆSAR re-

Vaillant in Famil. Æmilia. Num. Imp. p. 7.

Famil. Rom. p. 131, 132.

referri debet. Haud pauci vero exſtant huius C. Cæſaris ſeu Auguſti nummi, qui hunc eidem delatum, uti Julio iam ante, ſupremi honoris titulum largiuntur. Vid. Birag. Num. Imp. p. 24, 25. &c.

A Tiberio recuſatum illud *Prænomen Imperatoris* tradit [a] Suetonius; quod tamen ei in aliquot Coloniarum ac Municipiorum nummis, immo in uno etiam primæ magnitudinis nummo [b] Mediceo tribuitur; nempe hinc IMP. CÆS. TIBERIO AUGUSTO D. D. COL. illinc PACE AUG. PERP. cum Jano clauſo. De Caio & Claudio, a quorum nummis ferme idem titulus exulat, paullo ante vidimus. Neronis vero nummi ſubinde illud IMP. prænomen exhibent, quod etiam in Veſpaſiani ac filiorum Titi ac Domitiani, & ſequentium ferme Cæſarum nummis conſpicitur. Idem tamen in aliquot Auguſtorum nummis omiſſum frequenter videas, ut Hadriani, Antonini Pii, M. Antonini, Commodi inprimis ac Seueri, duorum etiam eius Filiorum Antonini & Getæ, donec a Conſtantinopolitanis Imperatoribus idem omnino dein præteritum cernitur, exceptis forte aliquot Iuliani nummis, in quibus ſolitum illud IMP. Prænomen adhuc hodie legitur. A Juſtiniano vero primo inter eos, qui Byzantii ſeu Conſtantinopoli ſedem imperii conſtituerant, Cæſare, non *Imperatoris* quidem, quod tot alii ante eum principes a Iulii vel Auguſti temporibus tulerant, ſed *Romanorum Imperatoris* nomen adſumptum tradit Agathias: Καὶ ΠΡΩΤΟΣ, ὡς εἰπεῖν, ἐν τοῖς κατὰ τὸ Βυζάντιον βεβασιλευκόσι ΡΩΜΑΙΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ὀνόματι τε καὶ πράγματι ἀποδέδεικτο, PRIMUS *etiam, ut hoc dicam, inter eos, qui Byzantii imperarunt,* ROMANORUM IMPERATOR *re & nomine eſt renuntiatus.* Quod, quum iam a me, dum de hisce olim commentarer, monitum fuiſſe haud ignoret vir doctus; haud minus eſt nuper ab eo, uti paullo ante vidimus, adſertum, „ quòd neque vim vocis *Imperatoris*, aut Romanorum libertatem ſatis „ norint; qui hæc duo nomina primi conſociarunt, *Imperator Romano-* „ *rum:* quæ locutio in nummis probisue ſigillis omnino non occurrit an- „ te ſæculum Chriſti decimum iam ſeneſcens. Faceſſant proinde non Agathias ſolum, qui ſexto ſæculo hanc *Romanorum Imperatoris* appellationem uſurpatam docet; ſed antiquiores longe & probati Auctores, qui hanc *Romanorum*, qua ſcilicet ſub *Imperatoribus* fruerentur, *libertatem* haud obſtitiſſe arguunt, quin Hadriani ac priorum Antoninorum temporibus, ſecundo proinde a Chriſto ſæculo, ab Appiano, ut ante vidimus, dicantur Ῥωμαίων βασιλεῖς, *Romanorum Imperatores.* Unde etiam ad Commodum ab eius adfini Pompeiano dictum refert Herodianus: Ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν βασιλεὺς ἦ, *Roma autem illic eſt, ubi Imperator eſt.* Immo prout de Gordiano Cæſare in Imperatorem adſcito ſub finem operis ab eo dicitur: Αὐτοκράτωρ τε ἀνεδείχθη καὶ ΤΗΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΑΡΧΗΝ ἀνεδέξατο, *Imperator declaratus* ROMANORUM *ſuſcepit* IMPERIUM. Adde inſcriptas Aureliani Imperatoris ad Reginam Zenobiam literas apud Vopiſcum: *Aurelianus Imperator Romani Orbis.*

Alterum vero de eodem IMPERATORIS nomine hic monendum eſt, illud haud *Prænominis* perpetuo, ſed etiam, iuxta alios Imperatorios titulos, *Cognominis* vice a prioribus Auguſtis eſſe uſurpatum; ut id ex variis Tiberii, Neronis, Galbæ, & Vitellii potiſſimum nummis conſtat, NERO CÆSAR AUG. IMP. & SER. GALBA IMP. aut VITELLIUS GERMANICUS IMP.

7. De IMPER. *nomine in aliorum nummis.*

[a] In Tiber. c. xxvi.

[b] Birag. Num. Imp. p. 70.

Lib. vi. p. 157.

Select. Oper. p. 471.

Bell. Ciu. lib. i. p. 454.

Lib. i. c. 13.

Lib. viii. in fine.

In Aurelian. c. xxvi.

8. *De Imperatoribus, sive Augustis*

Imp. nomen ex veteri more præterea adsciscentibus.

Posterioris vero huius appellationis usum, petitum e veteri Reipublicæ more, supra, ubi de Familiarum Romanarum nummis agebatur, vidimus: iuxta quem nempe summus Dux exercitûs, ob partam de hostibus victoriam, IMPERATOR militari acclamatione salutabatur, quodque toties dein iterabatur, quoties alicuius rei bene gestæ occasio id tulerat. Unde in illa Consularium, quales ii vulgo vocantur, nummorum serie, semel, iterum, ter, quater *Imperatores* id genus leguntur appellati, & cum addito subinde in victoriæ signum Tropæo. Quomodo, ut de aliis nunc id genus libera adhuc urbe *Imperatoribus* fileam, ipse Julius IMP. QUART. IMP. QUINTUM & IMP. SEX. dicitur. Quod autem IMPERATORIS ea significatione nomen est, J. Cæsaris exemplo, ab iis quoque, qui dein summam imperii sub eodem, sed quod aliam & augustiorem significationem haberet, nomine obtinuerunt, itidem, ac frequenter etiam, iteratum; quodque vix aliunde quam ex Nummis & Lapidibus antiquis hodie discimus. De Augusto id monuit olim iam Dio, qui insuper, præter Tacitum, & quod adstruunt etiamnum cius nummi, vicies & semel more veteri *Imperatoris* titulum e rebus gestis seu victoriis reportasse dicitur; & qua de re iam supra, ubi de triplici apud Romanos *Imperatoris* nominis significatione agebamus. Qua etiam ratione sub Imperatoribus, proprio nomine ita dictis, altera illa *Imperatoris*, ac iterata subinde, appellatio in nummis sequentium dein Augustorum legitur, ut ipsius Tiberii IMP. VI. & IMP. VIII. Parabant enim Augustis, ut ea de re paullo ante, has crebras appellationes eorum Duces & Legati; ita ut alios honores victoribus ii relinquerent, titulum vero *Imperatoris*, ob res nempe feliciter suis auspiciis gestas, iidem reportarent. Hinc auctor est Dio, M. Crassum, deuictis Dacis, alia quidem præmia consequutum, non autem eum inde *Imperatorem* salutatum, sed Augustum, etsi id aliter nonnulli tradiderint. Idem alibi M. Vinicium, ultione de Germanis sumpta, qui Romanos, ipsorum regionem commercii gratia ingressos, obtruncauerant, Augusto inde *Imperatoris* nomen parauisse obseruat. Quod vero postremum Blæso illa *Imperatoris* de victore exercitûs Duce appellatio a Tiberio concessa, ut supra vidimus, a Tacito dicitur, id a magno Casaubono e quodam Appiani loco in dubium vocatur; ubi nempe *sua ætate* dicit hunc titulum *militari acclamatione deferri* demum, ubi *cæsi forent decem hostium millia*, νῦν δὲ ἔγον εἶναι τῇ εὐφημίᾳ πυνθάνομαι τὸ μυρίας πεσεῖν. Quæ tamen verba non magis priuatum quempiam, quam principem ipsum, e prostratis tot hostium millibus hoc nomen militari acclamatione consequutum indicant, eà nempe ætate Hadriani, & Antonini Pii, qua vixit, ut notum, Appianus.

Supra p. 182.

Lib. LI. p. 462.

Lib. LIII. p. 554.

Supra p. 182.

Bell Ciu. l. II. p. 455.

Id vero adhuc notandum est hoc loco, quod de peculiari more huius appellationis idem Dio de Claudio tradidit; eum nempe, ob res in Britannia gestas, aliquoties salutatum *Imperatorem*, & quidem contra patrium morem, iuxta quem non sæpius, sed semel tantum poterat id nomen de uno bello reportari: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια· οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλέον, ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν, *ob hæc aliquoties* IMPERATOR *appellatus est, præter Romanorum morem: neque enim sæpius quam semel licet de uno bello id nomen adsumere.* Unde intelligimus quo titulo & iure IMP. XXVII. inscribatur

Lib. LX. p. 679.

tur in eius nummis Claudius; eamque proinde moris illius imitationem ab Auguſto ad alios quosque Imperatores dein transiiſſe; ita tamen, ut nullus ex iis hactenus occurrat in Cæſarianis nummis, ne Auguſto quidem excepto, quo nemo diutius imperauit, qui illum numerum iterati in Claudio ea ſignificatione *Imperatorii* tituli ædæquarit. Idem autem titulus, a Seueri ac filiorum Antonini & Getæ temporibus eâ ſignificatione in deſuetudinem abiit; certè in ſequentibus dein Imperatorum, ſi Conſtantinum Max. mittas, nummis vix amplius comparet, ne eorum quidem, qui plurimas & memorabiles de deuictis hoſtibus victorias reportarunt, Claudii Gothici, Aureliani, Probi, aliorumque. Quod in priſcis Inſcriptionibus ſimiliter obſeruatum, ſi unam forte Juſtiniani excipias, in qua IMP. III. titulus illi tribuitur. Theſ. Grut. CCLXXVI, 4.

9. Harduini *ſententia de Auguſtis ad certum tempus a Senatu conſtitutis excuſſa.*

Unum vero adhuc ſupereſt de illis ſupremæ apud Romanos poteſtatis, AUGUSTI nempe ac IMPERATORIS, nominibus hic monendum: quòd, iuxta nouam itidem ac valde ſingularem viri, de quo iam ante, eruditi adſertionem, primum ſcilicet e duobus illis, AUGUSTI nempe titulus, non ſolum ad meram in Prouinciis Romani orbis Præfecturam, alterum vero, ad ſummum in Exercitu imperium declarandum, reſtrictum fuerit; " ſed inſuper poſt Cæſarem Auguſtum pœnituiſſe Senatum Per-
„ petui Imperatoris a ſe creati. Hinc, ne hæreditarium foret Imperium
„ in Exercitibus, vel Auguſti poteſtas in Prouinciis, lege cautum, ut Hard. Select. Oper. p. 682, 683.
„ neutra illa dignitas ad nepotes transiret; ſed principatus ad eos trans-
„ ferretur, qui eſſent in transuerſo cognationis gradu, reddendus ei fa-
„ miliæ poſt annos forte viginti. Unde unicuique Principi poſt Nero-
„ nem definitum fuerit a Senatu tempus gerendæ Poteſtatis, idque ad
„ annum unum, & alterum, aut tres, quinque, ſeptem, decem; vix
„ certe ultra annos nouendecim, aut viginti ne Imperium prorogaretur, Ibid. p. 482, 807.
„ diligenter cautum. Elapſis nempe iis annis, utrumque illum vel Imperatoris in Exercitu, vel Auguſti in Prouinciis titulum ac poteſtatem ad alios, iis ſuperſtitibus ac in priuatorum ſortem redactis, ut de M. Antonino inter alios, qui priuatus deceſſiſſe ab eo dicitur, transiiſſe inquit. „ Sic, Ibid. p. 787.
„ Nerone in Oriente tum agente, Imperium a Senatu commendatum Ibid. p. 637.
„ duobus, ſeu, ut alibi idem tradit, tribus Auguſtis, veluti Triumuiris Ibid. p. 725.
„ quæſitis in familiâ ſeu gente Cæſarum: Galbæ nempe ait commen-
„ datas Gallias, ac Hiſpaniam; Vitellio limitem fortaſſis Germaniarum
„ ad Rhenum, ac Illyricum; Othoni autem Ægyptum (alibi vero, ut Ibid. p. 637.
„ ait, Orientem, & quem, Nerone ſub finem ſuperioris anni occiſo, to- Ibid. p. 730. Ibid. p. 725.
„ tum dein tenuerit) præter eos autem, Clodio Macrino, ut eum vocat,
non, ut male iuxta eum Tacitus, Macer, Africam; Cæcilio vero Cor- Hiſt. l. 1. c. 7.
nuto Paphlagoniam; ſed utrique absque *Auguſti* titulo, quod non eſſent
ex gente Cæſarum. Poſt biennium vero, inquit, ultro ab Othone dela- Select. Oper. p. 730.
tum fuiſſe Veſpaſiano, eique materno genere Auguſti pronepoti, imperium, quod ab eodem Veſpaſiano annis octo poſt abdicatum ſuſceperit
Titus; & a quo, poſt biennium abdicatum itidem, illum, ut loquitur Ibid. p. 635.
vir doctus, Magiſtratum frater Domitianus ſit nactus. Senatum vero per- Ibid. p. 744.
tæſum Domitiani acerbitatis, eum Magiſtratu, quo functus erat per annos
quindecim, deieciſſe, eique Neruam Cæſarem ſubſtituiſſe. Summam ete- Ibid. p. 807.
nim ſemper fuiſſe, quod alibi obſeruat, Senatûs in ipſos Auguſtos aucto-

ritatem; ac unde similia quoque de sequentibus Imperatoribus vel Augustis abdicatis, aliisue in eorum locum substitutis, dein tangit, & quæ apud eum reperiet Lector. Duo inde exempla tantum hic subdam; nempe unum post Commodi cædem, non iam Triumuiris, sed Quinqueuiris commendatum a Senatu Imperium: quippe Pescennio Nigro Augusto Syriam, Palæstinam; Pertinaci Augusto Ephesum in Asia, Tomos (quæ Imperii Romani diuisio hæc legenti satis mira procul dubio videbitur) in Ponto Scythico, & Alexandriam, seu tractuum illorum oram maritimam; Seuero Augusto reliquam Orientis partem, datamque in annos XIX. Tribunitiam Potestatem; additumque ei Cæsarem, Clodium Septimum Albinum: Seuero autem Juliano Galliam ad annum unum, forte & Illyricum, cum titulo demum Cos. & P. M. seu *Pontificis Maximi*. Quinqueuiris itidem, quod Gordiani Pii, post annum fere unum, par ætas erat futura dignitati Augustæ sustinendæ, a Senatu commissum similiter ab Harduino dicitur Imperium; Balbino nempe & Pupieno Asia Minor ac Cilicia in primis cum Tribunicia Potestate & titulo PONT. MAX. Gordiano Africano utrique, patri ac filio, reliquus Oriens & Gallia datur administranda ad annum unum: Maximino, viro de Republica bene merito, & iam Augusto, commissus adhuc ad annos duos limes forte Galliarum a parte Germaniæ: Gordianus denique Pius, ut Cæsar, imperio destinatur, & accipit Tribuniciam Potestatem in omnibus prouinciis ad annos septem.

Select. Oper. p. 794.

Ibidem p. 825.

10. *Continuatio eiusdem argumenti.*

E quibus autem duo plane noua, quod iam innui, ac oppido singularia, illis maxime Historiæ Augustæ, & quibus splendor eius omnis ac dignitas continentur, temporibus continuo emergunt; unum, ad certos demum annos, & quidem unius etiam anni interdum, vel biennii, omnibus, certe post Augusti aut Neronis excessum, Imperatoribus vel Augustis delatum fuisse a Senatu imperium; alterum, quòd plures simul Imperatores, ac uno eodemque tempore, non duo solum aut tres, sed & quinque a Senatu subinde fuerint creati, inter quos diuisæ fuerint orbis Romani prouinciæ, quas ii ad certos annos regerent; quibus elapsis earum dein administratio aliis ab eodem Senatu committeretur. Quæ autem singula agnoscit vir doctus haud a se adduci, quod [a] libri id prodant, sed quod de his ex nummis antiquis constat: [b] Annales quippe Augustorum innumeris scatere erroribus, ac Romanæ historiæ artifices (quo nomine haud semel eos [c] vocat) meros esse fabulatores: unde se, quidquid ii commenti sunt, spernere: [d] gratias vero Deo immortales habendas, quod singulari prouidentia nummos veteres ætati nostræ plurimos reseruarit, testes temporum retro actorum; idoneos utique ad errores plurimos euellendos, & mendacia coarguenda. Unde hanc etiam adhibet alibi cautionem, ne quis sibi Romanam Historiam opponat, qualis exstat in libris, qui circumferuntur, Scriptorum nempe rerum Græcarum vel Romanarum; quippe duo tantum, quorum alterutrum duntaxat verum esse potest, quæri oportere: alterum, an nulla fides habenda sit omnibus nummis antiquis; alterum, si quæ sit habenda, an illi peruerse ac præpostere ab eo explicentur. De qua autem viri docti cautione non ea iam hic repetam, quæ supra, circa initia superioris Dissertationis, de singulari huius viri eruditi instituto, ad restituendam, ut eam

a Ibid. p. 471.

b Ibid. p. 341.

c Ibid. p. 347, 471, 739, 777, 821. &c.

d Ibid. p. 502.

Ibid. p. 685.

eam vocat, e nummis antiquis Hiſtoriam Auguſtam, adtigimus. Id demum, & paucis quidem, ne in immenſum excreſcat nobis hæc commentatio, delibaſſe, ut opinor, ſufficiet, quòd, quum eidem viro docto propoſitum hic foret, nouam adeo & alienam ab omni veterum Scriptorum Græcorum & Latinorum, & quidem tam eccleſiaſticorum, quos vocant, quam profanorum, adde & antiquarum inſcriptionum fide, *Hiſtoriam* nobis *Auguſtam* condere, eamque uno veterum nummorum teſtimonio ac auctoritate, prout ille ibi venditat, fultam teſtatamque proferre, duo omnino eidem incubuerint peragenda. Unum, ut de falſitate vel νοθείᾳ eorundem veterum Auctorum vel monumentorum (quæ de communicato ſemel pluribus, ſi Marcum forte ac Verum, Pupienum dein & Balbinum mittas, ac diuiſo inter eos imperio, in omnia alia abeunt, neque ulla arte vel induſtria, ut ille agnoſcit, poſſent cum nummis antiquis conciliari) aut eosdem vel librorum vel inſcriptionum Auctores pro meris habendos *fabulatoribus*, ante omnia conſtaret. Alterum, ut e nummis illis noua adeo ac omnino ſingularis, eaque ignota hactenus Romani Imperii per tot ſæcula forma ac adminiſtratio, ac a priſcis Hellados vel Latii Scriptoribus adeo diſcrepans, in manifeſta quadam luce collocaretur: haud vero eadem e meris ac alienis viri docti, ut ipſemet ſubinde eas vocat, coniecturis ac ſuſpicionibus demum emergeret. Ac ad primum quod adtinet, id eo magis viri eruditi intererat, non dicam poſt grande illud arcanum ab illo ante annos ſeptemdecim diuulgatum, ac in recenti eorundem aliorumque ſcriptorum editione denuo proditum, ab eo vero opportune dein repudiatum; ſed, quod omnino id ab eo exigeret rei illius, de qua tum agebat, ſingularis adeo nouitas, & ſuſpecta ei non ſolum, ſed ab eo etiam exploſa tot veterum Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, tot ſæculorum Annalium, & eorum, qui a renatis literis in explananda eadem Romana Hiſtoria, illaque e nummis etiam illuſtranda, deſudarunt hactenus, fides ac induſtria. Nullam etenim debuerat illi conſtare tantam dari poſſe cuiuspiam, etſi is perpetui etiam Reipublicæ literariæ Dictatoris poteſtate fungeretur, auctoritatem vel fiduciam; ut uno eius nutu vel arbitrio omnis, eaque ſarta tectaque hactenus, & longo tot ſæculorum decurſu confirmata labaſceret continuo & concideret eorundem Scriptorum exiſtimatio. Immo id verecunde a quopiam exigi, aut ei concedi nullatenus poſſe, ut, donec ea res fuerit idoneis documentis & probationibus adſerta, idque præſtandi otium vel tempus non ſtatim acceſſerit, ſuſpenſum interea habeatur & comperendinatum de tota illa re, ac tam denſa teſtium huius & anteriorum ætatum nube comprobatum, iudicium, ſed maneat interim illæſa, quæcunque aliunde iis debetur, auctoritas. Quibus id inſuper accedit, quod modo falſos annales vocet, & quorum νοθεία, quum Plinium ederet, nondum ei ſuboluerat, "modo antiquos quidem „ illos, Tacitum puta, Suetonium, Dionem, aliosque quosdam Romanæ „ Hiſtoriæ artifices videatur agnoſcere, ſed fabulatores, & ex quorum etiam, „ uti Suetonii, fabulis, confingendi huius vel illius nummi arrepta ſit „ occaſio. Fabulas enim, quod monet itidem, de rebus geſtis hoc toto, „ Neronis nempe ſucceſſorum, tempore conſcriptas etiam carmine, ne „ proſa non ſatis eſſet. Alterum vero illud, & quod adtendi maxime & expendi a viro docto merebatur, eſt ea, quam dixi, emergens e nummis

Pag 685.

Ibid. p. 705.

Pag. 703, 730.

mis Cæsarianis clara scilicet ac certa probatio, de creatis a Senatu ad certum demum annorum tempus Imperatoribus & Augustis; iis dein deiectis, aut abdicare coactis; aliisque continuo in eorum locum substitutis, & quidem simul interdum pluribus; sicut post Neronem tribus, ut ea de re iam ante, Augustis seu Triumuiris; post Commodum vero Quinqueuiris, ac post Maximinum similiter: quibus nempe singulis totidem diuersæ Romani Imperii partes ad certos annos a Senatu commendarentur. Quam in rem adferenda erant omninò a viro erudito Edicti vel Legum illarum formulæ, aut saltem ubi eædem prostarent, indicandum; quibus ne ultra vicenos annos prorogaretur Augustis vel Imperatoribus potestas, ac ut neutra ad eorum Nepotes transiret, diligenter cauebatur. Qua in re autem non sibi constat vir doctus, dum hinc auctor est, ut vidimus:

Ibid. p. 754. „ nulli Augusto per Senatum licuisse, post Augusti excessum, potestatem in prouinciis Occidentis obtinere, ultra annos XIX. aut XX. alibi vero tradit, unicuique Principi post Neronem definitum fuisse tempus gerendæ potestatis; ac etiam post Cæsarem Augustum pœnituisse Senatum Perpetui Imperatoris a se creati. Mitto, quòd alibi adhuc ab eo dicitur, morem obseruari cœptum sub Antonino Pio, aut sub Traiano forte, ut a Senatu singulis quinquenniis vel decenniis imperium deferretur. Expletis annis quinque alia Vota decennalia, vel decennalibus completis Vicennalia suscepta. Verum alio rursus loco, & quod mirari utique nec immerito liceat, monet idem vir doctus: "A temporibus Diocletiani edixisse Senatum, ne cui admodum ultra annos XX. in prouinciis cum *Augusti* titulo prorogaretur imperium. Quæ certe discrepans adeo, & quidem trium ferme sæculorum, de ætate illius Edicti, quo ad summum a Senatu restricta fuerit ad vicenos annos *Augusti* vel *Imperatoris* potestas, sententia, quo loco haberi debeat, quamque vim, ad superiores ante Diocletianum principes obtineat, quiuis me silente intelligit. Idem utique collatæ ad certos demum annos *Augustis* vel *Imperatoribus* a Senatu potestatis primum alibi adfert Triumuirorum, ut cos vocat, seu trium Augustorum, Galbæ, Othonis, ac Vitellii exemplum; quibus scilicet post Neronem, cumque ex insidiis, ut tradit, in Oriente interfectum, commendatum fuerit, & quidem ad biennium, ab eodem Senatu imperium. Hunc vero Neronis exitum fuisse, inde ibi colligit, quod eundem ac Cæsaris olim Dictatoris exstitisse eius exitum, auctor sit Plinius; a quo tamen, loco indicato, nihil aliud tradi videas, nisi quod perfodere Isthmi Corinthiaci angustias tentasse dicantur *Demetrius Rex*, *Dictator Cæsar*, *Caius princeps*, *Domitius Nero*, *infausto (ut ommium patuit exitu) incepto:* quæ de illata simili Dictatori Cæsari, Caligulæ, Neroni per vim nece ibi interpretari eidem libuit: quæ tamen ad irritum illum eorundem principum Isthmum perfodiendi conatum, & qua de re agunt alii Scriptores, respiciunt: certe unde ex insidiis Neronem in Oriente interfectum, ne somniando quidem elicias. Ad biennium vero tantum, post Neronis obitum, commendatum fuisse tribus illis Triumuiris seu Augustis, iisque, quod additur, in familia seu gente Cæsarum quæsitis, imperium, & quidem Africa excepta & Paphlagonia, quarum commissa sit duobus aliis Clodio Macrino & Cæcilio Cornuto, sed sine *Augusti* titulo, quod non essent ex gente Cæsarum, administratio; quam

Ibid. p. 682.

Ibid. p. 754.

Ibid. p. 482.

Ibid. p. 724.

Ibid. p. 725.

Lib. IV. c. 4.

hæc

hæc parum non dicam veri, ſed alicuius veriſimilitudinis ſpeciem ſecum trahant, aut indubia veterum nummorum fide adſerantur, æſtimare cuiuis licet. Neque, ſi tres illi Auguſti, Galba, Otho, Vitellius, ſint intra biennium, & quidem eodem anno, ſed diuerſis menſibus, cæſi; ac imperium, licet ad exiguum tempus, ſinguli ex iis, in priorum locum poſt eorundem mortem, ſuffecti, tenuerint, quod e conſtanti hactenus omnium veterum Hiſtoricorum, ac Annalium, adde Clementis Alexandrini, ac Euſebii fide conſtat; ac inde intra illud biennii ſpatium cuſi ſint eorum nummi; inde illos ſimul ac eodem tempore imperium, iis a Senatu delatum, ac partitum quidem, exceptis inſuper Africa, tertia orbis parte, & Paphlagonia, ſuſcepiſſe cenſendi ſunt. Adde, quòd nec unde hæc Romani imperii, neque ea quidem integra, inter tres illos Auguſtos diuiſio ex eorum nummis liqueat, uno verbo doceat, ac in clara luce ibi collocet vir doctus; quod omnino adſertionis illius nouitas, ac aperta ab omnibus Græcis Latinisque Scriptoribus diſſenſio flagitabat. Idque eo magis, quod intelligere nemo alioquin poſſit, quæ cauſſa potuerit, iuxta virum doctum, Senatum permouere, ut deterrimo principi Neroni ultro Succeſſores daret, non dicam Galbam, *capacem imperii*, ut de eo Tacitus, *ſi non imperaſſet*, certe, præter auitam generis nobilitatem, iuſtitia & belli gloria, iuxta Dionem, omnibus præſtantem, qui Hiſpaniæ præterea & magnis copiis tum præerat; ſed Othonem inſuper ac Vitellium, duos, auctore eodem Tacito, *omnium mortalium, ignauia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non Senatum* modo, quod addit, & *Equites, ſed vulgus quoque palam mœruiſſe:* & quibus conſentanea de utroque illo Imperatore, cum alibi tum apud Plutarchum, legimus. Ad proximam enim quod adtinet illam eorundem principum cum domo Cæſarum cognationem, iuxta quam Otho Octauiæ Auguſti ſororis abnepos, Vitellius vero Germanici ex filia Julia nepos exſtiterit, id totum viri docti ingenio ſeu fictioni deberi vidimus. Neque vero, ſi aliquæ nummorum illius ætatis inſcriptiones ſint forte duobus aut tribus etiam ex Triumuiris illis Auguſtis communes, ideo iidem ſimul imperaſſe cenſendi ſunt; aut ſi forte Hiſpania & Gallia ſignantur in reſiduis Galbæ nummis, quod Hiſpaniæ, quum mortuus eſt Nero, ac in eius locum nuncupatus a Senatu Imperator, præeſſet tum Galba, ideo unum Galliarum ac Hiſpaniæ imperium eſt ei a Patribus commiſſum, & quidem ut inde *Imperator*, quod modo diximus, & *Auguſtus*, quod utrumque e nummis eius liquet, dici meruerit. Adde, quòd Græci aliquot, ac inter eos percuſſi a Cypriis ac Alexandrinis in Ægypto, & ab Antiochenſibus in Syria, præter plures in urbe ſignatos, exſtant etiamnum, iidemque cum a [a] celebri hac ætate Antiquario, tum ab ipſo [b] viro docto deſcripti Galbæ nummi. Quod etiam de Othonis non ſolum, ſed de Vitellii præterea nummis dicendum eſt: cuius tamen poſtremi Imperatoris nullos eſſe vel fuiſſe Græcos nummos [c] alibi contendit vir doctus; idque ex eo demum, nec aliunde fieri potuiſſe, quod Galliarum atque Italiæ limites a Germanorum excurſionibus tuendos haberet Vitellius. Idem vero cuſos aliquot Græcos, cum ab Alexandrinis ac in reliqua Ægypto, tum a Cretenſibus Cydoniatis, huius Vitellii nummos, eosdemque a [d] laudato modo Antiquario iam ante deſcriptos, alio dein loco ſimiliter profert. Ne iam adducam plures Romanos eiusdem Vi-

Strom. l. 1. p. 339.

Hiſt. l. 1. c. 49.

Lib. LXIII. p. 725.

Hiſtor. l. 1. c. 50.

In Othon. p. 1068.

a Vaillant Num. Imp. Græc. p. 19.

b Select. Oper. p. 726, 727.

c Ibid. p. 637.

d Vaillant ut ſupra p. 20.

Hard. ut ſupra p. 726.

tellii nummos, & inscriptos quidem LIBERTAS RESTITUTA, URBS RESTITUTA, ROMA RENASCENS, I. O. MAX. CAPITOLINUS, aliosque id genus, quos in urbe, eosque cum IMP. & AUG. uti etiam PONT. MAX. titulis, cusos esse sat liquet. Immo qui P. M. seu PONT. MAX. *Pontificis Maximi*, quum reperiatur similiter in Galbæ ac Othonis, ac proinde totidem Augustorum, nummis, iisque etiam ab eodem viro docto descriptis, mirari licet non aduertisse eum continuo, vel inde sententiam suam de illis Triumuiris simul ac eodem tempore nuncupatis a Senatu Imperatoribus vel Augustis plane corruere: quum, vel illo agnoscente aliis locis, ubi olim duo simul imperarent Augusti, senior
Pag. 787, 807. ex iis demum, & quod nummi, uti M. Antonini ac L. Veri inter alios, arguunt, PONT. MAX. demum vocaretur: donec id postea quoque, & qua de re mox plenius, est immutatum. Neque vero ob duos illorum nummos inscriptos hinc S. P. Q. R. illinc PAX ET LIBERTAS, in alio SALUS GENERIS HUMANI, in nummis autem Galbæ ac Othonis ΕΙΡΗΝΗ & ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ (nempe non utraque vox in iisdem, sed
Pag. 727. singulæ seorsim in diuersis eorum nummis) inde, ut a viro docto factum, licet adfirmare, quòd omnem potestatem penes Senatum fuisse sub his Triumuiris hi nummi doceant, qui nempe nullius Imperatoris vel Augusti mentionem faciunt, sed solum S. P. Q. R. nempe *Senatus Populique Romani*. Qui vero nummi, ut eos circa horum Triumuirorum tempora cusos largiamur, quod ex eorum fabrica potius, quam ex adducta illorum epigraphe statuendum est, quum ΕΙΡΗΝΗ ac ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, seiunctæ itidem occurrant in sequentium etiam Imperatorum, ut alibi iam vidimus, Titi, Domitiani, ac Neruæ nummis; qui, inquam, nummi medio illo tempore percussi videntur, quo mortui Imperatoris, ut Neronis, vicem susceperat in urbe successor, nec solemnibus tamen Senatus acclamationibus Augustus fuerat nuncupatus. Quod vero *nugas* & *fabulas*
Pag. 725. vocet vir doctus, cædes horum trium Augustorum, quas hic artifices Ro-
Pag. 729. manæ historiæ comminiscuntur; addatque alibi, Vitellium haud sua sorte contentum, per suos Romæ rebellasse, ne Galbæ deferretur imperium; ac incenso a Vitellianis Capitolio factum ipsum postea perduellionis reum, a Senatu esse damnatum, eo magis mira sunt, quod continuo subdat duo
Lib. XXXIV. Sect. 17. Lib. XXXV. Sect. 46. eam in rem Plinii testimonia. Quæ de Vitellii exitu ita dicuntur, nulla utique nummorum fide sunt comprobata; diuersa vero ab iis, quæ ab Auctoribus ac in Annalibus eorum temporum sunt de eodem prodita. Plinii vero suffragio, indicatis ab eo locis, quis ea non continuo crederet adserta: quum tamen priori loco de Capitolio a Vitellianis incenso alia occasione fiat obiter, nullaque nominatim de ipso Vitellio mentio; posteriori autem, de ingenti tantum Vitellii patinâ, quam in principatu suo condidit, & quam dein eiusdem Vitellii memoriæ exprobrarit Mucianus Consul, nihilque præterea de illo; ac de Capitolino incendio, eoque inde perduellionis reo, & a Senatu damnato ne γῆν quidem legatur. Illud vero magis
Hard. Sel. Oper. p. 637. adhuc mirum ac improuisum accidet, quod ab eodem viro docto de altero e Triumuiris illis Othone traditur; ab eo nempe ultro imperium Ve-
Ibid. p. 509. spasiano delatum, quod cæteroquin præclare ab eodem Othone, & quidem, ut alibi ait, in Orientis regimine, fuerit gestum, quod non ipsius modo, sed nummi insuper eius a Tito restituti, testantur. Si vero e

num-

nummorum inſcriptionibus de virtutibus, & præclaris geſtis principum licet continuo iudicium ferre, tum de illo quoque Triumuiro, de quo ante, Vitellio nempe, idem iudicium ferendum eſt, in cuius nummis ab ipſo viro docto prolatis, ut de aliis id genus Auguſtis ſileam, legitur LIBERTAS RESTITUTA, aut SECURITAS P. R. ſeu *Populi Romani*, HONOS ET VIRTUS vel ROMA RENASCENS aliaque id genus fauſta & omni laude digna. An vero aliqua ultro delati ab Othone Veſpaſiano imperii ſignificatio in quopiam eius nummo expreſſa hactenus cernitur? aut unde id licet utique colligere? quum nihil ſit ab omni, quæ eſt hactenus prodita de illo ad menſes demum aliquot imperium obtinente, & quos in urbe ac in Italia, haud vero in Oriente, egerit, memoria magis abſonum. Quaſi nempe ea, quæ duobus, & quod excurrit, ſæculis poſt facta eſt Orbis Romani in Orientis & Occidentis Imperium diuiſio, iam ab exceſſu Neronis eſſet repetenda, atque adeo, iuxta id adſerentem virum doctum, quòd Vitellius nullum omnino ius habuerit in Oriente, ut Otho e diuerſo nullum habuit in Occidente. Quis præterea eidem viro docto ſuffragabitur, adſerenti Veſpaſianum anno Imperii X. illud ſponte abdicaſſe, quod ſuſceperit Titus, ſeruatis tamen IMP. & AUG. titulis; vel Titum, expleto demum imperii biennio ac duobus tribusue menſibus, & quidem excepta Judæa vel Ægypto, quod poſtea capeſſeret Domitianus; nullis adductis eius ſpontaneæ vel coactæ abdicationis, de qua altum apud veteres Auctores ac in priſcis Annalibus ſilentium, documentis, præter nummos iis temporibus, ſub iisdem Imperatoribus, cuſos, & ab aliis antiquariis iam ante deſcriptos. Idem hoc de Nerua adfirmat, " qui tantum ad annos
„ duos delatum a Senatu ſuſcipere voluerit imperium; & quidem, ut
„ illud in generum ac filium ſororis ſuæ Traianum feſtinaret transmitte-
„ re, quum non poſſet in filium Ælium Cæſarem, e Julia nempe Titi
„ filia, ſed demum annorum circiter XVIII. natum. Quum tamen neque hæc vel Auctorum vel nummorum etiam fide adſtruantur, haud opus utique hic ea multis expendere. Unum adferre liceat Auctoris coæui & Conſulis, Plinii, Junioris quidem, ſed haud minus ideo fide digni, teſtimonium; qui illam proximam adeo Traiani cum Nerua neceſſitudinem aperte omnino confutat: *Nulla adoptati* (Traiani) *cum eo qui adoptabat* (Nerua) *cognatio, nulla neceſſitudo, niſi quod uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non, ut prius alius atque alius in uxoris gratiam: adſciuit enim te filium non vitricus ſed princeps, eodemque animo Nerua pater tuus factus eſt, quo erat omnium.* Verum de his hactenus, ut vel inde conſtare poſſit, quale iudicium de iis ferendum ſit, quæ de abdicantibus ſimiliter imperium ſequentibus dein Auguſtis, ipſoque Traiano, in adoptati ſcilicet Hadriani gratiam, eoque a Senatu modo uni modo pluribus ad certos annos delato: ita ut illud ſubinde, ac uno eodemque tempore, Triumuiris non ſolum, ſed Quinqueuiris etiam commendatum ſit, ut id ſupra iam adtigimus, quique diuerſas Romani orbis prouincias, neque tamen omnes (uti de Africa paullo ante vidimus) ſinguli, ſub *Auguſti* ac *Imperatoris* titulo, regerent. Adde, quòd quàm parum, ut alia mittam, ea cum iis βασιλείας, vel βασιλέως, aut μοναρχίας vel μοναρχῆσαι nominibus, de *Imperio* & *Imperatore Romano*, uti paullo ante vidimus, conueniant, facile intelligit quiuis in

Ibid. p. 637.

Ibid. p. 737.

Ibid. p. 745.

Paneg. c. VII.

tractatione veterum Auctorum ac Nummorum haud plane hospes ac inexercitatus.

Quæ proinde singularis adeo viri docti sententia, de concesso *Imperatoribus* & *Augustis*, & quidem pluribus, subinde a Senatu ad certos demum annos Imperio, quàm præclare cum stabili ac fundata imperii forma; & cum eius, quæ vix inter duos eiusdem omnino potestatis consortes sperari poterat, concordia conueniant, haud opus est, ut hic tangam. Adde, quomodo, post finitam intra certum annorum spatium summam illam in Romano orbe Potestatem, iidem illi Imperatores, Augusti, Principes, iique diuerso scilicet titulo ac iure, in Urbe, vel in Prouinciis, vel in Exercitibus Rectores, a Græcis autem ipso *Regum* nomine passim, ut vidimus, nuncupati, imperii fasces naturâ vel adoptione filiis aut extraneis submittere continuo tenerentur; ut in priuatorum sortem redacti sub eorum imperio & potestate deinceps adquiescerent. Quo iure proinde, aut qua vel leuissima veri specie, alibi de certo quodam succedendi ad Imperium iure dicat: " adeo constant inter se omnia, & exhibent speciem „ Romanæ historiæ plenam dignitate ac maiestate, mirificaque concor- „ dia; quiuis, vel me tacente, agnoscit. Mitto, quàm ab omni veterum Annalium ac Auctorum fide recedat insuper illa repetita a Neronis excessu, & subinde renouata Romani imperii diuisio; quam, post abdicatum vel ultro, vel, ut ea de re e Lactantio haud ita pridem constitit, a Galerio, non vero a Senatu, imposita eius rei necessitate, a Diocletiano & Herculio imperium, sub Constantio Chloro & Galerio primum cœpisse docet præclaro eam in rem loco Eusebius: Καὶ διχῇ τὰ πάντα τῆς ἀρχῆς διαιρεῖται· πρᾶγμα μήτι ἄλλο τέ πω γεγονὸς μνήμῃ παραδεδόμενον, *Imperium Romanum totum in duas partes est diuisum: quod quidem nunquam antea factum memoratur*. Etsi enim, & quod vere ad eum locum obseruat doctissimus Valesius, plures Augusti antea simul imperassent, Imperium tamen solidum atque indiuisum eos gubernasse constat, uti contigit antea Marco & Vero, item Diocletiano & Herculio, qui imperium tum abdicauerant; ac Eutropii insuper & Porphyrii Optatiani testimoniis ab eodem Valesio adstruitur. Adde, quam primam imperii diuisionem inter Constantium & Galerium tangit similiter Zonaras, ac unde confirmata est mox Constantiniano æuo (non vero pridem ante post Neronis obitum) solemnis dein Romani Imperii in Orientis & Occidentis partibus diuisio. Frustra vero, ut miram adeo Romani orbis sub Imperatoribus & Augustis, & quidem ab arbitrium Senatus, administrationem tueatur vir doctus, inde summam non fuisse Imperatorum in imperio potestatem, ut vulgo creditur, maiorem utique Senatûs ac Populi Romani auctoritatem & potestatem quam Imperatorum & Augustorum, statuit; & quod apertius adhuc, ut iam antea vidimus, alibi tradit, dum summam fuisse Senatus, vere domini rerum auctoritatem in ipsosmet Augustos adserit. Quæ autem quàm aliena sint rursus ab omni veteri Historia aliisue Auctoribus vel antiquis monumentis, haud utique probatione nunc indiget. A Senatu etenim Romano delata sub diuersis, *Imperatoris*, *Augusti*, *Tribunitiæ Potestatis*, *Pontificis Maximi*, *Principis*, ac *Censoris*, etiam Octauio Cæsari ac eius dein Successoribus, titulis, summa imperii potestas; atque ita sacrosancti, inuiolabiles, [a] legibus quoque soluti, ac vere omnium rerum do-

Hard. Select. Oper. p. 685.

De Mort. Pers. c. XVIII.

H. Eccl. l. VIII. c. 13.

Annotat. p. 169.

Lib. X. c. 10.

Annal. p. 643. To. I.

Select. Oper. P. 755.

Pag. 807.

[a] Leg. XXXI. D. de Legib.

domini iidem euaſerant: qua tamen poteſtate alii ex Imperatoribus ciuilius, alii acerbius ac tyrannice omnino ſunt uſi. Quæ autem, ut alia documenta vel teſtimonia iam mittam, vel e ſola Legum & Conſtitutionum, ſeu Edictorum & Reſcriptorum Principalium, ut eadem in iis vocantur, lectione abunde collgiuntur: in quibus de ipſorum Senatorum dignitate, fortunis, priuilegiis, reatu, vita etiam ſubinde, decernitur. Quamquam, & pro inſigni quidem Senatûs honore, ipſi Imperatores quandoque ſemet *e Senatorum numero* profiteri voluerint, ut Julianus Imperator: *Jus Senatorum & auctoritatem eius ordinis, in quo* NOS QUOQUE IPSOS *eſſe numeramus*; aut quomodo *Senatores* dicuntur ab ipſo Arcadio: *Pars corporis noſtri ſunt*; nempe cuius corporis ſit Imperator caput: & quibus alioquin verbis, *caput Reipublicæ*, apud Tacitum ab Haterio ad Tiberium prolatis, aboleri omnem Senatûs poteſtatem, ut bene ad eum locum adnotarunt viri docti, cenſebat ſub principatûs ſui exordio Tiberius: ſed qui poſtea hanc *partem corporis*, Senatum nempe, imperio *capitis* ac dominatui ſubiici omnino ac ſeruire ſat oſtendit.

Leg. VIII. C. de Dignit.

Leg. V. C. Ad Leg. Jul. Maieſt.

Annal. I. c. 13.

IV. *De* PONTIFICIS MAXIMI *Titulo in Nummis Imperatorum.*

PONTIFICIS MAXIMI nota eſt haud minus, inter ſolita primi, Imperatorum, faſtigii inſignia, in eorum nummis appellatio; & quidem priori ferme loco, ante alios, de quibus mox, eorum titulos in iisdem conſignata. Quod inde factum facile licet cuiuis æſtimare, ut coniuncta ſuprema Sacerdotii ac Imperii iura in ſe unum collata, ſummam proinde Sacrorum haud minus ac Religionis, quam rerum ciuilium ac militarium curam ac adminiſtrationem ſibi a Senatu Populoque Romano commiſſam teſtarentur Imperatores. Hinc ab Auguſto ad Gallieni tempora, inter Cæſarianorum nummorum titulos ille P. M. ſeu PONT. MAX. & interdum cum integris nominibus [a] PONTIFEX MAXIMUS, paſſim legitur, rarius dein ſub ſequentibus Principibus, expreſſus in eorum nummis, in quibus conſuetos demum P. F. AUG. ſeu *Pii Felicis Auguſti*, aliis ferme omiſſis, quamquam forent iisdem quoque inſigniti, uti *Cæſaris*, *Imperatoris*, *Pontificis Maximi*, *Tribunitiæ Poteſtatis*, titulos ſignari videas.

[a] Ut Gordiani Pii & Philippi Patris.

An vero eum ſimiliter tulerint Chriſtiani Imperatores, & quidem ad Gratianum uſque, uti Baronio in Annalibus viſum; immo ſexto adhuc ſæculo, id eſt, iuxta [a] virum cruditum, ad Juſtinum Seniorem, dubium videri aliquantum poteſt. Idque adfirmatum videas, cum ob Auſonii, ac Zoſimi potiſſimum, a quibus, & a poſtremo in primis, illud haud obſcure adſtrui legimus, auctoritatem; tum ob clariſſima Inſcriptionum aliquot veterum, quæ Conſtantino, Valentiniano, Valenti, Gratiano, omnino eum tribuunt, ac ipſi etiam, ut de eo vir doctus, Juſtino Seniori, teſtimonia. Quod tamen de recepto ab illis Chriſtianis Imperatoribus hoc *Pontificis Maximi* titulo ac dignitate impugnatum legimus a viro clariſſimi nominis [b] Jac. Gothofredo, ac dein ab illo, qui ut ipſe agnoſcit, preſſit hic eius veſtigia, eruditiſſimo [c] Ant. Pagi. Ab Auſonio nempe, ut utrius-

1. *An* PONT. MAXIMI *titulus Chriſtianis Imperatoribus ſit datus.*

[a] V. Dalen. de Oracul. p. 113.

[b] Epiſt. de Interd. Chriſt. cum Gentil. Commun.

[c] Crit. Baron. p. 362, 363. To. I.

utriusque sententiæ momenta obiter expendantur, de sui Consulatûs comitiis ad Gratianum Imperatorem dicitur: *Comitia Consulatus mei armatus exerces*; mox: *An (ut quondam) Pontificalia vocabuntur, sine arbitrio multitudinis Sacerdotum tractata collegio? sic potius, sic vocentur, quæ* TU PONTIFEX MAXIMUS, *Deo participatus, habuisti.* Id vero ab Ausonio de Consulatûs sui auspiciis demum dici contendunt laudati modo viri docti, ac olim in notis ad Martyrologium, ipse Baronius, manifesta ad pristina Romanorum sacra & Comitia adlusione, a quibus, diuerso a Gentilibus instituto, Deo solum habito consultore, ac proinde Christiano cultu, recesserit in creando Ausonio Consule Gratianus: quando ab eo per similem adlusionem dictum iam ante de eodem Gratiano fuerit: *Augustus sanctitate*, PONTIFEX *religione*, *indulgentia pater*, *ætate filius*, *pietate utrumque*, ac alio adhuc loco: *Operto conclauis tui non sanctior ara Vestalis*, *non* PONTIFICIS *cubile castius*, *nec pulvinar Flaminis tam pudicum.* Quæ insuper, ut hoc addam, minus forte in Ausonio mirari licet, si, quod a sanioribus Criticis creditur, religione Gentilis, non vero Christianus exstitit. Immo quod, de huius Gratiani Pontificatu Maximo, neque a viris præclaris præteriri hic debuit, ab ipso Zosimo aperte refellitur. Tradit enim ille, eundem Gratianum, ubi Imperator esset nuncupatus, oblatum sibi more veteri Pontificalem amictum, una cum Pontificis Maximi titulo fuisse auersatum, *tanquam habitum, quo uti fas haud esset Christiano*, ἀθέμιτον εἶναι χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας, additque reddita Pontificibus stola, dixisse primum ex iis: si Imperator non vellet appellari *Pontifex*, breui tamen Pontificem fore Maximum; adlusione nempe ad Maximum facta, qui breui eius loco futurus foret Imperator. Quod vero dixerat ibidem Zosimus, cæteros omnes ante Gratianum Imperatores, ipsumque Constantinum, etsi Christianorum foret fidem amplexus, & Valentinianum dein ac Valentem eum honorem, Pontificiæ nempe stolæ & *Pontificis Maximi* tituli, haud refugisse; id continuo, & maxime ob summum, quo ille flagrauit, in Christianos Imperatores odium, falsasque, quas inde de iis fingit narrationes, nullius omnino fidei habendum viri docti statuunt; silentibus utique ea de re omnibus illius ætatis Gentilibus & Christianis Scriptoribus: quæque insuper valde sint ab illorum Christianorum Principum decretis & constitutionibus aliena. Ad inscriptiones vero quod adtinet, exstant omnino aliquot Constantini, Valentiniani, Valentis, & Gratiani, in quibus illa PONTIFICIS MAXIMI appellatio reliquis eorum titulis inserta legitur. Verum quæ omnes ab ipsis Gentilibus, iuxta viros illos eruditos Gothofredum & Pagi, profectæ fuerint; qui receptum hunc pridem inter Augustorum titulos appellationem illis Christianis Imperatoribus pro more tribuunt: prout illo æuo hostias quoque pro Iouiano, Christiano principe, mactauerunt, iuxta Ammianum Marcellinum, Gentiles. Quibus addi possunt Ethnicorum Deorum in residuis Constantini, & Crispi eius filii, nummis Inscriptiones, IOVI CONSERVATORI, MARTI CONSERVATORI, & SOLI INVICTO COMITI. Adde, quòd a Symmacho, Gentili, ut notum, Scriptore, non solum more Gentilium, qui decesserant, Imperatorum, *Diuus Constantius*, *Diuus Gratianus*, aliique Christiani illius temporis Augusti haud semel appellantur: sed illud insuper de Constan-

Gratiarum Actione.

Ibidem.

Lib. IV. p. 250. ed. Oxon.

Lib. XXV. c. 6.

Lib. IX. Epist. 125.

tio

tio ab eo alibi dicitur: quod *nihil decerpsit sacrarum Virginum* (nempe Vestalium) *priuilegiis*; *decreuit nobilibus sacerdotia*; *Romanis cærimoniis non negauit impensas:* quæ, & quod omnino aduerti hic meretur, totidem erant *Pontificis Maximi* apud Romanos munia. Adeo ut liceret forte arbitrari, ac unde adductæ ante Zosimi narrationi haud esset omnino fides deroganda, primis illis Christianorum Principum auspiciis, sub quibus longe maior adhuc orbis pars, & quidem viri in clarissimis quibusque dignitatibus constituti, Gentiles erant; ab iisdem Imperatoribus haud reiectum continuo, qui cum aliis summi fastigii appellationibus iis a Gentilibus deferebatur, *Pontificis Maximi* titulum, stolamue Pontificiam: non quod ipsi Gentilium sacris, quæ auersabantur, operari vellent, & superstitiosum illorum cultum, quem abolere penitus intendebant, tutari; sed ut ea ratione sartam tectamque sibi in Romanos Sacerdotes ac Pontifices, quorum plura adhuc erant in urbe Collegia, potestatem reseruarent, nec ad alium utique, cum summi eorum fastigii ac Religionis Christianæ haud leui dispendio, eam dimanare paterentur. Ita nempe, ut eum titulum sibi a Gentilibus deferri, immo inter consuetos summæ illorum potestatis titulos adscribi tum continuo haud refragarentur. Hinc eiusdem Constantini lex, ab eo octauo adhuc imperii anno lata, quæ exstat in Codice Theodosiano, de licito Haruspicinæ Gentilium usu. Immo quod ex insigni apud Eusebium loco hic mihi testatum facere liceret; ubi nempe Galerii Maximiani Imperatoris Edictum de Christianorum persecutione tollenda, illudque sub trium tum in orbe Augustorum, illius Maximiani, Constantini, ac Licinii nominibus, refertur, pro Edictorum id genus & Constitutionum, quæ ab uno ex iis ferebantur more, & quo maior inde iis auctoritas accederet. In eo enim videas illum *Pontificis Maximi* titulum aperte non Galerio solum, ac Licinio, sed ipsi etiam Constantino tribui: nempe Σεβαστὸς, Ἀρχιερεὺς Μέγιστος, *Augustus*, *Pontifex Maximus* *&c.* Ut minus mirum proinde videri possit, eam quoque appellationem cum eidem Constantino, tum Valentiniano quoque, Valenti, & Gratiano, in indicatis paullo ante Inscriptionibus antiquis similiter tribui. Ad nummos vero eorum quod adtinet, minus utique admiratione dignum eundem titulum haud in iis conspici, ob rationem paullo ante indicatam obliterati iam ante moris, ut antiqua illa titulorum primi fastigii congeries, ac inter eos ea P. M. seu PONT. MAX. appellatio, in iis admitteretur. Quamquam unum Magni Constantini nummum, ac a me pridem memoratum, vidisse olim memini in cimeliis Mediceis, magni, dum viueret, & pro nota excelsæ illius Gentis indole, literarum Mæcenatis, Cardinalis ab Hetruria; in quo legebatur P. M. TRIB. POT. IIII. P. P. PROCOS. *Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Quartum Pater Patriæ Proconsul.* De cuius præclari nummi αὐθεντίᾳ nihil mihi nunc dicendum superest, nisi eum pro sincero ac probi commatis, non ab illo solum Principe, peritissimo id genus cimeliorum scrutatore, sed ab aliis, quos ea urbs semper tulit in tractatione veterum nummorum summè exercitatos, habitum. De adscripta similiter in eodem nummo *Tribunitia Potestate*, sicut in Edicti paullo ante memorati inscriptione, mox videbimus. Ne iam illud hic tangam, quod de semet prædicat apud Eusebium Constantinus, se nempe Episcopum in iis esse, quæ sunt extra Ecclesiam; & quod omnes

Lib. x. Epist. 54.

Leg. 1. C. Th. de Haruspic.

H. Eccl. l. VIII. c. 17.

Vit. Constant. l. IV. c. 24.

omnes imperio suo subiectos Episcopali sollicitudine gubernat: adde, qui
Ibid. c. 27. Episcoporum sententias auctoritate sua confirmaret; leges, quibus, ne si-
Ibid. c. 25. mulacris sacrificarent, aut arcana sacra peragerent, aliasque id genus plures tulerit; quibus se velut Christianorum *Pontificem Maximum*, haud minus ac Imperatorem declararet. Quod vero sexto adhuc sæculo retentam a Christianis Imperatoribus illam *Pontificis Maximi* appellationem statuebat, ut paullo ante monui, vir egregius e Justini Senioris Inscriptione, in qua inter alia legitur, PONT. MAX. de ea pridem diximus, & quod a doctissimo Reinesio erat iam ante monitum, nempe non *Pontificem Maximum*, sed *Ponticum Maximum* in ea legendum. Quod manifesto satis euincebant, quæ exstant ibi illius Inscriptionis verba, PONT. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. VANDALIC. MAX. *Ponticus Maximus*, *Francicus Maximus*, *Gothicus Maximus*, *Vandalicus Maximus*. Ut mirari ferme liceat id non vidisse eruditissimum Pagi, dum
Critic. Baron. p. 363. To. I. integram eam inscriptionem retulit, ac iis verbis PONT. MAX. titulum *Pontificis Maximi*, sicut antea, sed a Gentilibus, Constantino, & sequutis mox aliquot Christianis Imperatoribus, ita huic Justino, elapso ferme sesquisæculo, impertiri etiamnum credidit.

2. *De aliarum gentium Sacerdotiis summis magistratibus delatis.*

Quà consuetà cæteroquin in Cæsarianis nummis PONTIFICIS MAXIMI, præter alios summæ potestatis titulos, appellatione, coniuncta, ut supra diximus, in Romanis Imperatoribus Principatûs ac Sacerdotii fuisse iura, si vel aliunde non constaret, cernimus; ea nempe ratione, qua Reges Lacedæmoniorum dicti olim a [a] Xenophonte rerum diuinarum respectu Sacerdotes, humanarum vero Imperatores. Adde, qua etiam ratione Reges Ægyptiorum, iuxta [b] Plutarchum, vel e Sacerdotibus, vel e bellicosis legebantur; ita ut postremi continuo, ubi Reges erant creati, fierent Sacerdotes. Ut mittam in antiquis Auctorum vel Lapidum monumentis legi subinde eosdem ciuitatum vel coloniarum *Duumviros* & *Sacerdotes*, ut in Actis Cæciliani Didymus quidam *Sacerdos Iouis Opt.*
Annot. p. 169. *Max.* & simul *Duumvir Coloniæ Carthaginiensium* dicitur, ut ad Eusebium monuit doctissimus Valesius; ac prout *Sacerdotes Duumvirales*, vel *Duumvirali Potestate*, seu qui Duumviratu erant functi, leguntur in antiquis Inscriptionibus, ut in vulgatis haud ita pridem Marmoribus *Vettius* quidam
Marm. Felsin. p. 56. Thes. pag. DCXXXIX, 5. Cornutus dicitur *ex Prouincia Lugdunensi* DUUMVIRALIS SACERDOS; ac similiter apud Gruterum, *Gnæus Munatius* MUNICIPI FLAMEN PERPETUUS DUUMVIRALI POTESTATE. Inter primos enim Curiæ honores, cum *Duumviratum*, tum *Sacerdotium* fuisse (neque enim hæc erant semper coniuncta, quod aliunde constat) liquet e
Leg. LXXVII. C. Th. de Decurion. Lib. XXVIII. c. 6. Valeriani lege in Codice Theodosiano: *Nec vero a Duumviratu, vel a Sacerdotio incipiat.* Quomodo *Rusticianus Sacerdotalis* e *Decurionum* numero, & quidem ante Ædilem Decurionem, ab Ammiano adducitur, ad quem consuli potest laudatus modo Valesius & cuiusmodi *Sacerdotalium* frequens, & quod ille ibi iam vidit, occurrit mentio in Codice Theodosiano. Quæ insuper, ut hoc addam, illustrantur e Græcis Inscriptionibus, ut: ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ; in alia
Marm. Oxon. p. 294. P. II. Spon. Itin. p. 114. To. III. Thyatyrenorum legimus, quendam M. Aurelium Diadochum ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΧΡΟΝΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΔΙΑ ΒΙΟΥ

ΒΟΥ-

ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ, *Summum Sacerdotem Aſiæ Templorum, Quæ Sunt Pergami, Et Eodem Tempore Summum Sacerdotem Patriæ* (nempe *Thyatyræ*) *Et Perpetuum Senatus Principem.* Quales erant quoque in eadem Aſia dicti inde, Ασιάρχαι, iidemque ſimul Αρχιερεῖς, ut cum aliunde liquet, tum ex aurea Smyrnæorum Epiſtola, de Polycarpi Martyrio, in qua ille ſanctiſſimus Antiſtes paſſus legitur: [a] Επὶ Αρχιερέως Φιλίππου, *ſub ſummo Sacerdote Philippo*, quem paullo ante [b] Ασιάρχην vocant iidem Smyrnæi; ne de muneris communione dubitare liceat. Quod adſtruit inſuper Modeſtinus: Ἔθνους ἱερωσύνη, οἷον Ασιαρχία, Βιθυναρχία, Καππαδοκαρχία, i.e. iuxta Latinum Interpretem, *Gentis Sacerdotium, velut Aſiarchia, Bithynarchia, Cappadocarchia.* Immo, quod egregie inſuper illuſtrat præclara nummi inſcriptio ſub utroque Imperatore Antonino Pio & M. Antonino percuſſi, & in Gaza Gallorum Regia, & alibi quoque, conſpicui, ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙ. ΦΡΟΝΤΩΝ. ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ, *Commune Tredecim Urbium Prodico Frontone Aſiarchia & ſummo Sacerdote Tredecim Urbium*, e quibus conſtabat, ut aliunde liquet, Commune Ioniæ. Ita in Auguſti nummo a Pergamenis cuſo, penes illuſtrem Foucault, legitur, Μ. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *M. Furius Sacerdos Et Aſiarcha Pergamenorum.* Adde, quòd, prout in veteri Inſcriptione, ſicut in ea paullo ante adducta, Αρχιερέως Στρατηγοῦντος, aut alibi *Sacerdotes Duumuirales*, vel *Sacerdotales Decuriones*, dici vidimus, ita etiam Antonius quidam Hiacynthus ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΑΣΙΑΡΧΗΣ vocetur. De ſimili vero *Aſiæ Sacerdotio* occurrit aliquoties mentio in libris Jurisconſultorum, ut quod ſponte illud iterare nemo prohibeatur; aut in *Aſia Sacerdotium Prouinciæ* ſuſcipere non cogantur numero liberorum quinque ſubnixi. Nec pauci alioquin occurrunt antiqui Græcorum Nummi, qui, ſicut Pontificia Cæſarum dignitate cum aliis Imperatoriis titulis, ita in auerſa parte illo aut *Aſiarchæ* aut *Sacerdotis* nomine quaſi loci Præſidibus conceſſo nonnunquam ſignantur. Poſteriorem præfert Nummus Cianorum, Bithyniæ oppidi, ſub Domitiano cuſus, ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΛΑΥ. ΒΙΑΝΤΟΣ ΚΙΑ. *Sub Pontifice Claudio Biante, Cianorum.* Accedit alius Apameæ percuſſus, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ, *ſub M. Aurelio Alexandro Pontifice Apamenſium.* Præter vero præclaros hos Nummos ineditos, referri etiam huc debet inſcriptio alterius Nummi, Hephæſtionis nempe Daldianorum, quam videre licet in rebus Seueri apud Triſtanum. Ita, haud abſimili ratione, ΑΣΙΑΡΧΟΥ mentio aliquoties in geminis Nummis, ut Cyzicenorum, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, ΕΠΙ Μ. Α. ΑΥΡΕΛΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ, *Cyzicenorum Neocororum ſub M. L. Aurelio Aſiarcha.* Sic alius Smyrnæorum, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ, *Smyrnæorum Primorum Aſiæ*, in altera autem parte ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ, *Sub M. Aurelio Tertio Aſiarcha*, & cuius Aſiarchæ nomen notaui itidem in nummo Regiæ Gallorum Gazæ, inſcripto ΤΕΡΤΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Agnoſcis, ut opinor, apertum horum Nummorum & Epiſtolæ Smyrnæorum conſenſum; Aſiarcharum nempe ac Pontificum ſeu Sacerdotum nominibus, ut ſupremis quibusdam loci Præſidibus, ſignatam rei geſtæ memoriam; ſicut alias nominibus Conſulum apud Romanos, aut Cæſa-

a Vid. Euſeb. H. Eccl. l. IV. c. 15.
b Ibidem.
Leg. VI. §. 14. D. de Excuſat.
Theſ. Grut. DXX, 1.
Leg. XVII. D. de Mun. & Honor.
Leg. VIII. D. de Vacat. & Excuſ.
In Gaza Mediæa.
Ibidem.

rum, corundemque Pontificum Maximorum. Ita Amphictyonum & Byzantiorum decreta videas signata Sacerdotum nominibus apud Demosthenem, & apud Josephum decretum Athenienſium in gratiam Judæorum, ἐπὶ Πρυτανέως καὶ Ἱερέως Διονύσου, ſuffragia vero collegiſſe Dorotheum Ἀρχιερέα. De annis cæteroquin Sacerdotum nominibus ſignari ſolitis, apud Nicopolitas puta, aut Alexandrinos, quibus dictus proinde Sacerdos Auguſtalis τοῦ ἐναυτοῦ ἄρχων, morem notarunt iam duo viri longe cruditiſſimi, Caſaubonus & Seldenus, ille ad Suetonium, hic ad Marmora Arundelliana. Simile quid de Jouis Olympii Sacerdotibus apud Syracuſanos obſeruat etiam Diodorus. Juxta autem illius moris veſtigia, quo inſcripta in Actis publicis Sacerdotum aut Aſiarcharum nomina, in Inſcriptione donariorum eiusdem Smyrnæ, quæ occurrit in prædictis marmoribus, Cteſiphon quidam ΑΣΙΑΡΧΗΣ vocatur. Iidem nempe apud Aſiaticos, cum Ludorum & Publici Concilii totius Communitatis tum reliquorum Flaminum, Præſides quidam & principes habebantur. Unde lux etiam non mediocris accedit celebri Actorum loco, ubi occurrit *Aſiarcharum* apud Epheſios mentio. Liquet enim ex monumentis modo adlatis, *Aſiarchas* id genus non Epheſi ſolum, ut exiſtimarunt nonnulli, ſed modo Cyzici, modo Smyrnæ locum habuiſſe; ubi nempe communia Aſiæ Sacra & publici conventus habebantur, quibus præerant illi Aſiarchæ. Secundo, unum videri Aſiarcham hoc munus eodem tempore adminiſtraſſe, quamuis plurium ſimul Aſiarcharum mentio occurrat eodem Actorum loco, & tertium aut quartum Aſiarcham electum ſe tradat alicubi Ariſtides. Firmant nempe hic Nummi eandem Cl. Valeſii ſententiam, quam ex commemorato uno Philippo Aſiarcha in Polycarpi martyrio iam ad Euſebium adſeruit. Adeo tamen ut ſtatuendum ſit omnino, aut per vices hoc munus plures impleuiſſe; aut vero unum Aſiarcham, ut reliquorum Principem, conſtitutum, a quo petita ſit Faſtorum & rei geſtæ memoria. Ita *Primi* ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ in antiquis nummis interdum ſignati, ut Cebeſſi urbis Lyciæ, ΕΠΙ ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ ΑΡΧΙ. ΠΡΩ. ΚΗΒΗΣΣΕΩΝ, *ſub Aurelio Marco Pontifice Primo Cebeſſenſium*, ni ΠΡΩΤΩΝ potius legendum ſit ſeu *Primorum*, & ita ad *Cebeſſenſes* non ad Pontificem referri debeat, ut ΠΡΩΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, aliaque gemina. Alioqui *Sacerdos Perpetua & Prima* occurrit aliquoties in antiquis lapidibus. Tertio, non audiendum hic Auguſtum Interpretem, Conſtantinum Porphyrogennetam, qui Aſiarcham Aſiæ Proconſulem interpretatur, & hanc ſuam explicationem firmat hoc ipſo Actorum loco. Neque enim aut alibi, aut in productis nummis Aſiarcha ut Romanus Proconſul, ſed ut Præſes publici Aſiæ conuentus & communium Sacrorum producitur.

Origin. lib. XIV. c. 16.

Lib. XVI.

Actor. XIX, 31.

Sermon. Sacr. XV.

Theſ. CLXXIV, 8. & CLXXVIII, 8.

Them. Orient. p. 19.

3. *Titulo* ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ *addita vox* ΜΕΓ.

Id vero hic obiter monendum eſt, quòd in quibusdam etiam ſingularibus nummis ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ titulo additum legatur ΜΕΓ. Μεγάλου ſeu Μεγίστου nomen, ſicut in nummo Antonini Caracallæ a me in laudati ſæpius Morellii ſchedis olim obſeruato, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΕΘΗΚΕΝ, *Laodicenorum Sacerdos Maximus Dicauit*; ac in alio Elagabali in Gaza Medicea, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΕΠΙ ΓΑΛ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ ΑΡΧΙΕ. ΜΕΓ. *Sardianorum ſub Galbo Claudiano Sacerdote Maximo.*

4. *Supremi Sacerdotes*

Horum autem Ἀρχιερέων, ſeu ſupremorum Prouinciæ Sacerdotum ius ac poteſtatem fuiſſe in reliquos totius Prouinciæ Flamines vel Sacerdotes,

vel

vel e duobus [a] Juliani Imperatoris Epistolis, & primò quidem e quâdam ad Arsaeium Galatiæ Αρχιερέα, euius quoque eam in rem meminit, præter Eunapium in Maximo, in nouissimis ad [b] Ammianum notis doctissimus Valesius, scriptâ. Memorabilia certe sunt Juliani eam in rem verba, quibus illum Galatiæ Saeerdotem hortatur, ut omnes Gentiles per Galatiam Saeerdotes vel minis impellat, vel ratione illis persuadeat, ut probi sint ae diligentes, sin autem, *ut eos sacerdotali functione abdicet*, ἢ τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας ἀπόστησον, si non eum uxoribus, liberis, famulis, Diis colendis sedato animo adtendant. Cui seeundò aliud eiusdem Juliani, & luculentum itidem, eam in rem testimonium hie addam: ex alia nempe eius Epistola, euius laeunas, additâ Latina eius interpretatione, primi e scriptis eodicibus suppleuimus, ab eodem nempe Imperatore scripta ad Theodorum Αρχιερέα, *Sacerdotem* nempe, ut ex eadem liquet, Asiæ: Τί ποτ' οὖν ἐστὶν, ὃ φημί σοι νῦν ἐπιτρέπειν; ΑΡΧΕΙΝ ΤΩΝ περὶ ΤΗΝ ΑΣΙΑΝ ΙΕΡΩΝ ΑΠΑΝΤΩΝ, ἀρχώμενος τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων ΙΕΡΕΩΝ, καὶ ἀπονέμων τι τὸ πρέπον ἑκάστῳ. *Quid ergo illud est, quod dico me velle nunc tibi committere? ut* Omnibus Asiæ Sacris Præsis, *regionis, ac urbium* Sacerdotibus Imperes, *ac iniungas unicuique id, quod ei conuenit.* Prout etiam Ἔθνης ἱερωσύνη, οἷον Ασιαρχία, a Modestino dici paullo ante vidimus; eosdem etiam *Asiarchas* & Asiæ Αρχιερεῖς appellatos, qualis inter alios Fronto eum *Asiarcha*, tum *summus Sacerdos Tredecim Urbium* in adducto nummo dieitur. Ita, Theodori huius instar, Asiæ sub Juliano Αρχιερέως, Seopelianus apud Philostratum, Αρχιερεὺς τῆς Ασίας, & de quo loeo mox, similiter voeatur; sed ut *Asiarchas*, *Bithyniarchas*, *Cappadocarchas*, *Galatarchas*, *Syriarchas*, eeu de summis earum gentium Saeerdotibus, a Modestino ae Juliano dictos, nunc mittam, apud Ægyptios etiam fuisse Αρχιερέας, qui exteris regionis Saeerdotibus præessent, non ex Herodoto solum constat, qui Αρχιερέως apud Ægyptios meminit, & quidem qui patri in eadem illa dignitate sueeederet; sed e Josepho insuper, a quo de eo nominatim dieitur, ὁ δὲ τεταγμένος ἐπὶ τῶν ἱερέων τῆς Αἰγύπτου, *constitutus super Ægypti sacerdotes.* Immo cuius amplior adhue potestas exstitit: de eo enim intelligendus est Ælianus, qui Ægyptiorum Judiees tradit fuisse olim Saeerdotes, additque: Ην δὲ τούτων Αρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας, *horum autem Sacerdotum princeps erat maximus natu, & iudicabat omnes.* Certe, iuxta Constantinum Imperatorem, apud Eusebium dicuntur, παντὸς εἶναι δικάτου τοὺς ἱερεῖς τοῦ θεοῦ δικιμωτέρους, *cuiuis Judici præferendi esse Dei Sacerdotes.* E quibus proinde sat, ut opinor, liquet, minus vere a viro præclaro in eximio opere haud ita pridem adsertum, nullos fuisse in Prouinciis vel Coloniis, Roma vel Judæa exeeptis, summos Saeerdotes vel Pontifiees, & quorum foret in alios urbis vel regionis Sacerdotes vel Flamines potestas; sed singula Numina suam Ædem habuisse, & unamquamque Ædem suum summum Saeerdotem. A quo tamen more alieni utique erant Ægyptii, de quibus eodem loco, ubi illorum Αρχιερέως meminit Herodotus, dieitur: Ιερᾶται δὴ οὐκ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν, ἀλλὰ πολλοὶ, τῶν εἷς ἐστι Αρχιερεύς, *sacra faciunt non sigillatim cuique Deorum; sed multi simul, quorum unus est summus Sacerdos.* Ut mittam, quod plurium Numinum unus quandoque foret Flamen, ut id ex antiquis Inscriptionibus obuium, immo in quibus etiam unus Flamen Deorum

cuiusque prouinciæ Sacerdotibus præpositi.

a Juliani Epist. xlix. p. 431.
b Ad Lib. xxviii. c. 6.

Epist. lxiii. p. 452.

Lib. ii. c. 36.

Adu. Apion. l. i. p. 8041.

V. H. l. xiv. c. 34.

Vit. Constant. l. iv. c. 27.

Jurieu Histor. des Dogm. & Du Culte, &c. p. 774.

Ut supra.

Thes. Grut. ccclv, 8. ccccxc, 2, 3.

RUM OMNIUM legitur. Id vero posset hic forte negotium aliquod facessere, quod apud Lactantium de Maximino Imperatore traditur: NOVO MORE SACERDOTES MAXIMOS *per singulas ciuitates singulos ex primoribus fecit, qui & sacrificia per omnes Deos suos quotidie facerent, & veterum Sacerdotum ministerio subnixi darent operam, ut Christiani neque fabricarent, neque publice aut priuatim colerent, &c.* mox: *Parumque hoc fuit, nisi etiam* PROVINCIIS *ex altiore dignitatis gradu singulos quasi* PONTIFICES SUPERPONERET. Quibus verbis creatos tum primum, seu *nouo more*, ut ibi dicitur, cum ciuitatum Ἀρχιερέας, tum unum reliquis prouinciæ Sacerdotibus præpositum Ἀρχιερέα, seu *summum Sacerdotem*, videtur omnino statuere Lactantius. Quem autem locum tangit, uti viderunt iam ad Lactantium viri docti, Eusebius, in cuius verbis unum hoc a Lactantio diuersum videas, quòd constitutos in urbibus Sacerdotes, non *Sacerdotes maximos*, instar Lactantii, sed ἱερέας, seu *Flamines* tantum vocat. Id autem vere ad Eusebii verba, de superposito iis summo Prouinciæ Sacerdote, a doctissimo Valesio est adnotatum, ac inde ad Lactantium a viris eruditis monitum, ne quis crederet Maximinum primum *prouinciæ Sacerdotes* instituisse, quales enim diu ante illum fuerint; quod & a me pluribus adsertum monet ibidem illustris Cuperus, sed addit a Maximino auctum eorum honorem; dato illis, ut ab Eusebio dicitur, *militari satellitio*. Haud duos vero, ut hoc addam, superpositos reliquis Prouinciæ Sacerdotibus Pontifices, a Lactantio tradi, ut censet eruditissimus Bauldri, sed unum demum, aperte docet dicto loco Eusebius, nempe ἑκάστης ἐπαρχίας Ἀρχιερέα, *uniuscuiusque prouinciæ summum Sacerdotem*. Quæ sequuntur enim ibi apud Lactantium, *utrosque candidis chlamydibus ornatos iussit incedere*, tam ad constitutos a Maximino urbium singularum, quam ad summos istius Prouinciæ Sacerdotes respicit. Quibus insuper addendus hic venit olim a me iam adductus Ammiani locus: *Sacerdos apud Burgundios omnium Maximus vocatur Sinistus: & est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis, ut Reges.*

Mort. Pers. c. XXXVI.

H. Eccl. l. VIII. c. 14.

Not. ad Lactant. p. 209. P. II.

Lib. XXVIII. c. 6.

Qua ratione coniuncta munia Principatus ac Sacerdotii ostentant dicti iidem, ut modo vidimus, Gentium Principes seu Præsides ac Sacerdotes; ut non obscuram Pontificiæ Cæsarum in urbe potestatis imaginem adumbrent, de quibus ait eam in rem Tacitus: *Nunc, Deum munere, summum Pontificem, etiam summum hominum esse*; scilicet:

Annal. III. c. 58.

Virg. Æn. III. v. 80. *Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.*

Quod etiam ad Romanorum Imperatores, eosdemque Pontifices Maximos reuocat ibi Seruius: *Sane maiorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos, vel Pontifex: unde hodieque Imperatores dicant Pontifices.* Hinc etiam reperiuntur nummi quidam Elagabali peculiari titulo inscripti, SUMMUS vel INVICTUS SACERDOS AUG. & quidem, non quod Romæ foret Pontifex Maximus, sed, ut in aliis eius nummis legitur, quod esset SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALI.

5. *De perpetua Pontificis Maximi*

Illud tamen discrimen hic notandum, quod non perpetua erat Asiarcharum vel Ἀρχιερέων etiam, *Prouinciæ Sacerdotum*, sicut apud Romanos ac apud Iudæos antiquitus Pontificum dignitas, quam perpetuam seu

con-

continuam (ut Taciti verbo utar de Præfecto urbis perpetuo) Cæſaribus nummi largiuntur; nec in iis proinde renouari videas, inſtar Conſulatus, Tribunitiæ Poteſtatis, aut Imperatoris ob partam aliquam victoriam nuncupati. Notum quippe hoe Sacerdotium fuiſſe ex eorum numero, quæ non annua erant, aut ſingulis vel quinquenniis, vel decenniis, ut reliquæ Auguſti dignitates, renouabantur, ſed διὰ βίου, ut Græci voeare eadem ſolent. Hine legas apud Caſſiodorum, ubi mentionem iniicit perpetui Patritiatûs: *Credo ad ſimilitudinem* PONTIFICATUS, *unde venerat, rem fuiſſe formatam; qui* SACERDOTIUM *non deponunt, niſi cum vitæ munia derelinquunt.* Ita factum, ut exemplo perpetui huius Pontificatus, alia quoque Collegia apud Romanos Pontifices ſuos crearent *aſſiduos*, ut de iis loqui amat Liuius, ſeu διὰ βίου. Quales ſimiliter ΙΕΡΕΙΣ & ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ, *Pontifices ſummi, Sacerdotes Perpetui*, ae ſimiliter FLAMINES PERPETUI dieuntur ſubinde apud Auctores, ae in antiquis Inſcriptionibus: ſed qua de re alibi.

mi dignitate. Annal. VI. c. 10.

Var. l. VI. c. 2.

Lib. I. c. 2. bis &c.

Nec perpetuam ſolum in Auguſto, ſed velut hæreditariam eiusdem Auguſti faſtigii & nominis conſortibus *Pontificis Maximi* dignitatem ſequentium dein Cæſarum nummi ſatis arguunt. Unde apud [a] Dionem inter honores a Senatu Julio Cæſari decretos ille etiam refertur, ut qui naſceretur ei filius, aut etiam adoptiuus, fieret Pontifex Maximus: qui honor utique ad hæredem eius Auguſtum, ae ad reliquos dein Sueceſſores, transiit. Hæreditaria eæteroquin in eadem familia Saeerdotia, præter Judæos, ſeu eorum exemplo, apud alias etiam Gentes olim recepta legimus, quæque πατρικὰς, aut κατὰ γένος ἱερωσύνας voearunt Græci, Romani ſimiliter, apud Suetonium, *paterna ac auita Sacerdotia.* Quomodo apud Herodotum mentio fit cuiusdam Samii Mæandrii, qui Saeerdotium Iouis Ελευθερίου ſibi ae liberis in perpetuum petierit; alibi, & eodem loco, quem paullo ante adduximus, dieit idem Herodotus e Saeerdotibus apud Ægyptios unum dari Αρχιερέα, quo defuncto filius eius ſubrogatur: prout ſimiliter Diodorus Saeerdotum apud Ægyptios meminit, qui, πατρικὰς ἱερωσύνας, a *patribus Sacerdotia* aeciperent, nempe non reliqui quidem Sacerdotes, ſed ipſe, iuxta Herodotum, eorum Αρχιερεύς. Idem vero Diodorus obſeruat relictis a Cadmo aliquot apud Rhodios ſacrorum euratoribus, inde factum, ut Saeerdotes κατὰ γένος Saeerdotia in ea inſula conſequantur. Hinc etiam in antiquo lapide ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΓΕΝΕΩΣ: ae in altera Inſcriptione Græea, quæ ſimul eum priori eſt reperta, Claudius quidam Rufus *proprii parentis ſucceſſor* declaratur, in eodem munere uniuerſæ Palæſtræ Sacerdotis: ΟΣ ΚΑΙ ΔΙΑΔΟΧΟΣ ΕΓΕΝΕΤΟ ΤΟΥ ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ. Haud aliter ae apud Philoſtratum de Seopeliano, loco iam paullo ante indieato, dieitur: Αρχιερεὺς μὲν γὰρ ἐγένετο τῆς Ασίας, αὐτός τε καὶ πρόγονοι αὐτοῦ, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες, *Sacerdos enim Aſiæ fuit, ipſe eiusque maiores, filio patri ſemper ſuccedente.* Sie in veteri Inſcriptione ex Paro Inſulâ, apud eximium Sponium allata, mentio fit cuiusdam Marei Aurelii Fauſti Αρχιερέως ἐκ προγόνων Διὰ Βίου, *Summi Sacerdotis a Maioribus Perpetui*; Auguſtorum nempe, quod additur, Cæſarum, & Cabarni, priſei nempe apud Parios Herois, ut e Stephano monuit iam ibidem Sponius. Quibus addi obiter poteſt *certis e familiis* adſcitus Clarii Apollinis, apud Colophonios culti, Sacerdos apud Tacitum.

6. *De Pontificis Maximi dignitate Auguſtis hæreditaria.*

[a] Lib. XLIV. p. 243.

Diodor. Sicul. l. I. p. 79.

Lib. III. c. 142.

Lib. II. cap. XXXVII.

Lib. I. p. 55.

Lib. V. p. 329.

Vit. Soph. l. I. p. 515 ed. Lipſ.

Annal. II. c. 14.

Neque vero, ut ad Imperatores hæreditario veluti *Pontificis Maximi* titulo decoratos redeam; omittendum hoc loco, ubi plures simul Augusti regnabant, penes unum, & seniorem quidem, quod e Dione supra iam notauimus, hanc Pontificis Maximi appellationem primum resedisse. Quod equidem perspicue probant nummi, in quibus M. Aurelius PONT. MAX. vocatur, non vero eius in imperio Collega L. Verus. Quamquam postea Imperatoribus Pupieno & Balbino eundem titulum eorum nummi promiscue tribuant.

7. *De inferiore Pontificatu, Principibus Iuuentutis delato.*

Inferior vero PONTIFICIS dignitas, ceu initium quoddam ac tyrocinium summi illius Pontificatus, Principibus Iuuentutis ac Cæsaribus est demum delata; ac inde, uti supra iam vidimus, in eorundem nummis expressa, sicut in nummis ipsius Augusti, viuo adhuc Lepido Pontifice Maximo, ac ante summam imperii eidem commissam; Tiberii similiter sub Augusto; Neronis sub Claudio; Titi ac Domitiani, Vespasiano superstite: ac dein quoque Antonini Caracallæ, Getæ, Alexandri Seueri, Gordiani Pii, & aliorum etiamnum Cæsarum. Fallitur enim in notis ad Lactantium vir illustris, qui inscriptum in nummis Antonini Caracallæ & Getæ PONTIFICIS titulum, de *Pontifice Maximo* intelligendum credidit.

8. *Augusti Pontificis Maximi munia ipsi obierunt.*

Neque vero titulum illius dignitatis solum gestasse, quod nonnullis visum, sed munia etiam, & frequentius quidem quam existimasse videtur, adducto uno demum vel altero eius rei exemplo, [a] ὁ πάνυ Casaubonus, peregisse Imperatores, ex antiquis Auctoribus sat constare etiamnum potest. Ab Augusto utique, ut vel ipse fidem eius rei faciat, ubi is Pontificatum Maximum mortuo Lepido suscepit, fatidici libri, ut ea de re [b] Tranquillus, recensiti; Annus Iulianus iterum ordinatus; auctus Sacerdotum numerus, & cærimoniæ aliquot antiquæ restitutæ, totidem, ut quiuis videt, Maximi eius Pontificatus testimonia. Sub eius successore Tiberio, dissentientibus Patribus, an Flamen Dialis posset Italiâ egredi, eo deuentum tradit Tacitus, *ut Pontificis Maximi* (hoc est Tiberii) *sententiam opperirentur*; Tiberium vero, dilata notione de iure Flaminis, interim decretas ob Tribunitiam Drusi potestatem cærimonias temperasse. Claudius quædam circa cærimonias correxisse, aut restituisse, apud Suetonium dicitur; in cooptandis insuper Sacerdotibus neminem nisi iuratum nominasse; &, quum habenda foret obsecratio, seu ad mala auertenda solemnis ad Deos precatio, eam ipse, quod erat Pontificis Maximi, commonito pro Rostris populo, præiuisse. Vitellius autem eo nomine sugillatur apud Suetonium, quod *omni diuino humanoque iure neglecto, Allienſi die* PONTIFICATUM MAXIMUM *cepit*; seu, ut ea de re Tacitus, *de cærimoniis publicis XV. Kal. Aug.* (eum nempe funestum Allienſis pugnæ diem) *edixisset*. Mitto, quod de Tito a Suetonio dicitur: PONTIFICATUM MAXIMUM *ideo se professus accipere, ut puras seruaret manus, fidem præstitit; nec auctor posthac cuiusquam necis nec conscius.* Domitianum vero, diuerso admodum a fratre instituto, inceста Virginum Vestalium, a patre quoque suo & fratre neglecta, variè & seuere coercuisse; Corneliam Virginem Maximam viuam defossam, stupratoresque virginis in comitio ad necem cæsos, auctor est idem Suetonius. Quod autem PONTIFICIS MAXIMI *iure, seu potius immanitate tyranni, licen-*

a Not. ad Spartian. in Hadr. c. XXII.
b In Aug. c. XXXI.
Annal. III. c. 59.
In Claud. c. XXII.
In Vitell. c. XI.
Hist. l. II., c. 91.
In Tito c. IX.
In Domit. c. VIII.

licentia domini, &, quod addit, reliquis Pontificibus non in Regiam, pro more, sed in villam Albanam a Domitiano conuocatis, factum tradit iunior Plinius. Idem vero de Traiano alibi: *Quia sciebam in urbe nostra ex eiusmodi caussis, Collegium Pontificum adiri solere, te, Domine,* MAXIMUM PONTIFICEM *consulendum putaui, quid obseruare me velis.* Id vero elogium de Hadriano perhibet Spartianus: *Sacra Romanorum diligentissime curauit, peregrina contempsit,* PONTIFICIS MAXIMI *officium peregit.* Id quoque ad Pontificatum M. Antonini Maximum referas, quod de illo a Capitolino dicitur tantum fuisse terrorem belli Marcomannici, *ut undique Sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit*; mox: *Celebravit & Romano ritu lectisternia per septem dies.* De Commodo aliquid notat Herodianus, quod ad Pontificale eius munus respicit, eum nempe ludos Iouis Capitolini spectasse in theatro, iisque præsedisse σὺν τοῖς λοιποῖς ἱερεῦσι, *cum reliquis Sacerdotibus*, sed qui ad hoc, ut addit, ex ordine illius anni tenebantur. Sic Alexander Seuerus, auctore Lampridio, *accepit etiam prætextam cum sacra faceret, sed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris*; alibi vero dicit idem auctor: *Pontificibus tantum detulit, & Quindecimuiris atque Auguribus, ut quasdam caussas sacrorum a se finitas iterari & aliter distingui pateretur.* De Aureliano, ac proinde Pontifice Maximo, idem Lampridius inquit: SACERDOTIA *composuit*; mox: *Et Pontifices roborauit.* Quo loco id insuper monendum venit, quod quæcunque apud Græcos aut Romanos Historiæ Augustæ Scriptores leguntur, & quæ supra, nec uno loco, adtigimus, de cooptatis ab hoc vel illo Imperatore in Collegia Sacerdotibus, creatisue Pontificibus, ad unam illam Pontificatus Maximi, quo fungebantur iidem Imperatores, potestatem sunt continuo referenda. Quod proinde de Maximino Imperatore statuendum est, dum, ut ea de re paullo ante, iuxta Eusebium, unicuique prouinciæ Ἀρχιερέα, *Summum Sacerdotum*, vel, uti de eo Lactantius, *Pontificem superposuerit, quique præterea Sacerdotes Maximos per singulas ciuitates singulos, eosque ex primoribus, fecit.* Julianus Imperator vi eiusdem potestatis quorundam sacrorum procurationem sibi vindicat: Ἐγὼ τοίνυν, ἐπειδήπερ εἰμὶ κατὰ μὲν τὰ πάτρια ΜΕΓΑΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *ego proinde, quandoquidem sum iuxta leges patrias* MAGNUS PONTIFEX, *&c.* quod & in alia adhuc Epistola testatur cuidam Sacerdoti nuncupata; & quam cæteroquin *Maximi Pontificis* appellationem sibimet Julianum tribuisse, docet Socrates, καὶ ἑαυτὸν ΑΡΧΙΕΡΕΑ ὠνόμασεν. Unde etiam in illius Imperatoris Panegyrico auctor est Libanius, eum haud minus *Sacerdotis* seu ἱερέως, quam βασιλέως seu *Imperatoris* titulo gaudere; solo enim ΙΕΡΕΩΣ nomine designatur interdum a Græcis Scriptoribus Romanorum *Pontifex Maximus.* Quomodo, præter hunc Libanii locum, pridem ante de M. Lepido Pontifice Maximo dixerat Appianus, adempto eidem Imperatoris, quem sæpe, e deuictis nempe hostibus, tulerat, titulo, illum *Sacerdotis* demum, *illius quod gerebat Sacerdotii*, eidem esse relictum: Οὐδὲν ἔτι πλὴν ΙΕΡΕΑ ἧς εἶχεν ἱερωσύνης. Quomodo in nummis etiam subinde ἱερεὺς de prouinciæ Sacerdote, seu pro Ἀρχιερεὺς dictus legitur; ut in insigni Treboniani nummo Gazæ Gallorum Regiæ, a nobis alia occasione ad Callimachum iam adducto, ΙΕΡΕΩΣ ΙΩΝΩΝ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ, in medio ΚΟΙΝΟΝ ΙΩΝΩΝ, *Sacerdotis Ionum Colophonio-*

Lib. IV. Epist. 11.
Lib. X. Epist. 73.
In Hadr. c. XII.
Capitol. in M. Anton. c. XIII.
Lib. I. c. 25.
In Alex. Seu. c. XL.
Ibid. c. XXII.
In Aurelian. c. XXXV.
H. Eccl. l. VIII. c. 4.
Mort. Perf. c. XXXVI.
Epist. XII. p. 237.
H. Eccl. l. VIII. c. 1.
Paneg. Julian. p. 245.
Appian. Bell. Ciuil. lib. V. p. 743.

phoniorum, *Commune Ionum*; ut in solemni Ionum festo, quod ipse nummi typus sat arguit, a Communitatis Ionum Sacerdote sacra ibi peracta liqueat. Ita in Augusti nummo, ut supra dictum est, M. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *M. Furius Sacerdos Et Asiarcha Pergamenorum* legitur: iidem quippe, ut antea vidimus, Ἀρχιερεῖς & Ἀσιάρχαι. Immo prout uno *Pontificis* nomine designatus subinde a Romanis Scriptoribus, libera adhuc Republica, *Pontifex Maximus*; ut apud Liuium: *Regem sacrificulum creant: id sacerdotium* PONTIFICI *subiecere*; alibi: *Cætera omnia publica priuataque* PONTIFICIS *scito subiecit:* qui non alius quam Pontifex Maximus. Ut minus insolitum videri etiam debeat, quod ipsi Imperatores non semper Ἀρχιερεῖς Μέγιστοι, sed subinde Ἀρχιερεῖς tantum, cum apud Græcos Auctores, Plutarchum, Appianum, & Dionem appellantur, tum quandoque etiam in eorum nummis. Quæ, ut a me primum monita, etsi ea non erant tanti, obseruare visum est illustri [a] Cupero; sicut quod de *Pontifice* pro Pontifice Maximo pridem tradideram, eruditissimo [b] Pagi.

Supra p. 417.

Lib. II. c. 2.

Lib. I. c. 20.

a Notis ad Lactant. p. 209 P. II.

b Dissert. Hypat. p. 13.

Sicut vero eodem Ἀρχιερέων nomine dicti sunt passim, ut e superioribus ac aliunde, & e nummis etiam antiquis ac potissimum Minoris Asiæ obuium, summi cum urbium tum Prouinciarum Sacerdotes seu Ἀρχιερεῖς; ita etiam eadem Ἀρχιερέως appellatio, quam Christo Seruatori, ut monuerunt iam alii, tribuunt prisci Ecclesiæ Doctores, Clemens Romanus, Origenes, &c. translata est deinde promiscue ad Ecclesiarum Christianarum Antistites, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, quo nomine & Vigilium Romanum & Paulum Alexandrinum Præsides, præter alios, vocat in Arcana Historia Procopius. Ex eodem fonte profluxerunt postea inversa ΙΕΡΑΡΧΗΣ & ΙΕΡΑΡΧΙΑΣ nomina, inter quæ discrimen illud statuit Auctor Scholiorum ad Dionysium vulgo Areopagitam, ut ΙΕΡΑΡΧΗΣ *sacrorum curam*, ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ *Sacerdotum magisterium capesseret*; prior nempe τῶν ἱερῶν, alter τῶν ἱερέων ἄρχων.

Maximus in Schol. ad l. I. de Cœl. Hierar.

V. *De* TRIBUNITIA POTESTATE *in nummis Imperatorum.*

Inter eos vero Imperatorum titulos vel præcipuum sibi locum vindicat TRIBUNITIA POTESTAS; *quod* utique *summi fastigii vocabulum* ab Augusto repertum auctor est Tacitus, *ut aliqua appellatione cætera imperia præmineret*; & quæ a Vopisco *magna pars regalis imperii* dicitur. Quamquam eandem, & quidem perpetuam, Julio Cæsari iam ante delatam tradit Dio Cocceianus; sed ita, ut neglecto a Cæsare illo titulo, eo primum, quod monuit ad Tacitum Lipsius, sit usus eique splendorem dederit Augustus; sicut dein, & quidem inducto, iuxta eundem Dionem, legis instar more, est a Successoribus eius factum. Hinc *filius*, *collega imperii*, *consors Tribunitiæ Potestatis*, adsumitur, ab Augusto nempe, iuxta eundem Tacitum, Tiberius: alibi vero, post cædem Galbæ legas hæc verba: *Occurrunt Patres, decernitur Othoni Tribunitia Potestas, & nomen Augusti, & omnes principum honores*; ac Plinius de Traiano: *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribunitiæ Potestatis, &*

Annal. III. c. 56.

In Tacito Imp. c. 1.

Lib. LIII. p. 519.

Annal. I. c. 3.

Paneg. c. VIII.

Hist. I. c. 47.

& omnis pariter, & statim factus. Quomodo etiam ab eadem Potestate, tanquam honoratissimo supremi fastigii insigni, omnes dein Augustos annos imperii sui numerasse obuium est & contritum. Cuius equidem rei luculenti, ac ingenti sat numero, dantur etiamnum testes, prisci eorum nummi, in quibus hæc ipsa TRIBUNITIA POTESTAS, ac interdum cum integris illis vocibus, inter primos excelsi illius fastigii titulos consignatur; & qui inde quotannis, a primis illius semel adsumpti exordiis, ad imperii seu vitæ exitum, iteratam eandem exhibent. Unde etiam Tribunitiam Potestatem perpetuam recepisse Augustum tradit [a] Suetonius, [b] Dio, ac de Hadriano [c] Spartianus, quod is tum Tribunus plebis (Traiano nempe adhuc superstite) *ad perpetuam Tribunitiam Potestatem omen sibi factum adscrit*, hoc est ad imperium, quod mox etiam est adeptus. Quod enim *Tribuni plebis* nomen neque Augustum, neque ullum alium Imperatorem tulisse tradit Dio; id de eo, qui ad imperium foret iam euectus, non vero de eo, qui necdum in spem eam, aliquodue summæ potestatis consortium esset iam adscitus, dici, cum ex eodem Dione tum ex adductis Spartiani de Hadriano verbis sat liquet. Quomodo de Seuero, sed longe tum ab omni Augustum quandoque fastigium adipiscendi spe vel cogitatione etiam remoto, tradit Spartianus: *Tribunatum plebis, Marco Imperatore decernente, promeruit, eumque seueriſſime exertiſſimeque egit.*

a In Aug. c. XXVII.
b Lib. LI. p. 477. l. LIII. p. 519.
c In Hadr. c. III.
Ut supra p. 519.
In Seuero c. III.

Etsi vero perpetua foret, ut modo vidimus, illa Imperatorum Tribunitia Potestas; haud minus tamen illius, velut quotannis, etsi etiam in quinquennium vel in decennium foret primum data, renouatæ fidem præ aliis faciunt nummi ac lapides antiqui, ac prout cæteroquin de Augusto; post eius obitum, a Tacito dicitur: [a] *Continuata per septem & triginta annos Tribunitia Potestas.* Quomodo eadem destinatis ad imperium Successoribus, immo Collegis, & qua de re mox, imperii adsumptis, ab iis, aut eorum petitione ab amplissimo ordine, sicut de Tiberio, qui, ut de eo [b] Tacitus, illam dignitatem literis ad Senatum scriptis Druso filio peticrit; non perpetua quidem, sed ad quinquennium, quodque iterari postea consueuerat, concedebatur. Ita ab Augusto cum Agrippa primum, ut ea de re [c] Velleius, [d] Tacitus, & quidem, iuxta [e] Dionem, in quinquennium, eoque elapso in *aliud quinquennium*, [f] εἰς ἄλλα πέντε ἔτη, communicata est illa Tribunitia Potestas, quam & nummus eidem quoque adstruit; uti etiam Tiberio, & quidem in plura quinquennia, etsi unius meminit [g] Suetonius. Quod cum e [h] Velleio, ac e [i] Dione manifestius, tum clarissime ex ipsius Tiberii nummis euincitur, in quibus, ut eos mittam, qui *Tribunitiæ Potestatis* annos V. VI. ac dein, ad XII. usque, apud Goltzium exhibent, occurrunt inter alios signati cum anno TRIB. POT. XVI. quo mortuus est demum Augustus; quique inde continuatam Tiberio per tria lustra seu quinquennia una cum eodem Augusto Tribunitiam Potestatem omnino comprobant. Unde lux utique accedit Suetonii de Augusto verbis: *Tribunitiam potestatem perpetuo recepit, in qua semel atque iterum per singula lustra Collegam sibi adoptauit:* nempe, qui duobus diuersis lustris seu quinquenniis Agrippam, quatuor Tiberium (postremo nempe eodemque mortis suæ anno V. C. DCCLXVII. quod ex Suetonio, Dione, ac Tiberii Tribunitia Potestate XVI, qua is tum ornatus

a Annal. I. c. 9.
b Annal. III. c. 7.
c Lib. II. c. 90.
d Annal. III. c. 56.
e Lib. LIV. p. 529.
f Idem p. 541.
g In Tiber. c. IX.
h Lib. II. c. 99. & 103.
i Lib. LV. p. 554, 556. l. LVI. p. 588.
In Aug. cap. XXVII.

I. *De Tribunitia potestate subinde renouata, & cum successoribus communicata.*

tus erat, & quam nummi ei tribuunt, constat) consortes illius Potestatis fecerat. *Collegam* vero inde ab Augusto *adoptatum* dici a Suetonio, utrumque nempe illum Agrippam & Tiberium sat aliunde liquet; quod consortes Tribunitiæ Potestatis, ac ut plurimum simul Proconsularis Imperii, *Collegæ Imperatorum*, vel *Imperii* continuo dicerentur: uti supra Tiberius inde COLLEGA *imperii*, *consors Tribunitiæ potestatis* a Tacito traditur. Apud Suetonium legas de ultimo lustro ab Augusto paullo ante obitum condito: *Vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est*, COLLEGAM *suum Tiberium nuncupare iussit*; a Velleio denique dicitur Tiberius *consociatione Tribunitiæ potestatis æquatus Augusto*. De Tito similiter inquit Suetonius: *Eidem* (patri Vespasiano) COLLEGA *& in Tribunitia Potestate, & in septem Consulatibus fuit*; de Antonino Pio Capitolinus: *Factusque est patri* (Hadriano) *in imperio Proconsulari, & in Tribunitia Potestate* COLLEGA; ac idem præterea in M. Aurelio: *Commodum deinde sibi* COLLEGAM *in Tribunitia potestate iunxit*; nulla etiam ibi facta *Proconsularis Imperii*, uti nec a Suetonio in adductis de Tito verbis, mentione; cuius tamen, non vero unius Tribunitiæ Potestatis intuitu, Imperii vel Imperatorum Collegas dictos existimabat eruditissimus Pagi. Unde etiam *Imperatores* iidem, in residuis eorum nummis, haud minus ac superstites adhuc eorum parentes, appellantur; ut de eodem Commodo, ac iam ante Tiberio, Tito, Traiano, adde & Antonino Caracalla, vidimus. Qua ratione etiam factum, ut anni Tribunitiæ Potestatis in ipsis Augustorum nummis, non ab ipso summi eorum fastigii, quo nempe *Augusti* sunt nuncupati, exordio; sed ab initio acceptæ illius *Tribunitiæ Potestatis*, quod vel in eorum, quos modo adduxi, Imperatorum nummis obuium, arcessi soleant: atque ita plures iis anni *Tribunitiæ Potestatis*, quam Imperii Augustei tribuantur. Hinc consignati in Tiberii nummis anni TRIB. POT. XXXIIX. Titi TR. P. X. Antonini Pii, TR. P. XXIV; M. vero Antonini TR. P. XXXIV. quum Tiberii Imperii Augustei anni XXIII. Titi II. Pii XXIII. M. Antonini XIX. tantum numerentur. E quo tamen Imperatorum numero eximendus venit Augustus, in cuius nummis occurrunt solum XXXVIII. anni *Tribunitiæ Potestatis*, quum Imperii, ab anno nempe Actiacæ victoriæ, quæ contigit anno V. C. DCCXXIII. quadraginta quatuor annos eidem Augusto tribuant [a] Suetonius, [b] Dio, Victor in [c] Cæsaribus, & [d] Eutropius. Quo loco id insuper notandum venit, exstare aliquot Imperatorum nummos, in quibus omittitur subinde *Tribunitiæ Potestatis* numerus, adscriptis solum TRIB. POT. vel frequentius T. P. literis, ut in plerisque Traiani, si Goltzianos forte mittas, nummis, & aliquot exceptis cum annis TR. P. VII. vel TR. P. VIII. vel etiam TR. P. XX. quos ex Angeloni, e Gaza Regia, aut e Museo Collegii Claromontani adduxit eruditissimus Harduinus. Quod de Hadriano Traiani Successore magis adhuc dicendum venit; in cuius nummis, una cum reliquis summi imperii titulis, TRIB. POT. subinde legitur; sed quorum maior pars iis caret, qui unum AUGUSTI, vel cum additis eidem solis P. P. seu *Patris Patriæ* & COS. II. vel III. appellationibus titulum præferunt. Quo loco obiter memorandus est singularis quidam Hadriani nummus a [a] celebri Antiquario primum, ac dein a laudato modo [b] Harduino itidem adductus, in quo duo Imperatores Traianus & Hadrianus

Annal. I. c. 3.

In Aug. cap. XCVII.

Lib. II. c. 99.

In Tito c. VI.

In Anton. Pio c. IV.

Cap. XXVII.

Critic. Baron. p. 141.

a In Aug. c. VIII.
b Lib. LVI. p. 590.
c Cap. I.
d Lib. VII. c. 4.

Select. Oper. p. 549, 573.

a Vaill. Præst. Num. p. 156. P. II.
b Select. Oper. p. 754.

drianus dextras iungunt, cum inſcriptione TRIBUNITIA POTESTAS. Unde adoptatus adſcitusque a Traiano in conſortium imperii Hadrianus innuitur: quod utrumque cum alius Hadriani nummus, ac cum eodem iunctarum ab utroque dextrarum typo, & infra ADOPTIO, manifeſte oſtendit; tum hic, qui eundem Hadrianum *Collegam*, quod paullo ante de M. Antonino dictum vidimus, *in Tribunitia Poteſtate iungit Traiano.* In M. Anton. c. XXVII.

Eiusdem vero Poteſtatis minus frequens eſt & obliterata ferme mentio in nummis Imperatorum poſt Valeriani & Gallieni tempora, ſi unum vel alterum mittas; ut in [a] Claudio Gotthico TR. P. II. in [b] Aureliano TR. P. V. in [c] Probo TR. P. fine addito numero. In Græcis quidem illius ætatis nummis numerales imperii literæ ſubinde comparent, & quæ, quod plures in iis anni ſubinde ſignantur, quam ferret ſuſcepti ab iis Principibus imperii ratio (ſeu monetariorum incuriâ, ſeu aliunde id ſit factum) negotium poſſunt viris eruditis faceſſere; ſed cuius rei diſquiſitio non eſt iam huius loci. In Inſcriptionibus vero antiquis eorundem, & ſequentium adhuc Imperatorum, eadem dignitas conſuetis eorum titulis adiuncta ſubinde legitur: unde haud minus ſuſceptam ab iis hanc *Tribunitiam Poteſtatem* cum aliis ſummi faſtigii appellationibus conſtare poteſt. Quomodo etiam in Edicto, cuius ſupra alia occaſione memini, quod a Galerio Maximiano, ac ab eius in Imperio tum Collegis, Conſtantino & Licinio promulgatum apud Euſebium legitur, tribuuntur continuo inter alios titulos Galerio anni Tribunitiæ Poteſtatis XX, Conſtantino, V. & Licinio, IV.

2. *De obliterato* TRIB. POT. *titulo.*

[a] Birag. Num. Imp. p. 402.
[b] Ibid. p. 407.
[c] Ibid. p. 415.

H. Eccl. l. VIII. c. 17.

Collatum vero eſt a Senatu in Auguſtum, ac inde velut lege quadam, uti ea de re, quod ante vidimus, Dio, in eius Succeſſores, illud *Tribunitiæ Poteſtatis*, loco Tribuni Plebis, & quidem *perpetuæ*, nomen: pro recepto ſcilicet tum more, quo, iuxta eundem Dionem, ut Græca eius verba nunc omittam, [a] *Poteſtatem Cenſoriam* (qualis in Domitiani nummo legitur CENS. POT.) & *Poteſtatem Conſularem*, *illasque perpetuas*, *accepit eodem tempore Auguſtus*; ac alibi, [b] *Proconſulare Imperium*, de quo paullo poſt, *itidem perpetuum*. An vero, & quale fuerit discrimen inter hanc *Tribunitiam* Imperatorum *Poteſtatem*, & ius *Tribunorum plebis*, ac utrum prior maiorem aliquam auctoritatem aliquoduc imperium deſignarit, diſceptatum, & acerrime quidem, video inter duos viros, ſingulari harum antiquitatum peritia & tractatione conſpicuos, Cardinalem Norifium, & Antonium Pagi. Quum nempe iſtud a poſtremo fuiſſet adſertum, ac proinde eam *Tribunitiam Poteſtatem*, non tantum poteſtatem intercedendi ac immunitatem ab iniuria deſignaſſe, ſed Edicta inſuper condendi, & Senatum conuocandi, partem etiam maximam regalis imperii, a Tacito, ut paullo ante vidimus, appellatam; non proinde ſine auctoritate & imperio aliquo eandem fuiſſe. Iis opponit Norifius, eadem illa (ius nempe intercedendi cum immunitate, qua ſacroſancti habebantur Tribuni Plebis) in Republica locum habuiſſe; qua poteſtate uſi adhuc ſint tertio ſæculo, iuxta Dionem, Imperatores, & eiusdem Poteſtatis conſortes ab iis facti eorum filii, adhuc Cæſares tantum: Edicta etiam promulgandi, & quæ inde *Plebiſcita* a Romanis ſint dicta, ius habuiſſe eosdem Tribunos plebis; neque umquam a Romanis Scriptoribus *Tribunitium Imperium*, quæ poteſtas erat militaris, ſed *Tribunitiam Po-*

3. *De Imperatorum* TRIB. POT. *cum Tribunorum Plebis poteſtate collata.*

[a] Lib. LIII. p. 478.
[b] Ibid. p. 518. in fine.

Vid. Pagi Crit. Baron. p. 143. ult. ed.

Lib. LIII. p. 508.

testatem tantum dictam. Neque tamen inde a sententia sua sibi recedendum censuit eruditissimus Pagi; quod maiorem adhuc Imperatores, atque Edicta condendi *vi Tribunitiæ Potestatis* facultatem habuerint, quam antea edendi plebiscita Tribuni plebis: neque vero pars fuerit militaris Imperii eadem *Tribunitia Potestas*, sed pars summi Imperii ac supremi fastigii. Qua de re autem, ac unde potior omnino sit habenda eadem laudati modo Pagi sententia, & quale inter *Tribunitiam Potestatem* ac *Tribunos plebis* discrimen fuerit, id monendum est. Primò, quòd illa foret tantum Patritiorum, quales necesse erat creari aut fieri Cæsares, ut obseruat Dio; hi vero plebeii forent, Plebeius quippe magistratus, ad quem tamen petendum Equites etiam ab Augusto admissos alibi ab eodem Dione traditur. Secundò, quòd omnis Tribunorum plebis potestas foret intra urbem Romam seu eius pomœria circumscripta; nullam autem iidem haberent potestatem extra urbem; quodque sua adhuc ætate obtinere, unde nec extra eam poterant pernoctare, aperte docet Dionysius Halicarnassensis, cuius ea de re verba sunt hic omnino adducenda: Οὐδενὸς γάρ εἰσι τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν κύριοι· προγέγραπται αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς οὐ θέμις· mox: τοῦτο διαμένει μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τὸ ἔθος, τοῦ μηθενὸς εἶναι τῶν ἔξω τῆς πόλεως τοὺς δημάρχους κυρίους· *Nam Tribuni plebis in iis, quæ sunt extra urbem, nullam habent plenam potestatem; est enim illa mœnibus circumscripta, immo ne pernoctare quidem extra urbem ipsis licet*, nisi, quod addit, tempore Latinarum in Albano feriarum, dein: *Atque hic mos ad nostram usque ætatem permanet, ut Tribuni plebis in iis, quæ sunt extra urbem, nullum ius ac potestatem habeant*. Neque his aduersatur, quod forte in ciuili dissensione Metellus Nepos Tribunus Plebis ad Pompeium confugerit, addente ibidem Dione, *etsi per nullam noctem abesse ab urbe posset*, sub initium belli ciuilis inter Cæsarem & Pompeium, ob negatum ius intercessionis; illudque quod se, etsi alioquin vi Magistratus illius foret inuiolabilis, de salute sua sollicitum & in summo periculo versari obtendebat, ut extra urbem noctu ad Cæsarem confugeret; aut quod Antonium etiam τὸν Δήμαρχον, *Tribunum plebis*, Italiæ & præsidiariis in ea copiis præfuisse apud Appianum legitur, qui paullo ante, nefas esse Tribuno plebis egredi mœnia dixerat. At vero *Tribunitiæ Potestatis*, cui etiam Proconsulare extra urbem Imperium adiungi, ut plurimum, uti paullo ante diximus, consueuerat, Imperatoribus vel Imperio destinatis, quibus ea dignitas conferebatur, extra urbem, immo extra Italiam licuisse prodire, probatione utique haud indiget, ac vel uno etiam Tiberii exemplo cuiuis palam fit, qui ea potestate iam ab Augusto ornatus Rhodum secessit, ibique etiam ius Tribunitiæ potestatis exercere est creditus; quasi nempe vi eius potestatis iubere posset, ut omnes ægri ad se deferrentur. Accedit, & quod iam ad Suetonium a magno Casaubono obseruatum hic non debuit præterire, in suæ sententiæ patrocinium, eruditissimus Pagi; nempe discrimen hoc inter *Tribunitiam* Cæsarum *Potestatem* ac *Tribunos plebis* a Dione adnotatum: quod nempe vi prioris illius potestatis Augusto a Senatu delatæ intra pomœrium, & extra, ad primum urbis milliare, seu ad septem (non octo, ut ibi interpretes) stadia cum dimidio, præsidium foret eius auxilium implorantibus; Tribunis vero plebis intra urbis pomœrium

Lib. LIII. p. 508.
Lib. LVI. p. 587.
Antiq. l. III. p. 584.
Lib. XXXVII. p. 49.
Bell. Ciu. l. I. p. 453.
Ibid. p. 447.
Sueton. in Tiber. c. XI.
Not. ad Aug. c. XXVII.

rium tantum. De ea vero noua ac ſingulari viri docti ſententia, iuxta quam duplex etiam daretur ac diuerſa, alia in Exercitibus alia in Prouinciis, *Tribunitia Poteſtas*, ac ambæ proinde extra urbem, mox videbimus. Tertiò, quòd quum *Tribuni plebis*, quod vel ex literarum Inſcriptionibus apud Ciceronem liquet, ac a Dione præterea adſtruitur, forent infra Prætorum faſtigium: *Tribunitia* vero *Poteſtas*, de qua iam ante, *omnia imperia*, iuxta Tacitum, *præemineret*; eam adeptum, *conſortem regni*, ſeu *imperii*, & *Collegam Imperatoris*, ut vidimus, conſtitueret; ab ea vero anni Imperii numerarentur, & Vota Quinquennalia vel Decennalia ſuſciperentur: ut vel inde etiam aliquid maius & honorificentius in *Tribunitiæ Poteſtatis*, quam in Tribunorum plebis titulo reſediſſe, liceat omnino ſtatuere. Adde, quòd Interceſſionis ius Tribunis plebis, ut cæteroquin in veteri Republica, proprium, Tribunitiam Poteſtatem adeptis ampliſſimum, iuxta Dionem, obtingeret: unde Scauri apud Tacitum gratulatio; quod Tiberius *relationi Conſulum iure Tribunitiæ Poteſtatis interceſſiſſet*.

Vid. lib. 1. Epiſt. Fam. VIII. Lib. LV. p. 550. Annal. I. c. 13.

Sacroſancti vero iidem & inuiolabiles non ſolum inſtar Tribunorum plebis, & quidem, ſicut ea de re rurſus Dio, ut ſi minimo non dicam facto, ſed verbo, ſe ab aliquo læſos exiſtiment, eundem indicta cauſſa, tanquam piaculo quodam obſtrictum, necare potuerint. Quo referas id, quod de Vitellio refert Tacitus; quòd, quum forte Priſcus Heluidius Prætor deſignatus quid in Senatu contra Vitellii ſtudium cenſuiſſet, commotus inde continuo fuerit Vitellius; non tamen ultra quam *Tribunos plebis in auxilium ſpretæ Poteſtatis* (nempe Tribuniciæ) *aduocauit*. Ac ad Senatum quidem conuocandi facultatem quod adtinet, eam quoque habuiſſe Tribunos plebis, neque proinde quid eximium ea in re præ Tribunis habuiſſe *Tribunitiæ Poteſtatis* conſortes, vere obſeruat doctiſſimus Noriſius. Id enim, cum aliunde, tum e Dionyſio Halicarnaſſenſi conſtat, a quo obſeruatur, antiquitus quidem ius penes Tribunos plebis fuiſſe conuocandæ concionis; Senatum vero cogendi, ac ut ſententiam dicerent, facultatem penes Conſules tantum fuiſſe, donec id quoque anno V. C. CCC. obtinuerint Tribuni plebis. Adeo etiam ut non conuocandi ſolum Senatum, ſed cum etiam dimittendi ius iidem habuerint; idque poſtremum a Curione Tribuno plebis factum, ſub initium diſſenſionum inter Pompeium & Cæſarem, [a] Appianus memorat. Quæ cæteroquin facultas, Senatum quoties vellet conuocandi, a Senatu data Auguſto fuerat, ut e [b] Dione vidit iam ad Suctonium ὁ πάνυ. Id autem a Tiberio iure *Tribunitiæ Poteſtatis* ſemel factum his verbis docet Tacitus: *Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ Poteſtatis præſcriptione poſſit ſub Auguſto acceptæ.* Quamquam autem Leges & Edicta promulgandi, quæ *Plebiſcita* dicerentur, ius, ut obſeruat Noriſius, habuerint Tribuni plebis, id demum data pro concione rogatione, & collectis tributim ſuffragiis, & accedentibus concionis illius ſuffragiis, factum conſtat; neque eadem, haud accedente Senatusconſulto, ut docet Dionyſius, erant rata: quum Imperatores Edicta, pro auctoritate, condendi vel interpretandi plenam haberent poteſtatem; immo iis eſſent ipſimet ſoluti.

Hiſtor. II. c. 91. Antiq. l. x. p. 657. a Bell. Ciuil. l. I. p. 145. b Lib. III. p. 522. Annal. I. c. 7. Antiq. l. x. p. 639.

Haud opus vero, ut memoratæ paullo ante viri ingenio ac eruditione præſtantis in lucem nouiſſime prolatæ adſertioni multis refellendæ hic immorer:

4. *An gemina fuerit*

Tribunitia Potestas.

morer: de gemina nempe [a] *Tribunitia Potestate* sub Imperatoribus exercita, eaque interdum seiuncta: alià nempe, eàque potiore in Exercitibus, alià in Prouinciis, eàque in rebus ciuilibus. Quum autem nihil sit, cum a ratione ac natura institutæ id genus apud Romanos Potestatis, tum ab omni veterum Auctorum aliorumue monumentorum fide magis alienum; quodque nullam etiam veri speciem secum trahat, quodque omnes hactenus eruditos, ac antiquarios in primis, fugerit, id certis omnino ac indubitatis nummorum testimoniis & auctoritatibus, ab eo primum repertis ac proditis, fulciri omnino debuit. Quum tamen locos hic in margine adductos, ubi id ab eo adfirmatur, consulenti liquebit continuo, hoc totum nudis viri docti adsertionibus ac inanibus & longe petitis coniectationibus demum niti; uno certe adducto olim a me Aurelii nummo, & cum inscriptione in aduersa nummi istius parte TR. POT. VII. TR. POT. VIII. sed quam ille primus explicandam susceperit, ac quibusdam in eum sensum explicatis Plinii verbis, id ab eo potissimum adstrui. Unde utrumque illud præcipuum huius sententiæ fulcimen obiter est hic inspiciendum.

a Hard. Select. Oper. p. 699, 756, 773, 774.

Sel. Oper. p. 699. Lib. XI. c. 37.

Ac, ut a Plinii verbis ordiar, e quibus etiam ille, priori loco, hanc de gemina *Tribunitia Potestate* coniecturam exsculpsit, hæc sunt: *Diuo Augusto Spoleti sacrificanti primo* POTESTATIS SUÆ *die, sex victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque*, DUPLICATUM INTRA ANNUM IMPERIUM FORE. Quæ verba *Potestatis suæ*, de *Potestate prætoria* Augusto contra Antonium delata, iuxta Dionem, ac uti a Casaubono, & iam ante a Torrentio viris præclaris, ad Suetonium adnotatum fuerat, explicat ibi Harduinus. Idem vero, mutata sententia, de *Potestate* Augusti *Tribunitia* id omnino intelligendum iam contendit, & quidem quòd haud appellauerint Romani, in nummis certe, aliam *potestatem* quam *Tribunitiam*. Verum, præterquam quod hic de nummis apud Plinium non agitur; immo alia etiam datur in iis *Potestas*, quam *Tribunitia*, nempe *Censoria*, ut in indicato paullo ante Domitiani nummo, in quo POT. CENS. *Potestas Censoria* legitur: præter hæc, inquam, adducta iam ante e Dione, & quidem de Augusto id dicente, *Potestatis Censoriæ* vel *Censoris*, & *Potestate Consulis* vel *Consularis*; alibi sæpe *Potestatis Proconsularis* fit mentio: quæ itidem singula apud alios rerum Romanarum Scriptores sunt frequenter obuia. Immo quum apud eundem Dionem, agentem de hoc ipso duplicati iecinoris, quod a Cæsare (qui dein Augustus est dictus) visum sit, ostento, *id tempore*, *quo accepit* ORNATUM *ac* POTESTATEM, nempe contra M. Antonium, PRÆTORIAM, factum dicitur: Ὅτε τὸν κόσμον καὶ ΤΗΝ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ ἔλαβεν. Adde, quòd eodem anno acceptæ illius Potestatis Prætoriæ, nempe V. C. DCCXI. cæsis in acie contra Antonium Hirtio & Pansa Consulibus, Cæsar sit Consul una cum Q. Pedio, ut vel ex eodem [a] Dione, [b] Velleio insuper, [c] Appiano, ac Fastis Capitolinis est notum, suffectus. Qua ratione proinde plane omnino & manifeste a Plinio dictum liquet, quòd visa sex victimarum replicata iecinora *duplicatum intra annum imperium eidem portenderent*. Ut mirari proinde haud parum subeat, quod his Plinii verbis respici omnino ad Tribunitiam Potestatem existimet vir eruditus & sagax, immo eadem explicari aliter non posse, nisi de Tribunitia Potesta-

Lib. XLVI. p. 411.

Lib. XLVI. p. 314.

a Ibid. p. 320.
b Lib. II. c. 65.
c Bell. Ciuil. l. III. p. 586.

te

te explicentur, quam ſcilicet geminam ſit eodem anno V. C. DCCXXXI. (eoque COS. VIIII. & Agrippa III.) nempe unam in Exercitibus, alteram dein in Prouinciis, & quidem in urbis Natali, ſeu XII. Maii, conſequutus. Quum tamen, ut hæc in compendium mittam, id contigerit, & agnoſcente ipſo ad Plinium Harduino, tempore *Poteſtatis* eiusdem *Prætoriæ* contra Antonium, quæ ipſi delata eſt anno V. C. DCCXI. quo non Conſul utique VIIII. ſed Conſul primum creatus eſt idem Cæſar, atque ita viginti annis antequam *Tribunitiam Poteſtatem*, anno nempe V.C. DCCXXXI. ad quem etiam id factum refert ibidem Harduinus, Conſulatu vero eius, ut vel ex Faſtis & aliunde conſtat, non VIIII. ſed XI. acciperet. Accedit, & quod mirari licet, haud aduertiſſe virum ſagacem, qua vel leuiſſima veri ſpecie ſtatui poſſet, ex nummi, de quo iam nobis ſermo, inſcriptione TRIB. POT. VII. TRIB. POT. VIII. non ſolum de duabus diuerſi generis *Poteſtatibus* id poſſe intelligi; una quæ in Exercitibus, altera quæ in Prouinciis exerceretur; & quidem, quum poſtremam hanc, in Prouinciis nempe, hoc eſt, ut vir doctus ibi & alibi explicat, in rebus ciuilibus, tum primum acciperet; quæ proinde non TR. POT. VIII, ſed I. dici ibidem debuit; de noua certe collata in cum *Tribunitia Poteſtate*, & a priori diuerſa, nullatenus intelligi potuit. Exſtant vero etiamnum plures eiusdem Aurelii adhuc Cæſaris ac diuerſi nummi, in quibus, ut TRIB. POT. II. III. IV. V. VI. ita etiam VII. in aliis VIII. ac deinceps ſignatur; qui omnes ad unum demum *Tribunitiæ Poteſtatis*, cuius eſſet cum Antonino Pio conſors, genus omnino reſpiciunt. Adde, quòd *duplicatum imperium* minus proprie de *Tribunitia Poteſtate* ibi a Plinio diceretur: quæ, etſi *imperium*, ut ea de re paullo ante, vocari aliquatenus poſſet, ac unde *reliqua imperia præeminere* a Tacito, ut vidimus, dicitur, *Poteſtatis* tamen nomine cum ſuperioribus apud Plinium, in narratione huius rei, verbis, tum alibi paſſim apud Auctores, ac in nummis & lapidibus antiquis, nuncupari conſueuerit: immo qua voce *Poteſtatis* haud aliam a Romanis, in nummis certe, quam *Tribunitiam* appellatam, intelligi contendit ibidem vir doctus. *Imperium* vero, illudque *duplicatum*, & quidem *intra annum*, Cæſari ſeu Auguſto, oſtento illo duplicatorum victimarum iecinorum, continuo a Plinio intelligi, cum *Poteſtatem* illam *Proprætoris*, ut a Velleio dicitur, ſeu *Prætoriam*, ut ab Appiano, ac Dione, ut vidimus, dicitur, nempe militare & extra ordinem *imperium* Cæſari contra M. Antonium a Senatu datum; tum Conſulatum ei eodem adhuc anno, & quidem iuxta Velleium, X. Kalend. Octobr. a Populo delatum (quem autem Conſulatum *imperii* nomine ſimiliter dictum, ſicut paſſim ab aliis Romanis Scriptoribus, ut unum iam illud Ciceronis huc adducam, *ſummum in Conſulibus imperium*) nemo utique mirabitur. Nec denuo hic tangam, quam illud foret ab omni ratione ac ulla veriſimilitudine alienum, *duplicatum* ibi *imperium*, de inaudita hactenus gemina illa *Tribunitia Poteſtate*, unâ in Exercitibus alterâ in Prouinciis ſeu in rebus ciuilibus, explicari: immo eadem Plinii verba haud aliter poſſe intelligi confidenter adfirmare.

Lib. II. c. 65.

Pro Rabirio c. 1.

Quod adtinet vero ad nummum, cui in adferenda utraque illa *Tribunitia Poteſtate* inniti potiſſimum eundem virum eruditum diximus, nummus eſt, ut iam dictum, Aurelii Cæſaris viuo adhuc Pio, ac proinde an-

antequam foret Augustus, cusus; quem, ac, ut merito ait, perrarum, a me olim e cimeliis Chiffletianis delineatum, sed a nemine hactenus explicatum tradit, cum inscriptione nempe TR. POT. VII. TR. POT. VIII. Sed operæ pretium erit eiusdem nummi, quod ad me ex urbe miserat eruditus & gentilis laudis in versandis antiquis nummis æmulus, Thomas Chiffletius, cum quo Reginæ Christinæ tum a sacris mihi aliqua consuetudo, ut nosti, fuerat, ectypum a me antea vulgatum, hic denuo conspiciendum dare.

Cuius autem haud vulgo obuiæ inscriptionis in auersa nummi parte iam ante, ac alibi adhuc, meminit in eodem opere Harduinus; eamque, ut vidimus, de gemina *Potestate Tribunitia*, altera anno uno post priorem Aurelio Cæsari delata, explicandum statuit: priori nempe anno Christi CXLVII. in rebus ciuilibus exercenda; posteriore vero, quæ eidem *potior* alibi dicitur, in Exercitibus Anno CXLVIII. Quum tamen (quid enim de gemina hac & diuersa *Tribunitia Potestate* statuendum sit, iam vidimus) non de *Tribunitia Potestate* duobus annis continuis accepta, sed de eadem intra annum Julianum ab Aurelio Cæsare iterata ibi agatur. Nempe, & quod monuit doctissimus Norisius, sed iam ante illum eius conterraneus & Augustinianæ itidem familiæ Onuphrius, quum Tribunitia Potestas non Kalendis Januariis, uti Sigonio ac Petauio visum fuerat, sed alia anni die, & qua de re mox, iniri soleret, factum inde, ut eodem anno Juliano multiplicaretur eadem dignitas; cuiusque rei fidem faciunt veteres aliquot Domitiani & Commodi nummi, in quibus iterata *Tribunitia Potestas* sub eodem illorum unius anni Consulatu legitur: & in Domitiani nummis TR. P. IIII. COS. XI. in aliis TR. P. V. COS. XI. quum tamen alii sint eius nummi, qui TR. POT. V. ad eum anno proximo COS. XII. demum referunt. Qua ratione multiplicata legitur in eo, de quo hic agitur, insigni Aurelii Cæsaris nummo *Tribunitia Potestas Septima & Octaua*, nempe TR. POT. VII. TR. POT. VIII; ac proinde signatus est hic nummus circa tempus initæ denuo, eodem anno Juliano, illius *Potestatis* VIII. qua idem Aurelius, die XXVII. Febr. seu III. Kal. Martiis, iuxta doctissimum Norisium, aut biduo demum ante, iuxta eruditissimum Pagi, seu V. Kal. Mart. sicut pater Antoninus Pius, donatus dicitur.

Sel. Oper. p. 753, 783.

Com. in lib. II. Fast. p. 180.

Cenotaph. Pisan. p. 261.

Vet. Decenn. p. 111.

Critic. Baron. p. 136.

5. *De tempore, quo Tribunitia Potestas*

De tempore equidem, seu mense ac die, quibus hæc *Tribunitia Potestas* Imperatoribus vel destinatis Imperii hæredibus, conferri consueuerat, haud una est, eruditorum quoque, qui & in Fastis aut nummis antiquis versandis ac illustrandis sedulam operam posuerunt, sententia. Alii quippe, ut

ut hisce paucis defungamur, ſicut [a] Sigonius ac [b] Petauius, Kalendis Januariis id factum ſtatuunt: alii, quod illa die eam Poteſtatem ab Auguſto acceperit Tiberius, ut ex Velleio conſtat, ac ipſemet ante Auguſtus, a. d. v. Kalend. Julias, uti a viro inſigni eruditione [c] Perizonio factum inter alios video; alii, ut doctiſſimus [d] Toinardus, a. d. IV. Id. Decembr. qua nempe, iuxta [e] Dionyſium Halicarnaſſenſem, inibant Tribuni Plebis poteſtatem, & quod a [f] Dionc dicatur eadem *Tribunitia Poteſtas* quotannis ab Imperatoribus cum *Tribunis plebis* fuiſſe renouata; alii denique, ut [g] Onuphrius, [h] Noriſius, [i] Pagi harum literarum ac antiquitatum eximie periti, Imperii natali, vel ipſa ſuſcepti Imperii die, & quidem, iuxta Pagi, v. Kalend. eiusdem menſis, qui in quadam nempe religione apud Romanos ſit dein habitus, quod v. Kalend. Julias eam dignitatem ſuſceperit, ut modo vidimus, Auguſtus, ac dein Tiberius, & Ara Victoriæ, victis Antonio & Cleopatra v. Kalendas Septembris, ſit dicata. Quas diſcrepantes ea de re ſententias conantur earum auctores, ſi primæ adſertores, Sigonium ac Petauium, mittas, veterum nummorum auctoritate tueri; atque inde Chronologicas disquiſitiones, quæ non ſunt iam huius ſed alterius loci, ventilandas reliquere. Neque tamen hic prætereunda eſt nouiſſima ac, ut ei ſolemne, peculiaris eruditiſſimi Harduini ſententia, in Romanis nempe Imperatorum nummis *Tribuniticæ Poteſtatis* initium a die urbis natali, qui fuit XI. Kalend. Maii, excepto Antonino Pio & Marco, eſſe ſemper arceſſendum. In Græcis vero Auguſtorum nummis, Tribunitiam Poteſtatem ſemper a Septembri eſſe computandam, quod menſis ille, a quo annum ſemper inchoant, proximus eſſet natali urbis, quo die Poteſtas illa deferebatur. Id unum interea hic obiter tangam, quo quæ ex iis ſententia potior ſtatuenda videatur, lectori minus in verſandis hisce cimeliis ſubacto liqueat, priorem Sigonii ac Petauii ſententiam, de inita hac Poteſtate Kalendis Januariis, aperte omnino nummorum aliorumque veterum Auctorum teſtimoniis, quod primus ac vere monuit Onuphrius, ac adſeruit dein Noriſius, refelli: alteram vero de die v. Kalend. Julias, de Auguſto quidem ac Tiberio ea die Poteſtatem illam nactis, certam eſſe omnino, & vel ex Velleio aliisque monumentis antiquis, a laudatis modo Noriſio ac Pagi adſertam & comprobatam, non item de aliis Cæſaribus & Auguſtis, de quibus conſtat, eos alia anni die hanc dignitatem ſuſcepiſſe. Ut vel de Antonino Pio fidem faciet Capitolinus: *Adoptatus eſt quinto Kalend. Martias, factusque eſt Patri & in Imperio Proconſulari, & in Tribunitia Poteſtate Collega.* Quomodo etiam M. Antoninum ab eo, ante diem VII. Martii adoptatum ac donatum *Tribunitia Poteſtate* conſtat, idque e nummis potiſſimum adſertum legimus a viris præſtantibus Noriſio ac Pagi. Unde ſimiliter corruit, cum eruditi Harduini, id Kalendis Januariis de utroque Pio & Marco factum ſtatuentis, tum doctiſſimi Toinardi de die IV. Idus Decemb. qua Tribunos plebis creari mos erat, coniectura; neque eam adſtruunt Dionis de hac poteſtate quotannis eadem, qua Tribuni plebis die, renouatà verba, ſed quæ id tantum notant, iuxta *Tribunitiam Poteſtatem* annos imperii numerare Imperatores, *quaſi*, quod addit, *ſi quotannis & ipſi cum perpetuis Tribunis plebis eam acciperent*, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων προβαίνει. Quomodo etiam iisdem auctoritatibus conuellitur, nullis etiam adductis

ſolebat conferri.

a Com. in Faſt.
b Doct. Temp. l. II. c. 26.
c Anim. Hiſt. p. 314.
d Vid. Critic. Baron. p. 163.
e Antiq. l. VI. p. 410.
f Lib. LII. p. 408.
g Com. ad l. II. Faſt. p. 180. ed. Santandr.
h Cenotaph. Piſan. p. 360.
i Critic. Baron. p. 136.

Select. Oper. p. 682.

In Anton. P. c. IV.

Lib. LIII. p. 508.

probabilibus, vel e nummis, vel aliunde illius adsertionis testimoniis, eruditissimi Harduini de natali urbis, seu die XI. Kalend. Maii, qua Tribunitia Potestas iniretur, sententia, exceptis forte Pio & Marco, qui etiam Kalendis Januariis eam acceperint. Adeo ut verior omnino statuenda sit (ut iis difficultatibus, quibus priores sententiæ implicantur, libera, ac præstantium in hisce literis virorum, Onuphrii, Norisii, Pagi e priscis Auctorum, nummorum, ac lapidum testimoniis adserta, sententia) quæ ipsa suscepti imperii die initam, & quotannis dein renouatam *Tribunitiam Potestatem* contendit. Adeo quidem, ut nec ea cum eruditissimo Pagi ad diem v. Kalendarum alicuius mensis, quod Augustus, ac Tiberius v. Kalend. Julias eam Potestatem inierint, aut ob Aram Victoriæ v. Kalend. Septemb. ab Augusto dicatam, restringi deinceps censenda sit.

VI. *De Titulis* PII *&* FELICIS *in nummis Imperatorum.*

1. *De Titulo* PII.

Dictam vero TRIBUNITIÆ POTESTATIS appellationem sequuntur vulgo in nummis & inscriptionibus Imperatorum PII ac FELICIS cognomenta: more nempe eorum inducto ex acclamationibus Senatus in inaugurationibus Principum, aut ex præclaris in Romanorum ac Imperii salutem & gloriam rebus gestis, aut gerendis. Elagabalus quidem, inter reliquos primi fastigii titulos, utrumque adsumpsit ante Senatus decretum, ut constat ex eiusdem Epistola apud Dionem. Alias enim, neque continuo sub initium imperii, neque coniunctim semper eædem appellationes sunt Imperatoribus, & quidem prior ab Antonini Pii, posterior a Commodi temporibus, delatæ. Discrimen hoc, & corruptum simul morem adulationis illorum temporum, in Commodo obseruat Lampridius: *Inter hæc Commodus, Senatu semet vidente, quum adulterum Matris Consulem designasset, appellatus est* PIUS; *quum occidisset Perennem, appellatus est* FELIX. Hinc utrumque nomen simul in nummis Commodi primum legitur receptum, ac dein in Seueri aliorumque Imperatorum nummis frequenter occurrit.

Lib. LXXXIX. p. 907.

In Commod. c. VIII.

1. *De appellatione* PII *orta ex Græco* EYΣEBOYΣ *titulo.*

Ad PII quidem, primum in Cæsarianis prioris Antonini nummis receptI, appellationem quod adtinet, fuerat ea dudum ab aliquot Syriæ Asiæque Regibus Græco EYΣEBOYΣ nomine adsumpta. Quod iam in priori huius operis parte cum aliunde vidimus, ut e nummis, iuxta [a] Goltzium, Antiochi Sidetis VII. Syriæ Regis, atque ex iis, qui etiamnum prostant, & ibi quoque signantur [b] Antiochi Cyziceni superioris filii; tum Ariarathis & Ariobarzanis Cappadociæ Regum; prioris, fide itidem duorum veterum, quos ibi quoque adduximus, nummorum; posterioris, Ciceronis de eodem verbis: *Ut ego Regem Ariobarzanem* EUSEBEM *& Philoromæum tuerer.* Ac priorem quidem ex iis, Antiochum nempe Sidetem, *Eusebem* ab omnibus Judæis dictum, tradentem alibi vidimus Josephum: Δι' ὑπερβολὴν τῆς θεοσεβείας, ac, ut ibidem additur, τὴν περὶ τὸ θεῖον σπουδήν, *ob eximium quendam in Deum cultum.* Eadem scilicet

a Diss. VII. p. 441. To. I.
b Diss. VIII. p. 471. ibid.
Lib. XV. Epist. 2.
Antiq. l. XIII. c. 16.

Euse-

Εὐσεβείας ac Θεοσεβείας, de *Religionis* cura ac *in Deos pietate*, exstitit apud Græcos significatio: ut frustra inter eas voces a nonnullis sit aliquod discrimen quæsitum. Utrumque certe a Platone sumi promiscue videas: Ὅταν ἐξ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ἀσεβὴς γίνεται, ac paullo post: Καὶ τῷ ἐξ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ἄρα γενομένῳ ἀσεβεῖ, *quum ex viro bono & Pio impius existit:* dein: *Ei igitur, qui ex Pio natus sit impius*; ubi eædem voces εὐσεβοῦς & θεοσεβοῦς de homine *in Deum pio* usurpantur. Hinc minus mirari iam licet, si paullatim quoque cadem quæ EUSEBIS apud Græcos, sic apud Romanos PII nomenclatio sit inter illustres Imperatorum titulos illata. Quamquam iam ante Tiberio adhuc Cæsari, sed abnuente Augusto tum superstite; & successori eius Caio, seu Caligulæ (in patrios Deos iuxta & in necessitudine coniunctos impio) PII cognomen delatum, sed a quo illum pariter abstinuisse vel e nummis eius liquet, tradit Suetonius. In Cratylo p. 394. In Tiberio c. XVII. In Calig. c. XXII.

Illius autem appellationis primo inter Imperatores Antonino, quam is inde ac eius in Imperio successores tulerint, delatæ præter Historiæ Augustæ Græcos Romanosue Scriptores, Pausaniam præterea, de quo mox, [a] Justinum Martyrem, [b] Eusebium, aliosque, fidem vel in primis faciunt tot superstites illius Imperatoris nummi, qui eundem PII vel ΕΥΣΕΒΟΥΣ titulum eidem primum e Romanis Cæsaribus largiuntur. Quibus accedit, ut hoc addam, index, totius velut orbis consensu dati eidem Principi huius cognominis, σύγχρονος Herodes Atticus in veteri marmore, ubi filium ad Patritiorum numerum adscripsisse dicitur, Αντωνῖνος Αὐτοκράτωρ ΕΥΣΕΒΗΣ ὑπὸ τῆς πατρίδος καὶ πάντων κληθείς, *Antoninus Imperator*, PIUS *a patria & ab omnibus appellatus.* Cuius autem appellationis eidem datæ haud una ratio a Romanarum rerum Scriptoribus aliisque traditur. Ab eadem vero in *Deos Pietate* eam continuo arcessit Pausanias, quod viderunt iam alii: Τοῦτον ΕΥΣΕΒΗ τὸν βασιλέα ἐκάλεσαν οἱ Ῥωμαῖοι, διότι ἐς τὸ θεῖον τιμῇ μάλιστα ἐφαίνετο χρώμενος, *hunc Imperatorem Romani* PIUM *appellarunt, quod summa in Deum religione foret*; quibus ferme verbis usus est, ut modo vidimus, de appellatione *Eusebis* Antiocho Sideti datâ agens Josephus. Ad quod proinde respexit Alexander Seuerus apud Lampridium: *Si Pietatem, quid Pio sanctius?* a Apolog. I. b H. Eccl. l. IV. c. 10. Marm. Oxon. p. II. p. 303. Lib. VIII. p. 526. In Alex. Sev. c. IX.

2. *Quis Imperatorum primus* PII *cognomen tulerit.*

Id proinde, iuxta Pausaniam, Antonino cognomen datum, qua ratione PIETAS apud Romanos, præter alia, pro religione erga Deos dicebatur; ac unde instrumenta Sacerdotalia, Pateræ, Aræ, aut Templa in aliquot Cæsarum & Augustorum nummis depinguntur, cum inscriptione PIETAS AUG. in aliis vero figura stans cum patera, aut manu ante Aram extensa, cum inscriptione PIETAS PUBLICA. Quo spectat rarus quidam Otaciliæ nummus, in quo Mulier stat iuxta Aram, extensa dextra, ac sinistra pixidem tenens, cum epigraphe PIETAS AUGUSTÆ. Si vero Joannem Antiochenum audimus, τήν τε ΤΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ἐπίκλησιν ἅπάντων τῶν Αὐτοκρατόρων ἐκ τῆς τοῦ ἤθους ΑΠΛΟΤΗΤΟΣ ἀπηνέγκατο, PII *vero appellationem omnium Imperatorum a morum* SIMPLICITATE *tulit.* Quam cæteroquin laudem L. Vero tribuit post verba paullo ante adducta Lampridius: *Si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero* SIMPLICIUS? Immo prout de Commodo dicentem videas Dionem Cocceianum: Ὑπὸ δὲ δὴ ΤΗΣ πολλῆς ΑΠΛΟΤΗΤΟΣ καὶ δειλίας ἐδούλευσε τοῖς συνοῦσι, *ob nimiam vero* SIMPLICITATEM *ac timi-* Excerpt. Valef. p. 821. Ut supra. Lib. LXXII. p. 817.

miditatem seruiebat iis, cum quibus versabatur. Mitto enim, quòd Antiocheni de hoc Pio verba, non per *morum simplicitatem*, sed per *clementiam* vertit doctissimus Valesius; quæ etsi propria huius cognominis Pii eidem dati occasio videatur, haud tamen iis Antiocheni verbis designatur. Adde, quòd aliam adhuc caussam huius Pii appellationis tradit Spartianus: quod nempe *socerum fessum ætate manu sublenauit*, aut quod *Hadriano* (parenti nempe adoptiuo) *magnos honores post mortem tribuisset:* ac proinde, pro crebro apud Romanos vocum *Pii* & *Pietatis* usu, de amore seu caritate in Parentes, Liberos, Patriam, Principem. *Quid est* PIETAS, iuxta Ciceronem, *nisi voluntas grata in parentes:* qua significatione proinde noti vulgo & PIUS *Æneas* apud Poëtam, & *Pii* fratres Catinenses apud Græcos dicti, ac in præclaris nummis itidem obuii; ac, præter Oppium, Metellus, ac S. Pompeius, PII in iis similiter, uti in prima huius secundi voluminis Dissertatione vidimus, appellati. Quomodo Parentum mutuam in liberos caritatem, non solum PIETAS in Augustorum nummis, Matris symbolo liberos gremio fouentis, aut manus super eosdem extendentis, frequenter adumbrat, sed eam quoque in quodam aureo huius Antonini nummo figura stans cum tribus liberis, ac infra PIETAS AUG. designat. Quo referri etiam debet rara inscriptio Theodoræ Augustæ Herculii Maximiani priuignæ, in nummo, quem supra, ubi de nummis Augustarum agebatur, iam adtulimus, & in quo figura mulieris filium lactantis cernitur. Quo spectant etiam illa Faustinæ uxoris in Epistola ad Marcum verba: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem* (virum) *in defectione Celsi sic hortata est, ut* PIETATEM *primum circa suos seruaret, sic circa alienos. Non enim* PIUS *est Imperator, qui non cogitat uxorem & filios.* Immo qua ratione utrumque in Romanorum nummis celebrari ex æquo videas, hinc PIETATEM, nempe principis, cum erga Deos, tum in parentes, liberos, Populum Romanum, pro utraque illius nominis apud Romanos significatione, tum vicissim *Pietatem* Populi Romani vel Senatûs erga Principem, ut Parentem nempe communem, aut etiam ut Numen quoddam tutelare. Unde Ἀσέβεια, seu *Impietas*, dictum *crimen Maiestatis* in Principem; ut de Albucilla apud Tacitum, *quæ defertur* IMPIETATIS *in Principem*, & apud Dionem de Tito, qui in δίκας τῆς ἀσεβείας, *crimen impietatis* seu *maiestatis*, inquiri noluit; & clarissime de parente eius Vespasiano in Excerptis Constantinianis, qui τῶν καταψηφισθέντων ταῖς λεγομέναις ἀσεβείαις, *eas, quæ vocantur impietatis* (seu *crimen maiestatis* ut bene ibi Valesius) *damnatorum* accusationes sustulisse dicitur. Adeo ut mirum non sit audire Pisonem de se profitentem: *Vixisse me, Cæsar, cum fide aduersum te, neque alia in Matrem tuam* PIETATE; aut statuam videre pro Rostris erectam L. Vitellio Imperatoris patri, cum inscriptione PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. Unde inter faustas Patrum acclamationes, in inauguratione Pertinacis apud Lampridium, ingestum illud *Pietati Senatus Feliciter:* & quem locum egregie rursus illustrant præclari nummi huius Antonini Pii & Commodi, cum Imperatoris & togata Senatûs figura, ac inscriptione PIETATI SENATUS. Nempe, iuxta iuniorem Plinium; *erit* PIETATI SENATUS *cum modestia Principis felix speciosumque certamen.* Ita vicissim alius occurrit insignis Galbæ nummus, &

In Hadrian. c. XXII.

Pro Planc. c. 33.

Supra p. 75.

Supra p. 312, 313.

Vulcat. Gallican. in Cassio c. X.

Annal. VI. c. 47.

Lib. LXII. p. 754.

Ibid. p. 703.

Annal. III. c. 16.

Sueton. in Vitell. c. III.

Lamprid. in Commod. c. XVIII.

Panegyr. c. LXXIX.

cuius

cuius ectypum e præclaris cimeliis viri apud vos genere, dignitate, meritis ſplendidiſſimi, ac adlecti inter Purpuratos Patres, Camilli de Maximis, primi olim protulimus, a celebri dein Antiquario multis poſt annis itidem diuulgatum. Exhibet ille Galbæ Imperatoris, in prima nummi area, caput ac titulos cum inſcriptione SER. GALBA IMP. CÆSAR AUG. P. MAX. TR. POT. in altera vero Galbam paludatum ſtantem, quem Senatus togatus, ſiniſtrâ lauri ramum tenens, dextrâ coronat, cum inſcriptione SENATUS PIETATI AUGUSTI. Quem autem inſignem omnino nummum iure noſtro, ceu a nobis primum in ſuperiori harum Diſſertationum editione iam prolatum, hic denuo diuulgamus. J. Vaillant Præſt. Num. p. 22. P. 1.

Crederem facile inſcriptum ita hunc nummum auctore Senatu, ob adoptatum a Galba Piſonem, *nobilem utrinque*, & in quo facto *fauor Patrum*, tradente id Tacito, *aderat*; ni obſtaret forte breve illud quatuor, quod inter illius adoptionem ac cædem fuit, dierum interuallum. Ita haud diſſimilem nummum L. Veri deſcripſerunt præſtantes antiquarii cum eadem inſcriptione PIETATI SENATUS, uti in Commodo, in quo ille ac Senatus dextras iungunt. Quomodo alibi duorum Auguſtorum Pupieni & Balbini concordia ſolito ſymbolo, duabus nempe manibus iunctis, adumbratur, cum inſcriptione PIETAS MUTUA AUGG. Hiſtor. I. c. 19. Birag. p. 134. Ibid. p. 250.

3. *Continuatio eiusdem argumenti.*

Accedit vero alia adhuc, & veriſimilior forte ratio [a] Dione ac aliis Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus, [b] Spartiano & [c] Capitolino, tradita, cur idem Antoninus illo PII cognomento ſit a Senatu donatus: quod nempe ab initio principatus multos Senatores ab Hadriano ad mortem deſtinatos leto eripuerit. Quod adſerit etiam ſucceſſor eius & gener Marcus, in epiſtola ad Fauſtinam uxorem apud Vulcatium: [d] *Non enim quidquam eſt, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit; hæc Auguſtum conſecrauit; hæc patrem tuum* IN PRIMIS PII NOMINE *ornauit.* Adde ſequutas Patrum in eundem Marcum acclamationes: *Antonine* PIE, *Dii te ſeruent*, *Antonine Clemens*, *Dii te ſeruent.* Quo reſpexiſſe videtur Claudianus: a Lib. LXX. p. 790. b In Hadrian. c. XXVII. c In Anton. P. c. II. d In Auid. Caſſio c. XI. Ibid. c. XIII.

> *Sis* PIUS *in primis*, *nam cum vincamur in omni*
> *Munere*, *ſola Deos æquat* CLEMENTIA *nobis.*

In IV. Conſ. Honor. v. 275.

Unde etiam factum, ut, ſequiori æuo, inter ſolitas & proprias Imperatorum appellationes, PIETAS, ſicut CLEMENTIA, & MANSUETUDO, ſit recepta; quod notatur in Nouella Juſtiniani; & obuia ſunt exempla, cum apud Auctores eorum temporum, tum in Conſtitutionibus Imperatorum,

ut Theodosii M. [a] *Præcipua est* NOSTRÆ PIETATIS *intentio*; ac Anastasii de Imperatore & eius coniuge seu Augustâ similiter: [b] *Viris illustribus Præpositis utriusque sacri Cubiculi, tam* NOSTRÆ PIETATIS, *quam Serenissimæ nostræ Coniugis.* Quomodo a Lampridio ad Constantinum M. dicitur: [c] *Notum est illud* PIETATI TUÆ; alibi: *De qua vereor, ad* CLEMENTIAM TUAM *scribens, vera dicere.* Quo utroque *Pietatis* & *Clementiæ* nomine similiter Imperatores Theodosium M. aliosque compellat [e] Symmachus: immo in literis Regis Theoderici ad dictum modo Anastasium Imperatorem apud Cassiodorum: [f] *Ad Serenissimam* PIETATEM *vestram*; ab initio autem literarum, more etiamnum recepto, *Clementissime Imperator.* Quomodo ab Athanasio iam ante [g] τῇ Ευσεβείᾳ σου, *Pietati Tuæ*, ad Constantium Imperatorem dici videas. Immo, ut hoc addam, prout iam apud antiquissimum, qui supersunt hodie, Atticum Scriptorem, Æschylum, ἐυσεβὴς pro *misericors* dicitur:

a Leg. 1. C. de Primicer.
b Leg. v. C. de Præpos. S. Cubic.
c In Alex. Seu. c. LXV.
e Lib. x. Epist. 26, 29, 33, 36. &c.
f Variar. l. 1. c. 1.
g Apolog. p. 307. uit. ed. Paris.

Πῶς οὖν πρὸς ὑμᾶς ΕΥΣΕΒΗΣ ἐγὼ πέλω;

Suppl. ℣. 644.

Quomodo ergo versus vos MISERICORS *ego sum?* Ut nunc mittam ipsam Ponticam Diœcesim a Constantio, quod Ammianus refert, *ad honorem uxoris Eusebiæ*, PIETATIS cognomine insignitam: prout nempe iam olim Cappadociæ Metropoli Cæsareæ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ nomen ab aliquot eorum Regum, qui, ut ea de re paullo ante, EUSEBES dicti fuerant, inditum, non e Strabone solum, sed e duobus insignibus illius urbis nummis, a me ibi prolatis, iam in priori opere vidimus. Sic adductum paullo ante MANSUETUDINIS titulum, illo quoque Constantinianeo sæculo Imperatoribus tributum, docebit itidem Symmachus ad Theodosium M. *Etiam Diuus frater* MANSUETUDINIS VESTRÆ *cum tertium lustrum æui Imperialis exigeret*; alibi: *Quæso igitur* MANSUETUDINEM VESTRAM. Cui addere hic licet ipsum Imperatorem Julianum, qui, ubi se minime mansuetum vel clementem prodit, eundem, de quo modo, Athanasium urbe Alexandria iubet excedere, & quidem ἐξ ἧς ἡμέρας τὰ ΤΗΣ ΗΜΕΤΕΡΑΣ ΗΜΕΡΟΤΗΤΟΣ γράμματα δέξηται παραχρῆμα, *eo ipso die, quo* MANSUETUDINIS (Petauius minus hic proprie *humanitatis*) NOSTRÆ *literas acceperit.* Unde sequenti adhuc sæculo in titulo Constitutionis Tiberii Augusti, quæ Justiniani Nouellis cum aliquot aliis adnectitur, legas: *Fl. Tiberius Constantinus in Christo* MANSUETUS *&c.* ac ab initio Constitutionis: *Consuetum & peculiare* NOSTRÆ MANSUETUDINIS *remedium.* Quomodo Traiano a iuniore Plinio iam olim dictum, quòd *Populus Romanus* &c. *huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat.*

Lib. XXVII. c. 7.
Diss. de Præst. &c. Num. p. 473. To. I.
Lib. x. Epist. 26.
Ibid. Epist. 49.
Epist. XXVI.
Panegyr. c. 11.

+ *Harduini sententia de* PII *cognomine expensa.*

Quum vero, ut paullo ante vidimus, ab eruditissimo Harduino, in uno etiam e posterioribus [a] eius operibus, illoque cæteroquin multis nouis parumque fundatis adsertionibus pleno, visum fuisset illud PII in Antonino cognomen arcessere ab annonæ & nosocomiorum urbis cura, ac merum esse in eo elogium, vice cognominis ab eius liberis, pro titulo autem Imperatorum proprio postea adsumptum, adfirmare; ad alia dein de hoc PII cognomine, non solum ab hisce diuersa, sed iis plane contraria, in nouissima eius Historia Augusta e nummis Restituta, nec uno in ea loco, sta-

a Sæcul. Constantin. ed. Paris. in 4. p. 30.

ſtatuenda deflexit. Nempe illud PII cognomen Antonino, & conſecutis eum Auguſtis in nummis antiquis datum, haud eſſe honoris titulum, ſeu virtutis & laudis; ſed familiæ gentisque cognomen hæreditarium, quod hic Antoninus a Pompeio, a quo genus per matres duceret, traxerit. Magnum quippe Cn. Pompeium a Cornelia Metella Pia uxore, filia Metelli Pii Scipionis, cognomen illud accepiſſe, quod ad Antoninum transmiſerit per longiſſima ſæcula: nam inde non ſolum Antoninum Imperatorem cognomen PII habuiſſe, & plerosque eorum, qui eum ſunt conſequuti, ſed fortaſſe etiam Imperatores Regesque, quod ait, Gallorum, ut LUDOVICUS IMP. PIUS. Hinc ſtemma huius Antonini adducit, in quo paternum eius genus a M. Antonio & Cn. Pompeio Magno Pio; maternum a Nerua Auguſto deducitur; eius autem pater homo priuatus, immo etiam auus, dicti tamen *Antoninus Auguſtus Pius*: nempe *Auguſtus* fuit auus e coniuge Antonia Auguſta dictus, pater e matre eodem cognomine appellatus eſt; *Pius* vero uterque e paterno Pompeii genere. De quibus autem hæc ſtrictim dicenda veniunt: totum illud huius Antonini Pii Imperatoris ſtemma meris viri docti coniectationibus niti, nulla veterum Auctorum, lapidum nummorum auctoritate vel teſtimonio fultis. Ac maternum quidem illius genus, quod ſcilicet ab Ælia Ælii Neruæ filia, ac materno proinde Auo Imperatore Nerua duceret hic Antoninus, vel abunde, ne alia iam adtingam, redarguit quod in antiquis lapidibus *Neruæ*, & quidem per adoptionem, *Pronepos* appellatur hic Antoninus; nempe DIVI HADRIANI FILIUS DIVI TRAIANI NEPOS DIVI NERVÆ PRONEPOS. Ad paternum vero quod adtinet; illudque, ne alia ab hoc loco aliena iam tangam, a Magno Pompeio Pio deductum, ac unde ad hunc Antoninum ſit transmiſſum Pii cognomen; quum haud alio, quam illa huius cognominis communione, teſtimonio a viro docto adſtruatur, haud immorandum huic rei arbitror. Ut mittam, quòd illud PII cognomen non a Magno Cn. Pompeio, ſed a filio eius Sexto arceſſi omnino debuerit; cui, ut Gentis illius nummi ab Urſino primum, a Seguino dein, Patino, Vaillant, præſtantibus antiquariis, diuulgati luculenter arguunt, utque ab iis iam eſt animaduerſum, ob teſtatam in patre ulciſcendo, ac præterea in proſcriptis ſeruandis, pietatem eſt illud inditum. Adde, quòd nuſpiam eo PII cognomine ornatus legatur parens Magni Cn. Pompeius, quòdque idem MAGNI ſolum cognomen ad poſteros transmiſerit; quod uni ex iis adimere poſtea voluerit [a] Caligula, ſed eſt ei ſub [b] Claudio denuo adſertum, ut utrumque e Suetonio conſtat. Id vero magis adhuc alienum, quòd ſcilicet, nempe iuxta eundem virum doctum, illud PII cognomen tulerit Pompeius, ab uxore *Cornelia Metella Pia*: quum neque PIA eadem, ſed demum *Cornelia* vocari vulgo ab Auctoribus ſoleat, & a Lucano *Proles tam clara Metelli*; neque is ea utique ætate mos apud Romanos foret, ut hic Pompeius a tertia & poſtrema eius coniuge, quam iam poſt Juliæ obitum ac tot triumphis clarus, eamque iuniori P. Craſſo prius deſponſatam, uxorem duxit, illud PII cognomen mutuaretur. Neque vero illud ab eodem Q. Pompeio ad hunc Antoninum transmiſſum inde licet, ut viſum eſt Harduino, ſtatuere, quòd primò Græce non ΕΥΣΕΒΗΣ ſolum, ſed ΠΙΟΣ etiam vel ΠΕΙΟΣ, & ſic dein ΙΟΥΛΙΑ ΠΙΑ, Seueri coniux, ſcribantur in aliquot

Select. Oper. p. 686, 766, 771.

Ibid. p. 766.

Theſ. Grut. CLXI, 4. CLXIII, 9. CCLIII, 5, 6, 7. CCLIV, 3, 4, 5, 6, 7. &c.

a In Calig. c. XXXV.
b In Claud. c. XXVII.

Lib. VIII. v. 410.

Select. Oper. p. 686.

quot non huius solum Antonini, sed etiam M. Aurelii & Seueri, ac filii Antonini Caracallæ nummis. Secundò, quod ante hunc Antoninum Pium, multi sint Augustorum vel Augustarum nummi, ut Tiberii, Galbæ, Titi, Domitiani, Matidiæ, Hadriani, Sabinæ, in quibus PIETATI AUG. vel PIETAS AUGUSTA legitur; neque tamen ullus Augustus vel Augusta ante Antoninum PII vel PIÆ titulum tulerint. Tertiò, quod, quum tria oppida a Pompeio nomen habuerint, nullus tamen eorum nummus occurrat ante Antonini Pii principatum; ante quem scilicet nullum eorum sit ausum de Pompeii nomine gloriari. Quartò, haud aliunde in Antonini Caracallæ, falso ut addit, appellati nummo legi DIVO ANTONINO MAGNO; quum tamen viuus in nummis PIUS, non vero MAGNUS sit dictus; nisi quod a Pompeio Magno, qui *Magnus Pius* fuit, *Pius* ipse esset, ea MAGNI appellatione ad euitandam confusionem distingui debuerit a nummis primi illius Antonini, DIVO ANTONINO PIO inscriptis. Primum vero & secundum, sed unde transmissam a Magno Pompeio ad hunc Antoninum PII appellationem nemo facile, ut opinor, colliget vel exsculpet, ultra largimur viro docto; neque alium Imperatorem ante hunc Antoninum, illud PII cognomen vel in nummis vel in aliis etiam monumentis antiquis tulisse. Adde illud in Digestis ac in Codice Justinianeo, quod alibi vidimus, ei soli tribui: unam etiam exstare Theodosii M. Constitutionem in Cod. Theodosiano, ubi *Diui Pii Constantii* legitur, & ad quæ verba exstat hæc Cl. Jac. Gothofredi adnotatio: *Pii cognomen hoc loco tribuitur Constantio. Quod alibi, quod sciam, non occurrit.* Neque etiam inde, quod aliquot veterum in Cilicia vel Paphlagonia oppidorum, quæ *Pompeii* nomine fuerant appellata, non occurrant forte hodie ante hunc Antoninum Pium nummi, qui illud iis nomen, uti & Gadarensibus in Cœlesyria, quod postea factum, aperte ac audacter tribuant. Quod utique quam vim habere possit, ut inde paternum Antonini genus & PII cognomen a Pompeio deductum statuatur, facile quiuis, ut opinor, intelligit. Neque vero, ad euitandam solum cum Pii nummis, inscriptis DIVO ANTONINO PIO, confusionem, alterum e Pompeii, MAGNI nempe, cognominibus Antonino Caracallæ, post eius obitum in insignibus eius nummis tribuitur; & de quibus alibi, adducta etiam unius ex iis e Thesauris illis Regiis icone, haud ita pridem egimus: verum ea occasione etiam ibidem vidimus, hoc ipsum MAGNI cognomen, non in similibus id genus nummis, ac demum post eius mortem, consecrato huic Antonino Caracallæ tribui; sed illo etiam superstite, haud semel eidem in libris Juris Romanorum ciuilis a Paulo, Marciano, & Modestino concedi; ut: [a] *Diui Seueri & Magni Antonini Rescriptum est*, & sic alibi; immo eum cum Seuero patre [b] *Optimi Maximique* elogio haud semel ornari. Adde, quòd illud MAGNI cognomen, non utique, ceu a Pompeio ad eundem Antoninum transmissum; sed ab ea, quam cum Alexandro Magno adfectabat, similitudine ei sit inditum: unde illud Victoris in Epitome: *Hic, corpore Alexandri Macedonis conspecto*, MAGNUM *atque Alexandrum se iussit appellari.* Neque vero nouum illud erat, ut hoc addam, vel singulare, quod ΠΕΙΟΣ & ΠΙΟΣ Romano nomine legatur appellatus in Græcis aliquot nummis, a viro docto ibi adductis, idem Antoninus; idque exemplo prioris, qui hoc cognomen tulerat, Antonini:

Orbis Roman. p. 567. Leg. xc. C. Th. de Decurion.

Orbis Roman. p. 211.

a Leg. 1. D. Ne Req. Lix. D. de Dat. Temp. Præscr.

b Leg. xxii. D. de Publ. Judic. L. xxx. D. de Excusat. &c.

Cap. xxi.

Select. Oper. p. 686.

ni: prout nempe ΜΑΓΝΟΣ, ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, ΙΟΥΣΤΟΣ, aliaque Romana id genus nomina alibi notauimus; quæ, quod in proprii cognominis vicem transierant, Romanam etiam appellationem frequenter retinuerunt. Ridet certe alicubi Lucianus quendam historiarum conditorem, qui Romanorum nomina in alia Græca transformabat; *Saturninum* vocans Κρόνον, *Frontonem* Φρόντιν, aliaque id genus multo absurdiora. At non proinde fides habenda est Tristano, nobili antiquario, qui in nummo Tarsensi eiusdem Antonini Caracallæ literas Π. Π. explicat ΠΕΙΟΣ ΠΑΡΘΙΚΟΣ, seu *Pius Parthicus*, quæ, iuxta consuetum earum in sexcentis id genus nummis usum, ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ explicari debuerant.

Quom. Conscr. Hist. p. 616. To. I. ed. Amstel.

Tristan. p. 215. To. II.

2. *De* FELICIS *Titulo in nummis Imperatorum.*

1. *De* FELICIS *titulo* Commodo *primùm tributo.*

FELICIS etiam appellatio, Syllæ exemplo, est ab Imperatoribus quoque recepta, quam Commodo, Perenne occiso, peculiari Senatûs decreto demum concessam tradit[a] Lampridius. Id vero inde factum quoque statuit, qui sæpe nobis hic ad partes vocandus est, vir ingenio & [b] eruditione præstans; sed nullo adducto eius rei auctore vel testimonio, nisi quòd exstat eiusdem Commodi nummus, in quo BRIT. FELIX inscribitur, nempe *Britannicus Felix*. Verum cui illius FELICIS cognominis Commodo concessi origini obstant, quòd illud prius quam *Britannici* appellationem tulisse in nummis eiusdem, ut & in Inscriptionibus antiquis, legitur: quòd plures etiam cusi forent iam ante eius nummi cum solita eorum titulorum sede P. FELIX AUG. BRIT. ubi permutandus fuisset ille eorum situs, si ea illius *Felicis* cognominis ratio exstitisset; quòd iam is ante partum *Britannici* titulum *Germanicus* & *Sarmaticus* foret, ut e nummis eiusdem & lapidibus discimus, appellatus; quòd denique nemo plura id genus cognomina tulerit, quam hic ipse Commodus, ut vel apud Dionem videre licet, ubi *Amazonii*, *Inuicti*, FELICIS etiam, ac PII (ΕΥΤΥΧΗΣ, ΕΥΣΕΒΗΣ) recensentur. Quæcunque autem ratio illius cognominis huic Imperatori impertiti fuerit, illa FELICIS appellatio in Nummis & Inscriptionibus eiusdem Commodi recepta primum cernitur. Neque obstant inscriptiones illæ, quas video in magno Gruteri opere ad M. Aurelium huius Imperatoris patrem referri, cum utraque illa epigraphe, IMP. CÆS. M. AURELIO ANTONINO PIO FELICI. Antonino enim Caracallæ, qui eadem nomina, ut id e nummis & lapidibus itidem constat, gestauit, sunt illæ verius adscribendæ: ut licet etiam colligere ex addito in postrema ex iis BRITANNICI titulo; præterea ex præmissis illis ante M. Aurelium IMP. CÆS. nominibus, quod in Romanis Antonini Caracallæ nummis, non autem Marci est obuium. Neque vero infrequentes in luculento illo Thesauro occurrunt id genus transpositiones, ortæ ex nominum communione, cuius exempla etiam alibi in hoc opere notamus. Quamquam utrumque PIETATIS & FELICITATIS elogium norim Traiano concessum in veteri Marmore, & iuxta eius laudatorem, de eodem dictum sit *a cuncto Senatu*, *ô te* FELICEM; mox: *Estne verum*, *quod inter ista clamauimus*, *ô nos* FELICES. Scilicet iuxta veteris itidem Nummi epigraphen, quæ eandem appellationem Sena-

a In Commodo c. VIII.
b Hard. Select. Oper. p. 790. Thes. Grut. CCLXI, 6.

Lib. LXXII. p. 824.

Thes. Grut. p. CCLVIII, 9, 10. CCLIX, 1, CCLX, 1.

Ibid. p. CCXLVI, 4. Plin. Paneg.

tui tribuit, INVICTA ROMA FELIX SENATUS: immo prout in literis apud Dionem FELICIS huius (uti se præter magnam aliorum titulorum congeriem in iis nuncupat) ad Senatum scriptis: Γερουσίᾳ Κομοδιανῇ ΕΥΤΥΧΕΙ χαίρειν, *Senatui Comodiano* FELICI *salutem*. Solliciti nempe ante omnia Cæsares, ut felicitas suorum temporum non uno acclamationum aut monumentorum genere posteris traderetur; unde vel apud Ouidium legas:

Lib. LXXII. p. 824.

Trist. l. I. Eleg. 2.

Hoc duce si dixi FELICIA SÆCULA, *proque*
Cæsare tura pius, Cæsaribusque dedi.

Hinc frequentes illæ in præclaris eorundem nummis inscriptiones, FELICITAS AUGUSTI; FELICITAS TEMPORUM; FELICITAS REIPUBLICÆ; FELICITAS SÆCULI; FELICITAS PUBLICA; FELICIA TEMPORA; FELIX TEMPORUM REPARATIO; item ADVENTUI AUG. FELICISSIMO, & in eximio nummo Maxentii, ÆTERNA FELICITAS AUG. & FELICITAS IMP. Adde insignem Antonini Caracallæ nummum e præclaris omnino illustris Foucault cimeliis nuper ab Harduino adductum ANN. AUG. SÆCULI FELICISSIMI, iuxta illud Satyrici: FELICIA *dicas* SÆCULA; & a quo alibi dicitur: FELICIA TEMPORA, *quæ te Moribus opponunt*. Immo prout a Plinio Iuniore dictum: *Diuus quidem Nerua &c. missis ad me literis, non mihi solum, verum etiam* SÆCULO EST GRATULATUS, *cui exemplum* (sic enim scripsit) *simile antiquis contigisset*. Hæc omnia vero variis in nummis symbolis expressa, Triremi puta, ceu prosperæ nauigationis cursu; quatuor Pueris & Cornucopiæ, ceu quatuor anni tempestatum felici prouentu; Oliuæ ramo & Caduceo, ceu Pacis nuntiis; tum figuris Victoriarum nonnunquam, ut belli feliciter confecti testibus. Unde patet etiam, cur apud [a] Symmachum aliosque scriptores eorum temporum, SÆCULI, vel TEMPORUM FELICITAS, [b] *Laus*, *Gloria*, [c] *Fama*, [d] *Æquitas*, [e] *Bonitas*, in literis ad Augustos exaratis, passim extollantur; subinde vero infelicitas temporum, seu Tacito [f] *Temporum infamia*, notetur. Immo quam in rem a Seruio ad illud Virgilianum, *redeunt Saturnia regna*, dictum legitur: [g] *Nam* FELICITAS TEMPORUM *ad Imperatoris laudem pertinet*. Unde etiam in quibusdam Constantiniani æui nummis ad singularem Imperatorum vel Cæsarum illius ætatis laudem, FELIX TEMPORUM REPARATIO consignatur. Et appositè hanc in rem Cassiodorus: *Præsertim cum* BEATITUDO *sit* TEMPORUM, *lætitia populorum*. Inde quoque illæ Cæsarum in antiquis Lapidibus appellationes, non PII solum aut FELICIS, sed PIISSIMI, FELICISSIMI, BEATISSIMI, quas duas postremas non unus etiam Diocletiani & Maximiani nummus præfert; ac prout in titulis Theodosii Constantinopolitani Imperatoris præmissis Constitutioni, de qua paullo ante facta est mentio, FELICISSIMUS CÆSAR inscribitur. Quod minus mirum ea ætate, qua *Inuictissimi*, *Victoriosissimi*, *Fortissimi*, *Clementissimi*, *Maximi*, dicti passim Augusti. Immo inde etiam eorundem Cæsarum Regia, & eiusdem urbis simulacra, Coloniæ, BEATÆ passim & FELICES dictæ in antiquis id genus monumentis; qualis ROMA BEATA in nummo Constantii; ROMÆ FELICI, in nummis Caracallæ

Select. Oper. p. 801.

Iuuen. Sat. III. v. 312.

Idem Sat. II. v. 38.

Lib. VII Epist. 33.

a Lib. X. Epist. 30, 31.
b Lib. VIII. Epist. 1.
c Lib. X. Epist. 47.
d Ibid. Epist. 33.
e Ibid. Epist. 18.
f Annal. XIV. c. 48.
g Eclog. IV, 6.

Var. l. I. c. 20.

læ & Macrini; in aliis FEL. BER. seu *Felix Berytus*; FELIX IADERA; OCTAVIOLA FEL. apud Ligorium; FELIX RAVENNA; in singulari nummo Mediceo COL. AUR. KAR. KOMM. P. F. *Colonia Aurelia Carrenorum Commagene Pia Felix*; in nummis aliquot Seueri & Caracallæ, FELIX KART. ac in Galerii Maximiani nummo Mediceo, SALVIS AUGG. ET CÆSS. FEL. KART. seu *Saluis Augustis Et Cæsaribus Felix Carthago*; ut satis liqueat, cur a Tertulliano vocentur Carthaginenses *vetustate nobiles*, *nouitate* FELICES; ea ætate nempe, qua se ita publico ære signabant, iuxta consuetas id genus restauratarum sub Cæsaribus urbium appellationes. Hinc adposite de eadem Carthagine Optatianus: De Pallio, in initio.

Nunc se FELICEM, *nunc se sub nominis arce*
Tutam, quod KARTHAGO *decus venerabile gestat*;

ac similiter Martianus Capella, cuius ea de re locum adtulit iam eximius Patinus: *Ac propinqua* (Uticæ nempe) CARTHAGO, *inclyta pridem armis, nunc* FELICITATE *reuerenda*. E quibus utique colligas FELICIS titulum *Carthagini* proprium euasisse. Sic DACIA FELIX in aliis nummis, h. c. secundum antiquam Traiani inscriptionem: *Cuius Virtute* DACIA *Imperio Addita* FELIX *est*. Inde quoque noua Roma passim *Felicissima Ciuitas* dicta in Nouellis Iustiniani; immo urbes etiam a Romanis restauratæ, FELICITATES nuncupatæ, sicut Berytus *Felicitas Julia* apud Plinium. Neque aliter apud Græcos μεγίστην καὶ εὐδαίμονα vocari passim videas nobiliorem quamuis ciuitatem, magnitudine scilicet & opibus florentem; quomodo & opulenti homines Romanis *beati* & *beatiores* dicti; aut Ephyra, seu Corinthus, Himerio apud Photium iudicanti oculo felicitatem adferens vocatur, quæ & alias illo *Felicis* nomine est apud Poëtas & Historicos celebris. Num. Imp. p. 362. Thes. Grut. CXLIX, 1. Lib. v. c. 29. Biblioth.

2. *De singulari* Commodi *nummo.*

Quod vero e nummis diximus de FELICITATE PUBLICA, non autem singularum solum urbium aut Prouinciarum, aut de FELICIS appellatione sub Commodo recepta, illustrat etiam singularis quidam nummus, quem primo descriptum videre contigit in Collectancis Ligorianis, cum Commodi vultu in anteriori parte, in auersa verò cum memorabili inscriptione Coronæ inserta, ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, & quæ postrema explicabat bonus Ligorius, *boni aut felicis odoris Nicæensibus*. Quæ certe explicatio mihi quum mira, ac omnino absurda videretur, tota vero ipsius nummi epigraphe oppido singularis, ut qui scirem quantum sibi in his indulsisset Ligorius, opportune postea occurrit mihi similis ac probi utique commatis, inter nummos vere Regiæ Gallorum Gazæ, cum eadem omnino, quam descripserat Ligorius, epigraphe; sed cuius obuia erat continuo nec dubia utique lectio, nempe O. ΟΣΜΟΣ supplendum O. ΚΟΣΜΟΣ, ut proinde ea inscriptione significetur: *Commodo Imperante Orbis Felix est*, *Nicæensium*; prout alioquin legitur in Philippi P. nummo SPES FELICITATIS ORBIS, cui & addas licet illud Græci Comici, ὦ πόλις, πόλις, ὡς ΕΥΤΥΧΕΙΣ; De quo autem insigni Commodi nummo, cuius, ut iam innui, obuia omnino erat genuina explicatio, hæc ad me paullo post scribere Patin. Thes. Num. p. 87.

tibi visum est: " Nihil autem verius coniecturâ illâ tuâ, qua splendidam „ sane nummi insignis Commodiani inscriptionem suppleuisti. Sic enim „ in eius gemino, qui nuper mea opera Gazæ Cardinalis Medicei acces- „ sit, ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΚΟΣΜΟΣ ΕΥΤΥΧΕΙ „ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Immo cui similis etiam aliquot post annis vulgatus est ab eximio Sponio; ac alius insuper eiusdem Commodi inscriptus, ΛΑΟ-ΔΙΚΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ ΕΥΤΥΧΕΙΣ ΚΑΙΡΟΙ, *Laodicensium Neocororum Felicia Tempora.* Consueta nempe, prout vidimus, illorum temporum adulatione, ut sub pessimis etiam & infaustis Principibus, de Temporum ac Publica *Orbis Felicitate* passim sibi gratularentur Romani Orbis incolæ. Quod hic etiam a Nicæensibus factum, & in honorem illius Principis, sub quo primum FELICIS ille titulus inter solita Principatus vocabula est admissus. Ita, quum e delatis a Senatu Macrino PII ac FELICIS nominibus, solum is FELICIS accepisset, ut auctor est Capitolinus, inde continuo signatum videas eiusdem Macrini nummum, cum inscriptione ROMÆ FEL. *Romæ Felici.*

Itin. To. III. p. 187. Ibid. p. 183.

In Macrino c. XI.

3. *Continuatio prioris argumenti.*

Neque vero mirari quispiam debet, post primi Antonini vel Commodi tempora, haud semper in sequentium Imperatorum nummis legi adsumpta a duobus illis Augustis, præter alios receptos honorum titulos, PII insuper vel FELICIS cognomina: quum sæpe omissas in iis videamus præcipuas primi fastigii appellationes, & nouas etiam, uti DN. vel DOMINI, & de qua postea, inductas. Unde, quod rarior occurrat ille FELICIS titulus in Antonini Caracallæ nummis, haud ideo cum eruditissimo Harduino statuendum est, ni potius, ut addit adulterini habendi sint iidem nummi, id ab opifice factum, qui illud Commodi, eius scilicet auunculi, cognomen in sororis filium, hunc nempe Antoninum Caracallam, transmitti posse præter morem censuerit. Quod cæteroquin FELICIS cognomen eidem Antonino haud semel tribui in antiquis eius Inscriptionibus, sicut etiam PII, iam ante vidimus. Mitto, quòd vir doctus in Seueri stemmate paullo ante ab eodem adducto, *Æliam* quandam *Aureliam*, M. Aurelii Imperatoris filiam, atque ita Commodi sororem Septimii vero Seueri Imperatoris priorem uxorem, & huius Antonini matrem tradat: quam autem *Æliam Aureliam* non Seueri solum Imperatoris, sed, secundis etiam nuptiis, Macrini Augusti, tertiis vero, Elagabali proaui coniugem exstitisse, ibidem pro arbitrio, nullis certe adductis earundem nuptiarum testibus vel monumentis, statuit. Quæ proinde, qua fide, auctoritate, ullaue veri specie nitantur, ipse, neque enim nobis lynceis adeo & sagacibus esse licet, vel alii viderint. Illud quidem constat, qua de re silet ibi vir doctus, & de qua nos iam ante, Seuerum Imperatorem, non M. Aurelii Generum, sed *Filium*, ac inde Antonini Pii *Nepotem*, Hadriani vero *Pronepotem* dici in aliquot Inscriptionibus antiquis; uti & filium Antoninum Seueri Filium, Antonini *Germanici* & *Sarmatici Nepotem* appellari; sed quod ab uno & singulari Scueri in M. Antoninum cultu est profectum, a quo priuatus latum clauum, Tribunatum plebis, ac Præturam acceperat, ac quem præ omnibus Imperatoribus coluisse dicitur; ita ut & Commodum eius filium consecrarit, ac *Antonini* nomen utrique filio, Bassiano scilicet & Getæ, inderet.

Select. Oper. p. 801, 802, 809.

Ibid. p. 777.

Ibid. & p. 811.

Thes. Grut. p. CCLXIII, 8. Ibidem p. CCLXVIII, 4. CCLXIX, 1.

Vid. Spartian. in Seu. c. XI. XIX.

VII. *De* PATRIS PATRIÆ *Titulo in nummis Imperatorum.*

Adductos hactenus primi Augustorum fastigii in eorum nummis Titulos, sequi, ut plurimum, in iis solet præclara illa PATRIS PATRIÆ appellatio; quam Ciceroni primum concessam, ac ad Imperatores dein translatam obseruat [a] Appianus. Mitto obuiam eiusdem tituli rationem a [b] Dione Cocceiano indicatam; qui illum, non ut potestatis, sed ut honoris & cautionis vocabulum docet iis impositum; ut meminerint iidem subiectos patria caritate diligere; & subiecti eosdem debita vicissim liberis reuerentia prosequi: seu, ut Seneca de caussa illius appellationis Principi concessæ alicubi loquitur: PATREM *quidem* PATRIÆ *appellauimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Nempe prout, occasione illius tituli Traiano delati, a Juniore Plinio dicitur: *Cum ciuibus tuis, quasi cum* LIBERIS PARENS, *viuis; quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces?* Unde etiam, & quod adtendi hic meretur, id notat insuper dicto iam loco Appianus, eam *Patris Patriæ* appellationem dignis duntaxat Imperatoribus solere tribui: additque, οὐδὲ γὰρ τοῖς δε, καίπερ οὖσι βασιλεῦσιν, ἐυθὺς ἀπ' ἀρχῆς ἅμα ταῖς ἄλλαις ἐπωνυμίαις, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ μόλις ἥδε, ὡς ἐντελὴς ἐπὶ μεγίστοις δὴ μαρτυρία ψηφίζεται, *nam ne his quidem, etsi iam Augustis, statim cum cæteris cognominibus, sed cum tempore & vix tandem, velut perfectum maximarum rerum* ab iis gestarum *testimonium publice decernitur.* Quæ egregie utique illustrant Ouidii verba, de illa PATRIS PATRIÆ appellatione, eaque serius, ac post Romanum imperium armis ac legibus fundatum, Augusto tributa:

a Bell. Ciuil. l. II. p. 432. b Lib. LIII. p. 509.

De Clement. l. I. c. 4.

Paneg. c. XXI.

Ut supra.

Res tamen ante dedit: SERO *quoque vera tulisti*
Nomina, iampridem tu PATER URBIS *eras.*

Fast. l. II. v. 129.

Quibus adde illud Lampridii de Alexandro Seuero: *Hac igitur caussa festinatum est, ut omnia simul Alexander, quasi* VETUS *iam* IMPERATOR, *acciperet:* ac Orosii de Hadriano a Scaligero in Notis adductum: *Idem quoque continuo* PATER PATRIÆ *in Senatu* CONTRA MORE M AIORUM *appellatus.* Hinc videas in priscis monumentis Historiæ Augustæ eundem titulum, ut præcipuorum quasi honorum apicem, neque statim, neque promiscue Cæsaribus continuo tribui: quamquam nec dilatum semper, iuxta Appianum, sed præ modestia subinde ab iis aliquamdiu, ab aliis etiam in perpetuum recusatum, ex iisdem monumentis, adde & e nummis maxime, qua de re mox, liqueat. Quo spectant illa de Traiano dicti modo Panegyrici verba: *Tu etiam nomen* PATRIS PATRIÆ RECUSABAS. *Quam longa nobis cum modestia tua pugna? quam tarde vicimus. Nomen illud quod alii statim, primo Principatus die, ut Imperatoris & Cæsaris, receperunt, tu usque eo distulisti.* Ita Julio Cæsari, a quo mos illius cognomenti ad successores transiit, post mortem primo delatum

In Alex. Seu. c. II.

Ut supra.

tum hunc titulum existimarunt viri docti, ob Columnam eidem post mortem ab [a] Antonio erectam, cum inscriptione PARENS PATRIÆ, quam ut [b] *exsecratam* fugillat Cicero. Verum haud repertum, sed renouatum hoc eius cognomen, præter [c] Suetonium ac [d] Dionem, nummi eo viuo percussi satis arguunt, in quibus [e] CÆSAR PARENS PATRIÆ nuncupatur.

a Sueton. in J. Cæsar. c. LXXXV.
b Philipp. I. c. 2.
c In J. Cæsar. c. LXXXVII.
d Lib. XLIV. p. 242.
e In Famil. Julia Ursin. Patin. Vaill.

1. Augustus *quando primò* PATRIÆ PATER *sit appellatus.*

De tempore eiusdem appellationis Augusto primum concessæ maior erat inter eruditos controuersia: dum ab aliis, uti a Goltzio, ad Consulatum eius V. & A. V. C. DCCXXV; ab aliis, ut ab [a] Onuphrio, [b] Casaubono, ac [c] Ruperto ad A. V. DCCLVIII. eadem, sed ab utrisque perperam, est relata. Vere enim a viris præclaris omnino, [d] Cardinali Norisio & [e] Jac. Perizonio (e veteris Kalendarii, quod apud [f] Gruterum legitur, fragmento, adscriptisque in eo annis Tribunitiæ Potestatis XXI. & COS. XIII. Augusti, ac Nonis insuper, & quidem, ut aliunde ex Ouidio constat, Februariis) anno V. C. DCCLII. delatum illud Augusto PATRIS PATRIÆ cognomen adsertum est & comprobatum. Ipsa vero Fragmenti illius verba; unde de honorifica illa appellatione, solemni Senatus Populique Romani consensu, huic Imperatori, ut eximium quoddam honorum incrementum concessa, liceat statuere, hic cum bona Lectoris venia subdam:

a Comm. in Fastos p. 186.
b Ad Sueton. Aug. c. LVIII.
c Epist. ad Reines. XXVIII.
d Cenotaph. Pisan. p. 177.
e Anim. Hist. p. 313, 314.
f Thes. Grut. CLXXXVI, 2.

Ut supra.

NON. N. CONCORDIÆ
IN. ARCE. FERIÆ. EX
S. C. QUOD. EO. DIE
IMPERATOR. CÆSAR
AUGUSTUS. PONTIFEX
MAXIMUS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATU
POPULOQUE. ROMANO. PATER
PATRIÆ. APPELLATUS

Nonas vero *Februarias*, quibus illo titulo ornatus est Augustus prima Inscriptionis voce; sequenti vero litera N. non *Nouembribus*, cum Ruperto, sed *Nefastis*, cum doctissimo Perizonio intelligi, liquet utique, ut viderunt iam viri docti, ex Ouidio de illis *Nonis Februariis* dicente ad Augustum:

Fast. l. II. v. 127.

Sancte PATER PATRIÆ, *tibi Plebs, tibi Curia nomen*
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.

De Clement. l. I. c. 10.

Quod iure factum comprobat alicubi Seneca: *Bonum principem* AUGUSTUM, *& bene illi conuenisse* PARENTIS *nomen fatemur.* Unde cusi continuo nummi etiamnum obuii, in quibus nouus ille & insignis laudis ac honoris titulus consignatur, CÆSAR AUGUSTUS DIVI F. PATER PATRIÆ, ac in nummis Coloniarum, cum solo insuper AUGUSTI, aliis omissis, nomine, AUGUSTUS DIVI F. PATER PATRIÆ.

2. Tiberius PAT. PA-

Ad Tiberium vero Augusti successorem quod adtinet, eum cognomen illud, ac ab initio quidem imperii, *Patris Patriæ* constanter recusasse,

a

a [a] Suetonio duobus loeis, ae a [b] Dione traditur ; ae nummi eius fidem etiamnum faeiunt, qui earent hoe titulo: euius autem facti memorabilem hane eaussam addit Tranquillus; quod, [c] *quanta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisset.*

TRIÆ *appellationem recusauit.*

a In Tiber. c. XXVI. & LXVII.
b Lib. LVII. p. 607.
c Sup. c. LXVII.

A Nerone autem, ae sub initium quoque laudati principatus, eundem titulum propter ætatem reiectum, auctor est idem [a] Suetonius: ita tamen ut eundem breui post reeeptum eonstet ex eius nummis, qui primo Imperii ab eo suseepti anno pereussi, eum eum reliquis summi fastigii cognominibus signant.

3. Nero *iam primo anno hunc titulum recepit.*

a In Neron. c. VIII.

A Vespasiano eandem *Patris Patriæ*, uti & *Tribunitiæ Potestatis* appellationem, sero demum admissam idem [a] Tranquillus refert. In eius tamen nummis TR. POT. primo, alterum vero P. P. seu *Patris Patriæ* nomen seeundo imperii eius anno expressum legitur.

4. *De* Vespasiano, Traiano, Hadriano *&c.* P. P. *appellatis.*

a In Vespas. c. XII.
b In Hadrian. c. VI.
c Chronic. p. 167. P. II.
d Pag. 254. ed. du Cange.
e Diss. Hypat. LII. c. V. p. 135.

De Traiano iam ante e Juniore Plinio vidimus illum eandem *Patris Patriæ* appellationem, sibi a Senatu oblatam, reeusasse aliquamdiu : quomodo similiter de [b] Hadriano refert Spartianus, quòd *Patris Patriæ nomen sibi delatum statim & iterum postea distulit*; & quidem, *quod hoc nomen Augustus sero* (ut de eo id tradentem paullo ante vidimus Ouidium) *meruisset.* Unde etiam anno demum Imperii deeimo ab [c] Eusebio, ae inde a [d] Chronici Alexandrini seu Pasehalis Auctore, Hadrianus *Pater Patriæ* appellatus dieitur. Quorum, ut & Spartiani, auctoritate adductus id statuit quoque eruditissimus [e] Pagi, & quod nulli exstarent apud Goltzium Hadriani nummi, in quibus ille ante adeptam Tribunitiam Potestatem X. *Pater Patriæ* dieeretur. Quam tamen moram in utroque Imperatore haud fuisse diuturnam, sed primis Imperii annis suseeptam ab iis hane *Patris Patriæ* appellationem, e eoæuis iisdem lapidum ae nummorum monumentis, ut adductum a Sealigero Orosii eam in rem testimonium hie mittam, manifesto equidem liquet. Traiano eerte altero imperii anno plures Romani nummi hunc P. P. seu *Patris Patriæ* titulum tribuunt, anno autem tertio, nempe TRIB. POT. III. COS. III. P. P. EX SC. vetus lapis. Hadriani autem, præter duas adlatas a Sealigero inseriptiones, quæ apud Gruterum itidem leguntur, in quibus *Tribunitiæ Potestatis* anno I. & II. P. P. itidem dieitur, exstant plures nummi, & quidem eum S. C. primo illo eius Imperii ae Trib. Pot. anno itidem eonsignati ; ut id studio quorundam priuatorum factum, eum laudato Pagi, haud liceat utique statuere. Id quidem eonstat, exstare plures omnino huius Hadriani nummos, eum sola inseriptione HADRIANUS AUGUSTUS, vel eius COS. III. citra alios, ae ipsius etiam P. P., titulos; quod forte Eusebio aliisque imposuit, ut serius demum ab Hadriano adsumptam illam *Patris Patriæ* appellationem crediderint. De Mareo Antonino id monet Capitolinus ; quod is *Patris Patriæ nomen delatum, fratre* (nempe L. Vero imperii Collega) *absente, in eius præsentiam distulit.* De Pertinaee vero illud, ae velut singulare, obseruat Capitolinus, quod *primus omnium ea die, qua Augustus est appellatus*, PATRIS PATRIÆ *nomen reeepit* ; quod etiam de Alexandro Seuero notat Lampridius : *Primus denique omnium cuncta insignia & honorificentiæ genera simul reeepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine, quod iam ante aliquot annos meruerat; & magis suffragante vita & moribus.* Ubi obiter obseruandum venit, non tam ratione, aut destinato

Vid. Birag. Num. Imp. p. 142. Thes. Grut. CCXLVI, 5.
Ibidem CCXLVIII, 6, 7.
Birag. p. 168.
In M. Anton. c. IX.
In Pertinac. c. V.
In Alex. Sev. c. II.

nato consilio, quam impetu, & Senatûs ac Populi acclamationibus, appellationes id genus frequenter concessas. Ita, sicut Romulum olim PARENTEM URBIS ROMÆ *saluere uniuersi iubent* apud [a] Liuium; sic a Romanis J. Cæsarem PARENTEM PATRIÆ tum proclamatum tradit [b] Dio: ut non adeo Ciceronis, cum [c] Appiano, quam eiusdem Romuli exemplo, illud Cæsari ac eius dein Successoribus tributum statuamus. Nec aliter de Othone narrat idem Dio in Excerptis Constantinianis, eum a militibus sæpe PATRIS nomine appellatum, tanquam liberis ac parentibus sibi cariorem: Βασιλεῖ δὲ, inquit alicubi Philo, οὐκέτι προσῤῥησις οἰκειοτέρα ΠΑΤΡΟΣ, *Regi nulla appellatio magis propria, quam* PATRIS.

a Lib. I. c. 16.
b Lib. XLIV. p. 242.
c Bell. Ciuil. l. II. p. 432.
Pag. 697.
De Prouident. p. 1197.

5. *De* PATRIS *appellatione Impp. post eorum obitum data.*

Quæ cæteroquin PATRIS appellatio sola interdum, nempe sine addito PATRIÆ nomine, Imperatoribus, & quidem post eorum obitum, seu iam DIVIS & consecratis, tribuitur. Ita DIVUS AUGUSTUS PATER cum variis consecrationis symbolis, in aliquot eius nummis signatur; apud Goltzium DIVUS NERVA PATER; alibi, & de quo nummo paullo post, DIVI NERVA ET TRAIANUS PATER; tum DIVUS PERTINAX PIUS PATER in nummo Regiæ Gallorum Gazæ a me pridem inspecto, ab [b] aliis dein similiter memorato. Quo autem solo PATRIS in indicatis illis nummis cognomine, *Patrem Senatûs & Patriæ* designari, quum parum probabili, uti postea liquebit, coniectura statuissem, ubi de illo Pertinacis nummo agit, eruditus Harduinus; idem postea in Addendis & Corrigendis delendum illud censet, & quidem, ut doceat illa PATRIS in dictis illorum Imperatorum nummis appellatione, Augusti puta, Neruæ, & Pertinacis, significari proditurus deinceps ex eorum stirpe CÆSARES, e Nerua nempe ÆLIORUM, e Pertinace vero HELVIORUM. Quæ explicatio, ut hæc paucis tangam, reiectam iam ante nouam admodum ac singularem *Cæsarum* & *Augustorum*, a primi Augusti stirpe, usque ad seculi Constantiniani Imperatores, prognatorum opinionem, denuo hic obtrudit. Ita idem ab *Ælio* scilicet *Nerua Ælios* inde eius successores, Traianum puta, Hadrianum, Ælium Cæsarem, ac Antoninum Pium oriundos tradit: quum tamen de *Nerua*, quod idem *Ælii* nomen tulerit, nulla Auctorum, lapidum, aut vero nummorum monumenta fidem hactenus faciant, valdeque lubrico titulo id innitatur, ex inscripto quippe Græco L. Ælii Cæsaris nummo, Α. ΑΙΛΙΟΣ Ν. ΚΑΙΣΑΡ, nempe interprete Harduino, *Lucius Ælius Nerua Cæsar*, & in aliis Commodi ac Seueri nummis, Ν. ΤΡΑ. ΒΟΣΤΡΑ, *Neruia Traiana Bostra:* quum alibi antea, & recte quidem, ut id alio etiam loco videbitur, illam in iis nummis literam non Νέρουας, aut Νέρσια, sed Νέα seu *Noua Bostra* fuisset interpretatus. Ne iam de Traiano, primo Neruæ successore, id adducam, neque illud ÆLII nomen eidem a Nerua adoptato uspiam tribui; neque ante eandem adoptionem de eo, uti Neruæ genero, ac inde mox in filium ac Cæsarem adscito, ullam exstare veterem memoriam. Immo quibus aperte omnino aduersantur Junioris Plinii ad eundem principem verba: NULLA *adoptati cum eo, qui adoptabat*, COGNATIO, NULLA NECESSITUDO. Mox: *Itaque adoptatus es, non ut prius alius atque alius, in* UXORIS *gratiam, non vitricus* (licet addere, *socer*) *sed princeps.* De HELVIIS vero, quos veluti futuros Pertinacis successores declararent illi nummi eiusdem iam consecrati, inscripti DIVUS PERTI-

Ibid. p. 744, 745.
Ibid. p. 764.
De Num Urb. Ill. Prim. ed. p. 76.
Panegyr. c. VII.

NAX PIUS PATER; id vel abunde redarguit, quod unus ille & ſolus Pertinax ex ea *Heluiorum* gente, & quidem per breue, ſeu trimeſtre demum, imperium obtinuerit; ſucceſſor vero eius Seuerus e Septimiorum non *Heluiorum* gente eſſet ortus, nullius præterea monumenti cuiuspiam veteris fide, Pertinacis ſorore, quod viſum eſt viro docto, natus dicitur. Accedit, quòd aliæ utique eſſent & propiores, immo certæ omnino, huius PATRIS tituli, conſecratis illis Imperatoribus Auguſto, Neruæ, ac Pertinaci, in memoratis eorum nummis tributi, rationes. Ac prima quidem, quòd hæc *Patris* appellatio a Succeſſoribus natura vel adoptione filiis, uti a Tiberio, ac Traiano, Auguſto ac Nerua defunctis, & Diuorum numero adſcriptis, pietatis ergo, in Parentes optime de ſe meritos, tributa, cenſenda eſt. Haud aliter nempe ac idem Traianus, in memoriam non adoptantis iam illiusque Auguſti, ſed naturalis, & priuati quidem, parentis, nummum aureum, eumque ſingularem nec vulgo obuium, cudi iuſſerit inſcriptum DIVUS PATER TRAIANUS. Quomodo etiam Hadriani, qui a Traiano, & quidem Plotinæ eius uxoris interuentu, eſt ſimiliter in filium & ſucceſſorem adſcitus, occurrunt præſtantes quidam nummi, unus cum aduerſis Traiani & Plotinæ capitibus, & cum aſtris deſuper, ac inſcriptione DIVIS PARENTIBUS; alter cum Traiani capite, DIVO TRAIANO PATRI; vel DIVO TRAIANO PATRI AUG. præter alium a me olim iam adductum eiusdem Hadriani nummum, in quo legitur DIVUS TRAIANUS AUG. PARTH. PATER, & de quo mox. In quam claſſem, filiorum in parentes & fato iam functos Imperatores pietatis, referendos noſti alios id genus nummos; ut Maxentii, DIVO MAXIMIANO PATRI MAXENTIUS AUG. in alio, IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO SOCERO: prior nempe ad Maximianum Herculium, a quo erat ortus; alter ad Galerium Maximianum, cuius filiam uxorem duxerat, reſpicit. Immo unde profectum hunc morem videas, ut defuncti Imperatores PATRES aut PARENTES vulgo a Succeſſoribus vocarentur, quamquam nullis cognationis vinculis forent iisdem coniuncti; cuius moris crebra occurrunt exempla in Codice Theodoſiano. Ad adductum vero paullo ante Pertinacis nummum, cum iis DIVI & PATRIS titulis, quod adtinet, quum ille nullum in imperio Succeſſorem reliquerit, ingens vero ſub Seuero, qui poſt eum imperauit, Senatus teſtimonium, quod de eo tradit Capitolinus, meruerit; immo de quo iam dixerat: *Per Senatum & populum Pertinax in Deos relatus eſt*; inde quoque Senatus decreto, quod arguit itidem additum EX S. C. cuſi ſunt illius nummi, DIVUS PERT. in aliis PERTINAX cum integro nomine PIUS PATER, cum ſolitis conſecrationis ſymbolis. PERTINACIS vero *nomen*, quod ad imperium adſcitus tulit poſtea Seuerus, eiusque nummi paſſim præferunt, *amore boni Principis*, eodem Capitolino auctore, *accepit*. Altera vero ratio, unde hoc PATRIS cognomen in nummis conſecratorum aliquot Cæſarum receptum cenſeri poteſt, reſpicit ad eandem PATRIS appellationem quibusdam Diis tribui a Gentilibus ſolitam. Quod de Ioue obuium utique eſt & contritum, quique dictus ſit *Iuppiter*, quaſi *iuuans Pater*, aut a Poëta, *Deorum* iuxta & *Hominum Pater*, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, immo quòd ille ſolo etiam PATRIS nomine deſignetur:

Vid. Vaillant Præſt. Num. p. 124. P. II.

Ibid. p. 148.

Num. Duc. Arſchot. Tab. 36.

In Pertinace c. XV.

Virgil. Georg. 1. ỹ. 283. *Ter* PATER *instructos disiecit fulmine montes*;

Ibid. ỹ. 328. alibi: *Ipse* PATER, *&c. Fulmina molitur dextra*, ac de Ioue similiter Ho-
Lib. 1. Od. 12. ratius: *Quid prius dicam solitis* PARENTIS *Laudibus?*

Neque vero minus in vulgus etiam notum, quod Imperatores olim, Iouis instar [a] *Patres Ausonii*, [b] *Patres Latii*, immo [c] *Patres Orbis* & *Mundi* sunt frequenter a Poëtis, Ouidio, Martiali, Statio, aliisque, dicti: & prout Caligula *Latialis Iouis* nomine consalutatus a [d] Suetonio traditur. Quod egregie in primis firmat ac illustrat singularis Hadriani nummus, in quo Traianus sub Iouis habitu depingitur, stans cum fulmine & hasta, & memorata obiter paullo ante inscriptione DIVUS TRAIANUS AUG. PARTH. PATER. Sic de ipsa Ioui & Augusto communi PATRIS PATRIÆ appellatione Ouidius:

a Martial. l. IX. Epigr. 8.
b Stat. l. I. Sylu. II. ỹ. 78.
c Idem l. IV. Sylu. I. ỹ. 17. & Ouid.
d In Calig. c. XXII.

Trist. l. II. ỹ. 39.

Tu quoque, cum PATRIÆ *Rector dicare* PATERQUE,
Utere more Dei NOMEN *habentis idem*;

aut prout, Iouis instar, *Hominum* scilicet haud minus ac *Deorum Patris*,
Lib. 1. Od. 12. ut de eo Horatius: *Gentis humanæ* PATER *atque custos*; de Augusto necdum Diuo, & adhuc in terris imperante similiter Ouidius:

Fast. l. II. ỹ. 130.

Iampridem tu PATER ORBIS *eras.*
Hoc tu per terras, quod in æthere Iupiter alto
Nomen habes; HOMINUM *tu* PATER, *ille Deûm.*

Lib. X Epist. 36. Quomodo etiam a Symmacho dicuntur Imperatores, *Parentes generis humani*;
Ibid. Epist. 61. alibi, *Principes & parentes humani generis.* Qua ratione nempe Cyrum iam olim ΠΑΤΕΡΑ ΑΝΘΡΩΠΩΝ appellatum, eandemque appellationem Antoninum Pium etiam meruisse obseruat Pausanias: Δόξῃ δὲ ἐμοὶ καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Κύρου φέρεσθαι ἀν τοῦ πρεσβυτέρου, ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καλούμενος, *mea vero sententia Cyri senioris nomine insigniri meruisset, ut nempe* PATER HOMINUM *diceretur.* Quo nomine dicam illi scribit ad Capitolinum vir undequaque doctissimus, quasi oblitus sit Pausanias, decreto Senatus PATREM PATRIÆ appellatum eundem Antoninum; & ita occupatum foret a Senatu, quod ipse decernendum statuit. Verum quis non videt ab omni reprehensione liberandum esse Pausaniam; quum non eadem sit omnino PATRIS PATRIÆ & PATRIS HOMINUM appellatio: prior angustior, nec solius Antonini, sed promiscue Cæsaribus communis, ut vel eorundem nummi luculenter ostendunt; posterior vero Ioui Hominum iuxta ac Deorum Parenti propria, & Cyro peculiaris. Quod ipsum per se obuium confirmat egregie Themistius, qui Pausaniæ locum & mentem illustrat. Ille enim, ubi Cyrum PATREM, aliosque Persarum Reges variis cognominibus distinctos commemorasset,
Lib. VIII. p. 326.
Orat. XIX. p. 253. addit: Θεία δὲ μόνη ἡ ΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ἐπωνυμία· ΠΑΤΕΡΑ γὰρ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καὶ ΤΟΝ ΔΙΑ οἱ ποιηταὶ ἐπονομάζουσι, *sola vero ex iis diuina* PATRIS *appellatio:* PATREM *enim* HOMINUM *&* IOVEM *ipsum Poëtæ nominant.* Ita voluisset hoc loco Pausanias, Antoninum non PIUM solum, aut PATREM PATRIÆ, quod usu iam tritum foret ac infra

eius

eius φιλανθρωπίαν, sed PATREM HOMINUM Jouis, aut saltem Cyri, exemplo appellari: sicut alibi eundem Cyrum & Justinianum inter se componit similiter Procopius: Επεὶ καὶ ΠΑΤΗΡ ὡς ἤπιός ἐστι. Quod ipsum de Cyro ab Herodoto dictum pridem fuerat, ac inde etiam a Diodoro, cum alibi, tum in Excerptis Valesianis, eademque data in utroque loco appellationis illius caussa: nempe, iuxta notum illud Homericum, πατὴς δὲ ὡς ἤπιος. Adde, quo PATRIS nomine decoratum eundem Cyrum tangit etiam Julianus Imperator: & quo cæteroquin a Persarum Choro inuocatur apud Æschylum defunctus iam Darius ΠΑΤΕΡ ἄναξ Δαρεῖον, *Pater optime Darie*. PATER vero Jouis instar dictus est, uti de Traiano quoque in memorato eius sub Jouis effigie depicti nummo diximus, Diuorum numero adscriptus tum Augustus: idemque quum in terris adhuc ageret, ad aliquod cum Joue discrimen, PATER HOMINUM, Cyri instar, ac etiam PATER ORBIS, licet ea quoque de Joue dicerentur, appellatus. Quem cæteroquin PATRIS ORBIS titulum, gestasse insuper videmus illius Principis coniugem Liuiam, quæ in præclaro eius nummo GENETRIX ORBIS appellatur.

De Ædific. Lib. III. c. 89. Lib. IV. p. 231. Pag 238. Orat. I. p. 9. Pers. v. 666.

Hinc natæ rursus illæ propriæ Imperatorum appellationes, in nummis eorum itidem obuiæ, PATRIS CASTRORUM, PATRIS EXERCITUUM, quæ, ut summi fastigii vocabula, Augustis solita sunt tantum conferri, aut designatis eorum hæredibus. Unde Taciti verba egregie illustrantur, apud quem, inter reliqua crimina Pisoni obiecta, vitio versum dicitur, quod passus ille sit, ut PARENS *Legionum appellaretur*. Nouum insuper in Augustorum gratiam repertum est PATRIS SENATUS cognomentum, quod Claudio recusanti Consul Vipsanius deferebat apud eundem Historicum, *quippe*, ut ibidem additur, *promiscuum* PATRIS PATRIÆ *cognomentum*; sed quod a Pupieno ac Balbino Augustis receptum dein constat ex eorum nummis cum inscriptione PATRES SENATUS. Quibus addi insuper potest Commodus iam ante dictus in argenteo eius nummo, a me quoque eam in rem pridem ac a celebri itidem Antiquario dein memorato, PATER SENAT. Repertum nempe illud, uti id quoque olim monui, vice antiquæ appellationis PRINCIPIS SENATUS, quam ab Augusto receptam, & a Tiberio inter principatus titulos *more antiquo*, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, adscriptam docet Dio. Quod ille de Pertinace ac iisdem etiam verbis similiter obseruat, quamque ei tribuit etiam vetus lapis: IMP. CÆS. P. HELVIO PERTINACI PRINCIPI SENATUS PATR. PATRIÆ COS. II. Verum Augustorum exemplo ad Augustas similiter translata sunt itidem MATRIS SENATUS, MATRIS CASTRORUM, MATRIS PATRIÆ satis aliena cognomenta, quæ nummi & marmora Faustinæ M. Antonini, Iuliæ Seueri, & Iuliæ Mamææ, ut supra iam vidimus, etiamnum exhibent. De qua autem priori appellatione Lucanus:

6. *De appellatione* PATRIS CASTROR. EXERCIT. *&c.*

Annal. IV. c. 13. Annal. XI. c. 25. Vaill. Præst. Num. p. 196. P. II. Lib. LVII. p. 607. Lib. LXXII. p. 832. Thes. Grut. CCIX.

Tarpeiamque Jouis sedem, MATRESQUE SENATUS. Lib. V. v. 106.

Qui mos scilicet in Liuiæ gratiam est inductus, quam *alii* PARENTEM *alii* MATREM PATRIÆ *appellandam censebant*. Alioquin, ut *Patres*, aut *Matres Castrorum*, *Exercituum*, *Legionum*, *Senatus*, Augusti, vel

Tacit. Annal. I. c. 4.

eorum coniuges subinde appellantur; ita *Filius Castrorum* vocatus est Caius, iuxta [a] Suetonium, & *Legionum alumnus* apud [b] Tacitum; & de Gordiano Pio Capitolinus: [c] *Cordus dicit omnes milites eum* FILIUM *appellasse, ab omni* SENATU FILIUM *dictum.* Quomodo nempe iam ante M. Antoninus, pro ciuium erga se caritate, *modo* FRATER, *modo* PATER, *modo* FILIUS, *prout cuiusque ætas sinebat*, dictus est ac dilectus. Ut hoc addam denique, quod, sicut primum PATER PATRIÆ, ita etiam PARENS COLONIÆ dictus sit Augustus, ut Jaderæ in veteri lapide apud eximium Sponium: IMP. CÆSAR DIVI F. AUG. PARENS COLONIÆ: utpote quarum Coloniarum Roma, Metropoleos more, *parens* ibidem, seu *mater*, vel *maior* etiam & *antiqua patria*, qua de re iam in priori parte harum commentationum egimus, habebatur.

a In Calig. c. XXII.
b Annal. I. c. 44.
c Cap. XXXI.
Capitolin. in M. Anton. c. XVIII.
Itin. To. III. p. 74.

VIII. *De Titulo* CONSULIS *in nummis Imperatorum.*

Hos autem, quos adduximus hactenus, eosque statim veluti ac perpetuos primi Imperatorum fastigii, ubi semel sunt iis concessi, titulos excipit continuo in eorum nummis annua CONSULIS, quam ii frequenter suscipiebant, dignitas. Cuius equidem moris initium a Sulla, qui Dictaturæ

1. *De origine coniuncti Consulatus cum Dictatura.*

præter morem Consulatum adiici sit passus, arcessendum tradit [a] Appianus: inde enim sibi videri profluxisse, ut sua adhuc ætate Romanorum Imperatores, penes quos erat Consulum designatio, ipsimet eam dignitatem adsumerent, *rem pulchram dicentes cum summo Imperio* CONSULATUM *coniungere*, ἐν καλῷ τιθέμενοι μετὰ τῆς μεγίστης ἀρχῆς ΚΑΙ ΥΠΑΤΕΥΣΑΙ. Id vero a Iulio Cæsare similiter factum docet Suetonius, a quo ille dicitur *contentus Dictaturæ potestate decretæ cum* CONSULATIBUS SIMUL: quod ei tamen Cæsari haud primum fuisse concessum, ut censet ad eum locum eruditissimus Torrentius, sed Sullæ iam ante, sat constat ex adductis Appiani verbis. Unde illud etiam de Cæsare addendum est, coniunctam illam in eo *Dictaturæ* & *Consulatus*, & quidem *Tertii* vel *Quarti*, quorum meminit ibidem Suetonius, immo *Quinti* etiam, dignitatem firmari auctoritate veterum eius nummorum: ut, præter eum a Goltzio adductum, ac inde nuper a [a] celebri Antiquario prolatum, fide nummi alterius, illiusque aurei ab [b] Ursino primum, ac dein a Patino plenius prolati, in quo hinc CÆS. DICT. QUART. legitur, illinc CÆSAR QUINC. postremo nempe eius Consulatu, in laurea. In decennium scilicet continuum, uti Domitianus postea, fuerat Cæsar Consul a Senatu, ut ea de re idem [c] Appianus ac [d] Dio, renuntiatus; sed proximo demum ante cædem eius anno. Eiusdem vero Cæsaris exemplo ab eius Successore ac hærede Cæsare Augusto, & quidem in diuturno illo vitæ ac imperii decursu, XIII. Consulatus sunt recepti, a sequentibus vero Imperatoribus, si unum forte Domitianum, qui XVII. gessit, excipias, longe pauciores. Quod utique haud magis e Fastis, quam ex Nummis eorum constat: idque pro temporum vel annorum, quibus Imperium obtinuere, ratione, aut pro peculiari cæteroquin eorum instituto.

a Bell. Ciuil. l. I. p. 414.
In J. Cæsar. c. LXXVI.
a Vaill. in Fam. Iulia n. 26.
b In Fam. Iulia p. 131.
c Bell. Ciuil. l. II. p. 494.
d Lib. XLIV. p. 246.

Neque

Neque vero opus, ut hic tangam, quæ de ſummo dignitatis illius Conſularis a primis liberæ urbis temporibus faſtigio, ſeu *ſummo imperio*, aut *Regum Maieſtate*, ut a [a] Liuio dicitur, ſunt ipſis etiam tyronibus nota: ut inde ſat omnino liqueat, cur, præter adſumptos ab Imperatoribus alios præcipuos Reipublicæ a parta libertate Magiſtratus, uti *Cenſoris*, *Tribunitiæ Poteſtatis*, *Proconſulatus*, ac *Imperatoris*, & *Principis* titulos, ipſum quoque honorum id genus apicem, quique annum referaret, ſeu, ut de eo Græci loquuntur, ἐπώνυμον τοῦ ἔτους ἀρχὴν, Conſulatum nempe, ſibi ſuſcipiendum cenſuerint. Quod nempe ea dignitas omnibus aliis maior eſſe in Rep. Romana cenſebatur, & quo nomine Iuniori Valentiniano Cæſari Conſulatum ineunti gratulatur Themiſtius: Σοὶ γὰρ δὴ μόνῳ τὸ πέρας ἐν ἀνθρώποις τιμῆς ἁπάσης ἀρχὴ γίνεται καὶ ὑπόστασις, *hoc enim, quod dignitatum omnium humanarum faſtigium eſt, uni tibi initium, & quaſi fundamentum eſt.* Quod ſcilicet, iuxta illud Sidonii:

2. *De ſumma Conſulatus dignitate.*

[a] Lib. IV. c. 1, 3.

Orat. IX. p. 120.

Decora omnia regni
Accumulant faſces, & PRINCEPS CONSULE CRESCIT;

Paneg. Maiorian. Aug. Carm. V. v. 5.

quo & alterius Poëtæ de Conſulatu verba pertinent:

Titulumue leucm, paruique nitoris
Credimus, Auguſti quem ſe decorare fatentur?

Claudian. in Pr. Conſ. Stilich. v. 288.

Sed qua de re audiendus eſt præ aliis, qui Cæſar iam & Conſul, mox Imperator & Auguſtus, Julianus, cuius memorati pridem a me, dum de hisce agerem, locum, adtigere dein alii. Nempe, ubi obſeruat Iulianus, Imperatores alias quidem Reip. dignitates aboleuiſſe, alias vero retinuiſſe διὰ βίου, de Conſulatu addit: Μόνης δὲ, οἶμαι, τούτης οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ὑπερεῖδον· χαίρουσι δὲ καὶ πρὸς ἐνιαυτὸν τυγχάνοντες, καὶ οὔτε ἰδιώτης, οὐδὲ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἔτι ἢ γέγονεν, ὃς οὐ ζηλωτὸν ἐνόμισεν ΥΠΑΤΟΣ ΕΠΟΝΟΜΑΣΘΗΝΑΙ, *illam vero ſolam* (Conſulatus dignitatem) *neque ab initio contempſerunt, eaque etiam ad annum unam adſumpta gaudent: nec eſt aut fuit unquam priuatus ullus vel* IMPERATOR, *qui non eximium aliquid putauerit,* CONSULEM APPELLARI. Hinc Panegyricum, quem eidem Iuliano, ut Conſuli, dixit Libanius, cuiusque alia eius verba hic olim quoque adtulimus, ita orditur, ut lætari ſe dicat, id ſibi a Numine ad eam diem reſeruatum: Ὅπως τὸ τῶν σχημάτων σεμνότατον, ἐν τῷ κρατίστῳ τῶν βασιλέων πρῶτον ἴδῳ, *ut ornamentorum auguſtiſſimum in omnium præſtantiſſimo Imperatore* (non *Rege*, ut ibi interpres) *viderim.* Mitto, quæ addit paullo poſt, ac a me ex parte ibidem memorata, quòd Conſulibus ablata ſolum fuerit ab Imperatoribus exercitus ducendi poteſtas, in reliquis conſeruata ſit ab iis eorum dignitas; ac adeo quidem, ut eam, ubi priuatum quempiam ea dignum vident, in illum conferant; vel, dum gratificari cuiquam nolunt, ipſimet eam recipiant, τῷ Βασιλεῖ τὸν Ὑπατον παραζεύξαντες, *Imperatori Conſulem adnectentes.* Quo loco cæteroquin haud prætereunda ſunt Zonaræ de Principibus ante Diocletianum verba: Οἱ πρώην γὰρ Βασιλεῖς κατὰ τοὺς Ὑπάτους τετίμηντο, *ſuperiores enim Imperatores* INSTAR CONSULUM *honore adficiebantur.* Certe Iouem ipſum Deorum Patrem & Regem, Θεῶν Ὑπατον,

Paneg. Julian. p. 227.

Ibid. p. 229.

Annal. p. 642. To. I.

Ut ſupra p. 230.

vocat idem Libanius; ac iteratione Consulatus augeri honorem negat in quadam Constitutione Theodosius Iunior, *quia nihil est altius dignitate.*

Leg. 1. C. Th. de Consul.

3. *De tempore Consulatus ab Imperatoribus gesti.*

Neque tamen, instar aliarum, quas hactenus adtigimus, dignitatum vel appellationum, quibus insigniti fuerunt Romanorum Imperatores, perpetui, seu, ut vulgo Græci, διὰ βίου fuerunt per aliquot sæcula eorum Consulatus; qualem Africano Scipioni olim, sed recusanti, oblatum tradit [a] Valerius Maximus: quod autem e Fastis potissimum, ac e nummis præterea Cæsarianis, liquidum est omnino ac manifestum. *Consularem* quidem *potestatem perpetuam* Augusto oblatam docet [b] Dio, sicut iam ante in decennium patri eius, ut paullo ante vidimus, Julio, ac uti etiam postea [c] Domitiano: ita tamen ut haud minus alii ordinarii Consules aut suffecti, iis annis exceptis, quibus ipse Magistratum illum gessit, Fastos implerent, eamque dignitatem more solito obirent. Neque vero hisce obstant, quòd vel Vitellius *se Perpetuum Consulem ordinasse* a Suetonio dicitur, prout in veteri etiam lapide, ac in nummo apud Goltzium A. VITELLIUS L. F. IMPERATOR COS. PERP. appellatur: vel quòd Neroni iam ante, expugnatis a Corbulone Artaxatis *continui Consulatus* sint, iuxta Tacitum, a Senatu decreti: aut quòd de Domitiani continuis Consulatibus a Plinio Iuniore ad Traianum dicitur: *Non te ad exemplar eius voco, qui* CONTINUIS CONSULATIBUS *fecerat longum quendam & sine discrimine annum*; mox: *Miseros ambitionis, qui ita* CONSULES SEMPER, *ut Principes semper erant.* Quale nempe legitur Claudiani ad Honorium Augustum, eumque iam IV. Consulem, votum:

a Lib. IV. c. 1, 6.
b Lib. LIV. p. 527.
c Idem Lib. LXVII. p. 761.
In Vitell. c. XI.
Thes. Grut. CCXXXIX, 1.
Annal. XIII. c. 41.
Paneg. c. LVIII.

Sis precor ASSIDUUS CONSUL, *Mariique relinquas,*
Et senis Augusti numerum.

In IV. Cons. Honor. v. 639.

Haud aliter nempe ac [a] *assiduum Flaminem Dialem*, ac [b] *assiduas* Vestales vocat alicubi Liuius, ratione perpetui utriusque Sacerdotii; a Iustiniano ita [c] *Imperatori quidam iugis & indesinens Consulatus tribuitur.* Ad Vitellium enim quod adtinet, is eodem anno, quo se præter decessorum morem *Perpetuum Consulem* ordinauerat, periit. Haud suscepti vero a Nerone *continui Consulatus* eidem ex Senatusconsulto decreti: illi autem *continui* apud Plinium Domitiani, seu XVII. (tot enim in Fastis ac in nummis eius signantur) *Consulatus*, cum titulo pæne tenus, ut de iis Suetonius, & ad dies aut ad menses aliquot fuerunt gesti; tum, e quibus etiam, ut similiter e Tranquillo, ex iisdem Fastis ac nummis illius Principis constat, *septem medii*, seu ab VIII. ad XIV, fuerunt *continui*, reliqui vero aliorum Consulatibus interrupti; ita ut inter XIV. & XVII. seu ultimum eius Consulatum, quatuor annorum interuallum fuerit, quibus non *in trabea fuit*, ut de Consulibus loquuntur sequioris æui Scriptores, idem Domitianus. Unde etiam ex adductis ipsis Claudiani ad Imperatorem Quarto Consulem verbis liqueat, rogare illum demum & optare, ut inde Honorius VII. Marii, & XIII. Augusti Consulatuum numerum velit supergredi; iterata nempe sæpius, quod in eius potestate erat situm, eadem dignitate, quæ ex more aut lege haud erat perpetua. Neque adhuc Iustiniani ætate erat *Imperatoris* adeo *iugis ac indesinens Consulatus*, ut illo ipso

a Lib. I. c. 20.
b Ibidem.
c Nou. CV. c. 2.
In Domitian. c. XIII.

ipſo Nouellæ illius Conſtitutionis capite agatur de moderandis impenſis & largitionibus, quæ a priuatis ad Conſulare faſtigium euectis fieri conſueuerant.

Recepti itaque ac iterati, etſi non Perpetui, & qua de re adhuc mox, Imperatorum Conſulatus, iique ſtatis quidem certisque, ut plurimum, temporibus ab iis ſuſcepti. Quum autem id primo a ſuſcepto Imperio vel a Cæſarea dignitate anno, vel ſolemnibus velut utriusque illius dignitatis Quinquennalibus ac Decennalibus, factum, e Faſtis aliisue monumentis veterum abunde conſtaret; cum eas, tum alias adhuc occaſiones adſumpti ab Imperatoribus Conſulatus indagandas ſibi ac illuſtrandas ſuſcepit, laudabili inſtituto, edita Diſſertatione Hypatica, ſeu de Conſulibus Cæſareis, eruditiſſimus Pagi. In quorum nempe numerum referuntur ab eo Cæſarum & Auguſtorum in eadem dignitate collegæ; expeditiones militares ab Imperatoribus ſuſceptæ, aut victis hoſtibus feliciter confectæ; acti ab iis Triumphi; Ludorum denique Sæcularium, vel aliorum quorundam maiorum ſolemnium, celebritas. Qua ratione ſex Regulæ, ad quas referendi veniant illi Conſulatus Cæſarei, ab eodem laudato Pagi enumerantur, ac ſigillatim explanantur; immo ad quas dein idem in alio opere, ſeu Critica in Baronii Annales, eosdem continuo reuocat. Quamquam ſubinde aliis etiam de cauſſis, ad Imperatorum nempe lubitum vel arbitrium, geſtos ab iis Conſulatus aliunde liqueat, neque [a] diffiteatur vir doctus: aut vero, ut idem quoque [b] alibi agnoſcit, ac pluribus liceret hic euincere, ſicut præ modeſtia quandoque, vel quo priuatis locum darent, a ſuſcipiendo Conſulatu annis ſibi, quod ille ait, deſtinatis abſtinuerint. Cuius illuſtre omnino exemplum, & quod præclarum ſimul de Conſulatibus, quos Imperatores Quinquennalibus vel Decennalibus inirent, teſtimonium præfert, ſuppeditat Themiſtius, ea Oratione, quæ e doctiſſimi Petauii ſchedis cum aliarum acceſſione, eſt ab eruditiſſimo Harduino primum diuulgata. Nempe ubi Magni Theodoſii Quinquennalibus, præter morem, iis vel Decennalium ſolemnibus hactenus receptum, in priuatum Saturninum, & quo ipſe abſtinuerit, Conſulatûs honorem ab eodem Theodoſio transmiſſum refert. Quæ inſignia eam in rem Themiſtii, & ea quidem Oratione, quæ poſt editam Diſſertationem Hypaticam prodierat, verba, ne integra, ut conſtitueram, huc adferam, obſtat continuo, quod videam forte, & quem eam in rem ad hunc Theodoſii annum modo conſului, eadem in Critica ad Baronium Latinis Petauii illius Orationis interpretis verbis iam adducta. Id inter alia, quæ ibi leguntur, ſolum tradam, quod ubi dixiſſet Themiſtius, omnes ſuperiores Imperatores id inprimis ſibi deuitandum ſtatuiſſe, ne Quinquennali aut Decennali vertente curriculo, eum Magiſtratum, a quo annus inſcribitur, cuiquam priuato concederent; addit mox, καὶ μηδενὶ πρόσθεν ὑπάρξαν περοπολιτεύεσθαι ΙΔΙΩΤΗΣ ΚΥΚΛΟΥ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥ, *& quod nemini antea conceſſum fuit, in* IMPERATORIO LUSTRO, *primas in Republ.* PRIVATUS *tenet.*

Diſſ. Hypat. p. 77.

a Ibid. p. 5.
b Critic. in Baron. p. 88. To. 1.

Pag. 561.

Orat. XVI. p. 205.

Etſi vero annuus foret, quem ſuſcipiebant Imperatores, Conſulatus, id tamen, quod præterire hic non licet, factum conſtat, ut illi ad menſes, aut ad dies etiam aliquot eundem demum inirent, quem mox a ſe abdicatum ad alios continuo transferrent; nataque ſit inde, ignota liberæ

4. *De Imperatorum Conſulatibus Ordinariis & Suffectis.*

ræ urbis temporibus, Consulum Ordinariorum & suffectorum origo. Cuius rei initium ab ipso Julio Cæsare arcessendum docet Dio: dum continui in decennium, de quo paullo ante, Consulatus eidem decreti vice, eum, quem ille absens inierat, urbem ingressus, breui deposuit, creatis duobus aliis Consulibus; & quidem uno ex iis extrema Magistratus sui die mortuo, alium in residuas diei horas subrogauit. Quibus subdit Dio, coeptum inde ut perpauci toto anno Consulatum gererent; sed alii pauciores, alii plures menses diesque, prout casus tulisset, eo Magistratu fungerentur. Ac Dionis quidem temporibus (proinde Seueri Imperatoris, sub quo ille, & usque ad eius mortem, Historiam Romanam tradit a se conscriptam) nullum Imperatorem, ad integrum annum, neque, ut plurimum, duobus mensibus diutius, cum Collega quopiam Consulatu fungi ipse tradit. Id vero ab Augusto itidem factum, ut se Consulatu, nempe quem tum gerebat XI. abdicaret; quo, ut id tangit alibi idem Dio, morem toto anno Consulatum gerendi, quo illum plures consequerentur, inhiberet. Ita bimestris deinceps, qui postea, & Dionis quidem ætate, ut vidimus, inualuerat, Imperatorum Consulatus, a Caligula, & a Claudio dein, fuerant iam inducti; & a primo quidem breuiori etiam unius ferme mensis vel pauciorum demum dierum, quod paullo ante de illo Cæsarum Consulatu diximus, spatio gestus. De illo utique Caio Principe Suetonius: *Consulatus quatuor gessit: primum, ex Kalendis Julii per duos menses: secundum ex Kalendis Januarii per triginta dies: tertium, usque in Idus Januarii: quartum, usque in* VII. *Idus easdem*, nempe sextum eiusdem mensis diem. Idem de primo illo & bimestri, cum eiusdem Caii tum patrui Claudii, gesto simul Consulatu in huius vita obseruat: *Honores auspicatus* (nempe Claudius) *Consulatum gessit una, per duos menses*; quibus, ubi de Caio agit, duodecim dies addit Dio. Idem vero, ubi de secundo agit Claudii Consulatu, eum per duos tantum menses a Claudio actum obseruat, Collegæ vero C. Largo in totum annum prorogatum. Verum quæ bimestrium, ac proinde duodecim in annum, Consulum recepta dein, ut ex eodem Dione supra vidimus, ordinatio, sub Commodo in duplum adhuc & ultra est aucta, sub quo teste Lampridio, *primum viginti quinque Consules in unum annum.*

Lib. XLIII. p. 246.

Lib. LXXIII. p. 829.

Lib. LIII. p. 518.

In Calig. c. XVII.

In Claud. c. VII.

Lib. LIX. p. 645.

Lib. LX. p. 671.

In Commod. c. VI.

Quum autem ex iis, & aliunde præterea, constet, ut viderunt iam alii, non ordinarios solum, sed suffectos interdum fuisse Imperatorum Consulatus, qualis nempe primus ille a Caligula simul & a Claudio, Kalendis non Januariis, ut de eo Suetonius, sed Juliis, isque in duos menses circiter, susceptus, illud obiter diligendum venit, quæ Suffectorum ratio fuerit in Cæsarum nummis habita. Id vero in iis obuium, Ordinarios, qui in iis expresse signantur, eorum Consulatus habendos, quippe quibus anni signantur; Suffectos vero in adscripto plurium Consulatuum ab uno Principe gestorum numero haud signatos, sed tamen in Consulatibus numerandis additos. Ita quum suffecti fuissent, non primus solum, ut vidimus, Caligulæ & Claudii, sed ipsius etiam Augusti, mense demum Septembri, post Hirtii & Pansæ Consulum obitum, susceptus Consulatus; hinc omissa quidem peculiaris eorum Consulatuum in nummis, uti & in Fastis antiquis, prout etiam primi Hadriani Consulatus, quippe itidem suffecti, mentio; sequentes tamen ordinarii illorum Consulatus, non

Pagi Diss. Hypat. p. 37.

non COS. I. ſed COS. II. in iis appellantur. Quamquam, ne aliquid Auguſto, ubi Conſulatu ſe abdicaſſet, aut eum non ſuſcepiſſet, iuris inde vel honoris decederet, decreta ei a Senatu, uti e Dione iam ante vidimus, fuerat perpetua, dum viueret, Conſularis Poteſtas, ac ut duodecim faſces ei ubique præferrentur, quos alternis demum menſibus habebat Conſul, & penes quem, ut iam ante vidimus, Faſces eſſe dicebantur.

5. *De Cæſarum proceſſu Conſulari in nummis.*

Cæterum non adſcripti ſolum diligenter in nummis Cæſarum geſtorum ab iis Conſulatuum numeri; ſed in nonnullis etiam rarioribus expreſſa ſolemnis CONSULARIS eorum PROCESSUS memoria. Cuius equidem rei, ac duorum inſignium, in quibus illa conſignatur, Maxentii & Conſtantini Magni nummorum facta eſt a me pridem mentio: eaque poſtea a doctiſſimo Noriſio, haud ſine honeſta mei, qui primus illos indicaram, commemoratione, iterata. Id nempe veteri, ac inducto Reipublicæ temporibus, more erat receptum, ut Kalendis Januariis deſignati iam anno ſuperiore Conſules, ſolemni per urbem proceſſu ſui illius Conſularis imperii auſpicium facerent. Ad quam id genus pompæ celebritatem declarandam percuſſi duo illi modo memorati, Magni Conſtantini & Maxentii nummi, quorum priorem, & quidem aureum, exſtare diximus in Gaza Cæſarea; e Regia autem Gallorum protulit poſtea eximius Morellius, inſcriptum FELIX PROCESSUS COS. VI. AUG. N. *Felix Proceſſus Conſulis* VI. *Auguſti Noſtri.* Alter vero nummus eſt Maxentii, cuius e cimeliis Chriſtinæ Auguſtæ, ubi illum in urbe videram, transmiſſum ad me ab erudito Thoma Chiffletio, Reginæ tum a ſacris, & a quo id per literas petieram, ectypum eſt, cum ſignatis Elephantorum in eo quadrigis & Maxentio a Victoriâ coronato, & cum ſimili epigraphe, niſi quod omiſſus in eo ſit Conſulatus numerus, FEL. PROCES. CONSUL. AUG. Cuius autem olim a me diuulgati, uti & alterius a Morellio, & qui ſoli hactenus viſi ſunt huius *Conſularis* Imperatorum *Proceſſus* indices nummi, icones hic ſubdere opportunum & Lectori gratum futurum reor.

Diſſ. de Num. Dioclet. p. 22.

Specim. Tab. VII.

Quo equidem nummo Maxentii, de deuicto Alexandro in Africa Tyranno, Triumphum, & cuius rei geſtæ hiſtoriam narrat Zoſimus, deſignari olim monueram. A quo diſcedendum ſibi credidit doctiſſimus, idemque poſtea purpuræ fulgore ornatus Noriſius; qui hunc nummum, ob defectum numeralis notæ, primo Maxentii Conſulatu, anno nempe Æræ Chriſtianæ CCCVIII. biennio vero ante debellatum in Africa Alexandrum, percuſſum exiſtimat. Verum id refellit eruditiſſimus Pagi, quod per ea tempora nota numeralis fuerit in deſignandis Conſulatibus, ut vel e nummis Conſtantini eiusque filiorum, ac aliis inſuper, liqueat, prætermiſſa; atque ita Mediobarbi ſententiam præferendam ſtatuit, qui de

Lib. II. p. 85.

Ut ſupra p. 33.

Critic. Baron. p. 359. To. I.

Triumpho Maxentii, quarto eius Consulatu, ob deuictum ab eo Alexandrum receptamque Africam, acto, eundem nummum explicandum tradit.

Num. Imper. Quum autem illius nummi, velut a me adducti, ab eodem illustri Biragio fiat ibi mentio, indicata etiam, ubi illum olim adtuleram, pagina; ac simul ubi mea de hoc Triumpho, ob deuictum in Africa Alexandrum, explicatio ab illo adfertur; aliqua viri cæteroquin candidi, ut coram is olim mihi, quum Parisiis ab eo essem conuentus, visus est, incuria factum, ut eius sententiæ auctorem Biragium seu Mediobarbum crediderit. Quam insuper, ut hoc addam, firmare videntur suscepti ab Imperatoribus, iuxta quintam ac supra memoratam eiusdem Pagi Regulam, ob actos ab iis Triumphos, Consulatus; & præterea, quod FELIX insuper idem Maxentii Processus, recuperata nempe Africa, & occiso, qui imperium in ea per quadriennium gesserat, Tyranno, in eodem nummo dicitur. Quamquam eodem anno, quo prima eius die *feliciter* processerat Consul Maxentius, vita ac imperio sit priuatus. Proprium vero in eodem nummo, uti & in altero Constantini paullo ante memorato, PROCESSUS, uti alibi PROCEDENDI, vocabulum, ubi de solemni Consulum pompa, qua Kalendis Januariis summum illum Magistratum inibant, agitur. Ita de Honorio Consule, &

Ad Honor. in Consul. V. S. opportune cæteroquin ad eosdem nummos, Claudianus: PROCEDE SECUNDIS *Altibus*; quo nempe *Felicem* illi *Processum Consularem* adprecatur. Sic e Fragmento, tum necdum edito, notarum veteris alicuius Grammatici in Ciceronis Verrinas, quod tractare mihi olim licuit in instructissima ab optimis & antiquis libris scriptis Bibliotheca viri magni Is. Vossii, illud pridem monueram: *Quæsturam intelligimus, nam omnes cæteri Magistratus Kal. Jan.* PROCEDEBANT, *soli vero Quæstores Nonis Decembris.* E quo loco, ut obiter id tangam, id cæteroquin liquet, non de solis Consulibus, sed de aliis etiam Populi Romani Magistratibus, Prætoribus puta & Ædilibus Curulibus, qui, ut vel ex tot apud Liuium locis liquet, eodem quo Consules tempore designari, ac dein Magistratum inire consueuerant, has *Processus* & *Procedendi* voces usurpari. Alia cæteroquin e Plutarcho, Lampridio, Claudiano, Chronico Alexandrino, Fastis Idatianis, & Justiniani Codice, ac Nouellis dein, ad illustrandum

Ad Act. 1. in Verr. c. 10.

Diss. de duob. Num. Diocles. c. v. hunc *Consularem Processum*, adtulit dicto iam loco laudatus Norisius, quæ non hic tango. Illustria vero sunt eam in rem, ut inde unum illud adferam, quæ ibi memorat ex Iustiniani Nouella CV. verba, quæ a me pridem quoque ad hunc locum erant adnotata, ubi de illo *Consulari Processu*, eoque etiam, præter primum Kalendis Ianuariis hàberi solitum, iterato sæpius, & quem in finem, aut quibus largitionibus, peragendo agitur. Ad quem vero primum illum *Processum Consularem* respexisse Hieronymum olim quoque monui, ubi de designato Consule Prætextato inquit:

Epist. XV. ad Marcellam de exitu Leæ. *Qui quasi de subiectis hostibus triumpharet, Capitolinas adscendit arces: quem plausu quodam, ut tripudio, populus Romanus excepit.* Immo qualem etiam alterius Imperatoris, Iouiani nempe, Consularem Processum,

Lib. XXV. c. 1. sed alibi quam Romæ actum, describit Ammianus Marcellinus: *Et cum introisset Ancyram Imperator, paratis ad pompam pro tempore necessariis,* CONSULATUM INIIT, *adhibito in societatem Trabeæ Varroniano filio suo admodum paruulo: cuius vagitus pertinaciter reluctantis, ne in curuli sella veheretur ex more, id quod mox accidit, portendebat.* Vides hic Impera-

peratorem ineuntem Conſulatum, ac inde procedentem ſolemni pompa eam in rem parata, adſcito quoque in ſocietatem illius honoris & *Proceſſus* infante filio adhuc vagiente; nempe τῷ ἐν ἀγκάλαις ὑπάτῳ, *qui in ulnis adhuc geritur Conſul*, ut de eodem ait in Conſulari ad eundem Iouianum Oratione Themiſtius. Quomodo frequentes occurrunt *Nobiliſſimi Pueri Coſſ.* in Inſcriptionibus legum Codicis Theodoſiani, ut paullo ante de Valentiniano III. & Honorio videbamus; ac de Olybrio Valentiniani genero ait Hieronymus: *Conſul quidem in pueritia.* Quibus a me olim adductis addendus nunc venit, in libro qui necdum erat tum in lucem feliciter eductus, Lactantius, ubi de Diocletiano loquitur: *Prorupit ex urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus* CONSULATUS *deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ* PROCEDERET. Sed, quod adtendi haud minus hic merebatur, non ipſi ſolum Imperatores procedere Kalendis Januariis, ubi Conſulatum inirent, erant ſoliti, ſed quandoque etiam priuati, quos ad Conſulare faſtigium ab illis euectos, conſueta initi Magiſtratus die *procedentes*, ipſi pedites ſubinde cum reliquo Conſularium ac Senatorum comitatu præibant. Id utique a Iuliano Imperatore factum tradit dictus paullo ante Ammianus Marcellinus, & docet præterea ipſe, cui ſingularis ille honor contigit, Mamertinus. Ammiani nempe hæc ſunt ea de re verba: *Adlapſo itaque Kalendarum Januariarum die, cum Mamertini & Neuittæ nomina ſuſcepiſſent paginæ Conſulares, humilior Princeps viſus eſt, in officio pedibus gradiendo cum Honoratis: quod laudabant alii; quidam ut affectatum & vile carpebant.* Ipſe vero Mamertinus, & cuius ea de re verba, ibi ad Ammianum a doctiſſimo Valeſio iam adducta, ſingularia quædam de hoc *proceſſu Conſulari* inſuper innuunt, ait: *Pæne intra ipſas palatinæ domus valuas* LECTICAS CONSULARES *iuſſit inferri, & quum honori eius veneratione que cedentes, ſedile illud dignitatis ampliſſimæ recuſaremus, ſuis nos prope manibus impoſitos mixtus agmini togatorum* PRÆIRE *cœpit* PEDES, *gradum moderans pæne ad lictoris nutum, & viatoris imperium.* Quæ ex Spartiano, Auſonio, & Claudiano, de Hadriano, Gratiano, ac forte Honorio, Conſulum id genus officia ac honores præſentia ſeu comitatu ſuo ornantibus, illuſtrat ad Ammianum doctiſſimus Valeſius: ac illum præterea, quem Mamertinus tangit, honorem docet ſubinde iis Conſulibus habitum, ut e Principis palatio procederent. Quibus accedit, quod ex eiusdem Mamertini verbis conſtat, lecticis tum, & quidem non una, ſed duabus, vectos proceſſiſſe utrumque Conſulem: unde id eſſe in adducto Maxentii Proceſſu Conſulari videtur peculiare, quod is quadrigis Elephantorum vehitur, a Victoria deſuper coronatus; ut non *Conſularis* ſolum, ſed vere Triumphalis eſſet *Proceſſus*, ob receptam Africam & debellatum ac occiſum, qui imperium per aliquot annos in ea inuaſerat, Alexandrum, indeque etiam cum memorabili inſcriptione in poſterorum memoriam conſignatus. Immo quam in rem opportune a laudato Noriſio prolatus eſt inſignis omnino, & quem nos ſupra iam alia occaſione quoque exhibuimus, nummus Mediceus, in quo hinc Diocletianus & Maximianus Herculius ſe mutuo reſpicientes, cum Conſulari utriusque Trabea, & eburneo Scipione cum Aquila in eius ſummitate, ac inſcriptione IMPP. DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS AUGG.

Orat. v. p. 71.

Ad Demetriad. Epiſt. xcvii.

De Mort. Perſec. c. xvii.

Lib. xxii. c. 7.

Paneg. Julian. Aug. c. xxx.

illinc vero stantes iidem, in curru itidem seu capsa Triumphali, cum quatuor Elephantis, & binis supra singulos sessoribus; ipsi autem a Victoria desuper sunt coronati, cum epigraphe IMPP. DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO COSS. De quo autem præclaro nummo, qui gestum eodem tempore a duobus Imperatoribus Consulatum non innuit tantum, sed ante oculos ponit, quæ dicenda cæteroquin veniunt, occupauit iam, qui eum protulit, Norisius, tum illustrauit insuper eruditissimus Pagi. Eius quoque nummi meminit, sed præterito Norisii, qui eum protulerat & explanauerat, nomine, Harduinus in Operibus Selectis; ubi duos priores Diocletiani Consulatus ab eo adhuc priuato gestos obseruat. Quod tamen aperte redarguunt cum Fasti, tum, & quod iam ante monuerant duo viri illi præclari, Lex Codicis Iustinianei, quæ dicitur *proposita Kalendis Ianuariis Diocletiano II. Aug. & Aristobulo* COSS.

Critic. Baron. p. 310, 311. To. I.

Select. Oper. P. 444.

6. *De Augustorum in Consulatu Collegis.*

Frequenter nempe *adscendebant augustissimum* illud *Consulum Tribunal*, ut de eo ad Imperatorem [a] Plinius loquitur, Augusti: ita tamen, & maxime illa ætate, ut e Domo Augusta Collegam sibi vulgo adsciscerent, submotis ferme ab ea trabeæ societate priuatis. Hinc de Iuliano Imperatore Ammianus, qui Sallustium Præfectum Galliarum alterum sibi adsumserat Consulem: [b] *Et videbatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum, quod, post Diocletianum & Aristobulum, nullus meminerat gestum:* ubi consuli potest doctissimi Valesii adnotatio. Cuius moris cæteroquin priuatos a societate Consulatus remouendi auctorem Constantium Iuliani decessorem innuerat alibi idem Ammianus: *Quod autem per omne tempus imperii nec in confessum vehiculi quemquam fuscepit, nec* IN TRABEA SOCIUM PRIVATUM *adsciuit, ut fecere Principes consecrati, &c. prætereo.*

Paneg. c. IX.

b Lib. XXIII. c. I.

Lib. XVI. c. 9.

7. *Harduini sententia de Augustorum Consulatu expensa.*

E quibus autem, quæ de Imperatorum Consulatu, illoque ordinario ut plurimum, interdum autem suffecto, ac de Processu eorum Consulari hactenus diximus, sat liquebit, ut opinor, quid de noua admodum, neque minus singulari, eruditissimi Harduini sententia statuendum sit. „ [a] Eum nempe, qui in nummis Augustorum exprimitur, Consulatum, „ non esse Magistratum Urbanum; sed illum in Republica Romana su„ premum: de quo scriptor sacer libri primi Machabæorum cap. XV, 16. „ *Lucius Consul Romanorum:* Et capite VIII, 16. *Et committunt uni homi„ ni Magistratum suum per singulos annos, dominari uniuersæ terræ suæ, & „ omnes obediunt* UNI. Consules vero Urbanos BINOS FUISSE: Con„ sulem interim Reipublicæ, siue (ut sacer Scriptor loquitur) *Consul uni„ uersæ terræ* Romanorum, UNICUM ABSQUE COLLEGA. Eius quoque generis dicit Consulatum Pompeii esse, qui commemoratur a Plinio, cuius eam in rem loca ibidem adducuntur. Idem vero, in alio dein operum suorum loco, post repetita ibi prioris loci e primo Machabæorum libro verba: *Lucius Consul Romanorum Regi Ptolemæo salutem*, addit: „ De nomine Lucii, & de officio Consulis, plus Scriptori Sacro creden„ dum esse, quam profanis & fabulatoribus; dein: E DUOBUS CON„ SULIBUS, alter Reipublicæ, siue Imperii ac Prouinciarum Consul „ fuit, ut diximus in Numismatibus Sæculi Constantiniani; & memorat ibi rursus alterum, e primo Machabæorum libro, locum modo adductum. Adde, quod alibi adhuc eam in rem tangit: " In nummis non consigna„ bantur Consulatus Urbis, sed Orbis: qualis Maxentii Augusti Consu-

a Select. Oper. p. 421.

Ibid. p. 462, 463.

latus

„ latus cum in aliis eius nummis, tum in eo, quem paullo ante adduxi-
„ mus, FELIX PROCES. CONSUL AUG. N. prædicatur; ac alio
rurſus loco: " E duobus Conſulibus alter Reipublicæ, ſiue Imperii ac Select. Oper. p. 608.
„ Prouinciarum Conſul fuit, adducto ibidem rurſus eodem Machabæo-
„ rum, de quo paullo ante, loco.

Hæc totidem viri docti (& indicatis locis, ubi eadem ab illo proferuntur) verbis adduximus, ne interpolata forte a nobis, aut quidpiam præter eius mentem eidem impoſitum, poſſit forte quis ſuſpicari. Neque ideo operoſe iis expendendis immorandum nobis; aut disquirendum iam incumbit, an ſcilicet alius, vel diuerſi generis fuerit ſignatus in nummis Auguſtorum Conſulatus, quam ille, qui hactenus conſtanti omnium Auctorum ac monumentorum veterum, eorumque, quæ de illo ſunt a nobis hactenus prolata, fide comprobatus eſt ac aſſertus. Quomodo ille peculiaris non urbis, cuius forent bini Conſules, ut variarum hodie in Gallia urbium Scabini (quod cæteroquin non de urbis Romæ, ſed de aliarum ciuitatum Magiſtratibus, qui Scabini aut etiam Conſules in Gallia vocantur, dixerat alicubi eruditiſſimus Du Cange) ſed Orbis ac Imperii, & unius quidem, ac a binis illis, ut priori loco dictum a viro erudito vidimus, diuerſus, Conſulatus, & quidem ante, liberæ adhuc urbis temporibus, inductus, per tot ſæcula latuerit in hunc diem ignotus, ac nuſpiam, niſi in adductis, iuxta eundem Harduinum, duobus Machabæorum locis, memoratus. An vero plus ille fidei mereatur, quam profani omnes, ac ut addit, fabulatores, hoc eſt omnium ætatum probati Auctores, maxime ubi hi res patrias adtingunt & explanant; atque plus Judæo illi Helleniſtæ, in Romanorum rebus enarrandis, quam iisdem Auctoribus, aliisue coæuis monumentis ſit credendum, cordato lectori iudicandum relinquitur. Ut mittam, quod ab aliis iam eſt luculenter præſtitum, nec eſt huius operæ vel inſtituti; nempe quàm fidem in aliis ſubinde decoquat, idem Scriptor: immo, ne longius abeam, in hac ipſa narratione, ubi dicit paucis ante verſibus, magnum Antiochum a Romanis bello captum; Indicam autem regionem ac Medorum, præter Lydiam, aliasque præſtantiſſimas ditiones eidem creptas, ac Eumeni ab iisdem Romanis datas. Cuius proinde generis eſt illud, quod ſubdit, & ab Harduino adducitur, de annuo unius Romani imperio, ſeu, quam late tum patebat, orbis eius Rectore, & quidem Judæ Machabæi, ſeu Demetrii Soteris, decimi e Seleucidis, Syriæ Regis tempore, annis autem ante Romanorum Monarchiam ſub Auguſto cœptam circiter CXX. Unde a Joſepho in narratione eius rei, ac initæ a Judæis cum Romanis ſub eodem Juda ſocietatis, cuius meminit ibi Machabæorum Scriptor, omiſſa eſt omnis de uno illo ea ætate ac annuo Romani orbis Rectore mentio: utpote qui formam illius Reipublicæ, cum veterem tum recentem, intimius noſſet. Id vero Helleniſtam illum inter Judæos Scriptorem in hanc ſententiam inducere potuit, quod unus tum e binis Conſulibus, non peculiari ſui Conſulatus poteſtate, ſed cui ſorte id obtigerat, in illis Orientis partibus aut iam ante cum Antiocho Magno, vel, qui memorantur ibidem ab illo Machabæorum Scriptore, Philippo & Perſeo, bellum ſummo cum imperio geſſerat; cum Antiocho nempe Lucius Scipio; cum Philippo Quintus Flaminius, & cum Perſeo Lucius Æmilius. Ad delatum vero uni Pompeio ſine Col-

In Gloſſario.

Antiq. l. XII. c. 17.

lega Consulatum quod adtinet, non video equidem, qua vel leuissima veri specie, possit ille pro tali seu uno Consulatu, non urbis, sed uniuersi Romanorum Imperii & Prouinciarum, atque ita pro diuerso ab illo binorum in urbe Consulum Magistratu, intelligi: maxime quum e Romanarum Rerum, qui illius uni Pompeio delati Consulatus, nempe III. meminere, Scriptoribus constet, id sine exemplo, ut ii ea de re loquuntur, & quod nulli unquam antea contigerat, factum; idque non ad pacandas regendasue Populi Romani Prouincias, sed uno sedandarum exortarum tum in urbe, maxime post P. Clodii factam a Milone cædem, seditionum intuitu, & ad firmandam Senatus & Optimatum contra plebis factiones auctoritatem. Neque, ubi solus ille creatus fuerat Consul, alii exstabant bini Consules, qui res scilicet urbanas curarent; immo qui mox etiam honore illo contentus, Collegam sibi, ut vel e Dione liquet, adsciuerit Q. Scipionem socerum; ut ita solitos haberet Roma Magistratus. Neque vero in adductis a viro erudito, de illo Pompeii Consulatu, Plinii verbis tale quidpiam, de unico illo & peculiari non urbis, sed Orbis & Imperii Consulatu, innuitur; ubi hæc tantum leguntur: *Magni Pompeii in tertio Consulatu exstat edictum.* Haud magis utique, quam duorum aliorum, quos ex eodem Plinio ibidem adducit, Consulum id genus exemplis: unum nempe de *C. Fannii* Cos. lege lata, *ne quid volucre poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis:* alterum, *M. Scauri*, qui IN CONSULATU SUO glires cœnis ademit. Quæ autem, an ad salutem ac decus Romani Imperii & Prouinciarum, ut decebat unicum Romani Orbis non Urbis Consulem; an vero ad frugales ciuium in urbe cœnas, ac vere tum ad alicuius oppidi Scabinos, uti vocari a viro docto vidimus binos urbis Romæ Consules, spectarent, statuere cuiuis licet. Mitto, quòd, iuxta adducta eam in rem eius verba, *unicus absque Collega* foret ille uniuersæ Romanorum terræ Consul, idemque diuersus a binis Consulibus Romæ Urbanis; alibi vero dicat, *e duobus Consulibus*, Urbanis nempe illis, *alterum Reipublicæ, siue Imperii ac Prouinciarum Consulem fuisse*; neque alium in Imperatorum nummis consignari. Quæ utique quantum inter se pugnent, immo aliam prorsus Romanæ Reipublicæ formam nobis obtrudant, haud diffitebitur, ut opinor, vir doctus. Quomodo vero id conciliari possit cum instituto, a parta libertate & exactis Regibus, Consulatu, nullo tum inter utrumque Consulem discrimine: dum *omnia iura*, iuxta Liuium, *omnia insignia* (nempe, quod præcesserit, *in Regia potestate*) *primi Consules tenuere*; ID MODO *cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur: Brutus prior, concedente collega, fasces habuit*, qui altero mense forent penes Collegam eius Collatinum. Unum ergo illud, non potestatis sed ordinis, discrimen, quod alternis mensibus penes utrumque Consulum essent fasces, primo autem mense penes eum, qui prior fuerat Consul renuntiatus; ac inde etiam, iuxta L. Cæsarem apud Festum, *Maior dictus, penes quem essent fasces, vel qui prior Consul esset factus*, non vero quod maiori potestate vel imperio foret præditus. Unde etiam Augustum Consulem VI. cum alia maiorum exemplo egisse tradit Dio; tum quod fasces etiam Agrippæ, suo in Consulatu Collegæ, delatos concederet, ipse vero aliis, seu dimidia parte, uteretur. Adde, quòd, ad extrema usque Reipublicæ tempora, quibus sub unius

Liuii Epit. cvii. Velleius Paterc. l. II. c. 47. Dio l. xl. p. 144.

Ut supra.

Lib. xxxiv. c. 39.

Lib. x. c. 50. Lib. viii. c. 57.

Select. Oper. p. 421.

Ibid. p. 608.

Lib. II. c. I.

Lib. LIII. p. 496.

unius potestatem est eadem redacta, ea fuerit duorum in urbe Consulum ratio; ut ex iis unus sorte demum, non sui Magistratus supra Collegam iure, militare extra urbem imperium capesseret, quod finito bello deponeret: nullo e duobus illis amplioris longe iuris ac potestatis Consulatum comitiis Consularibus nacto. Illo vero, quem Imperatores susciperent, Consulatu, nihil potestatis iis additur, *sed iis, quæ iam possident, bonis, velut decus quoddam & ornatum*, ut ea de re Julianus Imperator, *superadditum:* Τοῖς βασιλεῦσι δὲ πρὸς οἷς ἔχουσιν ἀγαθοῖς οἷον ἄγαλμα καὶ κόσμος ἐπιτιθεμένη. Unde a Libanio de illo Imperatorum Consulatu dictum iam ante vidimus, quod Consulibus sublatum sit ab iis, quo ii olim gaudebant, militare imperium. Frustra vero Harduinus, ad adstruendum peculiarem illum Augustorum Consulatum, qui solus in eorum nummis exprimitur, adductum iam ante a nobis Maxentii nummum profert, in quo FEL. PROCES. CONSUL AUG. N. legitur: gestus est enim ille in Italia *a solo*, quippe in qua solus tum imperabat, *Maxentio*, ut ab Idatio dicitur in Fastis, ac ab Auctore libelli de Præfectis Urbis, dum in reliquo Orbe Consules erant Constantinus II. & Licinius II. Sed qua de re plus satis.

Orat. III. p. 108.

IX. *De Titulo* PROCONSULIS *in nummis Imperatorum.*

Haud vero a gesto Consulatu PROCONSULES dictos quoque Imperatores nosti, ut quibusdam haud rectè visum est, sed ob PROCONSULARE IMPERIUM cum reliquis supremæ potestatis insignibus, ut e priscis Auctoribus & monumentis etiam constat, iis concessum. Quamquam in eorundem Imperatorum nummis vix illius PROCONSULIS titulum, nisi in paucis admodum, & Constantinianei ferme, ut paullo post videbitur, æui, expressum videas: qui iis alioquin frequenter in lapidibus, in nonnullis Literarum vel Edictorum inscriptionibus, apud Dionem, Eusebium, &. aliquoties apud Auctores Historiæ Augustæ, qua de re mox, tribuitur.

1. *De* PROCONSULIS *titulo, non nisi raro in Imperatorum nummis obuio.*

Miratur vero non leuiter ὁ θαυμάσιος [a] Casaubonus, hoc nummorum, aliorumue Seueri & Caracallæ temporibus antiquiorum lapidum silentium; nec caussam adsequi sese profitetur, cur præterita sit eadem dignitas in plerisque monumentis prisci æui; quum tamen Tribunitiæ Potestatis, quæ ut plurimum cum Proconsulari Imperio deferri iis consueuerat, frequens occurrat in iis mentio. Rationem autem huius vel silentii, vel diuersitatis inde petendam crederem; primò, quod non semper, nec in urbe, sed extra pomœrium duntaxat, illum *Proconsulis* titulum susciperent Imperatores. Diserte id docet, ubi de eorum honoribus ac titulis agit, Dio: Ὕπατοι γὰρ πλειστάκις γίγνονται, καὶ ΑΝΘΥΠΑΤΟΙ ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσι, ΩΝΟΜΑΖΟΝΤΑΙ, *Consules enim fiunt sæpenumero, &* PROCONSULES *semper, quoties extra pomœrium sunt*, APPELLANTUR. Hinc apud eundem Dionem Elagabalus imperium in Syria capessens, inter reliquos supremi fastigii titulos, *Proconsulis* quoque nomen adsumit, procul nempe ab urbis pomœrio positus. Quo spectant etiam duo illustria apud Tacitum loca; prior, ubi, absenti Germanico delatum tradens Procon-

a Not. ad Capitol. in Anton. P. c. IV.

Lib. LIII. p. 508.

Lib. LXXIX. p. 907.

Annal. I. c. 14. consulare Imperium, addit: *Quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quòd designatus Consul Drusus*, PRÆSENSQUE *erat*. Alter, ubi decretum refert inter alia, *ut Nero* PROCONSULARE *imperium* EXTRA URBEM *haberet*. Unde, quum non eadem esset huius tituli, quæ Tribunitiæ Imperatorum Potestatis, aut aliorum honorum vel cognominum ratio, inde in eorum nummis, præterquam in aliquot posterioris ævi Principum (de Traiani enim nummo cum Proconsulis titulo mox dicetur) omissa ferme cernitur illius mentio; quem tamen prioribus etiam nonnullis Imperatoribus, & quidem, ut mox videbitur, ante Seuerum ipsosque Antoninos, tribuunt subinde antiqua Marmora. Altera vero ratio illius nummorum silentii inde petenda est, quod hæc potestas Proconsularis infra aliarum, quæ in nummis leguntur expressæ, potestatum fastigium censeretur: unde nec *Principis Senatus* (quem titulum præter Augustum, a Tiberio cum *Cæsaris* & *Germanici* appellationibus adsumptum tradit Dio) nec de *Jure Relationis*, alia appendice summi imperii, ullam in iisdem mentionem reperias. Neque enim omnibus, sed præcipuis appellationibus supremæ potestatis & iam olim, & hodie etiamnum, nummi Principum signari consueuerunt. Hinc reliquis etiam titulis *Imperatoris*, *Cæsaris*, *Augusti*, *Pontificis Maximi*, *Tribunitiæ Potestatis*, *Patris Patriæ*, *Pii*, *Felicis*, *Consulis*, PROCONSULEM postponi passim videas in priscis Inscriptionibus, & in literis Græcis Maximini, de quibus paullo post, ad Eusebium. Adeo ut nec adscriptum eundem legamus in antiquis Augustorum Cæsarumue Elogiis ante Traiani, Hadriani, & aliorum dein Augustorum tempora: quamquam iam ante *Proconsulare* illud *Imperium*, & quidem *Perpetuum*, Augusto tributum, ac a sequentibus dein Imperatoribus susceptum tradat [a] Dio. Ut mittam, quod e [b] Tacito constat, Neroni tum Cæsari cum toga virili Proconsulare Imperium itidem a Senatu, & quo is Claudio gratificaretur, similiter concessum: [c] Traiano vero, [d] Hadriano, ac [e] Ælio Cæsari receptum inde Proconsulis titulum largiuntur, ut obseruo, antiqua Marmora: quum alioquin ad Capitolinum [f] ὁ πάνυ, qui eum titulum ex Imperatoribus ante Antoninum Pium usurparit, nullum se tradat reperisse. Neque vero Neruæ, sed Traiano eius successori eundem tribui in veteri lapide apud Gruterum olim notaueram; quod DACICI cognomen, Traiano proprium, Neruæ autem nuspiam datum, in eo legeretur; inscriptionis autem illius, ac proinde Traiani nominis, lacunas aliunde haud incommode suppleri posse monueram. Quod etiam in quibusdam nouissimis ad nouam & accuratiorem eiusdem Gruteriani Thesauri editionem notis, a viro erudito ad eum lapidem comprobatum video, idque veluti iampridem a me animaduersum. Verum, & quod dissimulare hic non licet, suspectus est ibidem viro docto PROCOS. in ea inscriptione nomen, quod, ut ipsemet obseruaui, non nisi reliquis Imperatorum titulis postponi soleat; igitur & in hoc lapide PROCOS. titulum non fuisse statim post TR. POTESTATIS apponendum, neque etiam Consulatum omittendum. Ex quibus, quod addit, bona cum venia „ Illustrissimi viri dixerim, eum haud certa ratione contra Cl. Salmasium „ ex hoc lapide euincere, hunc nempe PROCOS. titulum Traiano, ac „ proinde ante Antoninorum tempora, Imperatoribus datum fuisse. Verum, ut ea de re certius lectori constare possit, adferenda est ea, de qua hic agitur, Inscriptio:

Lib. LVII. p. 607.

a Lib. LIII. p. 519.
b Annal. XI. c. 23.
c Thes. Grut. CCXLV, 9.
d Ibidem CCXCVIII, 1.
e Ibid. CCLII, 2.
f Salmas. Not. ad M. Anton. c. VI.

Not. in fin. p. 326. & 327. To. IV.

CAE-

CAESARI NERVAE AUGUST
IC. DAC. PO. MAXIM
E. POTESTATIS. PROCOS
PAPIRIUS AUGUR SACERD
EX. COLONIA. SAVARIA

Ut ſupra Theſ. Grut. CCXLV, 9.

Mitto, quòd, agnoſcente, ut vidimus, viro illo eruditiſſimo & amico, eadem inſcriptio (quod e DACICI in ea cognomine monueram) non Neruæ, ut ibi apud Gruterum, ſed Traiano adſcribi omnino debeat: literis etiam, ac unde id inſuper adſtruitur, IC. quæ præcedunt, ſupplendum GERMANIC. nomen, in Traiani nummis ac lapidibus familiare, & vulgo DACICO in iis præponi ſolitum. Accedit, quòd, & in iterata quidem ac paſſim emendata & ſuppleta illius Theſauri editione, PROCOS. manifeſte ac totidem literis ibidem legi haud diffiteri poſſit, nihilque proinde a me eidem adfingi. Literam vero V ab initio ſequentis lineæ, ac ante nomen PAPIRIUS in noua editione poſitam, aliquid aliud, quod e ductibus priorum linearum plures deſint literæ, ibidem innuere certum eſt: aut ſi COS. tantum ibi ante V ſupplendum ſit, id præter ſolitum quidem in inſcriptionibus id genus morem fieri; ut nempe poſt titulum PROCOS. ſequatur COS. illiusque iterati dignitas ac numerus; neque tamen ut iſtud poſtremum exemplis in aliis lapidibus careat. Quale nempe ſuppeditabat viro præſtanti idem Theſaurus in Caro Imperatore, ubi inter alios, qui præcedunt, titulos legitur [a] TRIB. POT. P. P. PROCOS. II. COS. ORDO EBUSII D. N. M. E. Ut alias Imperatorum inſcriptiones iam mittam in eodem Theſauro obuias, in quibus PROCOS. ſine præuio aut ſequenti COS. titulo legitur, ut [b] Antonini Caracallæ, [c] Claudii, [d] Cari, & [e] Numeriani indicatis hic in margine locis, ne faſtidium lectori ex adducta earum congerie hic oriatur. Id vero, quod obiter de altera quoque Inſcriptione, quæ L. Ælio Cæſari, atque ita ante Antoninos, *Proconſulis* titulum tribuat, monueram, aperte utique ipſa illius verba viro erudito ante oculos ponunt; eaque ſolito, ut plurimum, in id genus lapidibus ordine, atque ita PROCOS. nomine poſt COS. titulum ac numerum poſito:

a Ibidem CCLXXVII, 6.

b Ibidem CCLIX, 2
c CCLXXVI, 6.
d CCLXXVII, 6.
e CCLXXVIII, 1.

IMP. CÆS.
TRAIANO
HADRIANO
AUG. P. P. TRIB. POT.
XXI. COS. III. IMP. II.
L. ÆLIUS CÆS. FIL.
TRIB. POTES. COS. II.
PROCOS. XV. VIR
SACRIS FACIUND.

Ibid. CCLII, 2.

Vides hic plana omnia, & ſolemni, ut plurimum, id genus, qui Auguſtis vel Cæſaribus tribuuntur, titulorum in lapidibus more diſpoſita; ac poſtremo quidem loco dignitates Cæſaribus deferri tum ſolitas, nempe *Tribunitiæ Poteſtatis*, *Conſulatus*, *Proconſularis Imperii*, ac *Sacerdotii*, huic *Ælio Cæſari*, in Filium & Succeſſorem ab Hadriano adſcito, conti-

nuo tribui. Ut proinde id eo lapide firmari insuper posse, contra τὸν πάνυ Salmasium, crediderim, *Proconsulis* titulum ante Antoninos Imperatoribus vel Cæsaribus legi in monumentis id genus inscriptum. Id tamen redarguere similiter visum est viro erudito, ac adeo quidem, quod scilicet apud Lazium aliqua sit hic lectionis diuersitas, nempe Consulatus numerus ΠΙ. omittatur, PR. vero præmittatur voci PROCOS. quo *Prouincia*, scilicet Pannonia, denotatur, quam hic Ælius regeret forte Proconsulari potestate; ac præterea, quod Lazius legerit in eodem lapide VIVIR SACRIS FAC. VII. ac unde addit haud valide satis probari Imperatores, ante Antoniniana tempora, PROCOSS. inscriptos esse. Verum, quum plana sint omnino adducta modo lapidis illius verba, & receptis, ut diximus, nec id inficiari poterit vir eximius, Augustorum vel Cæsarum titulis consentanea, nec in prima solum, sed in hac etiam recensita a viris eruditis Thesauri Gruteriani editione, eaque e Bongarsii & Clusii schedis, ut ibi additur, descripta, exhibeantur: quæ e Lazio vero adferuntur varietates, retento tamen PROCOS. nomine, minus eidem inscriptioni conueniant, aut genuinæ omnino videantur, eo minus forte merebatur mea illa petita obiter ex eodem lapide adsertio redargui. Maxime, quod simul, præter meam ac ipsius Salmasii sententiam, addit ad priorem memoratum ante lapidem; me haud certa ratione ex eo contra Salmasium velle euincere, hunc PROCOS. titulum Traiano, ac proinde ante Antoninorum tempora, datum fuisse. Neque enim id statuit ὁ πάνυ, quòd idem ille *Proconsulis* titulus non fuerit Imperatoribus ante Antoninos datus: id enim quæ præcedunt ibi eius verba aperte redarguunt, ubi Augustum dicit non contentum perpetua dictatu-

Ut supra in Notis ad Thes. Grut. p. 327. To. IV.

Ut supra Not. ad Capitol. in M. Anton. c. VI.

„ ra (qua de re nos alibi) omnium insuper Populi Romani magistratuum,
„ qui intra & extra urbem imperium haberent, titulis & insignibus or-
„ nari ac muniri voluisse: inter quæ non omiserit IMPERIUM PROCON-
„ SULARE, quod POSTEA SEQUENTES IMPERATORES etiam
„ USURPARUNT, quibus SEMPER honoris gratia PROCONSULARE
„ IMPERIUM delatum est, & tam CÆSARIBUS, quam AUGUSTIS
„ solebat DARI. Id tantum addit post: "Et istum quidem PROCONSULIS
„ titulum ex Imperatoribus ante Antoninum Pium, qui usurparit, ne-
„ minem inuenio. Quod unum quoque, ubi de hoc Proconsulari Imperatorum titulo agerem, de eo dixeram: "Traiano certe & Ælio Cæ-
„ sari adscribunt etiam hunc *Proconsulis* titulum Marmora; ut pateat er-
„ rare virum incomparabilem, qui se in Antoninis hunc primo credit re-
„ periisse. Quæ utique nihil aliud innuunt, nisi eundem τὸν πάνυ non incidisse in antiquiora Antonino Pio Marmora; neque, ut videtur, dari inde credidisse, in quibus titulus ille *Proconsulis*, etsi iam ab Augusti temporibus delatum Proconsulare Imperium habuerint Imperatores, legatur usurpatus. Quomodo ab eodem Salmasio paullo post adhuc dicitur: "Pro-
„ consules autem dictos Imperatores, quibus imperium Proconsulare de-
„ latum esset, adeo dubitatione caret, ut mirer fuisse, qui hoc mirati
„ sint. Certe clara sunt eam in rem Dionis verba, non tam ubi solum ab ultimo ex Antoninis Imperatoribus, Elagabalo nempe, adsumptum, quod supra vidimus, in literis ad Senatum *Proconsulis* inter alios titulos nomen refert; quam ubi pridem ante, ac duobus quidem, ubi de collatis Augusto id genus honoribus agit, locis ait; priori nempe, & quem iam supra

pra

pra tetigimus: *Imperatores Consules sæpenumero fieri*; PROCONSULES *vero* SEMPER DICI, *quoties sunt extra pomœrium*: Ὑπατοί τε γὰρ πλειῶάκις γίγνονται, καὶ ΑΝΘΥΠΑΤΟΙ ΑΕΙ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν, ΟΝΟΜΑΖΟΝΤΑΙ. Altero vero loco, ubi eidem Augusto a Senatu datum refert, ut Proconsulare imperium semper haberet, neque id intra pomoerium veniens deponeret, aut renouari opus foret: ut maior ipsi in prouinciis quam præfectis earum potestas semper esset. Unde, quod addit, factum est, ut Augustus, quique eum secuti sunt Imperatores, velut quadam lege aut recepto more, cum aliis, tum Tribunitia Potestate uterentur. Imperatoribus proinde datus ante Antoninorum tempora, quod agnoscit immo adstruit Salmasius, *Proconsulis* titulus; etsi non inuenerit, qui ex Imperatoribus eum, in antiquis nempe lapidum monumentis, ante Antoninum Pium usurparit. Quæ a me autem monita firmat insuper indicatus iam ante in eodem Thesauro, & qui τὸν πάνυ fugit (de quo autem silet vir eruditus) insignis de Hadriano Augusto & *Proconsule* locus; & quæ inscriptio, ut ibi legitur, meretur hic adscribi:

Lib. LIII. p. 508.

Ibid. p. 518, 519.

COLLEGIUM
AUGURUM AUCTOR
IMP. CAESARE DIVI
TRAIANI PARTHICI F.
DIVI. NERVAE NEPOTE
TRAIANO HADRIANO
AUG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. COS. III. PROCOS
TERMINOS POMOERII
RESTITUENDOS CURAVIT.

Thes. Grut. p. CXCVIII, 14.

Ad quam autem Inscriptionem nihil, sed ad proximam, & alia de re agentem, aliquid a viro eximio monitum videas: quæ tamen clarissime euincit, quod ille aliis dein locis, ut vidimus, redarguit, Imperatoribus datum ante Antoninos PROCOS. titulum.

2. *De caussa adsumpti ab Imperatoribus* PROCONSULIS *tituli.*

Omnis cæteroquin aut certe præcipua vis huius potestatis in *Imperatoris* vocabulo iam erat reposita, cuius nempe auspiciis Romani Duces bella suscipiebant: quo uno autem nomine supremum exterarum iuxta & urbanarum rerum arbitrium, omniumque Magistratuum iura in Augustum translata, aperte docet, ut supra vidimus, [a] Dio. Quæ a me pridem adnotata, a viris dein harum antiquitatum egregie peritis, etsi nulla facta eorum mentione, probata & confirmata videas: dum, uti ab eruditissimo [b] Pagi traditum ac adsertum liquet, ob datum Imperii hæredibus, seu secundi fastigii Cæsaribus, ut Neroni, de quo paullo ante, ac dein Marco, aliisque, *Proconsulare Imperium*, sint inde iidem dicti *Imperii Collegæ*, ac in nummis etiam IMPERATORES. Additus tamen opportune, ut iudico, & peculiari de caussa, in gratiam Augusti PROCONSULIS titulus. Diuisus nempe ab eo fuerat Orbis Romanus in Prouincias Cæsaris & Populi; quarum posterioribus Populi Magistratus sub *Proconsulum* nomine præessent. Unde, ut nihilominus Cæsaris auspiciis omnes illas prouincias ex æquo administrari singularum Præsides facilius intelligerent, nec ullas par-

a Lib. LIII. p. 508.
b Critic. Baron. p. 142. To. I.

partes Orbis Romani imperio illius exemptas, translata est illa PROCONSULIS, aut IURIS vel IMPERII PROCONSULARIS, ad eundem Augustum & eius Successores nomenclatio. Et hæc iam notaueram in prima etiam seu Romana huius operis editione, id est in quopiam velut specimine; quum postea eandem Imperii Proconsularis ab Imperatoribus usurpati originem vidisse quoque eruditissimum inter Gallos sacrorum Antistitem Petrum Marca, in renouato formis luculento opere de Concordia Sacerdotii & Imperii, dein in urbem adlato, opportune monuisti.

3. *De Singulari* Traiani *nummo cum* PROCOS. *titulo.*

Neque vero statui debet cum magno [a] Casaubono ita pertinax hac in parte nummorum veterum silentium, ut non sese manifestet hic PROCONSULIS titulus in antiquis aliquot id genus monumentis. Quo loco ante omnia de quodam Traiani nummo monendum hic venit, qui ab illustri [b] Biragio inter reliquos genuinos & coæuos eiusdem Imperatoris nummos cum illo PROCOS. titulo, illinc cum Ænea Anchise & Julo in auersa nummi parte, est adductus; ac inde ab eruditissimo [c] Pagi est quoque indicatus, ad fidem faciendam expressi illius PROCOS. tituli in aliquot Imperatorum nummis. Verum qui nummus multis ante annis in hac ipsa de Proconsulatu Augustorum commentatione fuerat primum a me memoratus; & quidem ubi erat prius a me facta aliquot probi commatis Constantiniani æui nummorum commemoratio, in quibus illa PROCOS. dignitas signabatur; de quo autem superiore nummo hoc speciatim tradideram: "Immo eiusdem etiam notæ Traiani nummum vidisse in urbe me„ mini apud Abbatem Bracesium; sed ex eo nummorum genere, quos „ *Contorniatos* vulgo appellant: in quo nempe caput Traiani cernitur „ cum inscriptione, IMP. CÆSAR TRAIANUS AUG. P. M. TR. P. „ PR. PROCONS. in altera autem parte Æneas cum Anchise & Julo. Ut mirari proinde subeat, nullam factam eius rei mentionem a duobus illis viris præstantibus, qui cæteroquin adductos a me in superiori commentatione nummos, cum honesta mei vel operis commemoratione, subinde adducunt; adde, neque habitam ullam rationem discriminis inter antiquos & probos Cæsarianos nummos, & eos, qui *Contorniati* vulgo appellantur, qualis est omnino ille nummus, quem una tecum Romæ inter dicti Abbatis cimelia versare & tractare mihi licuit. Sed eo proinde misso, duos, ut dixi, quippe ab Occone iam descriptos, nosse potuisset magni Constantini nummos magnus Casaubonus, in quibus CONSUL. P. P. PROCONSUL. legatur. Tres autem, eosque probos omnino & genuinos cum eodem titulo inscriptos, quos videre mihi licuit, in illustribus Cimeliarchiis, quia vulgo rariores, in lectoris gratiam haud illibenter, uti iam olim a me factum, ita hic denuo vulgamus. Exhibent duo priores aurei, a me tum deprompti e Gaza Palatina, Diocletianum & Maximianum Herculium, cum figura quæ Globum gestat in auersa parte, solitum iis temporibus in nummis Imperatorum, veluti qui Orbem regerent, symbolum, & inscriptione CONSUL. VII. P. P. PROCOS. Quos binos etiam nummos ex eadem Gaza Palatina in Regiam Brandenburgicam dein cum reliqua nummorum veterum penu translatos, diuulgauit quoque eximius Begerus noster. Tertius itidem aureus e Museo laudati sæpius Etrusci Mæcenatis Cardinalis Medicei, Magnum Constantinum exhibet, cum inscriptione auersæ partis P. M. TR. P. PP. COS. IIII.

a Ut supra Not. ad Capitol. in Anton. P. c. IV.
b Num. Imp. p. 149.
c Ut supra.

Thes. Brand. Contin. p. 778.

PRO-

PROCOS. ubi, prioribus literis, *Pontificem* quoque *Maximum* vides eundem Principem deſignari : quem titulum raro alioquin in nummis illorum temporum ſignari ſupra monuimus.

4. *De imperio, quod* PROCOS. *Poteſtate adquirebant Auguſti.*

Quæ ratio autem *Proconſularis Imperii* Auguſto, eiusque dein Succeſſoribus, a Senatu delati fuerit, e Dione olim, adductis præcipuis eius eam in rem verbis, monueram, ſed cuius integrum ea de re locum ad maiorem lucem iuuabit hic adponere : [a] Τὴν τε ἀρχὴν ΤΗΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ἐσαεὶ καθάπαξ ἔχειν, ὥστε μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ εἴσω τοῦ πωμηρίου κατατίθεσθαι αὐτὴν, μήτ' αὖθις ἀνανεοῦσθαι, καὶ ἐν ὑπηκόῳ ΤΟ ΠΑΕΙΟΝ τῶν ἑκαταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψεν, *ut* PROCONSULARE IMPERIUM *ſemper & omnimodo haberet, neque illud intra pomœrium veniens deponeret, aut renouare illud opus foret; & quidem ut* MAIOR *ipſi in prouinciis, quam earum Præſidibus* POTESTAS *eſſet.* Quod illuſtraueram ſimilibus ferme de Germanico apud Tacitum verbis : *Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanio Prouinciæ, quæ mari diuiduntur,* MAIUSQUE IMPERIUM *quoquo adiſſet, quam his, qui ſorte aut permiſſu Principis obtinerent*; nempe quam *Proconſulum*, aut *Proprætorum*, qui Cæſaris vel Populi prouincias regerent. Quo nomine haud utique redargui merebar a viro bene de Romanis hisce antiquitatibus merito; quod nempe in eadem cum Petauio ſalebra hæſerim, dum „ *maius imperium* Germanio delatum, nihil aliud eſſe ſcribo, quam Im„ perium illud Proconſulare, quale Auguſto delatum iisdem verbis (*quæ* „ *modo adtuli*) deſcribit Dio : additque, quantumcunque fuerit illud „ Imperium, uti poſtea Corbuloni ſub Nerone datum, Proconſulatu, „ qui ſupremi Imperii pars, quique præter urbem in toto Romano Orbe „ agnoſcebatur, longe inferius exſtitiſſe; quamquam ſcripſerim a Tibe„ rio diuerſum non fuiſſe. Quæ verba, ut hinc ordiar, & ea, quæ habet eorum ibi notatorum titulus in margine (" Proconſulare Tiberii Im„ perium a Spanhemio perperam intellectum) eo utique maiori me admiratione adfecerunt, quod de illo Tiberii in Celtica, iuxta Dionem, Proconſulatu, de quo in ſuperiori paragrapho egerat, ac in duobus ſequentibus adhuc agit vir doctus, ne verbulo quidem quidquam adtigeram. Ad unum ibi Germanici memoratum a Tacito Proconſulatum, adductis eius eam in rem verbis, & loco, ubi illa apud eum legerentur, in margine adnotato, reſpexeram: quippe a Tiberio in Orientem, ad exortos in eo motus ſedandos, componendamque haud unius generis controuerſiam, ſummo cum imperio miſſus eſt Germanicus; nempe, iuxta adducta Taciti ea de re verba, *Maius imperium, quoquo adiſſet*, illi decretum quam iis, qui illud ibi ab Imperatore, aut a Populo, & quidem ſortito, erant nacti. A quibus utique haud aliena erant, quæ de Proconſulari Auguſti Imperio ibi adtuleram, ac modo etiam vidimus, verba: Ἐν δὲ τῷ ὑπηκόῳ ΤΟ ΠΑΕΙΟΝ τῶν ἑκαταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψε, MAIOR *ipſi in prouinciis, quam earum*

[a] Lib. LVIII. p. 518, 519.

Annal. II. c. 43.

Pagi Diſſ. Hypat. p. 21.

Ut ſupra.

rum Præfectis potestas esset; nempe, ut de iis Tacitus, seu sorte, pro illarum diuisione ab Augusto instituta, seu *permissu Principis*, eas *obtinerent*. Haud minus vero ibi mox addideram, auctam eandem Proconsularem Potestatem Imperatoribus datam; additis etiam tribus, quas reperirem atque ibi tango, uti ab Ulpiano dicuntur, *prærogatiuis*. Quibus autem præmiseram, ita paullatim amplificatam fuisse hanc *Proconsularem Potestatem*, quæ iam in M. Antonio patre Triumuiri erat reperta; cuius *infinitum imperium* a [a] Cicerone, ac inde a [b] Lactantio, ut obseruo, dicitur: nempe, iuxta Asconium ad Verrinas, qui Senatu deferente erat [c] *curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ*. Quod miror non animaduersum, ut obiter hoc tangam, a viris eruditis, ac inter eos ab eruditissimo [d] Cellario, qui in notis ad hunc de *Antonii infinito imperio* Lactantii locum, Auctoris illius lapsum seu μνημονικὸν ἁμάρτημα esse statuunt: id enim, quod de Antonio ibi dicitur, Pompeio conuenire; ac inde, pro *M. Antonii*, verius legendum *Pompeii* vel *Magni Pompeii*. Quæ hic pridem notaueram, quum in Oxoniensi Lactantii, quæ haud ita pridem prodiit, editione id vidi postea adnotatum; quod pro *Pompeii* voce, quam reponendam ibi credebant alii, *Antonii* retinendum suaderet Isæus, cuius nempe Antonii imperium Cicero infinitum dixerit. Ut mirari proinde liceat, id, quod erat verissimum, a nostrate Cellario, a quo quindecim post annis est editus denuo & notis illustratus Lactantius, plane esse præteritum. Uti etiam quod eam in rem ab Asconio ad Verrinas notatum modo diximus. Quale autem *infinitum imperium* est dein Pompeio lege Gabinia renouatum, seu, iuxta Velleium, ut esset ei *imperium*, non *maius* quidem, sed *æquum in omnibus prouinciis cum Proconsulibus*, *usque ad quinquagesimum milliarium a mari*: quo autem Senatusconsulto, ut addit, pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Adde, quum delata dein est eidem Pompeio rei frumentariæ procuratio, & quidem lata, iuxta Ciceronem, lege, iisdemque verbis, quibus Tacitum postea de Germanico & de Augusto Dionem loquentes vidimus: MAIUS IMPERIUM *in Prouinciis*, *quam sit eorum*, *qui eas obtineant*; seu, ut ea de re Dio, Imperium Proconsulare in quinquennium, tam in Italia quam extra Italiam, ac proinde in toto Romano orbe. Eiusdem vero generis imperium, quale huic Pompeio bello Piratico & procuratione illa frumentaria concessum, in Corbulone (cuius ibi quoque a Cl. Pagi adducti ipse hic olim memineram) Neronis temporibus repetitum Tacitus refert; & quidem edictum Tetrarchis, Regibus, Præfectisque & Procuratoribus, & qui Prætorum finitimas prouincias regebant, *iussis Corbulonis obsequi*; *in tantum ferme*, ut addit, *modum aucta potestate*, *quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum Piraticum gesturo dederat*. Qua ratione non *æquum* utique, iuxta Velleium, cum prouinciarum Proconsulibus, sed *maius* fuisset omnino Pompeii illo bello *imperium*. Quod etiam adstruit, & qui adducta modo Taciti verba haud parum illustrat, Appianus; a quo dicitur ad bellum Piraticum Pompeium lege lata Imperatorem creatum in triennium; qui toto mari, quod est intra Columnas Herculis, & in maritimis prouinciis usque ad quadringentesimum e mari stadium, potestatem haberet imperandi *Regibus*, *Dynastis*, *& Gentibus*, *& cunctis Ciuitatibus*, *ut Pompeio rebus omnibus opem ferrent*, βασιλεῦσί τε καὶ δυνάσταις καὶ ἔθνεσι καὶ

a In Verrem 1. 1. c. 3.
b Instit. l. 1. c. 2.
c Ad Verrem ut supra.
d In Not. ad Lactant.
Lib. 11. c. 31.
Ad Att. l. IV. Epist. 1.
Lib. XXXIX. p. 96.
Annal. XV. c. 25.
Bell. Mithridat. p. 236.
Ibid. p. 235.

καὶ πόλεσι πάσαις ἐπέστελλον, ἐς πάντα συλλαμβάνειν τῷ Πομπηίῳ. Quam summæ illius potestatis memoriam cum PROCOS. titulo seruarunt, sicut ea de re iam alibi, eius nummi: ut originem iterum huius Proconsularis Augustorum Imperii in ipsa Republica obseruare liceat. Quam vero auctam dein in Augustis Potestatem, quod paullo ante monui, continuo ibidem adtigi, cuius vi tria reperirem præcipue iis concessa. Primo, & quod maxime ad ordinarios olim Prouinciarum Rectores, Proconsules nempe & Proprætores, respicit, quòd reuera non *æquum*, sed *maius* illis, quam Præsidibus Prouinciarum, in easdem cederet imperium. Id certe clare innuit Ulpianus: *Præses Prouinciæ* MAIUS IMPERIUM *in ea Prouincia habet omnino* POST PRINCIPEM: quibus consentanea ac totidem verbis idem tradit agens de officio Proconsulis. Unde etiam, ut hoc addam, in Proconsulum, qui Prouinciis populi Romani præessent, facta & mores anquirendi, missis etiam in eas Cognitoribus, qui suas ea in re vices implerent, data est Imperatoribus illo Proconsulari Imperio potestas. Clare id utique inter alia eruas ex Inscriptione veteri apud Gruterum, ubi Cæsonius *Præfectus Urbi* dicitur ELECTUS AD COGNOSCENDAS VICE CÆSARIS COGNITIONES PROCOS. PROV. AFRICÆ. Secundo, quòd Imperatoribus non ad certum tempus, uti dictis modo M. Antonio, Pompeio, Corbuloni, sed perpetuum deferretur *Proconsulare* illud *Imperium:* adeo ut nec deponi intra pomœrium, aut renouari opus foret, ut obseruat Dio; qui alibi tradiderat, Pompeio Proconsulare imperium gerenti in urbem venire non licuisse. Hinc, ut monuit iam magnus Cuiacius, *Proconsules* olim dicti non *in Urbe*, sed *ad Urbem.* Imperium vero illud *Proconsulare* Cæsarum seu Augustorum *Perpetuum* [a] intra & [b] extra pomœrium solitum est ab iis usurpari: quorum utrumque aperte diuersis locis tradit Dio. Quamquam & simile quid iam olim obtinuerit, Proconsulare nempe in urbe Imperium; liberâ etiam Republicâ sit quandoque extra ordinem, sed ad unum forte vel alterum diem, concessum; ut, auctore Liuio, [c] Q. Fuluio Proconsuli, postea [d] M. Marcello; ac similiter ut de [e] Perseo & Gentio, Macedonum ac Illyricorum Regibus, triumphantes urbem inirent. Tertio, id de Imperatorum Proconsulatu peculiare ibidem diximus; quòd, citra ullos maris aut terrarum limites, Imperatoribus in toto orbe Romano, non ut Pompeio ad quinquagesimum a mari milliare, ius illud deferretur. Nihil quippe aliud, ut iam monui, illo iure seu *Imperio Proconsulari* quæsitum, quam ut æquum seu supremum Cæsaribus in omnes prouincias Cæsaris & Populi imperium eo nomine traderetur. Ut proinde haud male Symmachus Imperatorem vocet, *cunctarum Prouinciarum parentem.*

Leg. IV. D. de Off Præsid.

Leg. III. D. de Offic. Procons.

Thes. Grut. CCCLXXXI, 3.

Lib. LIII. p. 510.

Obseru. l. XII. c. 33.

a Ut supra.
b Ibid. p. 508.

c Lib. XXVI. c. 9.
d Ibid. c. 21.
e Lib. XLV. c. 35.

Lib. IV. Epist. 6.

Qua ratione non *duplex*, ut existimabat, de quo paullo ante, eruditissimus [a] Pagi, sed *triplex Proconsulatus* est distinguendus: primus nempe, qui Imperium in toto orbe Romano, dictisque proinde tam Augusti quam Populi prouinciis, ac in perpetuum quidem, conferebat, ac pars erat Principatus; atque inde cum Imperatoribus, tum subinde secundi fastigii Cæsaribus, iisque inde Imperii Collegis, datus: alter, qualis Germanico sub Tiberio, & Corbuloni sub Nerone, in magna terrarum Romani orbis parte, & ad certum quidem tempus est concessus: tertii vero generis Proconsulatus eos respicit, qui, post institutam ab Augusto Pro-

5. *De triplici vocis* Proconsulatus *significatione.*

a Crit. Baron. p. 142. To. I.

Prouinciarum Populi & Augusti diuisionem, ad prouincias regendas a Senatu sub *Proconsulum* nomine, quod e Dione rursus, ac antiquis Inscriptionibus constat, iique vulgo annui, mittebantur. Quorum autem *Proconsulum*, & quidem Achaiæ, Asiæ, Bithyniæ, Cypri, occurrit in Græcis Cæsarianis earum prouinciarum nummis, & de quibus alius occurret dicendi locus, haud infrequens mentio.

Lib. LIII. p. 504.

Id vero postremo loco addendum est, exstare, ut obseruo, alium Dionis locum, qui prioribus eius, iisque supra adductis de *Perpetuo* Augusti *Proconsulari Imperio*, quod in urbem veniens nunquam deponeret, aut renouari opus esset, videtur, sed iuxta eius interpretem, non ipsum vero Dionem, aduersari. Nempe ubi ab Augusto census primum Romæ, dein in Italia quoque actus dicitur. Ita tamen ut non velut Censor, verum proposito Proconsulari, quod obtinebat, Imperio, censum illum peregisse dicatur: Ἀνθύπατον ἐξουσίαν πρός τε τὸ τέλος τῶν ἀπογραφῶν, καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθαρσίου πομπὴν προσέθετο, *Proconsulare Imperium ad finem census, & ad lustrale sacrum faciendum proposuit*, non, iuxta Interpretem, *accepit*. Id enim Imperium Augustus, & quidem in perpetuum, ac ut renouari illud neutiquam opus foret, fuerat iam ante, iuxta eundem Dionem, nactus. Et hæc, de illo PROCONSULIS titulo ab Imperatoribus admisso, quem non satis expenderant viri docti, præter aliquas eorum, quæ de illo olim monueram, vindicias, sint dicta. Ut hic mittam ingenuam magni Scaligeri confessionem; dum a doctissimo Casaubono doceri cupit, cur Seuerus, aliique eum sequuti Imperatores, PROCONSULES sæpissime vocantur in antiquis Inscriptionibus; additque: *Hoc non mediocriter mirari soleo, quia causam ignoro.* Quæ equidem, ut opinor, plana iam est ac manifesta.

Lib. v. p. 557.

X. *De Titulo* CENSORIS *in aliquot Imperatorum nummis, & de* CENSURA *sub iis.*

In Catone Maj. p. 345.

In voce *Religionis.* Tacit. Annal. I. c. 2.

Lib. LI. I. p. 508.

Ibid. p. 509.

Neque vero hic prætereundum est illud, quod scis a Plutarcho, κορυφήν τινα τιμῆς ἁπάσης, *fastigium quoddam omnium honorum* dici meruisse, CENSORIS nempe munus, seu, ut alicubi apud Festum vocatur, *Censoria maiestas*, quam non omiserunt quoque Imperatores, cuncta *Legum ac Magistratuum munia in se trahentes.* Adeo quidem ut Dio obseruet, vi illius Potestatis, censum agendi; in vitam & mores Senatorum inquirendi; in Equestrem ac Senatorum ordinem alios legendi; alios ab iisdem remouendi, integram illos facultatem habuisse. Idem vero paullo post, vim quidem illius Magistratus penes Imperatores fuisse agnoscit; sed eosdem tamen sua ætate, præterquam in agendo censu, & qua de re mox, nomine illo *Censoris* abstinuisse. In quo discrimen notat suæ ætatis & priorum aliquot Cæsarum; dum CENSORIS nomen ab iis nonnunquam susceptum, a Domitiano etiam perpetuo gestum, tradit. Ita nempe se habuit Censura sub Imperatoribus. Julio Cæsari ut *Censor* esset *Perpetuus*, & quidem solus, a Senatu inter alios honores decretum docet idem [a] Dio; quemque sub titulo *Præfecti Morum* ab eo admissum tradunt Cicero ac [b] Suetonius: quibus nominibus alioquin, quod præcipua hæc foret illius

a Lib. XLIV. p. 293.

b In J. Cæs. c. LXXVI.

Ma-

Magiſtratus Poteſtas, *Cenſorem* in genere deſignat alibi idem Tullius: [c] *Tu es Præfectus moribus, Magiſter veteris diſciplinæ & ſeueritatis:* ac [d] paullo ante de C. Geta Cenſore dicit, eum *moribus præfuiſſe.* Immo prout *Cenſoris* munus per *morum principatum* deſignat alicubi [e] Valerius Maximus.

[c] Pro Cluent. c. XLVI.
[d] Ibid. c. XLII.
[e] Lib. IV. c. XV.

I. *De* CENSORIS *Perpetui dignitate* Auguſto *oblata.*

Auguſtus vero, tenax ſemper callidi propoſiti, oblatam ſibi *Cenſoris Perpetui* dignitatem recuſaſſe a [a] Dione dicitur, creatis etiam more veteri aliis Cenſoribus: ipſe interim [b] *Cenſorum munia uſurpans*, ut de Claudio loquitur alicubi Tacitus, ſeu, ut alibi de Auguſto ab eodem Dione dicitur, [c] ὅτι τὰ τῶν Τιμητῶν ἐπραττεν, *quòd Cenſorum munia perageret.* Idem vero, quod vel ex aliis [d] Dionis locis liquet, iam ante Cenſor fuerat cum Agrippa; ac poſtea adhuc cenſum Romæ egiſſe dicitur, [e] Tiberio II. & Cn. Piſone Coſſ. ac inde [f] Τιμητεύειν, ſeu *Cenſorem agere*, alibi ab illo auctore dictus: ne illi promiſcue *Cenſoris* nomen, æque ac Dictatoris, aut munus, cum magno Suetonii [g] interprete, defuiſſe ſtatuatur: ſed alterum illud obnoxium inuidiæ, *Perpetui* nempe *Cenſoris.* Equidem *Cenſor* vocatur alicubi a [h] Macrobio: *Mira etiam* CENSORIS AUGUSTI *& laudata patientia.* Idem vero Auguſtus poſtea, teſte rurſus alibi [i] Dione, *Magiſter Morum*, ad patris Julii *Præfecti Morum*, ut vidimus, exemplum, in quinquennium cum POTESTATE per id tempus CENSORIA eſt creatus: ut omiſſo nempe CENSORIS titulo rem teneret; haud aliter ac *Tribunitiæ*, *Conſularis*, de qua Dio ibidem, & *Proconſularis Poteſtatis* inducti ſunt eadem ætate & conceſſi eidem Auguſto honores. Cuius cæteroquin *Cenſoriæ Poteſtatis*, ſed a priuato exercitæ, exſtat apud Tacitum mentio; a quo nempe L. Voluſius *Cenſoria Poteſtate legendis Equitum decuriis functus* dicitur. Quam certe *Cenſorum Poteſtatem* pro vera *Cenſura* uſurpant alii Auctores, ſicut Liuius de irritis publicanorum precibus apud Senatum: *Ut modum Cenſoriæ Poteſtati imponeret.* Sic Valerius Maximus de M. Valerio Meſſalla cenſoriâ notâ perſtricto: *Qui Cenſoria poſtmodum Poteſtate imperauit*; alibi de Marcio Rutilio, qui populum Romanum grauiſſima oratione corripuerit, quod *eam* (*Cenſoris* nempe) *Poteſtatem bis ſibi detuliſſet.* Cæterum ut *Cenſoria Poteſtas* Auguſto, ita *vis Cenſoria* M. Fabio Buteoni Dictatori iam olim conceſſa apud Liuium traditur, ſed ad tempus tantum, quo Senatum legeret.

[a] Lib. LIV. p. 521.
[b] Annal. XI. c. 13.
[c] Lib. LIV. p. 541.
[d] Lib. LII. p. 494.
[e] Lib. LV. p. 517.
[f] Lib. LIII. p. 508.
[g] Caſaub. Not. ad Sueton. in J. Cæſ. c. 76.
[h] Saturn. l. II. c. 4.
[i] Lib. LIII. p. 527.
Annal. III. c. 30.
Lib. XLIII. c. 16.
Lib. II. c. IX, 5.
Lib. IV. c. I, 3.
Lib. XXIV. c. 23.

2. *De titulo* CENSORIS *raro aliis Auguſtis dein tributo.*

Manſit equidem poſtea penes Imperatores illa *Poteſtas Cenſoria* ſub Auguſto *Cenſoris* loco inducta; adeo ut dein ab hoc nomine uſurpando ferme abſtinuerint, quod docet, ut vidimus, Dio, aut tantum in agendo cenſu illud adſumpſerint. Qua ratione contigit, ut obſcura euaſerit mentio geſtæ Cenſuræ in Hiſtoria Auguſta; nomen eiusdem a Claudio forte, a Flauiis certe admiſſum, poſt Domitiani vero tempora vix in publica Cæſarum monumenta ſit relatum. Obſtare tamen hic videtur fragmentum veteris lapidis, qui Antonino Caracallæ tribuitur, ac ubi inter reliquos titulos CENSOR dicitur, contra morem eorum temporum a coætaneo Dione, ut modo diximus, obſeruatum. Sed impoſuerunt hic nobis eruditi collectores: quum lapis ille non ad Caracallam, ſed ad Veſpaſianum referri omnino debeat, ut ex collatione alterius Inſcriptionis fit continuo manifeſtum, ac, uti a me olim hic adſertum, ad eundem lapidem in renouato formis Gruteriano Theſauro traditur. En prius fragmentum relatum ibi inter dicatas Caracallæ inſcriptiones:

Thes. Grut. CCLXX, 2.

PONTIFICI MAX
TRIBUNICIA. POTESTAT
IMP. XVII. P. P
COS. VIII. DESIGN. VIIII. CENSORI
CONSERVATORI. CAEREMONIARUM
PUBLICARUM. ET
RESTITUTORI. AEDIUM. SACRARUM
SODALES. TITI

Altera Inscriptio Vespasiani, e qua superior suppleri debet, ita ibidem exhibetur:

Ibid. CCXIIII, 5.

IMP. VESPASIANO. AUG
PON. MAX. TRIB. POT. IIII
COS. VIII. DESIG. VIIII. P. P
SACRARUM. AEDIUM
RESTITUTORI
ET. RITUUM. ANTIQUOR
CONSERVATORI
SODALES. TITI

Ibid. CCXLIII, 7. Similis rursus alia huic Vespasiano ab iisdem Sodalibus Titiis dicata legitur, cum eodem anno Consulatus & Imperatoris numero, ac titulo praeterea CENSORIS *& Conseruatoris Ædium Sacrarum:* e qua liquet etiam corruptos esse in altera modo adlata annos *Tribunitiæ Potestatis* IIII. pro VIII. & quod, hic a me pridem monitum, in nuperis ad Thesaurum illum Gruterianum notis monitum quoque video. Frequentes certe eiusmodi transpositiones & errores numerorum in praeclaro opere, & notasse iam alios, ac nos etiam paullo ante, ibidem diximus, ac emendaturum plenius virum eruditissimum, nempe Marquardum Guidum, qui spartam illam pridem exornandam suscepisset. Quod vero a viris eruditis, ac inter eos ab eximio J. Masson, in nouissima Thesauri illius editione est passim ac laudabiliter praestitum. Quem caeteroquin CENSORIS titulum Vespasiano pariter tribuit Graeca simul ac Latina Thyatirenorum in Lydia inscriptio, ab erudito Sponio vulgata:

Itiner. p. 123. To. III.

IMP. CAESAR. VESPASIANUS
AUG. PONT. MAX. TRIB
POT. VI. IMP. XIII. COS. VI
DESIG. VII. CENSOR. VIAS
FACIENDAS. CURAVIT

quod nempe proprium erat, & qua de re alibi, Censorum. Neque vero
Pag. CCXLIV, 7. hisce parentis appellationibus dissimilis Titi in dicto prius Thesauro inscriptio, cum eodem CENSORIS titulo eidem consecrata.

3. *De nummis & lapidibus, qui Censuram Imperatorum exhibent.*

Verum quæ de *Censura* Imperatorum adtigimus hactenus, nummi veteres docent similiter vel illustrant. In iis vero, aut lapidibus, ne Augusto quidem, etsi Censuram eum egisse, & *Censorem* subinde dictum, paullo ante vidimus; nec Tiberio dein (etsi *Censuram* ab eo gestam, quam *morum correctionem* vocat, & quidem non cum uno, sed cum duobus Col-

Collegis, L. Pomponio Flacco & L. Pisone, tradit [a] Suetonius) neque etiam Caligulæ datam CENSORIS appellationem legimus; Claudii vero Censuræ, cuius ab eo gestæ meminere [b] Suetonius, [c] Plinius, ac inde *Censorii funeris* ei decreti [d] Tacitus, illiusque, iuxta Tiberii Capreas, exposi, haud uno loco [e] Sidonius, testis exstat quidem in [f] Gruteriano Thesauro duplex Inscriptio, in quarum utraque TI. CLAUD. CENSOR legitur; sed quæ ne ad Censorem Claudium Imperatorem referantur, obstat nullus ibi additus Augusti illius fastigii titulus; tum quod sequatur ibi alterius muneris, quo ille *Tib. Claudius* fungeretur, nomen; ac proinde ubi vocem illam in utroque illo lapide finalem CENSOR legendam CENSORINUS putat doctissimus [g] Norisius, & cui accedit eruditissimus [h] Pagi, qui antea non ad Claudium, sed ad Tiberium Imperatorem eandem retulerat. Verum exstat testis Claudii Imperatoris Censuræ singularis nummus, qui eum Sellæ Curuli insidentem exhibet, ac ante eum solitam Equitum transuectionem, cum inscriptione CENSOR, sed quem, cum alio signatæ similiter Censuræ typo, in nummo Gentis Liciniæ, supra iam adduximus.

a In Tiber. c. XLIV.
b In Claud. c. XVI.
c Lib. x. c. 2.
d Annal. III. c. 2.
e Paneg. Maior. ỳ. 322. & Auit. ỳ. 105.
f Pag. XIV, 4, 5.
g Vid. Pagi Critic. Baron. p. II. To. I.
h Diss. Hypat. c. III.

4. *De Censura a* L. Vitellio *una cum* Claudio *gesta.*

Eximia vero gestæ, non tam ab eodem Claudio, quam ab eius in obeundo illo munere Collega L. Vitellio, Censuræ testimonia videre etiamnum licet in tribus præclaris nummis, qui iussu Vitellii Imperatoris, ac illius *Censoris* filii sunt percussi. E quibus hic depictis Censor in priore sellâ curuli pro Tribunali sedens dextra manu protensa cernitur, ante tres figuræ stantes, e quibus prima dextram in altum tollit, cum inscriptione L. VITEL. CENSOR. E duobus reliquis nummis, unus Censorem sedentem, & cum extensa quoque dextra exhibet; alter laureatum Censoris Vitellii caput, ante Scipionem cum Aquila in eius summitate, & cum inscriptione in utroque nummo, L. VITELLIUS COS. III. CENSOR, ac in priori ex iis addita S. C. nota.

Priorem ex iis nummum ab aliis iam ante vulgatum, sed noua luce, quam iidem ei inuiderant, a me perfusum, quod agnoscit eximius Patinus, olim adtuli: in quo tamen, ut ipse hoc moneam, male CENSOR II. legitur, pro CENSOR sine ulla numerali nota. Alios vero duos nummos protulere dein viri præstantes [a] Patinus ac [b] Vaillant, postremum etiam iam ante [c] Octauius Strada, & quibus accessit postremo loco post Occonem illustris [d] Biragius. Sedentem vero in duobus prioribus nummis *Censorem* L. Vitellium nemo utique mirabitur, qui nouit hanc Censoris apud Romanos dignitatem Curulis solum fuisse Magistratûs; sed &, præter adductum paullo ante Plutarchi de eo locum, ab Athenæo itidem, quod obseruo, dicuntur *Censores summus apud Romanos Magistratus*, παρὰ Ρωμαίοις οἱ Τιμηταὶ, μεγίστη δὲ ἀυτη ἀρχή. Unde etiam apud Liuium creati tum

Ad Sueton. in Vitell. c. I.
a Ibidem.
b Præst. Num. p. 87. P. II.
c Num. Impp. p. 47.
d Num. Impp.
Lib. XIV. p. 660.

CENSORES, M. Æmilius Lepidus & M. Fuluius Nobilior, dicuntur co-
Lib. XL. c. 45. mitiis confectis *in campo ad aram Martis* SELLIS CURULIBUS *consedisse*. Neque vero stantes hic in priori nummo ante Censorem sella curuli sedentem plures Quiritium figuræ facessent negotium, in quo præclarum actæ ab illo Vitellio Censuræ monumentum cernitur. Proprium nempe erat huius *Censoriæ Potestatis*, quod omnibus vel e nomine obuium, & quam in rem eadem erat instituta, censum ciuium agere; quod fiebat sedentibus Censoribus & vocato per præconem populo, qui apud eos nomina, familias, & facultates iurati profitebantur; quodque *commune omnium ciuium iusiurandum* a Liuio alicubi dicitur: a Censoribus nem-
Lib. XLIII. c. 14. pe in concione edictum: *Legem censui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium ciuium iusiurandum hæc adiurarent*; ac prout a Dionysio Halicarnassensi id præterea traditur. Cuius ritus proinde conuocato-
Antiq. l. IV. p. 221. rum ad censum coram Censore ciuium, quique iurati nomina & facultates eidem profiterentur, præclaram utique imaginem exhibet, ut obseruo, idem nummus. Abunde is insuper docet dignitatem muneris Censorii; cuius gesti memoria sub Imperatore filio, & cum eius capite in priori area ac summi fastigii titulis, renouari ac publico ære signari meruerit; & quidem cum addito uno CENSORIS nomine, etsi tres Consulatus, quod vel duo sequentes nummi ostendunt, & duos quidem cum ipso Claudio Imperatore, gessisset hic Vitellius. Haud mirum vero, si in duobus sequentibus nummis eorundem trium *Consulatuum*, una cum *Censoris* titulo, fiat mentio: additumque gesti Consulatus in postremo insigne, Scipio nempe eburneus cum Aquila in eius summitate. Equidem liberæ etiam urbis temporibus bis terue Consulem fuisse, pro eximia qua-
Lib. XXV. c. 5. dam & singulari omnino laude habebatur: prout apud Liuium Q. Fuluius, aut T. Manlius Torquatus *duobus Consulatibus & Censura insignis* dicitur. Id autem eo magis singulari ornamento fuerat huic Vitellio, quod non, ut M. Antonius in eius nummis COS. DESIGN. ITER ET TERTIUM, sed, ut in duobus superioribus nummis inscribitur, reuera COS. III. & quidem semel sub Tiberio, bis autem cum ipso Claudio Imperatore fuerat: adde, qui tres illos ordinarios, quod vel ex Fastis liquet, Con-
In Vitell. c. IX. sulatus gesserat, ut de duobus postremis a Suetonio dicitur: *Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios Consulatus Censuramque gessit*; ac
Histor. I. c. 53. inde apud Tacitum: *Vitellio tres Patris Consulatus, Censuram, Collegium*
Ibid. c. 11. *Cæsaris, &c.* alibi iam ante: *Vitellius Censoris Vitellii ac Ter Consulis filius*; optimi proinde adducti paullo ante duplicis nummi, cum iisdem huius Vitellii Imperatoris patris titulis, interpretes sunt ipsi scriptores veteres.
Lib. XV. Sect. 25. Harduin. Select. Oper. p. 728. Adeo ut non e solo Plinio colligere debuerit vir doctus, *Censorem* fuisse hunc L. Vitellium; quod, præter adducta Taciti ac Suetonii clarissima eam in rem testimonia, trium insuper insignium, & e quibus unum ipsemet ibi e cimeliis Regiis memorat, nummorum auctoritate firmabatur. Unde etiam minime debuit eundem *Censorem* L. Vitellium ac ter Consulem, Vitellii Imperatoris non *patrem*, ut de eo dicti modo aliique prisci Auc-
Ut supra Not. &c. ad lib. XV. sect. 25. tores, Victor Schotti, Eutropius, & ipse ad Plinium Harduinus, sed *patruum* pro lubitu appellare. Haud mirum vero, si, in adductis tribus huius L. Vitellii nummis, non gesti solum ab eo triplicis Consulatus, quod, & ea maxime ætate, singularis prorsus erat exempli, sed actæ insuper ab

eo

eo *Cenſuræ*, ac in priori etiam nummo, unius CENSORIS tituli, omiſſa COS. III. quod in aliis duobus legitur, mentione, conſignata ſit ad poſteros memoria. A Plutarcho certe dici videas, Pompeium a M. Craſſo dignitate Cenſoria ſuperatum: etſi nempe, ut hoc addam, Conſulatuum numero, bis nempe Craſſus, ter autem Pompeius, Conſul fuerat; & quidem poſtrema etiam vice, quod nunquam antea factum, ſolus; ſummis præterea & extraordinariis extra urbem Imperiis, ac præterea rerum geſtarum gloria & triumphis actis longe clarior exſtitiſſet Pompeius. Etſi, ut & hoc addam, ab hisce præterea Vitellii nummis cum L. Vitellii COS. III. & CENSORIS titulis haud alienum, de eodem Pompeio, a Tacito, in diſſertatione de Legum apud Romanos origine, dicatur: *Tum Cn. Pompeius* TERTIUM CONSUL *corrigendis* MORIBUS *delectus*; quod poſtremum tamen *Cenſoris* erat, ut tyronibus notum, prout de Cenſura Tiberii paullo ante, ac Domitiani inſuper, a Suetonio dicitur: *Suſcepta morum correctione*; non vero *Cenſoris* munere. Verum haud minus certum eſt e priſcis Romanæ hiſtoriæ monumentis, neutiquam *Cenſoris* dignitate, & qua in re vere eum a Craſſo ſuperatum tradit Plutarchus, functum eſſe Pompeium: tum non *corrigendis* ciuium *moribus*, ſed ſedandis, ut ſupra iam innui, grauibus, qui in urbe exorti erant, motibus, & tutandis aduerſus plebem ſeu factioſos e plebe Optimatibus, delectum tertium, & ſolum quidem, Conſulem Pompeium. Nempe, quod de Scipione Cenſore ait Valerius Maximus: *Explica totos Faſtos* (Conſulatûs nempe teſtes) *conſtitue omnes currus triumphales; nihil tamen* MORUM PRINCIPATU (Scipionis nempe *Cenſura*) *ſpecioſius reperies.* Certe, ut prior ille Vitellii nummus, ita eiusdem Scipionis, Naſicæ nempe, ſtatua nihil olim aliud inſcriptum habuit, niſi CENSORIS nomen, ut refert ad Atticum Cicero, qui eo nomine Metellum exagitat, quod Scipionem proauum *Cenſorem* fuiſſe ignorauerit: *Sed neſcire proauum ſuum* CENSOREM *fuiſſe, turpe eſt.* Adde præter receptum illuſtrium apud Romanos, quod tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis, familiarum morem, ut qui orti erant familiis Cenſoriis, Commentarios Cenſorios per manus a patribus exhibitos acciperent, & ſumma cura poſteris ſuis, tanquam ſacrum depoſitum, tradere conarentur. Quod ne patri ſuo L. Vitellio contingeret, cauit filius eius Imperator, aut quicunque feriri illos in eius honorem nummos iuſſerunt, ut omnibus deinceps conſtaret eundem Patre Cenſore natum: ſicut magnam iam ante L. Piſonis claritudinem extollit alicubi Tacitus, quod habuerit patrem Cenſorium. Adeo ut a Scriptore, licet inferioris longe ævi, Zonara nempe, haud abs re dicantur *Cenſores* ipſis Conſulibus, quamuis parte duntaxat eorum poteſtatis accepta, ſuperiores euaſiſſe: ac dein, & memorabili ea de re loco: *In Magiſtratibus temporum cauſſa Romæ inſtitutis principem locum obtinuere Dictatores; proximum* CENSORES; *tertium Magiſtri Equitum: qui ordo, ſiue in Magiſtratu eſſent, ſiue eo abiiſſent, obſeruabatur:* Τῶν δὲ πρωτέρως ἀρχόντων πρεσβεία μὲν ἐδίδοτο τοῖς Δικτάτορσι· δευτέρα δέ γε ΤΟΙΣ ΤΙΜΗΓΑΙΣ· ἡ δὲ τρίτη τάξις τοῖς Ἱππάρχοις γενέσιν το. Καὶ οὕτω ταῦτα ἐτέταχτο κἂν ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὦσαν, κἂν ἀπηλλάγησαν. Sed magis adhuc ſingulare minusque obuium, quod ſequitur: Εἰ γάρ τις ἐκ μείζονος ἀρχῆς εἰς ὑποδεέστερον κατέστη, τὸ τῆς πρωτέρας ἀξίωμα εἶχεν ἀκέραιον· *Quod ſi ex maiore ad humilius munus deſcendiſſent, priorem dignitatem inuiolatam conſer-*

In M. Craſſo p. 566.

Annal. III. c. 28.

In Domitian. c. VI, 1.

Lib. VIII. c. XV, 3.

Lib. VI. Epiſt. 1.

Antiq. l. 1. p. 60.

Annal. VI. c. 10.

Annal. l. VII. p. 349. To. 1.

uabant. Istud vero an alibi legatur, mihi equidem haud constare fateor.

5. *De Vespasiani ac Titi Censura.*

Post gestam vero a Claudio Imperatore cum hoc L. Vitellio Censuram, eandem postea egerunt simul Vespasianus & Collega in imperio, ac Imperator inde etiam dictus, Titus, iuxta illud Suetonii de Tito: [a] *Triumphauit cum patre Censuramque gessit unà.* Quod plures utique utriusque Principis nummi, & quidem Titi, ante & post Augusti fastigium, etiamnum euincunt; in quibus, præter alios titulos, CENS. vel CENSOR legitur.

a In Tito c. 1.

6. *De Domitiano Censore perpetuo.*

A Domitiano vero, patris fratrisque exemplo, non susceptam solum *Censuram*, seu, ut eam vocat, quod paullo ante vidimus, de ea agens Suetonius, [a] *morum correctionem*, ac prout [b] *emendatio morum iudiciorumque correctio* Juliano Imperatori a Mamertino tribuitur, sed eandem insuper *Perpetuam*, ac unde Τιμητὴς διὰ βίου, *Censor Perpetuus*, a [c] Dione dicitur, comprobant itidem descripti ab antiquariis sat magno numero eius nummi, non solum cum titulo [d] CENS. sed insuper CENS. PERP. vel PERPET. (quem cæteroquin *Censoris Perpetui* titulum ab Augusto recusatum e [e] Dione paullo ante vidimus) subinde etiam [f] CENSO. POT. *Censoria Potestate*, qualem nempe Augusto itidem in quinquennium datam, ex eodem quoque [g] Dione discimus. Unde etiam factum, ut *Censoriæ* illius *Potestatis* a Domitiano actæ, non testes solum, sed præcones insuper exstiterint coæui eidem Poëtæ ac Oratores, Juuenalis, Martialis, Statius, & Quintilianus: e quibus a Satyrico [h] *Iudex morum* inde dicitur: *Laudant te iudice morum*; a Bilbilitano vate: [i] *Censor maxime*; alibi, cum [k] *placidi Censoris* elogio; a Statio:

a In Domitian. c. VIII.
b Paneg. Julian. c. IV.
c Lib. LXVII. p. 760.
d Birag. Num. Impp. p. 133. &c.
e Lib. LIII. p. 508.
f Ibid. p. 534.
g Ibid. p. 517.
h Juuen. Sat. IV. v. 12.
i Martial. l. VI. Ep. 4.
k Idem l. V. Ep. 24.

[l] *Hic amor a Domino meritus* CENSORE *probari*;

l Lib. V. Sylu. I. v. 41.

Fabio autem [m] *sanctissimus Censor* dicitur.

m Proœm. Instit. l. IV.

7. *De Imperatorum post Flauios censoria potestate.*

Post Flauios vero CENSORIS titulus nusquam hactenus in nummis sequentium Imperatorum adsumptus legitur; immo a Traiano munus id sub *Censuræ* vel *Præfecturæ Morum* nomine necdum, quum ei Panegyricum diceret, gesto proinde iam tertio Traiani, ut ex eodem liquet, Consulatu, receptum tradit Junior Plinius: [a] *Ideo non* CENSURAM *adhuc*, *non* PRÆFECTURAM MORUM *recepisti, quia tibi beneficiis potius quam remediis ingenia nostra experiri placet.* Alibi: [b] *Perge modo, Cæsar, & vim effectumque* CENSURÆ, *tuum propositum, tui actus obtinebunt. Nam vita Principis* CENSURA *est, eaque* PERPETUA; *ad hanc dirigimur; ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo.* Ab Hadriano tamen, Traiani Successore, admissum inter titulos CENSORIS quoque nomen, quod cæteroquin in nummis eius & Inscriptionibus neutiquam comparet, liceret ex Apuleio colligere, dicente: *Ipsius etiam Diui Hadriani, multa id genus legere me memini. Audesis igitur, Æmiliane, dicere male id fieri, quod Imperator, & Diuus, &* CENSOR *Hadrianus fecit.*

a Paneg. c. LX.
b Ibid. c. XLV.
Apolog. p. 69. Edit. Scip. Gentil.

8. *De Censura demum a priuatis gesta.*

Id tamen in desuetudinem abiisse, ut *Censoris* titulum adsumerent deinceps Imperatores, illud vero munus obiret priuatus quispiam, iussu Imperatoris a Senatu subinde eam in rem delectus, illustri exemplo docet

in

in Valeriano adhuc priuato, & *Cenſore*, ut eum vocat, Trebellius Pollio: *Valerianus Imperator, nobilis genere, patre Valeriano,* CENSOR *antea, & per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen adſcendens.* Sed magis adhuc memorabilia, quæ de illo *Cenſoris* munere ei a Senatu, & accedente imperantis tum Decii auctoritate, delato paullo poſt ibidem leguntur: *Duobus Deciis* COS. VI. *Kal. Nouemb. die, quum ob Imperatorias literas in æde Caſtorum Senatus haberetur, iretur-que per ſententias ſingulorum, cui deberet* CENSURA *deferri (nam id Decii poſuerant in Senatus ampliſſimi poteſtate) ubi primum Prætor edixit: Quid vobis videtur P. C. de* CENSORE *deligendo?* dein: ab omnibus una voce dictum: *Valeriani vita* CENSURA *eſt. Ille de omnibus iudicet, qui eſt omnibus melior*; mox: *Valerianus a prima pueritia* CENSOR *fuit. Valerianus in tota vita ſua fuit* CENSOR; tum: *Hunc* CENSOREM *omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus.* Accedunt, accepto hoc Senatusconſulto, Imperatoris Decii Patris ad ipſum Valerianum verba, quæ ſimul illius *Cenſorii* muneris amplitudinem tangunt, & egregie illuſtrant: *Felicem te, Valeriane, Senatûs ſententia, immo animis, atque pectoribus: totius Orbis humani ſuſcipe* CENSURAM, *quam tibi detulit Romana Reſp. quam ſolus mereris, iudicaturus de moribus noſtris. Tu æſtimabis, qui manere in Curia debeant; tu Equeſtrem Ordinem in antiquum ſtatum rediges; tu cenſibus modum pones; tu vectigalia firmabis; diuides ſtatum; Reſpublicas recenſebis; tibi legum ſcribendarum auctoritas dabitur; tibi de ordinibus militum iudicandum eſt; tu arma reſpicies; tu de noſtro Palatio; tu de iudicibus; tu de præfectis eminentiſſimis iudicabis.* Neque minus memorabilia ſunt Valeriani ad Decium Imperatorem eam in rem verba: *Quæſo, ſanctiſſime Imperator, ne ad hanc me neceſſitatem alliges, ut ego iudicem de populo, de militibus, de Senatu, de omni penitus orbe, iudicibus, & tribunis, ac ducibus. Hæc ſunt, propter quæ Auguſtum nomen tenetis;* APUD VOS CENSURA DESEDIT, *non poteſt hoc implere priuatus.* E quibus adductis hactenus Trebellii de delata Valeriano, priuato etiamnum, ſub Imperatore Decio *Cenſura* verbis, quæ, etſi adtentionem aliquam merebantur, indicta ferme prætereunt magni interpretes, licet continuo aduertere; primo, & quod unum ibi tangit ὁ πάνυ, illuſtrem eſſe in Decii, nempe ad Valerianum, verbis de *Cenſoris* apud Romanos munere & poteſtate locum, quique plura, ut hoc addam, eam in rem tangat, quam antiquiores, qui de illo Cenſorio munere egerunt, auctores, [a] Cicero, [b] Liuius, ac [c] Dio Cocceianus aliique. Qualis equidem eſt ampliſſima illa, non de ipſorum ſolum Romanorum cenſu, facultatibus, moribus, Senatorii & Equeſtris Ordinis recenſione, ac plena in alterutrum Ordinem adſcribendi, aut ab eo remouendi poteſtas; ſed inſuper de omnibus, qui in Orbe Romano ciuiles, militares, aut Palatinas dignitates, ipſam etiam Prætorio Præfecturam obtinebant, decernendi: ſolis nempe, ut ibi a Decio Imperatore additur, exceptis Præfecto urbis Romæ, duobus Conſulibus & quidem Ordinariis, Rege ſacrorum, & Maxima Virgine Veſtalium, quamdiu intemerata eadem foret. Alterum, quòd ex eodem Trebellii loco, ſeu Valeriani ad Decium Imperatorem verbis (*hæc ſunt propter quæ Auguſtum nomen tenetis: apud vos* CENSURA DESEDIT, *non poteſt hæc implere priuatus*) fit manifeſtum, ab Auguſti tem-

In Valerian. c. 1.

Ibidem.

Ibid. c. 11.

Ibidem.

Caſaub. Not. ibid.

a Legib. I. III. c. 7.
b Lib. IV. c. 8.
c Lib. LIII. p. 508.

temporibus, penes Imperatores, etsi *Censoris* nomine, nisi forte, ut e Dione iam ante vidimus, in agendo censu, abstinuerint; neque illud cum reliquis honorum ac supremæ potestatis, quod ibi ab eodem Auctore traditur, titulis deferretur, haud minus, inquam, penes eos *Potestatem Censoriam* resedisse. Immo, quod ex iis, quæ a Decio de illa *Censuræ* potestate dicuntur, licet omnino statuere, eam ab ipsis Imperatoribus haud parum auctam, ac in maius ampliusque potentiæ culmen euectam fuisse. Tertium vero, quod ex delata Valeriano adhuc *priuato* a Senatu *Censura*, & probante quidem Decio Imperatore, a quo eius rei potestas erat Senatui concessa, omnino sequitur, Imperatores *Potestate* illa *Censoria* contentos, exercendæ illius munia subinde in priuatum quempiam, CENSORIS inde nomine ac dignitate ornatum, contulisse, aut conferri a Senatu, ut hic a Decio factum, passos fuisse. Neque enim sub Imperatoribus, ut aliarum liberæ adhuc urbis dignitatum, ita binorum quoque *Censorum* Magistratus remanserat, quem sua ætate iam abolitum docet, ut ea de re iam ante, Dio. Postremos utique sub Augusto *priuatos*, ἰδιώτας, Censores exstitisse Paullum Æmilium Lepidum & L. Munatium Plancum, alibi, quod supra itidem vidimus, idem obseruat, additque: Καὶ μετὰ τοῦτο οὐδένες ἄλλοι τιμηταὶ ὅμοιοι αὐτοῖς AMA ἐγένοντο, *nec deinde alii Censores eorum similes* SIMUL *creati sunt*. Nempe dicit, quòd nulli deinceps duo *Censores* priuati *simul* exstiterint, qui Magistratum illum more antiquo gererent; non vero quòd, ut modo innui, aliquid obstiterit, quo minus Imperatores unum aliquem priuatum deligerent subinde, uti a Claudio L. Vitellium adsumptum in Censura Collegam vidimus; aut a Senatu deligi, ut modo apud Trebellium Decius, iuberent, qui proinde vel cum Principe, vel solus, retento etiam, ut Valerianum adhuc priuatum ab eodem Trebellio vocari vidimus, *Censoris* nomine, potestatem illam susciperet. Quomodo, si Dionis interpretem consulamus, priuatum etiam reperiemus Censorem sub Antonino Caracalla, Ulpium nempe Julianum: Τοῦ τότε τὰς τιμήσεις ἐγχειρισμένου, i. e. iuxta Xylandrum, *qui tum Censor erat*, verum ita opportune refingente Leunclauio, *cui tunc erant commissæ censiones*, æstimationes nempe possessionum, e quibus census constabat, & quod eorum, qui *Censitores* inde vocabantur, erat munus; ut non e titulis solum constat legibusque, quæ de iis latæ sunt in utroque Codice, sed e Digestis etiam, in quibus fit eorum mentio. Census quippe, qui in æstimatione facultatum & possessionum in Romano orbe, unde colligebantur tributa, quæ fisco inferrentur, erat situs, haud intermissus est sub Imperatoribus; ab iisque *Censitoribus* vel *Peræquatoribus*, quibus id erat mandatum, exigi solitus. Alia vero *Census* erat in orbe agi olim soliti, ac *Censuræ* inde dictæ, illiusque, qui eam Romæ susciperet, Magistratus ratio; cui cum peculiaris ciuium, iuxta eorum ætatem, facultatum recensio, tum morum præfectura, aliaque insuper curanda, de quibus supra, incumbebant; illius autem *Censuræ* munium administratio in mera Imperatorum potestate erat demum sita.

Lib. LIII. p. 507.

Lib LIV. p. 521.

Lib. LXXVII. p. 882.

Hinc altum etiam de illo *Censorum* apud Romanos Magistratu silentium in libris veterum sub Imperatoribus Jurisconsultorum: nisi quod obiter de veteri illo Romanorum in creandis Censoribus, quod agendo censui non sufficerent Consules, instituto fit a Pomponio mentio; & quod origo illius

Leg. 1. de Orig. Jur. §. 17.

illius vocis *Censoris* traditur in titulo de Verborum significationibus ; aut priscæ legis Censoriæ alicubi occurrit in eodem mentio. Cuius etiam silentii causſam opportune indicat magnus Cuiacius ; quod exularet scilicet iam ille Magistratus e Republica, ideo Trebonianum nihil de eorum officio reliquisse. *Censoris* tamen nomen & officium reperiunt nonnulli, e recentioribus iuris interpretibus, in lege quadam de Publicanis : *Cæsar cum in Insula Cretæ cotoria locaret, legem ita dixerat* ; ubi pro *Cæsar* notat in prioribus editionibus Dionysius Gothofredus, quendam J. C. emendare *Censor*, cuius erat locare vectigalia. Sed bene, quòd hæc nota in postrema dein illius prisci iuris Thesauri recensione sit prætermissa : inutilis enim erat & aliena emendatio. Nulli enim tum ordinarii *Censores* præter Cæsares, qui omnia Censoriæ potestatis munia, ac proinde etiam Vectigalium locationem & curam in se transtulerant : ita etiam ut sibi solis omnem facultatem in iis Vectigalibus constituendis, reformandis, augendis, diminuendis, reseruarent, ut liquet ex alia lege in eodem titulo. Unde etiam, quum e Vectigalibus alia integra spectarent ad Principem ; ex aliis autem duas haberent partes ; tertiam, quæ erat ciuitatum propria, locandi facultas iisdem conceditur Constitutione Junioris Theodosii.

Leg. CXI. D. de Verb. Sign.
Leg. CIII. D. eodem.
Obseru. l. XXIV. c. 7.
Leg. XV. D. de Publican. & Vectig.
Leg. X. D. eodem.
Leg. XIII. C. Just. de Vectig. & Commiss.

Quod vero attinet ad illud Tertulliani, de omissa suis temporibus Censura : *Enimuero iam dudum Censoriæ intentionis episcynio dispersa, quantum denotatui passuitas offert ?* obseruat ὁ πάνυ *denotare* Tertulliano dictum, pro simplici *notare*, quod erat Censorum proprium : hactenus recte ; reliqua nollem dicta : " hos, scilicet Censores, sub Imperatoribus nomen tan- „ tum habuisse non rem, nec notandi ius. Neque enim sub Imperatoribus remansisse veterem illum & solemnem *Censorum* Magistratum, quem priuati, quamquam nomine tenus, nisi extra ordinem quandoque & Imperatorum iussu, administrarent, quæ paullo ante e Dione, Trebellio, Censore apud eundem Valeriano, ac aliunde adtulimus, manifesto utique ostendunt. Adeo etiam, ut, quamquam, maxime ea Deciorum & sequentium Imperatorum ætate, neglecta fuerit ab iis Censura, penes eos tamen vis illius *Potestatis Censoriæ* remanserit ; ac unde quandoque adsumpta est ab iis CENSORIS appellatio ; uti a Diocletiano apud Vopiscum : *Denique quum omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, parcissime usus liberalitate* (vel, iuxta veteres libros a Salmasio citatos, *libertate*) *dicens castiores esse oportere ludos, spectante* CENSORE. Omissus alioquin potissimum fuit a dictis Imperatoribus usus *Censorii* illius muneris, quod in morum præfectura seu eorum correctione versabatur ; nisi quatenus aut Delmatius Hannibalianus a Constantino fratre, ut ex [a] Athanasio & [b] Socrate constat, Censor sit factus ; aut CENSOR *moribus regendis acerrimus* dictus ab [c] Ammiano Marcellino Julianus Imperator, haud aliter ac a Mamertino in eius [d] Panegyrico, cuius verba ex parte iam ante adduximus : *Una acie Germania uniuersa deleta : uno prælio debellatum : sed* EMENDATIO MORUM, *iudiciorumque correctio, & difficile luctamen, & periculi plenum negotium fuit.* Magnum equidem Theodosium e [e] Symmacho constat, & monuit iam ad Trebellium Pollionem magnus Casaubonus, de reuocanda veteri illa Censura, quæ in correctione morum seu animaduersione ac in recensione Senatorii & Equestris ordinis erat posita, cogitasse, eandemque voluisse Senatus arbitrio permittere : refugit vero com-

De Pallio c. IV.
In Notis p. 341.
In Carino c. XX.
a Apolog. ad Constant. p. 782.
b H. Eccl. l. I. c. 25.
c Lib. XXV. c. 4.
d Cap. VI.
e Lib. IV. Epist. 29, 45 l. V, 9.

muni decreto illud *Magisterium*, ut a Symmacho dicitur, amplissimus ordo, ac eam in rem conscripta est ab illo Oratio sub nomine *Repudiatæ Censuræ*, *quam*, ut ille addit, *tunc totius Senatus fugauit auctoritas.* Ad quod Theodosii institutum respexisse etiam videtur laudator eius Latinus Pacatus: *Non contentus ipse ultra vitia recessisse, alienis vitiis corrigendis curam adiecisti:* mox: *A te voluisti incipere Censuram*; haud aliter nempe ac de Alexandro Seuero Lampridius: *Prorsus* CENSURAM *suis temporibus de propriis moribus gessit.*

Ut supra l. IV. Epist. 45.

Panegyr. c. XIII.

In Alex. Seu. c. XLII.

9. *De Censoribus in Municipiis & Coloniis.*

Haud ignotum vero, urbis Romæ exemplo, ut postremum hoc subdam, exstitisse quoque in Municipiis & Coloniis *Censores*, de quibus [a] Liuius: *Deferentibus ipsarum Coloniarum Censoribus*, earum nempe Censum: quique Imperatorum etiam ætate Magistratus in iis legerent, ut, cum ex aliquot [b] Plinii Junioris ad Traianum epistolis constat, tum ex inscriptionibus etiam antiquis; uti cuiusdam T. Flauii Hilarionis, ubi is dicitur [c] CENSOR BIS AD. MAG CREANDOS; in alia vero Aletrina, L. Bebilieni Bassi, [d] OB HASCE RES CENSOREM FECERE BIS. Quam autem legendorum Magistratuum potestatem, *Censoriam vim* vocat, apud [e] Liuium, ipse eam in rem Dictator Romæ dictus, M. Fabius Buteo.

a Lib. XXIX. c. 37.
b Lib. X. Epist. 83, 113, 114, 115.
c Thes. Grut. CCCCXI, 2.
d Ibidem CLXXI, 8.
e Lib. XXIII. c. 22.

XI. *De Titulo* DOMINI *in nummis Imperatorum.*

1. *Quis Imperatorum primus sit appellatus* DOMINUS.

Haud vero præteriri hic debet, adulta iam seu labente Romani Imperii ætate, Prænominis vice, & pro supremi fastigii vocabulo, recepta in nummis Imperatorum DOMINI appellatio. Eam vero ab Augusto, & quidem *maledicti* vel *opprobrii* instar, repudiatam e [a] Suetonio, [b] Philone præterea, [c] Tertulliano, & [d] Dione constat; quibus addendus est iisdem adhuc antiquior Ouidius, de Romuli, quem ibi compellat, & Augusti dignitatis appellatione:

[e] *Tu* DOMINI *nomen, Principis ille tenet.*

In Aug. c. LIII.
b Legat. ad Caium p. 1014.
c Apolog. c. XXXIII.
d Lib. LV. p. 556.
e Fast. l. II. v. 142.

De Tiberio idem quoque refert [f] Suetonius, ac adstruit itidem [g] Dio, qui a Tiberio dictum memorat: *Dominum se seruorum, Imperatorem militum, Principem cæterorum esse*, prout istud de Augusto tradit in addictis verbis Ouidius, & eius exemplo, ut notum, [h] Tacitus. A quorum vero Principum, aui nempe ac proaui, moderatione recessit mox Caius; qui non solum; iuxta utrumque [i] Victorem, DOMINUS appellari voluerit, sed reuera ita appellatus est, ac unde lux iisdem accedit, quæ rursus apud Philonem leguntur: *Principe in Dominum verso*, [k] τὸν Ἀγρίππα τρέποντες εἰς Δεσπότην, ac inde ab ipso Agrippa Judæorum Rege, haud alio quam Δεσπότα seu *Domini* titulo, in literis ad eum scriptis, [l] ὦ Δέσποτα, & Γάϊε Δέσποτα, *Domine*, & *Cai Domine*, compellatus; illudque insuper ab eodem Rege dictum [m] Οτι Δεσπότην ἔχω καὶ Κύριον, *quod Herum & Dominum habeo.* Qui autem DOMINI titulus est dein a Domitiano, neque ab eo tamen primum, iuxta [n] Eusebium in Chronico, renouatus: adeo ut epistolam sit exorsus his verbis: [o] DOMINUS & DEUS NOSTER *sic fieri iubet*; immo unde institutum posthac, addit Tranquillus,

f In Tiber. c. XXII.
g Lib. LVI. p. 607.
h Annal. I. c. 9.
i Cæsar. & Epitom. c. III.
k Legat. ad Caium p. 1009.
l Ibid. p. 1015, 1016, 1023. &c.
m Ibid. p. 1031.
n Pag. 163.
o Sueton. in Domit. c. XIII.

ut

ut ne ſcripto quidem ac ſermone appellaretur aliter. Unde illud Poëtæ eorundem temporum ſat noti: *Edictum* DOMINI DEIQUE *noſtri*; ac proinde magis ad rei fidem, quam iſtud alterius ac illius etiam ætatis Poëtæ de eodem Domitiano: Martial. l.v. Epig. 8.

Et dulci DOMINUM *fauore clamant:*
Hoc ſolum vetuit licere Cæſar. Statius lib. 1. Sylu. Carm. 6.

Idem tamen alibi eundem titulum Domitiano citra ambages tribuit:

Quod DOMINI *celſis niteat laquearibus aurum.* Idem Sylu. lib. iv. Carm. 9.

Quamquam illud equidem conſtat, necdum inter reliqua Principatus vocabula ſignatum in Caligulæ vel Domitiani nummis illum, quo tamen ſe appellari gaudebant, vel etiam iuſſerant, aut quem ipſimet quoque adſumerent, DOMINI nempe titulum. Retenta vero eſt eadem DOMINI appellatio ſub Traiano, certe haud plane tum ſublata; qua nempe ipſe a Juniore Plinio in eius ad eum Epiſtolis, quod eſt in iis obuium, paſſim compellatur: etſi de ea ſub Domitiano quidem recepta, mox vero ſub Traiano velut abolita, dicat alibi Martialis: *Dicturus* DOMINUM *Deumque non ſum*; dein: *Non eſt hic* DOMINUS, *ſed Imperator.* Immo prout etiam Traianum Domitiano ea in re opponit idem, de quo modo, Junior Plinius: *Sedemque obtinet Princeps, ne ſit* DOMINO *locus*; ac alibi adhuc: *Scis, ut ſunt diuerſa naturâ dominatio & principatus; ita non aliis eſſe Principem gratiorem, quam qui maxime* DOMINUM *grauantur.* Auguſtus equidem, etſi *Domini* titulum ab eo Romæ repudiatum vidimus, illo tamen Δεσπότου nomine, in primo congreſſu, a Regina Cleopatra compellatus apud Dionem legitur: Χαῖρε, ὦ Δέσποτα, *ſalue, ô Domine*; & a Licinio, quem Galliæ præferat, ſimiliter, ὦ Δέσποτα. Quo etiam nomine deſignatur Auguſtus apud Joſephum, a Judæorum contra Archelaum Oratore Romam ad eum miſſo; quaſi nempe Archelaus *Regni umbram a* DOMINO (nempe *Auguſto*) *poſtulaturus nunc veniſſet:* Νῦν ἥκει παρὰ ΤΟΥ ΔΕΣΠΟΤΟΥ σκιὰν αἰτησόμενος βασιλείας, cuius, quod addit, corpus ſibi ipſi rapuiſſet. Adde, quod alibi idem Joſephus tradit, e Judæis ſicarios in Ægyptum ſub Nerone profugos omnia tormentorum genera perpeſſos potius, quam ut Cæſarem Δεσπότην, ſeu *Dominum* faterentur; quippe qui *Deum ſolum pro Domino agnoſcerent*, Θεὸν δὲ μόνον ἡγήσασθαι Δεσπότην. Adeo ut, etſi neque inter ſummi faſtigii titulos DOMINI ſeu ΔΕΣΠΟΤΟΥ nomen adſumerent, vel ſibi in iis, aut certatim a ſalutantibus tribui ſinerent, dicti hactenus, præter Caium forte ac Domitianum, Imperatores; idem ſubinde tamen iis ultro ſit ab exteris, vel deprecantibus, vel eorum in Prouinciis Auguſti Legatis, ut a Juniore Plinio, quod modo vidimus, Traiano, datus. Sub Hadriano vero dein ac Antoninis nuſpiam itidem in antiquis auctorum, lapidum, nummorumue monumentis conceſſus iis, aut ab iis ambitus DOMINI titulus comparet. Quamquam, ut hoc moneam, non ΔΕΣΠΟΤΟΥ quidem, ſed ΚΥΡΙΟΥ nomen legatur in ſingularibus L. Veri ac Lucillæ, coniugis eius, nummis, ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΤΩΝ ΚΥΡΙΩΝ ΣΕ. *Pro Victoria Dominorum Noſtrorum* Lib. x. Epigr. 72. Paneg. c. lii. Ibid. c. xlv. Lib. lx. p. 451. Idem l. lxv. p. 536. Bell. Jud. l. i. c. 1. Ibid. l. vii. c. 29. Vaillant Præſt. Num. p. 186. To. ii.

Augustorum: quod nempe Κύριος vulgo a Græcis diceretur non de *domino* seu *hero* respectu ad seruos, sed de eo qui sui iuris, seu de patre, tutore, &c. respectu ad *liberos*, seu *ingenuos*, qui sunt sub alterius potestate. Ita tamen ut *seruorum* intuitu, quod negabat magnum eruditæ Britanniæ lumen [a] Pearsonius, Κύριος subinde etiam a Græcis dictos, e [b] LXX. Senioribus ac [c] Dionysio Halicarnassensi, sit nuper admodum ad [d] Aristophanem a nobis monitum. Id vero subinde dein factum in Seueri, Antonini Caracallæ, & sequentium interdum Imperatorum antiquis inscriptionibus, quod bene iam vidit doctissimus Norisius; ut nempe a deuotis illorum maiestati urbibus vel coloniis hæc DOMINI appellatio iis continuo tribuatur; ut in ea, quæ Seuero Imperatori a Neapolitanis est dicata, DOMINO INDULGENTISS. ORD. P. Q. NEAPOLIT., ut alias, adhuc in Thesauro Gruteriano obuias, nunc mittam. Quibus geminæ exstant ab eximio Sponio vulgatæ, uti eidem Seuero inscriptæ, ubi circa finem legitur: INDULGENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO PRINCIPI DOMINO NOSTRO RESP. PANHORM. & sic Filio eius Antonino Caracallæ, cum iisdem omnino adductis modo titulis, ac inter eos, DOMINO N. MÆSIA FABIA TITIANA. Neque tamen hactenus id sub iis principibus inoleuerat, ut eam DOMINI appellationem sibi dari in urbe, aut vero eandem publico illorum ære signari iidem vellent. Ad quam proinde DOMINI appellationem, quæ tum in Orbe Romano, de hisce Imperatoribus, Seuero ac filio eius Antonino, frequentari cœperit, respexisse videtur eiusdem ætatis Scriptor Tertullianus: *Dicam plane Imperatorem Dominum, sed quando non cogor, ut Dominum Dei vice dicam.* Adde, quod de Alexandro Seuero, qui postea imperauit, obseruat Lampridius: DOMINUM *se appellari vetuit.*

a Ad Symbol. Apostol.
b Exod. XXI. v. 4.
c Antiq. l. IV. c. 27.
d Obseru ad Plut. v. 6.
Diss. de Num. Diocletiani p. 7.
Pag. CCCXIV, 4.
Miscell. p. 176.
Ibid. p. 272.
Apolog. c. XXXIV.
In Alex. Seu. c. IV.

2. *De appellatione* DOMINI & DEI *in nummis.*

Sed quum ea sors hactenus fuisset huius DOMINI appellationis; factum tandem, ut ea, coniuncta insuper DEI titulo, uti utrumque simul Caligulam ac Domitianum ambiuisse vidimus, in nummis Aureliani Imperatoris, adulto seu iam ad senium labente constituta sub Augusto Monarchia, primum legatur consignata: & quidem cum memorabili omnino epigraphe, nempe DEO ET DOMINO NATO AURELIANO AUG. Cuius equidem singularis nummi in priori huius operis editione, non hoc solum loco, sed alio iam ante, a me non facta solum erat mentio, sed icon etiam eiusdem, rarissimi quippe nec antea noti, a me autem in præclaris amplissimi Petri Seuii cimeliis Parisiis, quum altera vice ad Gallorum Regem forem missus, obseruati, diuulgata est. E quo etiam a me ibi prolato, nec aliunde, apud illustrem Biragium memorari utique meruit. A [a] Tristano quidem ac [b] Patino, claris inter Gallos antiquariis, editus fuerat, inter Aureliani nummos, unus cum haud dissimili auersæ partis illius a nobis prolatæ typo, & inscriptione RESTITUTOR ORBIS, sed nulla facta prioris eius partis & inscriptionis illius DEO ET DOMINO NATO AURELIANO AUG. mentione. Eadem vero postea, quasi exstaret in Museo apud Parisienses Genouefæ, & quasi nulla illius pridem, ac omnium prima, facta a me fuisset commemoratio, ab eruditissimo Harduino est in nouissimo eius opere adducta: quum tamen in vulgatis illius Musei cimeliis legatur in eodem nummo DEO ET DOMINO NOSTRO, non NATO, AURELIANO AUG. Quod vero ille ibi primo obseruat,

a To. III.
b Num. Impp. p. 344.
Sel. ex. Oper. p. 863.
Cabinet de S. Geneu. a la pag. 5..

Do-

Dominum in eo dici Aurelianum, non tamen Imperii, uti nec Carus in eo, quem hic quoque olim adduximus, & de quo mox, eius nummo, meretur propius tangi. Neque enim, quod addit vir doctus, " Auguſtos „ a Senatu Populoque Romano *Dominos Imperii* appellatos, ſed Solem „ eos ſolum Imperii Dominum ac Deum nuncupaſſe. Si vero Sol, ut id obiter tantum hic tangam, habitus eſt a Romanis *ſolus Imperii Deus ac Dominus*, ergo non Jupiter Capitolinus, IMPERATOR cum apud [a] Liuium tum in Cæſarianis [b] nummis dictus, ac in aliis etiam, & qualem olim ad [c] Juliani Cæſares protuli, IOVI PRÆ. ORB. *Præfecto*, ſeu, ut [d] Harduino videbatur, *Præſidi*, *Orbis:* non in eadem penu obuius MARS PATER, urbis nempe, ac Imperii conditor. An vero ideo, quod in alio huius Aureliani Imperatoris nummo, & de quo tamen ibi ſilet vir doctus, dicitur SOL DOMINUS IMPERII ROMANI, ideo *ſolus* illis ac ſuperioribus ætatibus habitus ille Romani Imperii *Deus ac Dominus?* Ad DEI vero, & quidem iuxta DOMINUM NATI appellationem quod adtinet, de ea, & cum adducta ibidem ſingularis omnino illius nummi icone, dicetur paullo poſt. Si vero *Auguſti*, quod ibidem, ut vidimus, adſerit vir eruditus, non fuerunt a Senatu Populoque Romano habiti *Imperii Domini*, cur, ut alia nunc mittam, ſe [a] τὸν τοῦ κόσμου Κύριον, *Mundi Dominum*, vocat Antoninus Imperator in notiſſima lege Rhodia de Jactu? & [b] τὸν γῆς καὶ θαλάσσης Δεσπότην, *Terræ ac Maris Dominum*, dictum legimus Caracallam in Thyatirenorum Inſcriptione apud eximium Sponium? aut vero, cur ſub *Imperatoris*, quod ſupra vidimus, nomine Auguſtum vere Romani Imperii Dominum conſtitutum, ad quem *omne Senatus Populique Imperium*, τό τε τοῦ Δήμου καὶ τὸ τῆς Γερουσίας κράτος, delatum tradit Dio? Immo plane aliud indicat auerſæ nummi huius partis inſcriptio, RESTITUTOR ORBIS; in aliis vero eius, uti & aliorum ſubinde Auguſtorum, nummis, PACATOR ORBIS; & in lapidibus antiquis CONSERVATOR ORBIS. Aliam vero ſimilis nummi inſcriptionem refert Sauotus, ſed quæ NOSTRO habet pro NATO, nempe DEO ET DOMINO NOSTRO. Cuiusmodi cæteroquin exſtat etiam, & quem olim quoque primi e cimeliis illuſtriſſimi Colberti, quique exſtat nunc in Theſauris Regiis, protulimus, Cari Imperatoris nummus aureus inſcriptus, DEO ET DOMINO CARO AUG., & cui geminus eſt alius in Muſeo S. Genouefæ DEO ET DOMINO INVICT. CARO AUG. cum aduerſis ac radiatis Solis & Cari capitibus. De ipſa vero DEI appellatione, utrique Imperatori adhuc ſuperſtiti in nummis illis tributa, dicetur paullo poſt.

a Lib. VI. c. 19. b Triſtan. To. 1. p. 74. c Pag. 20. d Select. Oper. p. 797.

Ut ſupra.

a Leg. 1. D. de Jactu. b Itin. To. III. p. 26.

Lib. LIII. p. 507.

Diſcours ſur les Medailles p. 385.

Cabinet de S. Genev. p. 86.

3. *De nummis, in quibus* DOMINI *titulus comparet.*

Ad DOMINI vero titulum quod adtinet, ille in horum demum Imperatorum, uti in aliquot dein Diocletiani nummis, uti & Collegæ eius Maximiani Herculii, conſignatus primum legitur, & quidem poſt abdicatum ab iis imperium. Adeo ut, loco vocis IMP. ſeu *Imperatoris*, ſolitæ antea reliquis eorum titulis ac nominibus in iis præfigi, IMP. DIOCLETIANUS PIUS FEL. AUG. in eorum nummis dein legatur D. N. DIOCLETIANO FELICISSIMO vel BEATISSIMO, *Domino Noſtro, &c.* & ſimiliter D. N. MAXIMIANO SEN. AUG. aliaque id genus: in quibus proinde vox ea *Domini* eſt honoris, non poteſtatis aut imperii appellatio. Id vero, quod in ſuperiore huius operis editione pridem notaueram, ab eruditiſſimo Harduino, ne merita laude eum defraudem, obſeruatum dein, ac

Select. Oper. p. 424.

ac proinde iam præoccupatum, vidi. Mitto illos Constantiniani æui Imperatores, eodem DOMINI, sicut & PARENTIS, de quo paullo post, titulo a proximis eorum in imperio successoribus appellatos. Sic, ut alia præteream, in lege Codicis Theodosiani a magno Constantino lata dicitur: *Sub* DOMINO *& Parente* NOSTRO *Diocletiano Seniore*. Immo quam *Domini Nostri* appellationem Parenti adhuc superstiti ac Imperatori a filio itidem Augusto Diadumeniano pridem ante delatam docebit Lampridius in illius Principis ad matrem literis: DOMINUS NOSTER *& Augustus nec te amat, nec ipsum se*. Quod vero addit indicato modo loco Harduinus, ante liberos Constantini nullum omnino nummum has literas D. N. habere in recto casu, redarguunt continuo duo ipsius Constantini nummi a præstantissimo du Cange inter alios huius Imperatoris nummos vulgati, cum inscriptione D. N. CONSTANTINUS P. F. AUG. unus cum gemmato illius capite; alter cum eodem velato. Sic in Epistola Constantini Cæsaris de patre Constantino Magno, quæ apud Athanasium legitur: Ο Δεσπότης ἡμῶν ὁ Σεβαστὸς ὁ ἡμὸς πάτης, *Dominus Noster Augustus Pater noster*. Occurrit dein haud infrequens ille D. N. titulus in nummis Licinii Junioris, ac eiusdem Constantini Filiorum, ac in primis Constantii: ita tamen ut eos a patre Constantino institutos dicat Libanius, ut discrimen inter δεσποτείαν & βασιλείαν, *dominatum* nempe seu *tyrannidem*, & *regnum* seu *principatum*, nossent; eosque, qui illum quærunt, hunc continuo amittere: ac proinde, ne illa *Domini* appellatione se ad tyrannice imperandum conuerterent. Qua ratione nempe motus videtur Alexander Seuerus, de quo paullo ante, ut *Dominum* se vocari vetuerit; quod non seruis, sed liberis hominibus imperaret. Unde inductus etiam videtur e Constantini ac Filiorum genere Imperator Julianus, ut, Augusti instar, illud DOMINI nomen, prout ipsemet id de se testatur, auersaretur: ΔΕΣΠΟΤΗΣ εἶναι, οὐ φὴς, οὐδ' ἀνέχῃ τοῦτο ἀκούων, ἀλλὰ καὶ ἀγανακτεῖς, DOMINUM *te non esse dicis, nec illud audire sustines, sed indignaris*. Unde etiam, quod ibi additur, eo auctore istud principatus nomen tanquam inuidiosum ab iis sit omittendum, qui ei antea adsueuerant. Quamquam, siue non ea mens semper huius Juliani fuerit, siue potius quod eo inscio & inconsulto id contigerit, legitur etiamnum ille solitus ea ætate D. N. *Domini Nostri* titulus in pluribus eius nummis. Frequens vero non solum, sed perpetuus ferme idem occurrit in sequentium Augustorum, Iouiniani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, aliorumque dein Imperatorum, nummis. Inde etiam Imperatores *Domini* passim a Scriptoribus eorum temporum sunt appellati, ut a Firmico, Constantiniani æui Auctore: *Constantinum Maximum Principem, & eius inuictissimos liberos* DOMINOS *&* CÆSARES NOSTROS, *&c.* haud aliter ac in nummo Constantini Junioris, DOMINORUM NOSTRORUM CÆS. VOT. X. Sic apud Symmachum, pro omni titulo, *Domino Gratiano*; & ad magnum Theodosium passim D., seu *Dominus*, *Imperator*; ad Patrem vero Theodosium & Filium Arcadium, *DD. Imperatores*; ad tres autem simul Augustos, Valentinianum Iuniorem, Theodosium, & Arcadium, *DDD. Imperatores*. Hinc *Dominus* etiam passim pro *Imperatore* apud Claudianum dictus: *Forsitan & Dominus*; alibi: *Dominique læta votis*, nempe Roma Imperatoris Honorii: immo iuxta quem insuper, non *Imperator* quidem, sed *Consul* demum Stilico *Dominus* a Ro-

Leg. 11. C. Th. de Censu.

In Diadumen. c. IX.

Apol. adu. Arian. p. 203.

In Basilico p. 110.

Misopog. p. 343. ult. ed. Julian. Oper.

Vid. Du Cange Fam. Byz. Tab. XIII. & XIV. & Birag. Num. Impp.

Lib. IV. c. 4.

Lib. X. Epist 2, 18, 19, 20. &c.

Ibid. Epist. 18.

In Eutrop. l. I. *v.* 309.

Idem Cvm. XVI. *v.* 18.

Romanis, ac velut id haud indignante primo Consule & libertatis adsertore Bruto, dici meruit:

Te DOMINUM, *Bruto non indignante, fatentur*; De II. Conf. Stilic. ℣. 192.

uti id in notis ad Lactantium monuit iam illustris Cuperus. Qua ratione Pag. 256.
præterea contigit, ut sola illa ΔΕΣΠΟΤΟΥ seu *Domini* appellatio, omissis aliis principatus vocabulis, subinde in eorum nummis signaretur. Cuius rei index nobis est sequens nummus aureus Gazæ olim Palatinæ, nunc Brandenburgicæ, quamquam inuenustus valde & inconcinnus, iuxta illorum temporum monumenta. Inscriptus est autem ille in auersa parte ΑΛΕΞΙΩ ΤΩ ΚΟΜΝΗΝΩ ΔΕΣΠΟΤΗ, *Alexio Commeno Domino*; in aduersa autem, præter Iesu Christi nomen, ut notum, & in aliis qnoque nummis obuium est, legitur ΚΕ. ΒΟΗΘΕΙ, id est, Κύριε Βοήθει, siue *Domine Adiuta*.

Ut proinde non frustra tradat alicubi Socrates, se incursurum in reprehensionem, quod non vocet Imperatores Θειοτάτους καὶ ΔΕΣΠΟΤΑΣ, *Diuinissimos ac* DOMINOS. Unde etiam de Iustiniano & eius coniuge Theodora, illa Δεσπότην & Δεσποίνας, *Domini* & *Dominæ*, vocabula a cõmpellantibus quibusque seuerè exacta tradit Procopius: quum antiquis temporibus, quod addit, Imperatores vel Augustæ Βασιλέως aut Βασιλίδος vocabulis salutari consuessent. Hinc alibi de illa Augusta refert idem Auctor, negare illam se vel unum diem velle viuere, ubi a salutantibus Δέσποινα, *Domina*, non compellaretur. *Dominæ* cæteroquin apud Romanos vocabulo uxores, amicas, ac matronas in genere appellatas, tritum est ac peruulgatum: & de *uxoribus* quidem, vel noto Claudii Imperatoris apud Suetonium exemplo fit manifestum, qui post interfectam suo iussu Messalinam, paullo post in triclinio decumbens quæsiuerit, *cur domina non veniret*. Quomodo etiam in libris veterum Iurisconsultorum uxori testamento ita legatum est: *Sempronia*, DOMINÆ *meæ, hoc amplius argentum balneare*, & alibi: *Peto a te, Domina uxor*; & qua de adiri potest in præclaro opere magnus Cuiacius. Id vero apud poëtas in primis obuium: & quo utique *Dominæ* vocabulo, non alias solum uxores in genere, sed suam quoque sæpe a Nasone dici norunt in his etiam literis tyrones: *Nuntiat hic aliquis Dominam uenisse*; ac paullo post: *Nec Dominæ lacrymis, &c.* & quæ plura id genus; ac iam ante apud Catullum:

H. Eccl. Præf. l. IV.
Arian. Hist. c. xxx.
Bell. Pers. l. I. c. 24.
Claud. xxxix.
Leg. x. D. de Aur. Arg. Mund. Obseru. l. III. c. 18.
Trist. l. III. Eleg. 3.

Ac domum DOMINAM *voca*,
Coniugis cupidam noui.

Iul. & Manl. Epithal. ℣. 31.

Unde ad illud Maronis:

Hi DOMINAM *Ditis thalamo deducere adorti*, Æn. ℣. 397.

inu-

inutilis est Seruii, modo autem Seruii, & non alicuius potius magistelli, ad vocem *Dominam* glossa: *Aut de Græco tractum est, qui uxorem* δέσποιναν *vocant, &c.* quasi non & similiter Romani *Dominam*. Qui mos utique Seruii ætate erat adhuc receptus, unde Hieronymus: *Vocanda* DOMINA, *celebrandus natalis eius*, ubi de præstandis a marito officiis legitur: nempe iuxta illud Ouidii de celebrando uxoris suæ natali:

Lib. 1. adu. Iouian.

Trist. l. v. Eleg. 5 ℣. 1.

Annuus assuetum DOMINÆ *natalis honorem*
Exigit.

A Græcis vero, quod in Seruii glossa legitur, Δέσποινα, aut coniunctis vocibus Δέσποινα γυνὴ dicitur, uti etiam apud Romanos subinde *Domina uxor*; sicut in adductis modo Scæuolæ verbis: *Peto a te, Domina uxor*, ac inde apud Comicos antiquos de imperiosa ac superba, proinde vere *Domina*: quod docebit inter alios Aristophanes:

Leg. XLI. §. 4. D. de Legat.

Thesmoph. ℣. 420.

Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνὴ,

Domina enim seni sponso (seu *marito*) *est uxor.* Quo referri etiam debet illud Menandri apud Gellium:

Lib. II. c. 23.

Ἡ γὰρ ἐμὴ γυνὴ
Δέσποινα διὰ τὴν ὄψιν, ἣν ἐκτήσατο,

mea enim uxor Domina ob vultum superbum, *quem sumpsit:* prout priora secundi huius versus verba legenda vidit, probante etiam nouissimo Menandri Fragmentorum collectore doctissimo Clerico, illustris Grotius. Immo prout pridem Arete Regis Alcinoi coniux, πὰρ δὲ γυνὴ Δέσποινα, *iam vero uxor domina* seu *Regina*, apud Homerum dicitur, & Δέσποινα demum paullo ante: Δέσποιναι μὲν πρῶτα κιχήσεαι, *Reginam quidem primo inuenies.* De Elagabalo vero omnium virorum muliere notat Dio: Γυνὴ δὲ καὶ ΔΕΣΠΟΙΝΑ Βασιλίς τε ὠνομάζετο, *mulier vero & DOMINA & Augusta etiam vocabatur:* immo qui se non Κύριον, *Dominum*, sed Κυρίαν *Dominam* salutari haud erubuit. Quo loco haud est prætereundum, quod tradit Epictetus, & monuit ad Historiæ Augustæ Scriptores magnus Casaubonus, mulieres nempe ab anno ætatis decimo quarto non Δέσποιναι quidem, sed Κυρίαι a viris nuncupari: & quod iam ante, ut hoc addam, ad Oppianum viderat Cl. Rittershusius. Male vero Δέμναι apud hunc poëtam pro Δόμναν per syncopen dictam ibi ille tradiderat; quod iam supra in Julia Domna Seueri uxore vidimus. Ita inferiori æuo Augustæ, non Δέσποιναι solum, sed Κυρίαι sunt etiam appellatæ, ut apud Nicephorum Bryennium: Συνήγοντο δὲ οἱ περὶ τὰ δικαστήρια ΤΗΣ ΚΥΡΙΑΣ παρούσης, *conueniebant autem circa Tribunalia, præsente* DOMINA; quæ alioquin apud Annam Comnenam, Bryennii illius coniugem, Δέσποινα dicitur. Cæterum ΔΕΣΠΟΙΝΙΚΑΙ & ΔΕΣΠΟΤΙΚΑΙ seu *Dominicæ* sunt inde dictæ Regiæ domus nouæ Romæ apud Scriptores Byzantinos; ut liquet ex Procopio: prout nempe iam olim *Dominæ fastidia Romæ*, dixit Martialis, aut Ouidius:

Pag. 151. Not. ad Exc. Tragic. &c. p. 987.

Odyss. H. ult. vers.

Ibid. ℣ 53.

Lib. LXXIX. p. 913

Ibid. p. 914.

Com. ad Κυνηγ. l. I. ℣. 4.

Lib. I. c. 22.

Lib. I. Epig. 4.

De Ponto l. IV. Eleg. 5.

Luce minus decima DOMINAM *veniatis in* URBEM;

aut

aut prout *Colles ſeptem* DOMINI vocantur itidem apud Martialem : *Aut ſeptem* DOMINOS *videre montes.* Ut mittam denique, quod e Codino & aliunde conſtat, de ΔΕΣΠΟΤΟΥ, ſeu *Deſpotæ*, appellatione, a Byzantinis dein Imperatoribus ad alios, ſeu præcipuæ penes ſe dignationis, Proceres translata. Id vero paullatim contigit, ut pro DOMINIS poſtea DOMNI dicti ſint Cæſares & Eccleſiarum Antiſtites, ut id eſt obuium apud Caſſiodorum, Anaſtaſium, aliosque Scriptores eorum temporum, & a nobis iam ſupra eſt quoque monitum. Lib. IV. Epigr. 64.

XII. *De* DEI *in genere, & nominatim de quorundam Deorum nominibus in nummis Imperatorum.*

Haud vero memoratæ hactenus ſummi inter homines faſtigii appellationes vel dignitates in nummis Imperatorum ſolæ reperiuntur conſignatæ; ſed iidem inſuper, vel citra ambages, ipſo DEI in genere titulo, vel receptis ſummi etiam Deorum, IOVIS puta, aut aliorum e Conſentum ſeu Olympiorum Deorum numero, APOLLINIS, HERCULIS, aliorumque nominibus; vel deductis inde appellationibus, uti IOVII, IOVIANI, HERCULII, leguntur ſubinde in iis inſigniti, ac inde Templis, ut hoc addam, Flaminibus ac Sacerdotibus, viui adhuc ac in terris agentes conſecrati. Ut Imperatorum Coniuges, Matres, vel Filias ſeu Auguſtas, & de quibus iam ante, nunc mittam ſub MATRIS DEUM, IUNONIS, CERERIS, VENERIS, VESTÆ, aut FORTUNÆ etiam Græcis Latinisue nominibus, in eadem Cæſarianorum nummorum penu depictas. Adeo ut nihil Deorum honoribus, ut de Auguſto prudentes apud Tacitum, ſit relictum; nec poſt obitum demum pro Diis ſint iidem habiti. Quo loco illud, etſi Chriſtiani Auctoris, Vegetii ſupra iam adtulimus, quod Imperatori, cum Auguſti nomen accepit, *tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda deuotio.* Annal. I. c. 10. Lib. II. c. 5.

Ita, ut ab adſumpto ipſo DEI nomine ordiar, Auguſtus non ſolum in quodam [a] Gallieni nummo DEUS AUGUSTUS dicitur, ac proinde duobus ac ultra ab eius morte ſæculis; ſed qui, ut ſtatuere licet, adhuc ſuperſtes, in Amphipolitarum nummo inſcribitur, [b] ΘΕΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Deus Cæſar Auguſtus*, nullo addito alterius Cæſaris tum imperantis nomine. Quod de ſimili Pergamenorum nummo, quem e cimeliis illuſtris Foucault profert [c] celebris Antiquarius, adfirmandum quoque videtur, cum ſimili epigraphe ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Unde [d] Appiani etiam & [e] Aurelii Victoris fides adſtruitur, qui paſſim a ciuitatibus Auguſtum viuum etiamnum Deorum ſuorum numero inſertum tradunt. Quomodo itidem Tiberius ΘΕΟΥ, ac mater eius Liuia ΘΕΑΣ nominibus in Mytilenæorum nummo appellantur, qui exſtat in cimeliis ſummi harum antiquitatum cultoris ac Mæcenatis Cenomanenſium Ducis, nempe hinc IOY. ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΜΥΤΙ. *Julia Dea Auguſta Mytilenæorum*; illinc ΤΙ. ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΥΤΙ. *Tiberius Deus Auguſtus Mytilenæorum. Juliam* nempe ibi de *Liuia* cum præſtantibus antiquariis, qui illum nummum protulere, Vaillant ac Morellio, omnino explicandam, neutiquam vero de *Julia* Auguſti Filia ac Tiberii coniuge, ſed

I. *De voce* ΘΕΟΣ *in quibusdam Græcis nummis.*

a Vid. Specim. Morell. Tab. VI.
b In Gaza Reg. Gall. & Coll. Claromont.
Hard. Select. Oper. p. 15.
c Vaill. Num. Imp. Græc. p. 6.
d Bell. Ciuil. l. V. p. 746.
e In Cæſarib. c. 1.
f Vid. Specim. Morell. Tab. XX. ac Vaill. Num. ut ſupra p. 7.

ab eo diu ante principatum repudiata & in insulam relegata, nusquam etiam *Augustæ* appellationem nacta, quidquid obtendat vir eruditus, supra iam vidimus. Sic duo, non Imperatores sed Cæsares, Drusus Tiberii naturâ & Germanicus adoptione Filii, ac inde Fratres, ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *Noui*, seu potius *Iuniores Dii Fraterno Amore Iuncti* appellati in præclaro Sardianorum nummo, qui, etsi iam alibi, sed in libris haud passim obuiis, sit vulgatus, meruit iam supra a nobis exhiberi; uti etiam alius eiusdem Germanici & Agrippinæ Coniugis, Caii seu Caligulæ parentum, nummus, etsi post eorum demum mortem, & Caio imperante, cuius in eo fit mentio, demum cusus, inscriptus hinc, ΘΕΟΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΜΥΤΙ, *Deum Germanicum Mytilenæorum*; illinc ΘΕΑΝ ΓΑΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗΝ ΜΥΤΙ, *Deam Caii Matrem Agrippinam Mytilenæorum.* Ac in priori quidem nummo ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ non adeo *Nouos*, cum eximio Morellio, quam *Iuniores Deos* indicant, prout alicubi apud Æschylum νέοι & παλαιότεροι θεοὶ, *Iuniores* & *Seniores Dii* appellantur:

Cabinet de S. Geneuieu. p. 77. Morell. Specim. Tab. xv.

Supra p. 322.

Supra p. 277.

Eumen. ℣. 724.

Αλλ' ἐν τε νέοισι καὶ παλαιστέροις
Θεοῖς,

Sed inter Iuniores ac Seniores Deos; ac alibi in eodem dramate, οἱ νεώτεροι θεοὶ, *Iuniores Dii*, & quo sensu ΝΕΑΝ ΗΡΑΝ, ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ, *Iuniorem Iunonem*, *Iuniorem Cererem* dictas aliquot Augustas supra iam vidimus. Quamquam alibi etiam ab Aristophane de *Nouo* potius quam *Iuniore* Deo eadem vox νέος usurpetur, uti de Pluto, qui modo oculorum aciem receperat: Τοῦ νέου τούτου θεοῦ, *noui huius Dei*; ac apud Æschylum quoque, de quo modo: Τοῦ νέου κρατοῦντος, *nouiter imperantis*, de Ioue dictum, ac ut de eo similiter aliis adhuc eiusdem dramatis locis nuper notauimus. Quinam vero sint apud Platonem οἱ νέοι θεοὶ docebit Proclus in Timæum. Alias καινοὶ θεοὶ, seu *noui Dii*, dicuntur haud semel apud eundem Aristophanem: cuius loca, ubi iidem leguntur, hic in margine adscripta, præterita sunt in postremo & luculento alioquin Indice. Quomodo cæteroquin *Dii noui & Adscriptitii* dicuntur apud Ciceronem, & *Nouitii* apud Tertullianum: *Nam quot Deos, & quos utique producam, Maiores an & Minores, veteres an &* ΝΟΥΙΤΙΟS, *Mares an & Feminas.* Quo loco haud prætereundus venit præclarus, & e maximorum quidem genere, Antonini Caracallæ & Getæ nummus ab Ephesiis cusus, a præstantibus vero antiquariis memoratus, & ab eximio etiam Morellio vulgatus, in quo iidem ΝΕΟΙ ΗΑΙΟΙ, *Noui* vel *Orientes Soles*, appellantur, prout Cæsar adhuc Constantinus in eiusdem & soceri Maximiani Panegyrico: *Sacratissimi Imperatores*, *Maximiane*, *velis*, *nolis*, *semper Auguste*, & *Constantine* ΟΡΙΕΝS *Imperator.* Quomodo ΟΡΙΕΝS ΑΥG. vel ΑΥGUSTI subinde in iuniorum Imperatorum nummis legitur. Ad dictum vero peculiarem Mytilenæorum in Germanicum & Agrippinam cultum referre hic licet, quod de utroque Caii parente tradit Tacitus; Germanico a Tiberio in Orientem misso, eos ex Euboea in insulam Lesbum transmisisse, in qua erant, ut notum, Mytilenæ, ubi *Agrippina nouissimo partu Iuliam edidit.* Quo cæteroquin ΘΕΑΣ nomine, ac, ubi illa in auersa eius parte ΣΕΒ. seu Σεβαστὴ, *Augusta*, vocatur, Messalinam exhibet Græcus eius nummus, sed sine loci nomine, inscriptus ΘΕΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΗ,

Auib. ℣. 849. & 865. De Nat. Deor. l. III. c. 15. Ad Nation. l. II. c. 11.

Vaill. Num. Impp. Græc. p. 100. Specim. Tab. II.

Incert. Paneg. Epithal. c. 1.

Annal. II. c. 54.

Vaillant ut supra p. 14.

cum

cum Claudii Imperatoris & mariti in altera eius parte capite ac titulis. Neque enim vero consentaneum post mortem demum mulierem, tot flagitiosæ vitæ probris infamem, ac mariti insuper iussu cæsam, DEÆ honoribus ac titulo, & quidem superstite adhuc Claudio, ductaque ab eo altera coniuge Agrippina, fuisse publico ære, una cum Claudii effigie, signatam. Eiusdem vero Claudii adoptione filius & in imperio successor Nero in nummo, quem olim in schedis præstantissimi Morellii descriptum videte mihi licuit, dicitur ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, *Cæsar Deus Dei*, seu *Diui Filius*. Exstat alius huius Neronis nummus, quem ex Oriente recens adlatum, apud harum antiquitatum cultu ac peritia inter Gallos inclytum Grosæum de Bose se vidisse testatur eruditissimus Harduinus, cum epigraphe ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ, *Nero Augustus Deus*, a Laodicensibus, ut docet auersæ partis inscriptio, in Phrygia cusus. Nemo vero mirabitur in nummo Domitiani, quem *Deum ac Dominum*, & quidem Edicto eam in rem proposito, appellari voluisse iam ante vidimus, hinc eum intueri cum Domitia uxore eorumque nominibus depictum; illinc Templum, cum titulo ΘΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, *Deorum Augustorum*, & qui nummus exstat hodie in Thesauris Gallorum Regiis. Neruæ autem eiusdem Domitiani successoris nummum ad Juliani Cæsares olim protuli cum laureato capite, inscriptum ΝΕΡΟΥΑΝ ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *Neruam Deum Augustum*; sed quem ad eum iam consecratum ac DIVUM, prout is in Romanis eius nummis legitur, referre potius libet. Quod de Antinoi nummis, cum ΗΡΩΟΣ ac ΘΕΟΥ, quos nummi eius vulgo præferunt, titulis, itidem liquet; post eius obitum nempe eos demum in Hadriani gratiam percussos. Exstant vero duo memorati paullo ante Imperatorum Aureliani & Cari singulares nummi, iis adhuc imperantibus cusi; ac prior quidem, de quo iam ante, cum memorabili inscriptione, DEO ET DOMINO NATO AURELIANO AUG. alter cum DEO ET DOMINO CARO AUG. quos olim a me primum vulgatos, hic denuo conspiciendos præbeo.

Select. Oper. p. 724.

Patin. Num. Impp. p 134.

Pag. 71.

Quæ utique in priori nummo DEI ET DOMINI NATI inscriptio oppido singularis Aureliano hic videtur tribui, quo is a Sole, velut DEO ET DOMINO IMPERII ROMANI, ut in alio eiusdem Imperatoris nummo dicitur, continuo distingueretur: qui Sol nempe esset e numero Deorum Αγεννήτων, *Ingenitorum*, de quibus consuli potest Plutarchus in Pelopida; Aurelianus vero e numero Deorum [a] Γενητῶν seu [b] Εγγενῶν vel Εγγενητῶν, *Natorum* seu *Indigenarum*; prout apud veteres Tragicos fit haud semel eorum mentio. Mitto hic, quòd Gentilium Deos in genere velut *Natos*, non vero *Ingenitos* vel *Æternos*, fugillant passim [c] Tertullianus, [d] Arnobius, aliique veteres Christianæ Religionis defensores. Similem vero Cari nummum, & cum inscriptione DEO ET DOMINO CARO AUG. e Gorlæo me-

Pag. 286. To. I.
a Vid. Æschyl. Suppl. ℣. 80. Eurip. Ion. ℣. 1124.
b Idem Sept. Theb. ℣. 580. Sophocl. Antig. ℣. 201.
c Apolog. c. 21.
d Lib. IV. p. 240.

Scalig. Anim. p. 242. memorat ad Eusebii Chronicon ὁ πάνυ· sed quem male ad Carum iam consecratum, ac proinde velut post eius obitum percussum, refert; quum tamen desint in eo solita consecrationis apud Romanos nomina ac symbola, dentur vero alii eiusdem consecrati nummi, cum consueto titulo DIVO CARO, eoque insuper PERSICO, ac in aliis PARTHICO praeterea dicto. Adde ipsum Carum illo DEI nomine adhuc in terris superstitem coli voluisse & appellari, quod docent eiusdem aetatis poëtae, a quibus adhuc imperans DEUS est subinde dictus, uti a Calpurnio: *Dum populos reget ipse* DEUS; mox:

Bucol. v. 42.

Ibid. v. 84. *Scilicet ipse* DEUS *Romanae pondera molis*;

& a Nemesiano de Carino & patre eius Caro:

Cyneg. v. 70, 71. *Quae nuper bella sub Arcto*
Felici Carine manu confeceris, ipso
Pene prior genitore DEO.

2. *De nomine* Apollinis *a* Nerone *adsumto.*

Neque vero solum in genere DEI titulum, sed ipsa etiam summorum inter coelestes Deorum nomina ab Imperatoribus usurpata ostentant eorum nummi. Sic Nero, ad Citharam canere solitus, [a] *Citharoedus* non solum est inde appellatus, sed APOLLINIS Citharoedorum Numinis citharoedicum habitum, ac nomen insuper, in singulari nummo praefert, inscripto hinc ΝΕΡΩΝ ΑΠΟΛΛΩ. illinc ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ, cuius nempe:

a Tacit. Annal. xv. c. 65.

Tibull. l. III. Eleg. 3. *Ima videbatur talis illudere palla*;

& quo habitu in Romanis etiam nummis subinde depictus cernitur, dextrâ, & quidem plectro, citharam pulsans.

3. *De nomine* HERCULIS *in* Hadriani *ac* Commodi *nummis.*

HERCULIS vero nomen Hadriano, & quidem ob peragratum ab eo ac a Praesidum iniuriis vindicatum orbem Romanum, ut iam ad Spartianum monuit doctissimus [a] Casaubonus, tribuunt selecti aliquot, & quidem Graeci, eius nummi. Cuiusmodi unus est ab eodem Casaubono e penu Thuanea ibi iam adductus, cum inscriptione ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ ΡΩΜΑΙΟΣ, *Imperator Caesar Hadrianus Augustus Hercules Romanus.* Alius praeterea ibi ab illo traditur Hadriani nummus, cum epigraphe ΤΩ ΗΡΑΚΛΕΙ ΣΩΤΗΡΙ ΑΥΓ. seu Αυγούστῳ, non Αυγούστᾳ, ut bene ibi observat ὁ πάνυ, quod ipse Hadrianus HERCULES SERVATOR fuerit dictus. Cuius caeteroquin HERCULIS cum nomen tum habitum gestasse itidem Commodum, & quidem HERCULIS ROMANI, similiter tradit in eius vita Lampridius: [b] *Appellatus est etiam* ROMANUS HERCULES, *quod feras Lanuuii in theatro occidisset*; ac paullo post, accepisse illum statuas in HERCULIS habitu, quod refert etiam [c] Dio, & mensem [d] Septembrem HERCULEUM, ac Idus Octobris HERCULEAS etiam ab eo dictas; [e] Classem quoque Africanam *Commodianam Herculeam* ab eo denominatam; denique: [f] *Sed etiam se ipsum Commodianum vocavit, Commodum* HERCULEM *&* DEUM. De *Herculis* nomine adstruunt itidem cum [g] Dio, qui Commodum plura cognomina dicit adsumpsisse, & praesertim HERCULIS: Καὶ τὸν ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ

a Not. ad Hadrian. c. XIII.

b In Commod. c. VIII.

c Lib. LXXII. p. 824.
d Spartian. in Commod. c. XI.
e Ibid. c. XVII.
f Ibid. c. VIII.
g Lib. LXXII. p. 824.

ΚΑΕΟΥΣ ἀπήνεγκε; tum Herodianus: ΗΡΑΚΛΕΑ τε καὶ Διὸς υἱὸν αὐτὸν κελεύσας καλεῖσθαι, HERCULEM *se & Jouis filium iussit appellari.* Quod luculentius firmant obuii etiamnum huius Commodi nummi, ac lapides antiqui, in quibus cum HERCULES ROMANUS inscriptus legitur; tum in prioribus etiam sub Herculis habitu, ac ad instar inclyti illius Herculis Farnesiani, depictus cernitur. Qualis utique conspicitur in præclaro, mole & elegantia, Gazæ Gallorum Regiæ sequenti nummo, cum inscriptione in auersa eius parte HERCULI ROMANO AUG. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. ac præter plures alios Romanos nummos cum eadem inscriptione HERCULI ROMANO AUG. & cum Herculis habitu, vel cum Arcu, Claua, Pharetra, aut cum sola etiam Claua, solitis, vulgo Herculis insignibus; vel HERC. ROM. CONDITORI, in aliquot etiam Græcis itidem huius Imperatoris nummis. Talis utique cusus Heracleæ in Lydia, in quo Victoria Commodum sub Herculis habitu coronat, cum inscriptione, iuxta præstantissimum Patinum, qui illum vulgauit, ΡΩΜΑΙΩΝ ΗΡΑΚΛΕΩΝ: vel Juliopoli in Bithynia, Α. Κ. Α. ΑΥΡ. ΚΟΜ. ΗΡΑΚΛΗΣ ΓΕΡΜ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus Hercules Germanicus*, cum Dei Luni capite, in Cimeliis Gallorum Regiis; præter alium a celebri Antiquario descriptum eiusdem loci & Gazæ nummum, cum laureato Commodi capite. E quibus priorem, eumque e maximorum genere, Romanum; & alterum Græcum nummum, hic demum subdam.

Lib. 1. c. 46.

Num. Imppp. p. 213.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 69.

Accedunt huc alii adhuc huius Imperatoris nummi, inscripti, & qualis a me olim est quoque adductus, HERC. COMMODIANO; quod nempe ab eo tanquam altero Romæ Conditore (prout eo etiam nomine, seu HERC. ROM. COND. *Herculi Romano Conditori*, signatur in alio eius nummo) urbs Roma, *Colonia Commodiana*, quod apud Lampridium similiter legitur, est appellata. Uti vero notus sub HERCULIS nomine e monumentis illorum temporum Diocletiani Collega Maximianus; sic sub eadem etiam HERCULIS appellatione designatur in nummo alibi iam a me adducto & explicato, cum figura *Herculis Hydram* percutientis, & inscriptione HERCULI DEBELLATORI. Quo referri etiam possunt nummi eiusdem Imperatoris, inscripti HERCULI VICTORI, de quo illius Dei cognomine, eiusque apud Romanos origine, consuli potest Mamertinus in huius Maximiani Panegyrico. Adde, HERCULI PACIFERO; haud aliter nempe ac Æmilianus Augustus HERCULIS CONSERVATORIS nomine vocatur in veteri lapide;

In Commod. c. VIII.

Birag. Num. Impp. p. 432, 435.

Cap. XIII.

Thes. Grut. CCLXXIII, 7. Trist. To. III. P. 71, 72.

aut Seuerus Augustus HERCULIS DEFENSORIS elogio signatur in veteri nummo.

4. *De* IOVIS & HERCULIS *nominibus in nummis* Diocletiani & Maximiani.

Immo quibus IOVIS & HERCULIS nominibus utrumque, Diocletianum & Maximianum, designari videas in præclaro nummo Regiæ Gallorum Gazæ, quique in [a] præclaris aliis id genus cimeliis, quod pridem monui, est itidem conspicuus: in quo nempe Jouis & Herculis, utriusque nudi, & cum solitis eorum insignibus, Monetæ vero in medio cum bilance & Cornucopiæ, prostant effigies, circum autem MONETA IOVI ET HERCULI AUGG.

a Regin. Sued. Cardin Buoncomp.

Osseruationi sopra le Medagl. &c. Tab. 24.

Idem vero nummus haud ita pridem inter vulgatos a præstantissimo Phil. Buonarotta Cardinalis Carpegnæ Cæsarianos maximæ formæ nummos itidem comparet. Unde lux Mamertino, qui & inde illustratur, continuo

Genethl. c. XVI.

accedit, utrumque illum Imperatorem compellanti, *Sancte* IUPPITER, & HERCULES *Bone*; alibi: *Aurea sæcula auspiciis* IOVIS & HERCULIS *renasci*; item: *Non opinione traditus, sed conspicuus* & PRÆSENS IUPPITER

Ibid. c. X.

cominus inuocari; non aduena, sed IMPERATOR HERCULES *adorari.* Alios

Select. Oper. P. 447.

adhuc nummos Diocletiani & Maximiani memorat eruditissimus Harduinus, in quorum auersa parte IOVI ET HERCULI AUGG. legitur. Adeo ut in deductis e summo Deorum Joue, aut ex Inuicto Hercule, IOVII vel HERCULII appellationibus haud acquieuerint duo illi Imperatores, ni sub ipsis etiam IOVIS & HERCULIS nominibus coli se & adorari sinerent. Haud aliter nempe ac de Domitiano, quem DEI nomen sibi adrogasse supra vidimus, ab adulatore poëta dictum:

Martial. l. IX. Epigr. 93.

Me MEUS *in terris* IUPPITER *ipse tenet*;

Ibid. Epigr. 37.

alibi: *Alterius gaudia nota* JOVIS. Ad Maximianum vero quod adtinet, ei illa in re præiuerant, ut modo vidimus, Hadrianus, & in primis Commodus; immo iam ante Domitianus, iuxta illud eiusdem Poëtæ de illius Imperatoris statua Herculem referente:

Ibid. Epigr. 64.

HERCULIS *in magni vultus descendere* CÆSAR
Dignatus, Latiæ dat noua templa viæ.

Haud minus vero insignis alius aureus nummus, a me olim quoque memoratus, in quo exstant iuncta Diocletiani & Maximiani capita; in auersa autem parte iidem duo Imperatores sacra facientes & cum inscriptione

ne IOVIO ET HERCULIO, præteritis Diocletiani & Maximiani nominibus. Vir eruditus, qui illius itidem nummi meminit, addit, quòd inde IOVII & HERCULII nomina hisce duobus Augustis sint adscripta, quod alter, Diocletianus nempe, consilio; virtute alter, seu Maximianus, Rempublicam tutaretur. Verum aliam fuisse utriusque illius nominis, quod hi Principes tulerint, originem, sat potest constare e Scriptoribus eorundem temporum; & quidem non data adeo, quam ab illis adsumpta, velut a totidem generis sui Auctoribus Joue & Hercule, eadem illa cognomenta: idque, quæ singularis eorum arrogantia, quo se paratius ab adeuntibus quibusque eoli ac adorari sinerent. Prius illud, de adsumptis ab iis id genus nominibus, docebit Lactantius: *Ubi sunt modo magnifica illa & clara per gentes* IOVIORUM *&* HERCULIORUM *cognomina*; *quæ* PRIMUM *a Diocletiano & Maximiano* INSOLENTER ADSUMPTA, *ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt?* De iactata vero ab iis *Iouis & Herculis*, veluti progenitorum suorum, stirpe, audiendus est de Dioeletiano loquens Mamertinus: *Ille siquidem Diocletiani* AUCTOR DEUS, *præter depulsos quondam cœli possessione Titanas, &c.* &, post factam Herculis gestorum mentionem: *Adeo, sacratissime Imperator,* UTRAQUE VESTRA NUMINA *semper aliquid agunt*; mox: *Ex istis ergo caussis* STIRPIS VESTRÆ, *&c.* Idem vero alibi de solo Maximiano: *Principem illum tui generis*; mox: *Similitudo ipsa stirpis tuæ*; dein plenius: *An diuinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam* NOMINIS SUCCESSIONE (nempe HERCULII) *testaris?* Adde insuper de utroque illo Imperatore dicentem: *Siquidem* VOS DIIS ESSE GENITOS, *&* NUMINIBUS *quidem* VESTRIS, *&c.* Quod adstruit Ineerti Panegyricus genero huius Herculii Constantino dictus: *Hic est, qui nomen, quod accepit a Deo* PRINCIPE GENERIS SUI, *dedit vobis*; *qui se* PROGENIEM HERCULIS, *non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobauit.* Superbiam vero, seu vesaniam verius, ac Diocletiani potissimum, quam æmulatus sit dein Collega eius Maximianus, in venditanda cœlesti illa origine & adsumendis inde diuinis id genus nominibus, adstruunt utique [a] Eusebius, [b] Aurelius Victor, & [c] Eutropius, qui de eodem Diocletiano tradunt, quòd primus nempe e Romanis Imperatoribus *adorari se, appellarique*, quod de eo Victor, *uti Deum* sit passus; *cum ante eum cuncti*, quod addit Eutropius, *salutarentur*. Quem honorem seu cultum Maximianum etiam, Collegæ sui exemplo, sibi vindicasse, tum ex summa, qua eiusdem fastigii, ad quod ille fuerat a Diocletiano adscitus, consortes vixerunt, concordia; tum ex iactata diuina itidem origine & diuini nominis communione; ac præterea ex Lactantio licet percipere, a quo Maxentius eius filius dicitur *adeo superbus & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit* (pro inuecto scilicet tum more) ADORARE.

Harduin. Sel. Opera. p. 444.

De Mort. Pers. c. LII.

Genethl. Maximian. c. XIII.

Ibidem.

Ibid. c. IV.

Paneg. Maximian. Hercul. c. II.

Ibidem.

Genethl. Maximian. c. II.

Incert. Epithal. c. VIII.

a In Chronico p. 18.
b In Cæsarib. c. XXXIX.
c Lib. IX. c. 16.

De Mort. Pers. c. XVIII.

Quod vero addit ibidem Harduinus, "eundem IOVII titulum hæredes „ quidem eius usurpasse, Maximinum nempe & Licinium, ac istum præ„ sertim, ut suam ex Augusta familia nobilitatem iactaret; verum HER„ CULII non esse similiter ad posteros translatum, eo quod prole ma„ scula careret, essetque ei duntaxat gener Fl. Jul. Constantius, cuius „ maior multo nobilitas paterna foret, a primario Flauiæ gentis ramo, quum

5. *De* IOVII *&* HERCULII *appellationibus.*

Ut supra Select. Oper. p. 444.

„ quum Maximianus esset duntaxat e secundo eiusdem Flauiæ gentis surculo: de hisce IOVIIS Diocletiani Successoribus, Maximino ac Licinio, id iam olim, & e præclaris quidem eorum nummis, erat itidem a nobis monitum; e quibus unus inscribitur IOVIUS MAXIMINUS NOB. CÆS. ut proinde non id e solo Eusebio constet, ut ad eum adnotauit doctissimus [a] Valesius, apud quem, nempe Eusebium, exstat eiusdem [b] Maximiani Epistola: Ἰόβιος Μαξιμῖνος Σεβαστὸς Σαβίνῳ, *Iouius Maximinus Augustus Sabino*. Ad *Licinium* vero quod adtinet, pridem etiam adducti sunt a nobis duo eius nummi; unus inscriptus, IOVIUS LICINIUS AUG. & alius inclytæ Suedorum Reginæ, DD. NN. IOVII LICINII INVIC. AUG. ET CÆS. *Domini Nostri Iouii Licinii Augustus Et Cæsar*. Quem nummum adtulit quoque Tristanus, & in quo prius IOVII nomen, non ad *Licinium* Patrem, sed ad *Galerium Maximianum* refert, qui IOVIUS, ubi Augustus creatus est, foret appellatus: sed ubi verius IOVII de patre ac filio *Liciniis* debent omnino intelligi, uti a doctissimo [a] Norisio, qui nummum illum quoque protulit, ac dein a [b] Biragio & [c] Harduino, viris præstantibus. Verum hisce *Maximino* ac *Liciniis* præmittendus erat *Galerius Maximianus*; quem, ductâ Diocletiani filia, ac ab eo Cæsarem renuntiatum, IOVII quoque nomen, ceu eius adoptione filium, adsumpsisse, docet Chronicum Alexandrinum seu Paschale, in quo illi IOVII cognomen tribui haud semel videas. Quod vero ab eodem Harduino, loco iam adducto, additur, HERCULII non esse ad Maximiani posteros translatum nomen, quod is careret prole mascula, haud opus utique, ut multis hic redarguam. Quod enim Maxentium, huius Maximiani Herculii non *Filium*, ut de eo magno consensu fidem faciunt prisca Auctorum, & illius quidem ac proximæ ætatis, nummorumue monumenta, sed *Generum* exstitisse alibi statuit idem vir doctus, & qua de re paullo post opportunius dicetur, nunc mitto. Istud vero, de quo hic agitur, HERCULII nempe nomen, haud esse ad illius Maximiani posteros, sicut a Diocletiano IOVII traductum, sed cum illo velut extinctum, refellit loco iam adducto Lactantius, iuxta quem illa IOVIORUM & HERCULIORUM *cognomina* primum *a Diocletiano & Maximiano insolenter adsumpta, ac* POSTMODUM AD SUCCESSORES EORUM TRANSLATA VIGUERUNT. Quod equidem iam ante repertum ac vulgatum Lactantii, in quo hæc leguntur, librum, doctissimus [a] Valesius, idque ceu a fratre eius Hadriano proditum, monuerat, ac dein quoque eruditissimus [b] Norisius, uti id iam ad Lactantium vidit illustris [c] Cuperus: Constantium nempe & Constantinum, utrumque Maximiani Herculii, priorem nempe ducta eius priuigna, alterum vero naturali eius Filia, generum, *Herculios* etiam appellatos: id etenim liquere ex adductis iam ante Panegyrici Maximiano & Constantino dicti verbis: *Hic est* (Maximianus Herculius) *qui* NOMEN, *quod accepit a Deo principe generis*, DEDIT VOBIS; *qui se progeniem esse* HERCULIS, *&c.* etiam ante: *Imperatores semper* HERCULII. Quod vero addit Norisius, id liquere itidem e Chronico Alexandrino, vereor ne sit memoriæ lapsus; neque enim id in illo Chronico obseruare mihi hactenus licuit. Eadem vero IOVII & HERCULII nomina clarè inde illâ Lactantii ætate exstitisse constat; immo haud continuo post illorum Imperatorum, qui eadem tulerint, obitum extincta: neque proinde id verba illius Auctoris paullo

ante

[a] Annot. p. 186. [b] H. Eccl. lib. c. 9.

To. II. p. 428.

[a] Dissert. de Num. Licin. c. I. [b] Num. Impp. p. 455. [c] Select. Oper. p. 470.

Pag. 276, 278.

Ut supra p. 444.

Ibid p. 456.

De Mort. Pers. c. 11.

[a] Annot. ad Euseb. H. Eccl. p. 186. [b] De Licin. Num. c. I. [c] Not. p. 224.

Paneg. Epithal. c. VIII.

ante adducta innuere, vere ad eadem eſt a viris eruditis monitum. Mitto, quod de Roma, in Mamertini, quem eidem Herculio dixit, Panegyrico legatur: *Licet nunc ſimul* HERCULIA *dicaris &* IOVIA. Equidem dicta ab illis utriusque Imperatoris cognominibus IOVIA & HERCULIA *auxilia*, docet Aurelius Victor: quod mirum nollem ibi viſum, ac velut nusquam id alibi legeretur, eruditiſſimæ ſupra ſexum Daceriæ. Obuia enim eſt *Iouiarum* & *Herculiarum Cohortium*, aut *Iouianorum* & *Herculianorum* militum apud alios quoque illius & proximæ ætatis auctores, [a] Vegetium, [b] Ammianum Marcellinum, [c] Sozomenum, [d] Zoſimum, & [e] Claudianum, ac præterea in Notitia Imperii, mentio: quod occuparunt iam maiori ex parte [f] viri eruditi. Adeo ut ex illis auctoribus, ſeu *auxilia* (quod ait Victor) ſeu *Cohortes*, & quidem [g] e primariis militibus, quæ Imperatorem a tergo præſidii cauſſa ſequerentur, a Diocletiano & Maximiano conſtitutas liqueat; ad quas proinde reſpexit Claudianus:

Cap. XIII. Cæſarib. c. XIII.

a Lib. I. c. 17.
b Lib. XXII. c. 1. l. XXIII. c. 5.
c H. Eccl. l. VI. c. 6.
d Lib. II. p. 119.
e Bell. Gildon. v. 418.
f Pancirol. ad Notit. Imp. Stewech. ad Veget.
g Sozomen. ut ſupra.

[h] HERCULEAM, *quas Alcides*, IOVIAMQUE *Cohortes*
Rex ducit Superum;

h Ut ſupra.

Adde cum *Alas*, tum *Legiones* etiam integras, quod e [i] Vegetio, [k] Zoſimo, & Notitia Imperii itidem liquet, *Iouianas* & *Herculianas* appellatas; immo in *Iouianos* & *Herculianos Seniores* vel *Iuniores*, quod ex eadem [l] Notitia conſtat, fuiſſe eas Legiones diſtinctas; ac præterea, inter Auxilia, *Iouios Seniores & Iuniores* ſimiliter ea adhuc ætate, ſub Theodoſio nempe Juniori, nuncupatas.

i Ut ſupra.
k Ut ſupra.
l Notit. Magiſtr. Pedit.

XIII. *De aliis adhuc Appellationibus, quæ a Diis petitæ in nummis Imperatorum leguntur.*

Verum alias adhuc petitas a Diis Gentilium Cœleſtibus appellationes ſibi vindicaſſe Imperatores, aut iis fœda eorundem temporum adulatione conceſſas, & ad poſterorum itidem memoriam proditas, oſtendunt etiamnum eorundem nummi.

I. *De* OLYMPII *appellatione* Hadriano *tributâ.*

Cuiusmodi occurrit continuo OLYMPII nomenclatio; quo nomine cultum a Græcis Hadrianum non aliunde manifeſtius, quam e præclaris eius nummis conſtat. Cum *Ioue* nempe *Olympio*, qualis in Græcis etiam & Latinis nummis ΔΙΟΣ ΟΛΥΜ. & IOVI OLYMP. legitur, commune eidem exſtitit hoc nomen; idque occaſione illius Templi, quod Jovi pariter ac ſibi Athenis dicauit Hadrianus: *Opera*, ut de iis Spartianus, *quæ apud Athenienſes cœperat, dedicauit: ut* IOVIS OLYMPII *Ædem & Aram* SIBI, *eodemque modo per Aſiam iter faciens Templa ſui nominis conſecrauit.* Perfectum itidem ab Hadriano Athenis hoc templum, & cum illius ſtatuâ in eo poſita tradit Dio; Pauſanias vero, *in illo a ſingulis urbibus ſtatuam Hadriano poſitam:* Ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριανοῦ βασιλέως ἀπόκειται. Quarum autem ſtatuarum vicem præſtant hodie aliquot Græcarum in Aſia, & quidem præcipuarum, urbium reſidui etiamnum & præclari etiam nummi, uti *Epheſiorum*, *Laodicenſium*, *Temnitarum*, *Nicomedienſium*, cum inſcriptione, & qualis ſtatuarum modo dictarum videtur

In Hadrian. c. XIII.
Lib. LXIX. p. 595.
In Attic. p. 18.

quoque exstitisse, ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ. Cuiusmodi duo sunt sequentes nummi cum eadem epigraphe, & laureato Hadriani capite: e quibus autem prior e cimeliis præstantissimi Seguini a me olim iam adductus, ac dein quoque a Sponio memoratus, cum Templo octo columnarum in auersa parte, ac in medio Diana Ephesia, & nomine ΕΦΕΣΙΩΝ· alter, & magnitudine præterea insignis, Regiæ Gallorum Gazæ, cum Iouis Philalethis, noti aliunde Laodicensium numinis, effigie, & inscriptione ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ.

Itin. To. III. p. 201.

Exstat vero alius singularis Regiæ eiusdem Gazæ, ac inde olim, dum in eiusdem Regni metropoli publico nomine agerem, in Juliani Imperatoris Cæsaribus a me vulgatus; in quo duo spectantur se mutuo respicientia Hadriani & Lucii Ælii Cæsaris capita, cum epigraphe ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΣ ΑΙΛΙΟΣ, *Imperator Hadrianus Olympius, Lucius Ælius.* Similem vero Ephesiorum nummum, cum aduersis utriusque Hadriani & Lucii Ælii capitibus, e cimeliis Cardinalis de Maximis memorat celebris Antiquarius, inscriptum, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΛΕΥΚΙΟΣ ΑΙΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Imperator Cæsar Hadrianus Olympius, Lucius Ælius Cæsar*, in auersa autem parte, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, & qualis ab eximio Sponio itidem adducitur; nisi quod is non aduersa, sed obuersa eorum capita in eo conspici ibi obseruat. Alium vero adhuc ex cimeliis Regiis nummum nuper indicauit eruditissimus Harduinus; in quo erasum sit quidem Hadriani nomen, sequantur vero . . . . . ΟΛΥΜΠΙΟΣ Λ. ΑΙΛ. ΚΑΙΣΑΡ, in altera vero nummi area, ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ, *Temnitarum* in Æolide. Mitto hic vero, quam obiter supra tantum adtigi, *Nicomediensium* in Bithynia nummum a laudato modo Harduino e cimeliis Suedorum Reginæ descriptum, cum capite Hadriani laureato, sed omisso eius nomine, ac inscriptum ΘΕΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ, illinc caput turritum cum cornucopiæ ac loci nomine, ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. Quem ΟΛΥΜΠΙΟΥ titulum Hadriano similiter tribuunt Græcæ variarum urbium inscriptiones, qualem iam adtulit illustris [a] Scaliger, & quales ab eximio [b] Sponio vulgatæ sunt, uti *Thasiorum, Amphipolitarum, Abydenorum, Smyrnæorum:* e quibus memorabilis est in primis postrema Smyrnæ reperta, [c] ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΑΔΡΙΑΝΩ ΟΛΥΜΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗ, *Imperatori Hadriano Olympio Seruatori Et Conditori.* Quomodo alioquin Ioui apud Græcos, eique Σωτῆρι Ολυμπίῳ, tertium poculum propinasse veteres, notat alicubi Pindarus.

Pag. 12.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 34.

Ut supra Itin. To. III. p. 301.

Select. Oper. p. 764.

Ibidem.

a Emend. Temp l. v. p. 480. & Anim. ad Euseb. p. 215.
b Itin. To. III. p. 40. &c. P. II.
c Ibid. p. 44.

Isthm. Od. VI. v. 11.

rus. Est etiam ibidem Latina inscriptio eidem TRAIANO HADRIANO &c. OLYMPIO consecrata. Hinc factum itidem videtur, quòd plures occurrant etiamnum huius Hadriani nummi cum Iouis effigie in aucrsa parte; quos non magis Athenis, quod censebat illustris Erizzo, quam alibi per Asiam percussos licet statuere. Non audiendus vero magnus Scaliger, qui ludos *Hadriania*, *Olympia* vocari credidit, quod in Olympiada inciderent; sed a qua explicatione in Eusebianis ultimæ recensionis Notis dein receſſit, ubi id nomen inde iis inditum tradit, quod Hadrianus dictus sit ὀλύμπιος. Ita, instar *Iouis Olympii*, aliorumque Cœlestium Deorum, qui eodem cognomine ab Athenienſibus colebantur, sacratus quoque est ab iis primum Hadrianus; iis proinde *Olympiis* eorum Diis adnumeratus, quos inuocari a mulierum Atticarum choro iubet apud Aristophanem præco:

Spon. ut sup. p. 42.

Ut supra Em. Temp. p. 480.

Anim. p. 215.

Εὔχεσθε τοῖς θεοῖσι τοῖς Ολυμπίοις
Καὶ ταῖς Ολυμπίαισι·

Thesmoph. v. 339.

Supplicate Diis Olympiis & Deabus Olympiis. Quo cæteroquin *Olympiorum* nomine eos solos Deos a Ioue appellatos tradit eo loco Comicus, qui in bello contra Gigantas eidem Ioui adfuissent; & quo cognominis honore soli postea strenui ab ignauis dignoscerentur. Addc, quòd, ex iis qui matres mortales habuerant, soli Baccho & Herculi eandem quoque appellationem a Ioue concessam tradit [a] Diodorus. Eodem utique *Olympii* nomine dicitur apud [b] Herodotum Hercules, & in India apud [c] Philostratum Alexander Magnus, ΔΙΙ nempe ΟΛΥΜΠΙΩ: immo apud Athenienses, pridem ante Hadrianum, susceptum quoque fuerat a Pericle *Olympii* nomen, quod ut arrogantiâ plenum fugillat in eo Plutarchus; a Caligula vero simile quid tentatum docet Tranquillus: *Ut simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ* OLYMPII IOVIS, *apportarentur e Græcia; quibus capite empto suum imponeret.* Cæterum ab hoc Hadriano *Olympio* dictus etiam locus in Delo *Olympium*, quod Hadriani pecuniis ædificarunt ibidem Athenienses; ut ex Phlegonte Hadriani liberto refert Stephanus Byzantinus. Inde etiam ΟΛΥΜΠΙΑ & ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ, solemnes per Asiam ludos, coniungi videas in veteri inscriptione de iisdem Smyrnæ actis: [a] ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ, quamquam non debent illa de iisdem ludis intelligi, neque cum illustri Scaligero [b] *Panathenæa*, *Olympia*, *Panellenia*, *Hadriania*, quorum eadem inscriptio meminit, de uno eodemque agone explicari. Erant enim duplicia Smyrnæ ΟΛΥΜΠΙΑ, quod alibi [c] vidimus; alia nempe uno illo nomine dicta, eaque Ioui Olympio sacra, de quibus præter antiqua Marmora apud [d] Aristidem ac [e] Philostratum occurrit mentio; alia vero erant ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ, quorum alio loco meminit idem [f] Philostratus: Τῶν Ἀδριανοῦ Ολυμπίων, *Hadriani Olympiorum.*

a Lib. IV. p. 155.
b Lib. II. c. 44.
c Vit. Apollon. l. III. c. 15.

In Calig. c. XXII.

In voce ὀλυμπίειον.

a Thes. Grut. p. CCXXIV, 1.
b Ut supra Emend. Temp. p. 480. Anim. ad Euseb. Chron. p. 215.
c Epist. ad Morell. V. p. 311, 312.
d Serm. Sacr. p. 634, 636.
e Vit. Soph. p. 534. & 545. ed. Lips.
f Ibid. p. 530.

Cæterum, sicut HERCULES, quod ante vidimus, ita huius Hadriani exemplo ΟΛΥΜΠΙΟΣ dictus est quoque Commodus, ut docet nos hodie præclarus nummus e cimeliis Christinæ Augustæ a me pridem memoratus, cum titulis ΑΥ. ΚΑΙ. ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΚΟΜΜΟΔΟΣ, *Imperator Cæsar Olympius Commodus*; in auersa autem duæ figuræ stantes, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Ephesiorum Et*

2. *De nomine* OLYMPII *Commodo quoque dato.*

Hierapolitarum Concordia. Non solum vero idem nummus, & ex iisdem cimeliis, est nuper a celebri Antiquario inter Græcos Commodi nummos descriptus, uti nouissime etiam ab Harduino; sed alius insuper, ac eorundem *Ephesiorum*, est a priore antiquario e Thesauris Gallorum Regiis ibi quoque prolatus; nempe in quo hinc M. AY. OΛYM. KOMOΔOΣ, *M. Aurelius Olympius Commodus*, circum eius caput legitur; illinc Diana Venatrix Ceruum discerpens, cum inscriptione, ЄΦЄΣIΩN B. NЄΩK.

Vaillant Num. Impp. Græc. p. 69. Select. Oper. p. 794.

3. *De appellatione* ΣΩTHPOΣ *in nummis aliquot Imp.*

Huic vero OΛYMΠIOY, hisce duobus Imperatoribus Hadriano potissimum & Commodo impertitæ, appellationi addenda est altera ΣΩTHPOΣ, quæ aliquot Imperatoribus concessa in eorum nummis legitur. Qualis utique Neroni tribuitur in veteri & singulari nummo ab Ægyptiis cuso, quem olim ad [a] Juliani Cæsares, & hic quoque, spectandum protulimus, cum memorabili utique inscriptione, quæ uni, vero, & sacrosancto generis humani Seruatori Christo, minime omnium deterrimo Principi & parricidæ conueniebat; nempe in laurea, TΩ ΣΩTHPI THΣ OIKOYMENHΣ L. ЄNAT. *Seruatori Orbis Anno XI.* infra dimidia Luna.

[a] Pag. 276.

Vaill. Num. Impp. Græc. p. 18. Ibid. p. 29.

Qui nummus a celebri Antiquario e cimeliis Cardinalis de Maximis adducitur itidem. Traiani vero duo exstant præclari nummi ab eodem laudato Antiquario descripti: prior, in quo velut Seruator urbis ad Istrum Nicopoleos dicitur: AYTOK. KAIΣ. TPAIANOΣ ΣΩTHP THΣ ΠOΛЄΩΣ, *Imperator Cæsar Traianus Seruator Urbis*; illinc NЄIKOΠOΛIΣ. Alter vero nummus, cum augustiori adhuc inscriptione, a Pergamenis in honorem Traiani cusus, quique exstat in Thesauris Gallorum Regiis, exhibet hinc ZЄYΣ ΦIΛIOΣ AYTOKPA. KAIΣAP TPAIANOΣ ΠЄPΓAMHNΩN, *Jupiter Philius Imperator Cæsar Traianus Pergamenorum*; illinc ΘЄΩ ΣΩTHPI KAI TΩ ΘЄΩ ΣЄBAΣTΩ, *Deo Seruatori Et Deo Augusto*, cum Templo quatuor columnarum, in quo Victoria Traiano stanti coronam imponit. Ita inter magni Theodosii cognomina, non *Germanicus* adeo vel *Sarmaticus*, quæ idem breui consequebatur, sed hisce præstantiora, ὁ ΣΩTHP, ὁ Πολιεὺς, ὁ Ξένιος, ὁ Ικέσιος, *Seruator*, *Ciuitatum Præses*, *Hospitalis*, *Supplicum Patronus*, numeranda, iuxta Themistium, veniunt.

Orat. xv. p. 194.

4. *De* OPTIMI & MAXIMI *appellationibus in Imp. nummis.*

Hisce vero Imperatorum cognominibus a Deorum Cœlestium, & quidem petitis e Iouis Deorum Regis appellationibus, adnumerandus est etiam OPTIMI, vel coniunctim OPTIMI MAXIMI titulus: e quibus prior in obuiis Traiani nummis passim cernitur. Unde, quum de illo velut proprio Traiani nomine dixisset Iunior Plinius, *nec magis definite distincteque designat*, *qui* TRAIANUM, *quam qui* OPTIMUM *appellat*; addit mox: *Ille parens hominum Deorumque* OPTIMI *prius*, *dein*

Paneg. c. LXXXVIII.

MAXI-

MAXIMI *nomine colitur: quo præclarior laus ſua, quem non minus conſtat* OPTIMUM *eſſe, quam* MAXIMUM. Exſtant vero aliquot Hadriani, ab hoc Traiano adoptati, ac in imperio Succeſſoris, nummi, in quibus non eſt ſolum ab eo retentum TRAIANI, de quo paullo poſt, ſed OPTIMI etiam nomen, nempe IMP. CÆS. DIVI TRAIAN. AUG. F. TRAIAN. HADRIAN. OPT. AUG. GER. Occurrit vero idem OPTIMI nomen, cum in ſingulari Claudii Gotthici, Diuis iam adſcripti, nummo, DIVO CLAUDIO OPTIMO; tum coniuncta OPTIMI MAXIMI appellatio in Commodi nummo Regiæ Gallorum Gazæ, in quo ſub Jouis habitu idem Imperator depingitur. Haud aliter, ut alibi haud ita pridem [a] monui, Seuerus Imperator non OPTIMI ſolum, iuxta Traianum, cuius in antiquis lapidibus [b] *Abnepos* dicitur, nomine in [c] iisdem inſignitur; ſed inſuper ambobus illis ſummi Deorum titulis, in libris Iuris Romanorum ciuilis, a Papiniano appellatur: [d] *Optimus Maximusque Princeps noſter Seuerus Auguſtus*; alibi autem, neque uno loco, de Patre ac Filio, Seuero & Antonino Caracalla dici videas: [e] *Optimi Maximique Principes noſtri:* ne *Ioue* ſcilicet *Capitolino*, cuius propria & peculiaris erat, ut aliunde notum, hæc appellatio, inferiores iidem Principes viderentur. Primo nempe in ſingulari Commodi nummo circum Iouis fulmine armati ſimulacrum legitur, [f] OPTIME MAXIME COS. V. P. P. in alio vero, & e maximorum numero, eiusdem Imperatoris cum barbati Iouis ſimulacro [g] I. O. M. Ioui Optimo Maximo. Neque autem mirum videri debet, ſi Iouis nomen & cultum ſibi vindicante, ut paullo ante vidimus, IOVIO nempe Diocletiano, eadem OPTIMI MAXIMIQUE PRINCIPIS, ut & ÆTERNI IMPERATORIS appellatio eidem in veteri [h] lapide tribuitur. Mitto unum OPTIMI elogium Gordiano Pio in alio [i] marmore ſimiliter datum.

Birag. Num. Impp. p. 168.

Patin. Num. Impp. Ind.

a Orb. Rom. p. 212.
b Theſ. Grut. CCLXIV, 2. &c.
c Ibid. CCLXIII, 4, 5.
d Leg. VIII. D. de Vacat.
e Leg. XXII. D. de Publ. Judic. Leg. XXX. D. de Excuſ. Leg XVI. §. 1. D. de H Q.V. Ind. Auf.
f Vaill. Præſt. Num. p. 196. P. II.
g In Gaz. Reg. Gall.
h Theſ. Grut. CCLXXIX, 4.
i Ibid. CCLXXII, 4.

XIV. *De Imperatorum Cognominibus e Victoriis deuictisue Gentibus adſumtis.*

Neque vero præteriri hic debent petita itidem e VICTORIIS DEVICTISQUE GENTIBUS Imperatorum in eorum nummis cognomenta, uti GERMANICI, BRITANNICI, DACICI, SARMATICI, ADIABENICI, PARTHICI, ARMENIACI, GOTHICI, PERSICI, & quidem ſubinde cum addito inſuper MAXIMI titulo: VANDALICI præterea, FINNICI, GALINDICI, VENDENICI; VICTORIS denique non ſolum, ſed etiam INVICTI. Neque enim idem mos ea in re apud Romanos, qui, iuxta Agathiam, apud Perſas inualuit, ut deuictæ Gentis appellationem Victoris demum Ducis filius geſtaret. Verum ſumma illa non priuatorum ſolum libera adhuc Republica, ſed Auguſtorum etiam, ambitio exſtitit, ut reliquis ſui faſtigii titulis debellatæ gentis cognomentum iidem inſererent, ſicut de Juliano loquitur Ammianus: *Ornamentis illuſtrium gloriarum inſerere* PARTHICI *cognomen ardebat.* Quomodo inſuper ex iisdem nummis patet, quam vere per interualla temporum decreta hæc iis cognomenta narrent Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores; eademque ſubinde per verecundiam, uti *Armeniaci* cognomen a M. Antonino, recuſata, poſtea

Lib. XXII. c. 12.

Capitol. in M. Anton. c. VIII.

postea tamen, quod nummi utique de Antonino comprobant, inscripti [a] ANTONINUS AUG. ARMENIACUS, recepta fuisse. Exstat vero vulgatus a duobus præstantibus antiquariis [b] Patino & [c] Vaillant Neronis nummus, qui illum quoque ARMENIACI titulum eidem Neroni iam ante, ut e [d] Suetonio liquet, recuperata nempe sub eo Armenia, concessum docet cum Victoria in eodem typo, quique ob insignem eius raritatem meretur hic quoque conspici.

a Birag. Num. Impp. p. 218.
b Ad Sueton. in Neron. c. 40.
c Præst. Num. p. 66. P. II.
d Ut supra in Neron. c. 47.

IUDAICI vero cognomen ob Religionis odium & gentis contemptum non similiter videmus a Vespasiano Titoue usurpatum; etsi frequens IUDÆÆ CAPTÆ, & in aliis minus obuiis eorum nummis, IUDÆÆ DEVICTÆ occurrat mentio. Antonino alioquin Caracallæ, ob res in Syria feliciter a patre gestas, decretum a Senatu *Iudaicum Triumphum* auctor est Spartianus. E quibus autem adductis deuictarum gentium, quæ inter Imperatorum titulos & cognomenta in eorum nummis comparent, nominibus GERMANICI primum, & a pluribus quidem ex iis, est adsumptum, uti, præter *Drusum* & *Germanicum*, a *Tiberio*, *Caio*, *Claudio*, *Nerone*, *Vitellio*, *Domitiano*, *Nerua*, *Traiano*, *Hadriano*, *M. Aurelio*, *Commodo*, *Antonino Caracalla*, *Maximino*, *Maximo*, *Postumo*, *Gallieno*, & tandem *Claudio*, alias *Gothico*. E quibus non GERMANICI solum, sed MAXIMI etiam, seu GERMANICUS MAX. vel MAXU. Gallienus & Postumus, alter in nummo [a] Regiæ Brandenburgensis Gazæ, alter apud [b] Tristanum, dicuntur. Quibus addendus e veteri [c] lapide Diocletianus, in quo præter alios titulos GERM. MAX. similiter inscribitur. Ad BRITANNICI vero cognomen quod adtinet, etsi, ob Claudii Imperatoris in Britanniam profectionem, partasque aliquot in ea victorias, in nummis sub eo cusis, ac in illius expeditionis memoriam, DE BRITANNIS & BRITANNIA occurrant nomina; nuspiam tamen inde nomen BRITANNICI adsumptum ab eo legitur, sed filio quidem, quod, præter Auctores, in Græcis eius nummis etiamnum legitur, est continuo inditum. Est vero illa BRITANNICI appellatio ab aliis dein Imperatoribus, quod eorum nummi etiamnum luculenter adstruunt, adsumpta; Commodo nempe, & quidem cum addito itidem MAX. seu *Maximi* titulo, aliis, quæ antea tulerat, GERMANICI & SARMATICI cognominibus præteritis, ut e pluribus eius nummis constat, qui unum illi dein BRIT. seu *Britannici* titulum constanter tribuunt. Eundem quoque Seueri Imperatoris nummi exhibent, ac unde illustratur, quique illis quoque lucem commodat, in eius vita Spartianus: BRITANNIAM (*quod maximum eius imperii decus est*) *muro per transuersam Insulam ducto, utrimque ad finem Oceani muniuit: unde etiam* BRITANNICI NOMEN *accepit*. Eodem quoque cognomine insigniuntur filiorum eius Antonini & Getæ nummi. Idem vero BRITANNICI MAXIMI

In Seuero c. XVI.

a Beger. Contin. Thes. Brand. p. 744.
b To. III. p. 161.
c Thes. Grut. CCLXXIX, 3.

In Seuero c. XVIII.

ti-

titulus Diocletiano etiam concessus legitur in veteri lapide apud Gruterum. Obuii vero in aliis eiusdem Seueri nummis, a deuictis aliis Gentibus, alii quoque tituli, ut ADIABENICI, ARABICI, PARTHICI, & quidem MAXIMI, quod constat ex eius & filii Antonini nummis, nempe PARTH. MAX. vel etiam cum integris nominibus PARTHICO MAXIMO, & VICTORIA PARTHICA MAXIMA in Italicis Musеis. Idque Diuorum Fratrum Marci & L. Veri exemplo, qui eundem PARTH. MAX. ut liquet ex eorum nummis, titulum tulerunt; ac prout, post captam a Seuero Parthorum Regiam, Ctesiphontem, fugatumque Regem Regum, *Parthicum nomen meruisse* illum tradit Spartianus; ac prout eadem cæteroquin e deuictis illis gentibus cognomina utrique Seuero & Caracallæ antiqui etiam lapides, quod viderat iam Casaubonus, passim tribuunt. Exstat vero singularis omnino huius Seueri nummus cum inscriptione PARTH. ARAB. PART. ADIAB. COS. II. PP. SC. *Parthicus Arabicus, Parthicus Adiabenicus, &c.* quod nempe sub Parthorum imperio agerent tum Arabes ac Adiabeni; seu quod, iuxta Spartianum, eiusdem nummi interpretem, Seuerus *deinde circa* ARABIAM *plura gessit*, PARTHIS *etiam in ditionem redactis, nec non etiam* ADIABENIS; mox: *Atque ob hoc reuersus, triumpho delato, appellatus est* ARABICUS, ADIABENICUS, PARTHICUS. Mirum vero omnino, quod subdit ibidem Spartianus: *Recusauit &* PARTHICUM *nomen, ne Parthos lacesseret*; quum id passim, ut vere ibi magnus Casaubonus, in nummis (non tamen in *omnibus*, ut ibi dicitur) & saxis sit adscriptum. Verum, quod a Seuero, lacessitis potius quam vere deuictis tum ab eo Parthis, eo tempore fuit recusatum; sed quod ille postea, capta nempe, ut modo vidimus, eorum Regia urbe Ctesiphonte fugatoque Rege, meruisse ab eodem Spartiano dicitur: ut mirari liceat ad hoc non adtendisse in priori loco τὸν πάνυ. Carum denique Imperatorem non PARTHICI solum, verum etiam PERSICI cognomen tulisse, fidem faciunt percussi post obitum eius nummi. Neque vero a debellatis Sarmatis dictus demum SARMATICUS M. Aurelius, sed vel filius eius Commodus; uti in sequentibus duobus e maximorum genere Regiæ Gallorum Gazæ nummis.

Thes. Grut. CCLXXIX, 3.

In Seuero c. XVI.

Ibid. c. IX.

Sed a deuictis insuper totidem Sarmatiæ populis dictus Volusianus Imperator in duobus Græcis, iisque singularibus omnino, Antiochensium nummis, quos protulit celebris Antiquarius, VANDALICUS, FINNICUS, GALINDICUS, VENDENICUS, VOLUSIANUS AUG. nempe ΑΥΤ. Κ. ΥΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ.

Vaill. Colon. Numism. p. 226. P. II. ed. Paris. 1695.

ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟΥΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. & iuxta alium Latinum, cum ab eodem [a] alibi, tum pridem ante ab Occone, dein ab illustri [b] Biragio vulgatum, IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLUSIANO AUG. *Imperatori Cæsari, Vandalico, Finnico, Galindico, Vendenico, Volusiano Augusto.* Hasce autem gentes fuisse totidem Sarmatiæ populos, e Ptolemæo & huius ætatis Geographicis Lexicis, monuit iam, qui eos nummos vulgauit, præclarus Antiquarius; nempe, qui ad oram maris Baltici & Finnici, ac latius per Finlandiam etiam extendebantur. Obseruandum vero hic obiter *Vendenici* in iis nummis, non vero *Venedici* nomen legi, pro noto inter illam utramque gentem discrimine; neque proinde confundi easdem debuisse, uti ab eodem celebri Antiquario factum liquet; quum non *Vendenorum*, sed *Venedorum* fiat ibi loci mentio. Sed hæc alterius loci.

a Præst. Num. p. 351. P. II.
b Num. Impp. p. 362.
Vaill. ut supra.

GOTTHICI vero titulum, quo vulgo a priori Claudio distingui solet alter, qui ante Aurelianum duobus post & ultra sæculis imperauit, cognominis Claudius, præferunt aliquot eius nummi, iique eo adhuc superstite, tum post mortem eius, percussi, ut IMP. CÆSAR CLAUDIUS GOTTHICUS, & DIVO CLAUDIO GOTTHICO. Eodem vero nomine appellatum a Senatu, aliisque insuper adductis PARTHICI ac SARMATICI, ac præterea FRANCICI, cognominibus Imperatorem Probum refert Vopiscus: *Tu Francicus, ac Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia*; sed quæ nusquam in nummis eius consignantur; prout alioquin in iis leguntur, & qualem ad Juliani Cæsares olim adtuli VICTORIA GOTTHICA, ac subinde etiam VICTORIA GERMANICA; item, vice aliorum eius titulorum, VIRTUS PROBI INVICTI AUG. cum capite eius radiato, & iaculo in dextra, Clypeo autem in sinistra eius manu alibi, &, qui in memoratis modo Juliani Cæsaribus est itidem conspicuus, VICTORIOSO SEMPER.

In Probo c. XI.
Pag. 112.
Birag. Num. Impp. p. 406.
Ibid p. 112.

Cæterum adductos supra Imperatorum in eorum nummis desumptos e deuictis gentibus titulos exceperunt sequenti ætate, cum GERMANICI rursus, PARTHICI, GOTTHICI, VANDALICI; tum alia insuper, nempe ALEMANICI, FRANCICI, ALANI, PONTICI cognomenta; qualia cum alii, tum Justinianus sibi adsumit in Institutionum ac Digestorum, eius iussu ac auspiciis concinnatorum, limine. Pro ANTICI enim, quod inter alia ibi hactenus conspicitur, PONTICI omnino legendum, sat, ut opinor liquet; quodque, etsi de eo sileant, quos consului, D. Gothofredus & Arn. Vinnius, eorundem Iustiniani titulorum Interpretes, ab aliis iam animaduersum debeam utique arbitrari. Indignatum quidem eo nomine Gotthorum Regem Theodebertum, quod Iustinianus *Francicum* se & *Alemannicum*, *Gepidicum* præterea (de quibus *Gepidis* mentio fit apud Vopiscum in rebus Probi) in Edictis inscriberet, quasi omnium illarum gentium debellator esset ac dominus, ex Agathia olim monueram; sed quod postea a viris magnis, Cuiacio & Grotio iam obseruatum aliunde didici. Ad ALEMANNICI vero, inter eos Iustiniani titulos, nomen quod adtinet, illud iam antea, haud minus ac GERMANICI, vel PARTHICI, ARABICI, adscripsisse sibi Caracallam, quod *Alemannorum gentem deuicerat*, auctor est Spartianus. E quibus autem diuersis Iustiniani, ALEMANNICI & GERMANICI titulis id præterea liquet, non Caracallæ solum ætate distincta fuisse *Germanorum* & *Alemannorum*, tanquam diuersarum adhuc gentium, nomina,

In Probo c. XVIII.
Lib. I. p. 15. ed. Reg.
In Anton. Carac. c. X.

mina; sed adhuc illo Justiniani æuo. Ut mirari proinde liceat, quod a Vopisco Proculus, qui Probi temporibus Augusti titulum ac dignitatem inuaserat, *Alemannos*, *qui tum adhuc Germani dicebantur*, *contriuisse* traditur. Unde errare hic Vopiscum, quandoquidem *Alemannorum* nomen pridem ante Romanis foret cognitum, ut ex adductis Spartiani de Caracalla & Aurelii Victoris de eodem verbis colligit ad eundem locum magnus Casaubonus; adde & a *Germanis* distinctum, omnino liqueat. Haud debuit vero id ab altero viro incomparabili impugnari; quod, ut addit, *Alemanni* Caracallæ temporibus gens foret Germaniæ populosa, sicut scribit Aurelius Victor, quæ postea toti *Germaniæ* nomen dederit, prout id sua ætate iam obtinuisse hic tradat Vopiscus, & quod non multo ante eius tempora factum appareat. Verum id adhuc eadem Probi, ac proinde Proculi, ætate locum habuisse aperte docet alius eiusdem Vopisci in Probo, & de quo miror silere ibi viros summos, ac de eodem quidem Imperatore, locus: *Testes* GERMANI *&* ALEMANNI *longè a Rheni submoti litoribus.* Immo quæ, unà cum adductis Iustiniani, in Institutionum ac Digestorum limine vel ingressu, diuersis GERMANICI & ALEMANNICI titulis, serius longe & duobus post sæculis ac ultra, *Alemannos* nondum, ut statuit ὁ πάνυ Salmasius, toti Germaniæ paullo ante Vopisci tempora nomen dedisse manifesto arguunt; neque vero sibi constare Vopiscum, qui sibi inuicem contraria, quæque eadem ætate obtinuerint, de utroque illo nomine tradiderit. Adeo ut, ne repugnantia adeo nullaque arte concilianda eidem Scriptori adfingantur, crederem addita post *Alemannos*, verba, *qui tum adhuc Germani dicebantur*, glossema esse alicuius imperiti magistelli, quod in contextum pari librariorum imperitia, ut alibi toties factum, irrepserit. Id vero mirari insuper subit, quod doctissimus Dionis Cocceiani aliorumque Excerptorum editor Valesius, apud unum Aurelium Victorem, in rebus Caracallæ, *Alemannorum* nomen exstare adserit: quum tamen a Spartiano & Vopisco haud semel eorum mentionem fieri vidimus; ac præterea inter Constantini nummos reperiantur, iique pridem ab Antiquariis descripti, a me etiam haud semel visi, ac iam olim indicati, cum inscriptione ALEMANNIA, & ALEMANNIA DEVICTA; & in singulari præterea eiusdem Constantini nummo, quem eximius Morellius primus in lucem protulit, legatur FRANC. ET ALEM. TR. *Francia Et Alemannia Treviris.* Neque tamen inde statuimus, quasi utraque illa gens, quæ *Francorum* dein & *Alemannorum* nomine est appellata, non fuerit antiquitus sub *Germaniæ* & *Germanorum* nomine comprehensa; quod e priscis Historicis vel Geographis, Strabone, Mela, Plinio, Tacito, Ptolemæo licet utique colligere: sed quod iam ab initio tertii sæculi discrimen illud inter *Germanos*, *Francos*, & *Alemannos* fuerit, ut e Spartiano & Victore liquet, receptum; illudque ad aliquot dein sæcula propagatum. Quod firmat etiam in vita Hilarionis Hieronymus: *Inter Saxones quippe &* ALEMANNOS *gens est non tam lata, quam valida; apud Historicos* GERMANIA, *nunc vero* FRANCIA *dicitur.* Idem de *Francis* adstruit similiter Procopius: [a] Οἱ δὲ ΦΡΑΓΚΟΙ, οὗτοι ΓΕΡΜΑΝΟΙ μὲν τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, FRANCI *autem*, *qui* GERMANI *olim vocabantur*, ac [b] alibi rursus; & similiter [c] Agathias; & quæ iam ad [d] Julianum Imperatorem vidimus. De Victoriis cæteroquin Imperatorum, seu de-

In Procul. c. XIII.

Salmas. in Not. ad Procul. c. XIII.

In Probo c. XII.

Not. ad Excerpt. p. 109.

Specim. Tab. VII.

a Bell. Gothic. l. I. c. II.

b Ibid. c. III.
c Lib. I. p. 13.
d Observ. ad Orat. I. p. 225.

deuictis ac debellatis gentibus, quæ nummi eorum docent vel illustrant, sequenti mox Dissertatione, ubi Res ab iis gestas, quas eadem Cæsarianorum nummorum penus suppeditat, expendemus, agetur opportunius.

XV. *De susceptis ab Imperatoribus aliorum nominibus ad significandum* ADFINITATEM, ORIGINEM, *&c.*

ADFINITATIS porro aut ORIGINIS, vel veræ vel adfectatæ, susceptæ sunt nonnunquam ab Imperatoribus appellationes, parandæ benevolentiæ, aut in grati erga Decessores animi significationem.

1. *De* ANTONINORUM *nomine.*

Huc spectat ANTONINORUM nomen celebratum adeo in monumentis Historiæ Augustæ, quodque sex demum Cæsaribus vulgo nummi largiuntur, ANTONINO PIO, M. AURELIO, L. COMMODO, BASSIANO seu CARACALLÆ, DIADUMENIANO, & ELAGABALO. His L. VERUM & GETAM addit Capitolinus, ut octo ANTONINOS Augustos efficiat: quod tamen nomen in eorum nummis, qui supersunt non pauci, adde in lapidibus etiam antiquis, expressum haud legitur. Quamquam post adoptatum, iuxta M. Aurelium, ab Antonino Pio hunc *L. Verum*, eum inde ANTONINUM quoque dictum inficiari haud liceat: immo qui, unà cum M. Aurelio, adoptione Fratre, & cuius Collega in imperio exstitit, ANTONINI AUGUSTI sunt in Fastis, ut docet Spartianus, dicti, ac ut de eodem Vero Capitolinus: *Ex Hadriani voluntate* ÆLIUS *appellatus est*; *ex* ANTONINI *coniunctione* VERUS *&* ANTONINUS. Immo quod de utroque Marco ac Vero, & iure quidem, ut modo diximus, adoptionis, illo ANTONINI nomine a Pio appellatis tangit similiter Lampridius: ANTONINI *ipsi Augusti dicti sunt*. ANTONINUS *idem* PIUS MARCUM, *&* *item* VERUM, *iure adoptionis vocauit*. Verum quum uterque *Marcus* & *Verus* simul imperarint, ac inde DIVI FRATRES, adoptione nempe, in libris veterum Iurisconsultorum sint appellati; penes seniorem MARCUM, eumque non Fratrem solum sed socerum, mansit, ad maius inter eos discrimen, illa ANTONINI appellatio. Quod itidem de *Bassiano*, seu *Caracalla*, & *Geta*, naturà fratribus, statuendum est. GETÆ quippe ANTONINI quoque nomen, haud minus ac fratri BASSIANO inditum, tradit haud uno loco Spartianus: dum Seuerum, quum moreretur, immoderatissime lætatum scribit, *quod* DUOS ANTONINOS *pari imperio Reipubl. relinqueret*. Idem alibi de Seuero: *Etiam* GETAM *minorem filium* ANTONINUM *vocari iussit. Itaque semper ab eo in epistolis familiaribus dictus est* ANTONINUS, *quum, si forte abesset, scriberet: Salutate* ANTONINOS *filios & successores meos*. Quomodo etiam', ut paullo ante indicatum, inter octo Imperatores, qui, iuxta Capitolinum, ANTONINI scilicet nomen tulerint, GETA quoque adnumeratur. Verum quæ a Seuero quidem, singulari eius in ANTONINI nomen studio, seu somnii, iuxta Spartianum, admonitu, ut successorem *Antoninum* relinqueret, præter natu maiorem Bassianum, *adposito Aurelii Antonini nomine Cæsarem appellatum*, minorem filium GETAM eodem quoque nomine a parente subinde vocatum innuunt: non vero quòd illud ANTONINI nomen ei, uti Bassiano seu Caracallæ fratri, continuo adhæserit. Id etiam iam olim, de Getæ indito

In Macrino c. III.

In Ælio Vero c. V.

In L. Vero c. I.

Lamprid. in Alex. Seu. c. X.

In Seuero c. XX.

In Geta c. I.

Ibidem.

In Seuer. c. X. & Geta c. I.

AN-

ANTONINI nomine, controuerſum exſtitiſſe docent Capitolini, etſi ipſe aliter ſtatuat, in Diadumeniano verba: *Getam vero, quem multi* ANTONINUM *negant, &c.* Quod confirmat etiam omnino, qui adfinitate utrique, Caracallæ & Getæ, erat iunctus, ac ubi de iis ANTONINORUM nominibus agebatur, Alexander Seuerus: qui ſeptem dictos eſſe ANTONINOS, & quo iure præterea vel titulo, omiſſo Geta, obſeruat, iuxta verba paullo ante adducta: ANTONINUS *idem* PIUS MARCUM *&* *item* VERUM, *iure adoptionis vocauit*; dein: COMMODO *autem hæreditarium fuit*; *ſuſceptum* DIADUMENO; *adfectatum in* BASSIANO; *ridiculum in* AURELIO, nempe ELAGABALO. Verum quibus addendus eſt adhuc alius *Antoninus*, non Imperator quidem vel Auguſtus, ſed Imperatoris, & quidem prioris Antonini, vulgo Pii, filius dictus in nummo, de quo iam ante egimus, quem vulgarunt præſtantes Antiquarii, quique exſtat in Gaza Gallorum Regia M. ANNIOΣ ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟΣ, *M. Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini Filius*, cum Fauſtinæ Matris capite ac nomine ΘΕΑ ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ, *Diua Fauſtina*. Cuius *Galerii Antonini* datur adhuc alius, & Græcus itidem, inter patris Antonini Pii nummos, in eadem Gaza Regia, cum inſcriptione ΓΑΛΕΡΙΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *Galerius Antoninus Imperatoris*, Antonini nempe, Filius. Adeo ut ſeptem legantur in Cæſarianis nummis ANTONINI, e quibus ſex Imperatores vel Auguſti, unus Imperatoriæ ſtirpis fuerit. Exſtat quidem alter adhuc non Pii ſed M. Antonini filius, & Commodi frater Junior, ſed citra ANTONINI nomen, dictus in præclaro, quem ſupra itidem vidimus, nummo ANNIUS VERUS CÆS. ANTONINI AUG. FIL. & in duobus quoque Græcis cum Commodo fratre ſimiliter, ſed etiam citra additum ANTONINI nomen, conſpicuus. Quod vero in adductis paullo ante Imperatoris Alexandri Seueri verbis, de *adfectato* a Baſſiano ſeu Caracalla ANTONINI nomine dicitur, id a patre eius Seuero profectum vidimus; quique, ut de eo Spartianus, *in* MARCI *familiam transire voluerit*: quod teſtantur etiamnum antiqui lapides, in quibus ille eiusdem M. Antonini Filius dicitur: SEVERUS IMP. CÆS. DIVI M. ANTONINI FIL.: adde in alio etiam apud eximium Sponium, in quo *Commodus* eius *Frater* dicitur: SEVERO DIVI COMMODI FRATRI. Immò unde etiam ille in veteri & ſingulari nummo ANTONINI (PII nempe) NEP. ſeu *Nepos* vocatur: ac proinde Caracalla eiusdem Marci *Nepos* ac *Pii Pronepos* in alio lapide (ut, poſt præuia eiusdem Antonini Caracallæ & Seueri parentis nomina, additur) DIVI IMP. ANTONINI PII GERMAN. SARMAT. NEP. DIVI ANTONINI PII PRONEP. ſeu *Pronepos*, ac inde præterea *Hadriani Adnepos*, *Traiani* vero & *Neruæ Abnepos* dicitur.

In Diadum. c. VI.

Supra p. 338.

Supra ibid.

In Seuer. c. I.

Theſ. Grut. CCLXIII, 8.

Miſcell. p. 178.

Ibid. p. CCLXIX, 1.

Factum nempe ea ætate, quod e nummis eorum temporum eſt ſimiliter obuium, ut Deceſſorum ſuorum, ſeu natura ſeu adoptione parentum, nomina, & quidem Prænominum vice, adſumerent eorum in imperio ſucceſſores: prout, ad poſtremos, ſeu adoptione Filios, quod adtinet, NERVA TRAIANUS, TRAIANUS HADRIANUS, HADRIANUS ANTONINUS: Cognominis autem non Prænominis vice, M. AURELIUS ANTONINUS, & cum naturalis parentis nomine, eoque modo Gentilis nominis modo Cognominis vice, L. vel M. ANTONINUS COMMODUS, vel M. COMMODUS

2. *De Deceſſorum nominibus ab Impp. adſumtis.*

ANTONINUS. Id vero in Seuero singulare, quod PERTINACIS, cuius nec natura nec adoptione foret filius; neque ab eo in partem imperii, vel in successorem adsumptus, nomen tamen, factus Imperator, suo nomini protinus addiderit; adeo ut in iis, ab eius imperii auspiciis, dictus continuo legatur IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PERT. AUG. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Seuerus Pertinax Augustus*, nempe, ut de eo Spartianus, *ut esset Imperator vere nominis sui, vere* PERTINAX, *vere* SEVERUS. Quomodo de eo etiam Aurelius Victor: *Horum infinita cæde crudelior habitus, ac cognomento* PERTINAX. De quo cæteroquin cognomine ac Seuero a Spartiano dictum iam ante fuerat: *Se quoque* PERTINACEM *vocari iussit; quamuis postea* ID NOMEN ABOLERI *voluerit, querimoniâ amicorum.* Quod discrimen equidem in eius nummis conspicitur; cuiusmodi plures occurrunt, maxime a Tribunitia eius Potestate VIII. a quibus illud PERTINACIS cognomen exulat, ita tamen ut in sequentibus etiam, & quidem Potestatis illius XVI. vel XVIII. nummis idem subinde reperiatur, [a] L. SEPTIMIUS SEVERUS PIUS PERT. AUG. Neque tamen cum [b] erudito Juris Antistite, ad eundem Scuerum ac filium Antoninum vulgo Caracallam respexisse crederem Modestinum, ubi ait, [c] *Diuus Antoninus & Pertinax rescripserunt.* Non uero ideo, ut arbitrari quis posset, quod iam ante obitum *Pertinacis* nomen Seuerus abdicasset; illud enim eidem mortuo tribuit adhuc [d] lapis antiquus inscriptus inter alia, DIVI SEPTIMII SEVERI PII PERTINACIS AUG. aut vero, quod præter ordinem temporum, ac aliorum id genus Rescriptorum morem, in quibus vulgo *Diui Seuerus & Antoninus* occurrit, Filius Patri præponatur: id etenim in iisdem Imperatoribus factum nonnunquam videas, & frequenter ab Ulpiano de utroque Seuero & Caracalla, ut: [e] *Rescripto Imperatoris nostri & Patris eius*; aut: [f] *Imperatoris nostri & Diui Patris eius*; ac ab ipso quoque Modestino: [g] *Diuus Magnus Antoninus cum Patre rescripsit*; ac a Paulo I. C.: [h] *Imperatores Antoninus & Seuerus Augusti Germano Silano.* Verum illud obstat, quod parum verisimile videatur; & sit insolitum alias, vel apud Auctores vel in aliis nummorum lapidumue monumentis, solo PERTINACIS nomine SEVERUM designari; sicut neque per TRAIANUM HADRIANUS, aut per HADRIANUM PIUS intelligi, quamquam ambo eadem nomina tulerint. Ad *M. Antoninum* itaque & *Heluium Pertinacem* respexit Modestinus: quorum ille non semper *Diuus Marcus*, sed etiam, ut in adductis eiusdem Modestini verbis, & quod [i] alibi quoque vidimus, *Diuus Antoninus* dicitur, uti: [k] *Paulus libro singulari ad Orationem Diui Antonini & Commodi*; & alibi quoque eodem modo. Neque illud insolitum in libris veterum Jurisconsultorum, ut Imperatorum, quorum exstabant eadem de re Rescripta, quamquam non simul imperassent, sicut *Diui Fratres*, nomina coniungantur: prout [l] *Diuus Pius & Seuerus rescripserunt*; alibi: [m] *D. Vespasianus & Hadrianus*; item: [n] *Pius & Imperator noster*, nempe Antoninus Caracalla. Ut vero idem Rescriptum ad Marcum potius quam ad Pium referam, facit, quod postremum vix solo *Antonini* nomine appellatum videas in iisdem libris; verum, ut iam ante monui, aut sub nominibus [o] *Diui Pii Antonini*, aut [p] *Antonini Augusti Pii*, aut cum prænomine [q] *Titi Antonini.* Quamquam & solis *Diui Antonini* nominibus *Pium* videatur designasse Pau-

In Seuer. c. xv. Cæsar. c. xx.

In Seuer. c. vii.

a Vid. Bimg. p. 278, 279.
b Rœuard. Var. Lect. l. iii. c. 10.
c Leg. xii. §. 2. D. de Fideicom. Libert.
d Thes. Grut. ccl. xxi, 1.
e Leg. i. §. 10. D. de Extra Cogni.
f Leg. vi. §. 2. D. de Pollicit. Leg. xlv. D. de Ritu Nupt.
g Leg. xi. §. 3. D. de Mun. & Hon.
h Leg. viii. §. 1. D. de Legation.
i Orbis Rom. p. 174.
k Leg. xv. D. de Locat. Cond.
Leg. viii. D. de in Integ. Rest. & alibi.
l Leg. ii. §. 3. D. Ad SCtum Vell.
m Leg. xviii. §. 30. D. de Mun. & Honor.
n Leg. iv D. Ad SCtum Vell.
o Leg. v §. 2. D. de Cens. Leg. i. D. de Auctoritate Tutor.
p Leg. xxii. D. de Fideicom. Libert.
q Leg. viii. D. de Statu Hom. Leg. iii. de Pœnis.

Paulus, ubi inquit: *Diuus Antoninus Antiochenſes colonos fecit, ſaluis tributis.* Quibus autem verbis Caracallam deſignari ſtatuit celebris Antiquarius; dum non ſatis adtendit ad ſequentia eiusdem Legis verba: *Imperator noſter Antoninus ciuitatem Emiſenorum coloniam & iuris Italici fecit:* unde conſtat utique, quòd *Imperator noſter Antoninus*, de Antonino Caracalla tum adhuc ſuperſtite dicatur; ut paſſim ſolet, ac alibi vidimus, ab illius ætatis, qualis Paulus exſtitit, Iurisconſultis in Theſauro legum Romanarum deſignari. Unde priora Pauli verba *Diuus Antoninus*, de Antonino Pio, a quo deducta ſit Piſidiæ, ut idem Antiquarius vere ibi & iam ante obſeruat, Antiochiam colonia; vel etiam de M. Antonino poſſunt intelligi, in cuius adhuc Cæſaris honorem exſtant veteres nummi, inſcripti hinc AURELIUS CÆSAR cum eius capite; illinc Lupa cum gemellis, ANTIOCHIÆ, in alio ANTIOCHEÆ COLONIÆ. Exſtat vero illius, qui imperium eodem cum Seuero tempore arripuit, Didii nempe Iuliani nummus, a præſtantibus antiquariis, præter alium a Goltzio adductum, prolatus, in quo COMMODI cognomen eidem DIDIO, & quidem IULIANI loco, tribuitur: nempe IMP. CÆS. M. DID. COM. De *Macrino* vero, cuius iuſſu cæſus Antoninus Caracalla Seueri filius, tradit Capitolinus: *Seque nunc* SEVERUM *nunc* ANTONINUM, *quum in odio eſſet omnium & hominum & militum, nuncupauit*; ubi vere obſeruat Caſaubonus, nullum repertum adhuc monumentum in quo vocaretur ANTONINUS, ſed quod in nummis, quos vel ipſe viderit, vel deſcripſerint viri docti, SEVERUS ſemper nuncupetur: nempe, ut id in iis utique obuium, IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINUS AUG. Filium vero eius Diadumenianum, quod de eo cum alibi, ut vidimus, tum in eius vita Capitolinus memorat, ANTONINUM reuera dictum, comprobant utique eius, cum Cæſaris adhuc tum Auguſti, nummi cum inſcriptione, M. OPELIUS ANTONINUS DIADUMENIANUS CÆS. vel M. OPEL. ANTONINUS DIADUMENIANUS AUG.

Leg. VIII. D. de Cenſ.
Vaill. de Numm. Imper. Colon. To. II. p. 24. ed. Pariſ. 1695.
Orbis Roman. p. 196, 197.
Vaill. ut ſuprà To. II. p. 4. & To. I. p. 167.
Ibid. To. I. p. 176.
Angelon. & Birag. p. 225.
In Macrino c. 11.
In Diadum. c. 1.

Exſtant vero adhuc alii GENERIS vel ADFINITATIS tituli in nummis Imperatorum ſubinde conſignati. PARENTIS quidem vel PATRIS, uti MATRIS, FILII, FRATRUM, vel SORORIS, ac NEPOTIS etiam appellationes, alibi iam traditas, quæ in iis ſubinde vel Auguſtarum nummis occurrunt, hic mitto. Eas autem minus in illa nummorum penu obuias, SOCERI puta, ADFINIS, COGNATI, ne PATRIS iam dicam, exhibent ſelecti aliquot unius Maxentii Imperatoris nummi.

3. *De aliis Generis aut Adfinitatis titulis.*

De quo equidem Maxentio id obiter paullo ante diximus, eum non, ut hactenus eſt ille habitus, Maximiani Herculii, ſed Galerii Maximiani Filium, prioris autem Generum a [a] viro erudito, utinam minus ſagace, perhiberi. Quum tamen a Scriptoribus, iisque haud leuis etiam fidei vel auctoritatis, aliisque monumentis eorundem & proximorum etiam temporum, [b] Lactantio, [c] Euſebio, utroque [d] Victore, [e] Eutropio, [f] Excerptis Valeſianis Ammiani Marcellini; adde, [g] Zoſimo, [h] Chronico Alexandrino ſeu Paſchali, [i] Zonara, aliisque, ipſo etiam in priori Chronologiæ Specimine [k] Harduino, pater Maxentii adſeritur Maximianus Herculius, eius autem Socer Galerius. Neque obſtat, & de quo ſilet cæ-

4. *De ſingularibus Maxentii nummis.*

a Hard. Select. Oper. p. 456.
b De Mort. Perſ. c. XVIII, XXVI, XLIV.
c H. Eccl. l. VIII. c. 14. & Chron. p. 188.
d Cæſarib. & Epit. c. XL.
e Lib. X. c. 2.
f Pag. 1.
g Lib. II. p. 78; 80.

h Pag. 78. ed. Du Cang. i Annal. To. I. p. 648. k Specim. Chron. Conſt. p. 144.

cæteroquin Harduinus, id quod ab uno forte aut altero Scriptore dicitur: nempe quòd Maximianus Herculius Maxentii [a] *pater credebatur*; & quòd, ab eodem Incerto Panegyrici Constantino dicti Auctore, Maxentius [b] *Maximiani suppositus* dicitur, ac similiter, iuxta Victorem Schotti: [c] *Maxentium suppositum ferunt arte muliebri*, ab uxore nempe Herculii Eutropia: quæ etiam, iuxta Valesiana post Ammianum Excerpta, cum Syro quodam genitum sit confessa: quæ non alterius tamen, quam ipsius Herculii filium, uti haud semel etiam in hisce Excerptis dicitur, nusquam vero Galerii Maximiani, habitum eundem Maxentium docent. Unde illa dicti modo Oratoris de eodem Maxentio ad Constantinum verba: [d] *Te, Constantine, paterna pietas sequebatur*; *illum* (Maxentium) *ut falso generi non inuidemus, impietas.* Unus exstat forte, & quem [e] ad Lactantium erudite obseruat illustris Cuperus, apud [f] Photium locus, ubi idem Maxentius non Maximiani sed *eius ex fratre filius*, ἀδελφιδοῦς οὖν Μαξιμιανοῦ, dicitur. Verum, quod ab omni veterum de Maxentio Maximiani Herculii vel vero, vel suppositio, e quodam nempe Syro patre, filio, id prorsus abeat, vere omnino, si quid iudico, verba illa transposita credidit Cuperus, eaque ad Maximinum tum in Oriente imperantem, de quo facta erat ibi proximis ante verbis mentio (sed in quibus Μαξιμῖνος sit legendum pro Μαξιμιανὸς) & sorore Galerii Maximiani genitum, omnino respicere; idque insuper adstrui e sequentibus verbis, quibus Maxentius prioris Maximiani, nempe Herculii; alter vero Galerius Maximianus Diocletiani, adoptione nempe & ducta eius in uxorem filia, filius dicitur: Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἦν Μαξιμιανοῦ πρότερον, ὁ δὲ Διοκλητιανοῦ. Adde vero hisce, quæ ad firmandam viri eruditi, quasi nullam prolem masculam reliquisset Maximianus Herculius, sententiam possent huc adferri: quod nempe ab incerto alterius Panegyrici, in celebritate Constantini & Faustæ huius Maximiani Filiæ nuptiali, utrique Imperatori Socero ac Genero tum dicti, Auctore, non solum nusquam, ubi cæteroquin huic rei erat locus, quasi aliunde filium haberet Maximianus, fiat mentio; sed harum demum nuptiarum intuitu ad eundem Maximianum ille dicat: *Quum hac adfinitate vestra, & tibi, Maximiane, per generum iuuenta renouata sit*; ac alibi ad Constantium, Constantini patrem, sed iam Diuum: *Nec Maximiano Filius, qualis tu eras* (gener quippe huius Herculii, ducta eius priuigna, similiter fuerat) *nec Constantino* PATER *deest.* Qui Panegyricus tamen dictus est eo tempore, quo post acceptam denuo a Maxentio filio purpuram, & renouatum Augusti, quod cum Diocletiano abdicarat, nomen, in Galliam profectus erat Herculius, imperante Romæ Maxentio, in quam mox redux, *habebat*, ut de eo Lactantius, *commune imperium cum filio*, eodem nempe Maxentio. Adeo ut non tam oratorem, quem vatem fuisse illius Panegyrici Auctorem diceres; qui scilicet ideo de Maxentio filuerit, quod is mox patrem Herculium, ob direptam sibi ab eo purpuram, urbe Roma continuo exegerit. Adde, cuius oratoris de huius Maximiani filio, eodem Maxentio nempe, silentio id præterea ansam dederit, quod de eo tradit Victor, *retractante diu patre Herculio Imperatorem eum factum*; alter vero Schotti: *Is Maxentius* (ut omnino ibi legendum, non *Maximianus*, quod viderunt alii, ac monuit etiam rari exempli Daceria) *carus nulli unquam fuit*, NE PATRI, *aut Socero quidem.* Quod de illo adstruit insuper La-

[a] Paneg. Constantin. c. III.
[b] Ibid. c. IV.
[c] Epitom. c. XL.
[d] Ut supra Paneg. Const. c. IV.
[e] Not ad lib de Mort. Pers. p. 216. P. II.
[f] Politia SS. Patr. &c. p. 1468.
Ut supra.
Incert. Epith. c. II.
Ibid. c. XIV.
De Mort. Pers. c. XXVIII.
Lactant. ibid.
Cæsarib. c. XL.
Epitom. c. XL.

Lactantius: *Adeo ſuperbus & contumax, ut neque* PATREM, *neque Socerum ſolitus ſit adorare; & idcirco* UTRIQUE INVISUS *fuit.* Socerum vero fuiſſe eidem Maxentio, non Patrem proinde, Galerium Maximianum, cum iidem modo Auctores, [a] Lactantius, [b] Victor, Excerpta Valeſiana, aliique; tum utrumque confirmant etiam veteres nummi; de patre nempe huius Maxentii, priore Maximiano ſeu Herculio, & Socero altero Maximiano ſeu Galerio. Ex iis utique unus legitur inſcriptus, DIVO MAXIMIANO SOCERO, eique geminus DIVO MAXIMIANO SOCERO MAXENTIUS IMP. AUG. Neque enim poſtremus hic nummus, ut olim conieceram, ac probante dehinc nouiſſime Harduino, ad Herculium Patrem, quaſi eundem *Socerum* & *Patrem* vocet, eſt quoque referendus. Quamquam exſtat nummus ab illuſtri Biragio adductus, cum unius *Maximiani*, & quidem, iuxta eum, *Herculii* nomine, quique *Pater* ſimul & *Socer* in codicatur: IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO PATRI SOCERO. De qua equidem nummi illius inſcriptione quid ſtatuendum ſit, haud facile dixerim: quum neque ubi reperiatur idem nummus, ulla fiat ibi mentio; neque an alicubi exſtet, aut ſit viſus mihi ullatenus conſtet. Quo autem nomine ac titulo *Diuus* ille *Maximianus*, Herculius nempe, ad quem nummus hic ibi refertur, quique Maxentii, ut vidimus, ac aliunde ſat liquet, *Pater* reuera exſtitit, *Socer* inſuper in co dicatur; & quidem ducta alterius Maximiani ſeu Galerii filia, haud equidem video. Ut *Pater* utique de *Socero*, ac inde *filius* pro *genero*, dicatur, id equidem haud inſolitum; ac, ne longius nunc abeam, adducta paullo ante de eodem Maximiano Herculio & Conſtantio, qui eius priuignam duxerat, verba abunde id comprobant: *Nec Maximiano filius, qualis tu eras, &c.* Unde, ſi genuina eſt omnino adducta illa ſuperioris nummi inſcriptio, ac nummus vere probi commatis, cadem ad Galerium Maximianum, Maxentii Socerum, in cuius fato iam functi honorem cuſus eſt ab eo memoratus paullo ante nummus, cum epigraphe IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO SOCERO, poteſt itidem, ac opportunius quidem, referri. Immo quod egregie illuſtrant eiusdem dicti modo in nuptiis Conſtantini cum Maximiani Herculii Filia Panegyrici ad Conſtantium, iam Diuum, quæ priora illa paullo ante præceſſerant, verba: *Quum talem hunc filium tuum* (Conſtantinum) *qui te primus patrem fecit, in Imperii tui poſſeſſionem* IDEM PATER, IDEM SOCER, *idem Imperator* (Maximianus Herculius) *induxerit.* Vides utique hunc Maximianum iisdem PATRIS ſimul ac SOCERI, utriusque nempe eius generi Conſtantii & Conſtantini intuitu; ſicut in adducto nummo alter Maximianus a genero itidem Maxentio, iisdem quoque *Patris* ac *Soceri* nominibus appellari. Id vero de hoc Maxentio mirum continuo videri poſſet, quod eum huic Socero Galerio Maximiano inuiſum fuiſſe, modo e Lactantio vidimus: immo qui Galerius ex Oriente cum exercitu Romam ad oppugnandum eundem generum profectus, retro ſigna conuertere, ut de eo idem Lactantius, ac fugam capeſſere fuerat coactus, ac paullo poſt diris cruciatibus vexatus interierat. Verum id huic Maxentio peculiare inſedifſe, vel ex ipſis cuſis eius iuſſu nummis cernimus; ut, quos ſuperſtites, patrem nempe & ſocerum, vilipenderat, uti ex eodem Lactantio paullo ante monitum, & velut hoſtium loco habuerat, eorundem poſtea defuncto-

[a] Ut ſupra c. XVIII, XXVI.
[b] Epitom. c. XL.

De Mort. Perſ. c. XVIII.

Select. Oper. p. 459.

Num. Impp. p. 431.

Epithal. Incert. c. XIV.

Ibidem.

De Mort. Perſ. c. XXVII.

functorum memoriam, quo hæreditarium velut imperium ad se transmissum testaretur, sibique maiorem inde venerationem conciliaret, DIVORUM titulo condecorandam censuerit: cuius rei luculenti utique testes sint alii adducti iam ante eius nummi, IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO PATRI, ac duo similiter, DIVO MAXIMIANO SOCERO. Quibus, ut singulare illud huius Maxentii studium, in celebranda eorum, qui sanguine vel adfinitate eum adtingebant, Imperatorum illius ætatis memoria, eluceſcat, accedunt alii eius nummi, inscripti IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO ADFINI, alter IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO COGNAT. aut iuxta alium e Museo P. Chamillard ab Harduino adductum, DIVO CONSTANTIO COGN. cum velato Constantii capite. Haud vero, quod statuit idem vir eruditus, illa vel ADFINIS vel COGNATI appellatio Constantio ab hoc Maxentio tribuitur; quod scilicet ambo Maximiani Herculii filias duxissent; sed quod reuera eidem Constantio patri Constantini Theodora, Maximiani patris, de qua re iam ante, priuigna, ac proinde Maxentii soror uterina, foret nupta. Unde etiam Constantius eiusdem Maximiani *Gener* a Lactantio aliisque dicitur. Eiusdem vero, quod modo adtigi, & adducti iam nummi comprobarunt, singularis, quo ferebatur in celebrandis sibi genere vel adfinitate coniunctis Imperatoribus Maxentius, studii indices alii adhuc eius nummi, uti in *Patris*, *Soceri*, *Adfinis* vel *Cognati*, & quidem defunctorum, ita etiam, qui iam obierat, *Filii* honorem, & cum eodem DIVI elogio, sunt percussi: unus IMP. MAXENTIUS DIVO ROMULO NU. FILIO, alter DIVO ROMULO NUBIS CONS. qui ambo sunt ab illustri [a] Tristano, ac dein e Thesauris Brandenburgicis ab eximio [b] Begero nostro itidem in lucem prolati. In quorum priori autem, illud NU. FILIO, *Nostræ Urbis Filio*, Romæ nempe, ubi natus foret Romulus, explicandum statuerat Tristanus; in altero vero NUBIS CONS. *Nostræ Urbis Conseruatori:* prout certe exstant alii, uti Diocletiani, nummi ab eodem Tristano iam ante adducti, cum inscriptione CONSERVATORIS URBIS SUÆ, quod a Begero nostro est similiter monitum; nisi quod in postremo *Nostræ Urbis Consuli* legendum potius existimat, eo quod anno V. C. MLXI. Consul cum Patre Maxentio filius Romulus processerat. Quam prioris nummi explicationem, nulla Tristani vel Begeri facta mentione, adfert ac tuetur, ubi utriusque illius nummi meminit, præstantissimus Harduinus; in secundo autem illud NUBIS CONS. *Nostræ Urbis Bis Consuli*, potius quam *Nostræ Urbis*, iuxta Begerum nempe, *Consuli* legendum putat: quamquam addat continuo, nuspiam eam vocem BIS a se in nummis lectam, & aliud præterea ei videatur BIS COS. aliud COS. ITER. denique ab Occone referri huius Romuli nummos, in quibus legatur tantum NU. COS. quod sit haud dubie *Nostræ Urbis Consuli*. Apud Idatium vero in Fastis, ac unde adstrui posset prior illa Harduini explanatio, NUBIS CONS. de *Nostræ Urbis* (seu Romæ) *Bis Consule* Romulo traditur: *His Coss. quod est Maxentio II. & Romulo II.*, eo nempe tempore, quo, ob lacerum tum velut Imperium, alii erant in Oriente, alii in Occidente seu in urbe, ubi tum imperabat Maxentius, Consules.

Select. Oper. p. 457.
Ibidem.
a To. III. p. 469.
b Contin. Thes. Brand. p. 794.
To. III. p. 339.
Select. Oper. p. 463.

5. *De aliis porro ap-*

Dantur vero etiamnum peculiares nonnullæ in nummis cum Maximiani Herculii, qui Maxentii pater exstitit, tum Diocletiani eius Collegæ,

post

poſt abdicatum ab iis imperium, ultro iis delatæ appellationes, quæ adhuc vel obiter commemorandæ hic veniunt. Quales utique exhibent ſuperſtites adhuc eorum nummi, a præſtantibus Antiquariis iam deſcripti, SENIORIS, OPTIMI, BEATISSIMI, FELICISSIMI, FORTISSIMI, ac in auerſa eorum parte cum memorabilibus inſcriptionibus, quibus illa eorum abdicatio ad poſterorum memoriam conſignatur, PROVIDENTIA DEORUM QUIES AUGG. vel REQUIES OPTIMORUM MERITORUM vel QUIES AUGUSTORUM; & cum Iouis effigie QUIETATORI AUGG. E quibus autem duos hic tantum, unum Diocletiani, alterum Maximiani Herculii nummum, utrumque e Theſauris Brandenburgicis depromptum, proferemus, etſi iam ante id ſit a præſtantiſſimo Begero noſtro præſtitum. Prior nempe Diocletiani cum capite eius laureato, & inſcriptione IMP. DIOCLETIANO FELICISSIMO SEN. AUG. illinc exhibentur duæ figuræ ſtantes, virilis una, altera muliebris, cum Spica & Haſta, cum inſcriptione PROVIDENTIA DEORUM QUIES AUGG. & cui ſimilis Maximiani nummus eſt a Triſtano prolatus. Alter vero Maximiani cum inſcriptione DIVO MAXIMIANO SEN. P. OPTIMO, in auerſa parte mulier velata ſedens dextra protenſa, ſiniſtra Scipionem tenens, REQUIES OPTIMORUM MERIT. *pellationibus in nummis Impp.* To. III. p. 369.

Quibus autem titulis & inſcriptionibus, iisque paullo ante adductis, commendari horum duorum Auguſtorum, poſt felix viginti annorum imperium, abdicationem, haud mirari utique liceret; niſi ex reperto & vulgato noſtra ætate noto, & aureo quidem, Lactantii libro nobis hodie conſtaret, non ultro, ſed coactum a Galerio, & *lacrymabundum* quidem, Diocletianum, eiusque exemplo vel inuitum Maximianum, purpura depoſita, in priuatorum ſortem fuiſſe continuo redactos. Quod equidem factum *quietis* itidem nomine proſequitur Epithalamii in Conſtantini nuptias Maximiano dicti Auctor; a quo etiam ille BEATISSIMI *Imperatoris* elogio ornatur; ac prout eius & Diocletiani, FELICISSIMI in aliis nummis dicti, *felicitas*, alterum eſt Genethliaci eidem Maximiano nuncupati caput & argumentum, & quomodo FELICIB. SEMPER AUGG. de iis dicitur in veteri lapide. Ambo etiam *Fortiſſimi*, uti in Maximiani nummis, a Mamertino appellati: ac prout de eodem Maximiano legitur in antiqua inſcriptione, MAGNO INVICT. AC SUPER OMNES RETRO PRINCIPES FORTISSIMO &c. Sic in veteri etiam Conſtantiniani ævi nummo dictus D. N. DECENTIUS FORT. CÆS. ac iam ante in prisco lapide Decius: NOBILISSIMO FORTISSIMO ET FELICISSIMO CÆSAR. TRAIANO DECIO. Prout vero in adducto illius Principis nummo ſignatur REQUIES OPTIMORUM MERITORUM; ſic ab eodem Oratore, de utroque Principe dicuntur *veſtra ſunt ornamenta meritorum*. Ad ætatem vero

De Mort. Perſ. c. XVIII. & XIX.
Incert. Epith. c. XIII.
Ibid. in fine.
Theſ. Grut. CCLXXIX, 2.
Panegyr. Maximian. c. IX.
Ut ſupra CCLXXXI, 4.
Birag. Num. Impp. p. 483.
Ut ſupra CCLXXIII, 5.
Ut ſupra Paneg.

eorundem quod adtinet, quos ambos SENIORIS titulo appellari in iisdem eorum nummis, & quidem ad indicandam vel excusandam hanc abdicationis eorum caussam, cernimus; istud Diocletiano quidem, non vero Maximiano, cuius integræ adhuc forent vires, eam excusationem suppeditare potuisse, tradit alter, & de quo iam ante, Orator, eundem Herculium in alia eius Oratione compellans: *Sed tamen utcunque fas fuerit eum principem* (Diocletianum nempe) *quem* ANNI COGERENT, *aut valetudo deficeret, receptui canere: te vero, in quo adhuc istæ sunt integræ solidæque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur.* Vidi postea, postrema hæc Oratoris illius verba in S. Genouefæ Museo, ad similem Maximiani nummum, iam adducta. Quomodo etiam de uno Diocletiano, quo eum ad abdicandum impelleret Galerius Maximianus, ab eo apud Lactantium dicitur: *Iam* SENEM *esse dicens, iam minus validum & administrandæ Reipublicæ inhabilem, debere illum* REQUIESCERE *post labores:* mox tamen uterque, uti in memoratis eorum nummis, *Senes* itidem appellantur: *His auditis* SENEX *languidus; qui iam* MAXIMIANI SENIS *literas acceperat, &c.* Adde paullo post Diocletiani imperium abdicantis verba: *Se inualidum esse,* REQUIEM *post labores petere*; ac dein de utroque similiter: *Maximianus, postquam* (Galerius) SENIBUS *expulsis, quod voluit, & fecit, &c.* Neque vero, intuitu abdicati a Diocletiano & Maximiano Imperii, ea iam hic tangam, quæ de Nerua illius horum Augustorum abdicationis auctor Galerius Maximianus apud eundem Lactantium, vel de eodem Nerua Aurelius Victor, quasi is quoque imperium abdicasset, minus vere dicunt; & qua de re consuli potest eruditissimus Pagi.

Incert. Epithal. c. IX.

Pag. 87.

De Mort. Pers. c. XVIII.

Ibid. c. XIX.

Ibid. c. XVIII.

Cæsarib. c. XII.

Critic. Baron. p. 89. To. I.

Ut vero SOCERI consignatam vidimus appellationem in Maxentii nummis, in honorem Galerii Maximiani, cuius is filiam duxerat, cusis; ita GENERI vicissim nomen proditum est in singulari Gratiani Imperatoris nummo, post Constantii Imperatoris filiam sibi matrimonio iunctam, ut, missis aliis præstantium virorum de eiusdem inscriptione coniecturis, supra a nobis adsertum, & haud opus hic denuo pluribus retractare.

DISSER-

DISSERTATIO DECIMA TERTIA
DE
PRÆSTANTIA ET USU
NUMISMATUM
ANTIQUORUM.

MEMINISTI etiamnum, ut opinor, OCTAVI nobilissime, quum in Hortis Justinianeis ego & Marquardus Gudius, ab omni liberali doctrina egregie instructus, idemque peracri ingenio, una tecum essemus, incidisse sermonem de Nummis & Lapidibus antiquis, ac unde maior in Historiam Veterem & omne literarum genus utilitas redundaret. Neque vero hic replicabo singula, quæ utrinque, inuitante loci Genio, amicæ & iucundæ, tibi certe, quod non semel etiam ab eo tempore mihi declarasti, longe gratissimæ, concertationis studium suppeditabat. Neque tamen valde, si bene memini, rationes nostræ dissidebant. Etenim incredibilem quandam Inscriptionum, quæ vetustis saxis continentur, præstantiam, & late diffusam per omne genus priscæ ac reconditæ doctrinæ varietatem, amico nostro haud illibenter largiebar. Immortali certe beneficio demeruisse sæculum & postfuturas ætates, qui in iis colligendis ac ordinandis laborarunt nostrâ & patrum memoriâ, viros cohortis literatæ principes. Neque inferiorem palmam eos manere, qui eodem studio incensi (inter quos amicus ille noster, & pridem alter Germanus quoquc, varia vir & exquisita doctrina) in eo stadio decurrere cogitant. Inde utique, nec aliundc ferme, petendos varios Sacrorum ritus; Fœderum formulas; Magistratuum scita, munia, discrimina; Collegiorum, Corporum, Professionum genera, officia, rationes; Domus Augustæ ministeria; Titulos Operum publicorum; multa domi militiæque Instituta: adde Manium iura; Pietatis mutuæ Parentum, Coniugum, Liberorum, ac eruditæ simul elegantiæ, monumenta; principis denique gentium Populi nomina, ætates, tribus, singula publicis quasi Tabulis descripta. Hæc certe aliaque tot literatis ex omni memoria ætatum, temporum, ciuitatum Saxis, impensum quoddam pretium apud gnaros talium ac intelligentes haud immerito constituere.

Thomas Reinesius.

1. *De singulari Utilitate studii Numismatici.*

At esse vicissim hodieque infinitum pene Auri, Argenti, Æris veterum signati usum; esse quæ mire adficiat, non vero æruginem solum adfricet, priscæ monetæ tractationem; esse ubi eadem maiorem etiam laudatis modo Saxis utilitatem adferat, sed nondum satis hactenus notam & exploratam. Immensas etiamnum latere opes in Gazis virorum principum, ac in loculis antiquariorum, quibus penus omnis eruditionis mirum quantum possit locupletari. Antiquitatis certe gloria præcellere peculium hoc

noſtrum; quum Inſcriptionum omnium, quæ hodie exſtant, vel fatentè viro docto, qui in iis perquirendis ætatem triuit, vetuſtiſſima occurrat Duilliana, quæ incidit in annum Urbis conditæ CCCCXCIII. Nummos autem, ut e Romanis antiquiſſimos æreos librales mittam, cum prora & Jano bifronte, plures inter Græcos exſtare magno Alexandro haud parum vetuſtiores, immo aliquos Urbis natalibus pares, ac etiam anteriores. Quid iam copiam eorundem dicam & varietatem incredibilem? quid opportunitatem eosdem tractandi ac tecum transferendi in quascunque oras volueris, longe utique maiorem; adeo ut unius Muſei anguſtiis inciſas tot antiquitates, tot memorias, tot commentarios, quaſi in nuce Iliada, continere liceat? Quid commemorem cælaturæ præſtantiam, ingenium artificum, priſcæ ætatis elegantiam? Quid illam ipſam imaginum vim ac virtutem plane admirabilem prædicem, qua rerum hominumque, non appellationes duntaxat ac elogia, ſed ſimulacra ipſa, ipſa ora, ipſa momenta rei geſtæ, haud infiguntur ſolum animo, verum ante oculos ponuntur; qua diuerſos Deorum habitus dignoſcere; cæremoniis Sacrorum intereſſe, ſacras Ædes, Baſilicas, Porticus, Theatra, Portus, Aquarum ductus, aliaque publica Opera, non nudos eorum titulos intueri; ſolemnia denique Ludorum, quaſi in quatuordecim aut in Orcheſtra ſedeas, etiamnum ſpectare conceditur. Quid beneficium illud diſſimulem, quod ipſa Marmora, ipſæ Statuæ huic Æri unice imputant; ſine quo utique magna pars eorum leui adficeret nos hodie voluptate, inani certe deſiderio torqueret, dum quos vultus eadem referunt, haud indicare quærentibus poſſent? Quid iam Orbis veteris depicti quaſi in tabella effigiem adducam? nullum equidem celebre oppidum, multa etiam aliunde ferme ignota, per Aſiam, Africam, Græciam, Thraciam, Macedoniam, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, aliasque regiones, quod his monumentis originem, ſacra, memorias ſuas non conſignarit? Nihil damus hic argumento, neque me amor ſuſcepti negotii fallit, ut tamen fieri ſolet ſæpenumero. Conſulatur vel Sicilia Parutæ; tota certe in Nummis, e quibus unice conſtat hoc opus (& quot adhuc latent alibi, quot ipſi notauimus huius generis intactos?) non hodierna quidem, multum viſa nobis priſcæ gloriæ degener, ſed vetus illa nobilis Inſula, illa altrix Urbis Æternæ & omnium elegantiorum artium, cum Diis ſuis, Conditoribus, Sacris, Animalibus, Plantis, cum omnibus ſuis decoribus ac ornamentis, ſe nobis conſpiciendam præbet. Sed hæc partim iam ante ſuis locis adtigimus, partim alibi adhuc dicentur opportunius. Quod ad HISTORIAM vero AUGUSTAM, in qua illuſtranda in præſentia verſamur, & cuius etiam cauſſa omnis tum hæc erat inter nos inſtituta diſputatio, attinet, facile poſſe de tota hac lite transigi. De publicis Principum Actis loquimur, unde Faſti & Annales conſtant; unde fata Populorum pendent; non de priuatis Domus Auguſtæ rationibus. Sumatur vero, inquiebam, deſcribenda unius e Cæſaribus vita, Traiani puta, aut Hadriani, aut Pii, aut Marci, aut Seueri, aut Antonini vulgo Caracallæ, aut alterius, cuius plurima ſuperſint hodie in Lapidibus ac Nummis antiquis monumenta; mandetur eadem literis, hinc e Lapidum, illinc e Nummorum antiquitatibus petita; & tum ſubducantur in Comitiis literatis calculi, quænam e duabus plenior ac uberior tradatur; quæ longe alteram præſtet, ſerie & notatione temporum, me-

Th. Reinef. Var. l. III. c. 16.

memoria locorum, geſtorum varietate, euidentia & manifeſtatione rerum ac perſonarum.

Quæ quum totidem verbis, in ſuperiori editione huius meæ, de Nummorum veterum Uſu & Præſtantia, commentationis, ſi unum vel alterum de eorum antiquitate mittam, adtigiſſem; factum poſtea, ut necdum elapſo exinde decennio, quum in Gallorum Regia, ad quam eram miſſus, tum agerem, tale prorſus inſtitutum, Romanorum nempe Cæſarum vitas ac hiſtoriam, operà potiſſimum ac ſubſidio veterum nummorum, ſupplendi ac illuſtrandi, a viris in ea gente præclaris prouide & alacriter ſuſciperetur. Cui rei occaſionem ſimul ac opportunitatem præbuit Lutetiæ Pariſiorum haberi tum cœptus ſingulis hebdomadibus, in ſplendidis Illuſtriſſimi Galliarum Ducis &, quod aiunt, Paris Aumontii ædibus, conuentus virorum dignitate, meritis, & harum antiquitatum ſtudio ac peritia inſignium; cui ego quoque, ubi per publica negotia id mihi licuit, intereram. Cuius equidem rei ac inſtituti duo iam exſtant idonei teſtes ac præcones, laudatus ſæpe in hoc opere, & exquiſita nummorum veterum tractatione inclytus Andreas Morellius, in Specimine Uniuerſæ Rei Nummariæ Antiquæ in eadem urbe primum vulgato Anno Chriſti Seruatoris M DC LXXXIII. "Collectionem noſtram cum miro modo au-
„ ctam cernerent viri ampliſſimi & clariſſimi, qui in ædibus Illuſtriſſimi
„ & Excellentiſſimi Ducis Aumontii, Hiſtoriæ per nummos illuſtrandæ
„ cauſſa, conueniunt, & colloquuntur, monuerunt, &c. Alter vero, &
horum ſtudiorum amore & cultu, uti aliis decoribus, abunde celebratus Abbas Nicaſius, in inſcripta mihi ab eodem de Pantheo, aliquot poſt annis, Diſſertatione, ubi expreſſius fit ab eo mentio eiusmodi commentationis ea occaſione de rebus a M. Antonino Imperatore geſtis, ab illuſtri Theodorico Bignonio, libellorum Supplicum Magiſtro, conſcriptæ,
„ in qua, ut ait, & veterum & recentiorum Scriptorum diligentiam ac-
„ curationemque ſuperauit, quod magnum numerum NUMISMATUM
„ omnis generis, omnisque metalli, æreorum, argenteorum, aureorum;
„ magna cura comparauit, & in ordinem diſtribuit, quibus facta Impe-
„ ratoris (nempe M. Antonini) virtutesque luculentiſſime conſignantur.
Quo loco addit continuo, veram quoque Commodi, optimi patris peſſimi filii, imaginem fuiſſe iam pari induſtria ab eximio Sponio, cui nempe id fuerat ab erudito illo Pariſienſi conuentu commiſſum, elaboratam; ni mors eius inchoato vix opere eum abſtuliſſet; quod eius loco impoſitum ſibi penſum Toinardus dein, vir haud vulgari doctrina, ſed aliis grauioribus curis tum diſtrictus, refugerit. Quibus autem hæc ſubdit: "Illi
„ viri quo ſunt illuſtriores ambo, hoc mihi magis metuendum eſt, ne
„ merito mihi nota temeritatis inuratur, qui inter tot antiquitatis ſtudio-
„ ſos, quos in ædes ſuas tam humaniter admittit Illuſtriſſimus Præſes (ut
„ olim Dux & Par Franciæ Illuſtriſſimus Aumontius) tertius accedere
„ audeam ad hoc munus obeundum, &c. Factum nempe fuerat, ut Aumontii, ſumma dignitate ac humanitate iuxta commendatiſſimi, aliquot ante annis deceſſu, idem ille illuſtrium & eruditorum virorum conuentus in illuſtris Bignonii modo commemorati ædibus haberetur; ac ubi illam M. Aurelii Imperatoris vitam ab eo concinnatam & prælectam coram audire mihi contigit, dignamque omnino, quæ in lucem fuiſſet emiſſa.

2. *De Eruditorum conuentu Pariſiis inſtituto, & eius ſcopo.*

Specim. p. 5, 6. & ult. edit. Lipſ. p. 6, 7.

Diſſ. de Num. Panth. p. 47, 48.

Ibidem.

Unde utique, qua noua luce, qua accessione laudis gloriæque, qua actorum Belli & Pacis commemoratione, quæ sunt ferme priscis Scriptoribus indicta, aut obscure vel ieiune tradita, huius præclari Imperatoris vita perfunditur ac illustratur, idque veterum potissimum nummorum ope ac indicio, cuiuis omnino constaret. Quod beneficium ab illustri eiusdem Bignonii fratre, haud gentilitiis solum, sed propriis decoribus, ac splendidis excelsi ingenii, multiplicis doctrinæ, facundiæ non comptæ solum, sed, ut Plinii simul ac Fabii verbo uti mihi liceat, extemporalibus ornamentis florentissimo, contendere mihi etiamnum liceat. Ut de aliis insuper priorum ante M. Antoninum Imperatorum vitis, maiori ex parte ab aliis viris præstantibus pari instituto nec vulgari industria enarratis, ac in laudato, partim apud Aumontium Ducem partim apud Præsidem Bignonium, conuentu recitatis nunc sileam. E quibus autem, quod haud paucis ante annis, & publice quidem, ut paullo ante vidimus, tradideram ac optaueram; ut nempe Imperatorum vitæ, ac eorum vel maxime, quorum plura supersunt, quæ ad eos respiciunt, Nummorum Lapidumue monumenta, hinc e nummis, illinc e lapidibus illustrarentur, ex parte patet susceptum fuisse ac adimpletum.

3. *De Nummorum supra Inscriptiones utilitate.*

Hoc vero eadem opera, & quod res, de qua hic agitur, id omnino flagitet, haud prætereundum venit, quod nempe in Præfatione nuperæ ac luculentæ Gruteriani Thesauri editioni, ab ingenio ac eruditione præstantissimo P. Burmanno, præmissa legitur. Mitto, quæ in laudem & commendationem veterum Inscriptionum, de præclaris ac late diffusis eorum usibus vere ibi ac erudite adducuntur; quæque nemo, nisi illiteratus prorsus, omnisque expers priscorum id genus marmorum tractationis inficiabitur. Neque enim quempiam, ut opinor, ab adtento in iis versandis consulendisue studio dimouebit adserta nuper tot locis ab alio viro erudito Inscriptionum haud minus ac librorum veterum νοθεία, " & quod non ali-
Harduin. Select. Oper. p. 349, 359, 707.
„ quæ forte ex iis, sed *pleræque omnes* Gruteriani Operis aut Reinesii „ Syntagmatis, ex membranis longe posterioris ævi sint in marmora & „ lapides transductæ: immo ut vix lapidem repertum erutumue putet,
Ibid. p. 501.
„ ante annum MDX. Cuius equidem adsertionis, eandem omnino rationem esse habendam, quam de simili scilicet librorum, qui superioribus ante sæculum XIII. ætatibus conscripti hactenus credebantur, & qua de re haud semel agendum nobis hic fuit, tradiderat fato, quiuis facile intelligit. Unde, ut ad dictam modo viri præclari Præfationem redeam, non ea hic tangam, quæ ibi in debitam veterum nummorum æstimationem, meæque illa occasione in ea prædicanda & explananda commentationis studiique impensi laudem, supra meritum omne meum, tradere eidem ibi libuit. Ea solum eius verba, quæ ibi exstant, quod, ut paullo ante iam innui, huius argumenti in quo versamur, ratio id exigere videatur, huc adferam: " Et sane si Numismatum veterum studium iure & „ merito tot hodie cultores & amatores repererit; quanto utilior & euidentior Marmorum veterum tractatio videri debeat, quæ non tantum „ OMNIA, quæ EX NUMMIS peti & illustrari solent, LUCULENTIUS EXHIBEAT, & non tam infirmis coniecturis niti eruditos permittat; denique, quæ infinita ævi veteris instituta nummis indicta nobis offerant. Utrum vero priscis Nummis, vel Marmoribus, quibus

an-

antiquæ Inſcriptiones continentur, palma continuo ſit adiudicanda, expendere hic vel ſtatuere, haud equidem in animum induxi. Maneat utrisque, ac pretioſis utique tot veterum ætatum gentiumque reliquiis, ac multiplici, quæ ex iis etiamnum, ad maiorem priscæ veterum doctrinæ ac eruditionis lucem ac ornamentum, petitur, utilitati laus ſua illibata; eorumque, qui easdem tractare vel explicare feliciter adgrediuntur, ſarta tectaque commendatio. Idque eo magis, quod multa paſſim in iis reperiantur, ubi utrumque hoc prisci ac eruditi peculii genus mutuam ſibi lucem præſtat; ac alia ſint viciſſim, in quibus modo unum, modo alterum ex iis omnino præponderat: uti de Nummis id erat pridem a nobis in limine huius Diſſertationis obiter delibatum. Unde quid de adductis paullo ante verbis viri ingenio ac eruditione præſtantis, " quaſi nempe Marmorum „ veterum tractatio omnia, quæ ex nummis peti poſſunt & illuſtrari, lu„ culentius exhibeat, ſtatuendum ſit, iam præoccupatum a me videbatur. Quibus tot alia poſſent hic ſuperaddi, quæ non *omnia*, & *luculentius* quidem, in marmoribus antiquis *exhiberi*, quæ e nummis hauriuntur, abunde euincerent; ni ſola huiuscc mei, de numismatum antiquorum Præſtantia ac Utilitate, operis ratio, priorisque eius partis nuper denuo in lucem editæ & haud leui acceſſione locupletatæ, tum illius, in qua diuulganda illuſtrandaue nunc verſor, conſpectus ac inſtitutum ſat, ut opinor, id oſtenſum comprobatumque teſtarentur. Ut proinde haud opus mihi nunc ſit, vel præclaros utique indices huius rei huc adferre, tot nempe veterum in Oriente, Parthia, Armenia, Cappadocia, ipſa etiam Judæa, adde Macedonia, Thracia, Ponto, Boſporo, Sicilia, Regum nomina, effigiem, habitum, titulos; Seleucidarum vel maxime, ſi e viginti & ſeptem numero unum demas forte; aut in Ægypto Ptolemæorum; quæ vel e priore ac recenſito nuper a nobis opere, tum aliunde, e præclaris præſtantium virorum collectionibus, conſtare cuiuis poſſunt: de quibus autem, certe maiori longe eorum numero, nulla prorſus exſtat in antiquis, quæ ſuperſunt, marmoribus commemoratio. Quod ſimiliter de variis eorundem Regum, ac plurimarum Gentium Urbiumque Æris antiquis dicendum eſt: adeo ut nulla ferme exſtiterit nobilior, Syriæ potiſſimum, Phœnices, Palæſtinæ, aut Ciliciæ, Ciuitas, quarum conſignata haud ſit in earum nummis Æra: de quibus autem vix ulla fit in priscis lapidibus mentio. Quot urbes etiam veterum, ac potiſſimarum in orbe gentium, earumue Nomina, Iura, Priuilegia, Situs, Magiſtratus, Concordia, Conditores, ac tutelares etiam Dii; eorumue Ædes, Sacra, Sacerdotes, aliaque ſubinde reperiuntur; quæ fruſtra utique in antiquis Marmoribus quæras. Ad Romanorum vero Annales vel Hiſtoriam quod adtinet, quæ totum ferme orbem, potiorem certe magisque notam tum eius partem, eſt complexa; quot in nummis illius Reginæ Gentium Terrarumue Deæ, & quidem adhuc liberæ, præſtantiſſimorum Ciuium Nomina, Stemmata, Inſignia, Magiſtratus, ſuppeditat, ac ante oculos ponit, de quibus ſilent marmora, illa Conſularium, quos vocant, nummorum, ut ſupra equidem vidimus, ſupellex? In Hiſtoria vero Auguſta quam ampla continuo ac luculenta ſe offerunt in Cæſarianis, qui immenſo adhuc ſuperſunt numero, eiusdem rei documenta? expreſſæ illic rerum hominumque effigies, quas nec antiqua exhibent marmora, ac prætereunt etiam, aut vix adtingunt, qui vitas

ras Imperatorum ac res gestas enarrandas susceperunt, prisci Auctores. Ubi, praeterquam in iisdem eorum nummis, haud interruptam videas eorum seriem; digestas ordine Tribunitias Potestates; suppletos aut emendatos Consulatus; partum, ob deuictum hostem, ac iteratum saepius Imperatoris titulum; & subinde ignota aliunde eorundem Caesarum coniugia. Adde Tyrannorum, qui quandoque Augustum fastigium arripuerunt, & quorum nulla exstat in priscis lapidibus mentio, Nomina & Titulos; deductas vero ab Imperatoribus, & nuspiam quoque memoratas in marmoribus, non in vicinas solum Italiae sed in dissitas etiam regiones, Ciliciam, Phoenicen, Mesopotamiam, Colonias; subleuatas aut restitutas ab iis ciuitates aut prouincias; profectiones ad easdem susceptas; Bella, Victorias, Triumphos. Adde Liberalitates, Congiaria, Annonae curam, actos solennes Ludos, erectas aut refectas Deorum in urbe Aedes; aliaue opera publica erecta; denique, ut haec aliaque compluria duobus tribusue verbis complectar, & quae hac Dissertatione propius inspicienda & ex iisdem Caesarianis nummis illustranda veniunt, Acta, inquam, Belli & Pacis; & ex iis plurima, quorum nulla exstat consignata in antiquis Marmoribus memoria.

4. *De* ACTIS *Caesarum, quae in nummis reperiuntur.*

Equidem, quod olim hic monueram, Caesarum ACTA, quaeque illustria domi ac foris, res urbanas proinde ac peregrinas sub eorum imperio gestas, Belli ac Pacis institutа; virtutum decorumue, quibus ii maxime sunt nobilitati, ornamenta, interdum etiam, quod dissimulare non licet, adsentatorie quibusdam ex iis adtributa, nusquam certius aut luculentius quam in eorum nummis depicta etiamnum reperias. Adeo ut hic locum habeat, quod ab oris aurei Dione alicubi dicitur; haud aliunde magis Graeciae magnitudinem quam ex ruinis eius constare. Neque enim hic leuia, foeda, indigna denique maiestate illius Imperii vel fastigii, se offerunt; sed praeclara quaeque & illustria facinora; selecta nempe opportune, quae posterorum memoriae commendarentur. Ibi utique res eas, non fama traditas, sed oculis subiectas, conspicimus, quas ex dignitate illius Imperii visum est, non Annalibus solum, ut ille loquitur, aut vero diurnis Actis mandare; sed publico aere, argento, auroue signatas ad aeternitatem temporum transmittere. Accedit defectus aut hiatus Historiae Augustae, dum centonem eiusdem tractamus ex variis laciniis consutum: quo fit, ut aut vitae plurium Imperatorum negligentius traditae sint, aut aliorum etiam totae interierint. Neque enim licet hodie nobis consulere, aut Ephemeridas eorundem Caesarum; aut libros linteos; aut Maximi Fabii, Marcellini, Dexippi, Valentis, Marii, aliorumque βιογράφων laudata iam olim monumenta. Jacturam hic eorundem supplet luculenta Nummorum id genus supellex, ex qua integritas mutilis, lux obscuris, ignotis vero Caesarum Actis fides & veritas constat. Cuius utique generis nonnulla, eaque haud leuia vel indecora, adtingemus, quae in uberrima messe haud poenitendi alicuius spicilegii vicem idoneam, ut opinor, praestabunt.

Orat. XXXI.

Tacit. Annal. XIII. c. 31.

5. *De nummis vulgo Spintriis Tiberianis.*

Neque vero (ut hoc moneam in antecessum) quae modo adtuli de argumenti delectu & praestantia, eleuat continuo Nummorum aliquot adspectus, qui obscoena Philaenidis schemata, aut impuros libros Elephantidis nobis rursus ante oculos ponunt. Tales nosti veteres illos Nummos rariores, quos vulgo antiquarii Spintriis Tiberianis adnumerant, idque

ex

ex Suetonio colligunt tradente de Tiberio: *Cubicula plurifariam dispositа & tabellis & sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornauit, librisque Elephantidis instruxit; ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset.* Hinc nummi adhuc superstites cum *obscœnis* id genus *tabellis*, damnatis [a] Propertio, & quarum alias meminit non semul vanissimæ artis [b] magister, non male ad hunc Tiberium referri hactenus videbantur. Equidem haud abs re in illum quadrare fatearis, quod Democharo tribuit Timæus apud Polybium in [c] Excerptis Valesianis, eum Botryos, Philænidis, aliorumque huiusmodi ἀναισχυντογράφων commentarios obscœnitate sua superasse. Neque sic tamen, ut verum fatear, certo colligi posse existimauerim, nummos illos percussos sub Tiberio; quum neque id tradat eo loco Suetonius; nec ulla cæteroquin memoria in iisdem sit expressa, quæ id indicet; sed tantum literæ numerales I. II. &c. Accedit abhorrens ab eiusmodi instituto Tiberii ingenium, qui in Capreensi secessu & remotus ab hominum conspectu, impuras id genus voluptates sibi seponebat; nedum ut illas ære signari ad posterorum memoriam vellet. Unde coniiciebam aliquando, eosdem ad nummos illos theatrales haud incommode referri posse, qui in publicis & obscœnis spectaculis in vulgus magno numero spargebantur. Fundus erat mihi huius moris & instituti Martialis:

In Tiber. c. XLIII.

a Lib. II. Eleg. 5.
b Ouid. Trist. l. II. v. 525.
c Pag. 53.

Nunc veniunt subitis lasciua Numismata nimbis;
Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Lib. VIII. Epigr. 78.

Vides hic *lasciua Numismata*, & simul copiam & rationem eorundem, quæ velut *subitis nimbis* ad spectatores theatrali licentia proiiciebantur; & quemadmodum alioqui *nimbos* de donis theatralibus usurpare noui Claudianum:

Quippe velut densos currentia munera nimbos.

Conf. Prob. & Olybr. v. 45.

Haud abs re proinde huc spectare videbantur *lasciui* illi Romanorum *Nummi* adhuc superstites, qui usu & argumento hunc ipsum morem comprobarent. Firmant id ipsum egregie notæ illæ numerales, quales geminæ occurrunt in aliis nummis eiusdem magnitudinis & formæ, cum quadrigis vel effigie Augusti in anteriori parte; in auersa autem numeri varii inclusi coronæ laureæ; & quos non male ob Circensium aliorumque ludorum celebritatem percussos colligas. Unde cadit etiam eorum argumentatio, qui ideo lasciua id genus numismata Tiberio adscribunt, quòd occurrunt nonnulli eiusdem nummi, illinc cum eius effigie, hinc cum numeris id genus. Neque tamen negauerim ex fœdis illis schematibus Tiberii, aut libris Elephantidis, desumi potuisse obscœnas illas nummorum figuras, qui reliquæ Floralium, aut similium ludorum, infamiæ sub impuris Principibus accessissent. Sed de loco Martialis iudicent optimi talium arbitri; quum alioquin neque de spectaculis eiusmodi loquatur ibi Poëta, quæ obscœnis id genus figuris locum dare posse videbantur; neque ignorem *lasciua* ibi *Numismata* aliter vulgo ab Interpretibus sumi. Qualia autem, quæcunque ibi a Bilbilitano vate designentur, *lasciua* vere, seu cum obscœnis figuris, *Numismata* ad numerum XXIX. se obseruasse coram mihi retulere præstantes Urbis Antiquarii. Plura tamen se vidisse, ac ad nu-

merum usque XL. testatur Pyrrhus Ligorius in operibus ineditis, ac in Bibliotheca Christinæ Augustæ a me Romæ inspectis. Adponam hic eius verba: *Sarebbe demostrare in disegno da quaranti atti disonesti, e che si trovano nelle Medaglie, à proposito delle lasciuie e della palestra Clinopale.* Adeo ut vel Cyrenam illam, δωδεκαμήχανον a totidem impuris schematum generibus dictam, aut obscœnas memoratæ paullo ante Philænidis vel Elephantidos figuras, longe post se reliquisse videantur impuræ illæ nummorum icones; ac mihi præterea in memoriam reuocent morem illum a Cle-
Protrept. p. 10. mente Alexandrino traditum, quo in Veneris mysteriis nummus Veneri datus ab initiatis dicitur, & quidem prout solent ἑταίρᾳ ἑταῖραι, *amatores amicæ.*
Ibid. p. 40. Docet idem alibi, thalamis vulgo adpensas impudicas id genus tabellas; quod notauit etiam vetus Epigramma:

Inque modos omnes dulces imitata tabellas
Tanseat, & lecto pendeat illa meo.

Et prout a Propertio dicitur de eo more, necdum recepto, iuxta quem lasciuis figuris domus & parietes deinceps opplebantur:

Lib II. Eleg. V. *Non istis olim variabant tecta figuris;*
v. 25. *Tum paries nullo crimine pictus erat.*

Prout cæteroquin ab Aristophane dictum pridem ante fuerat, non de pictis quidem id genus figuris:

a Concion. v. 8. [a] Κἂν τοῖσιν δωματίοισιν Ἀφροδίτης τρόποιν,

Et in cubiculis nostris Veneris figuras; quibus etiam duabus postremis vocibus dein a Poëtis Latinis, [b] Ouidio, [c] Martiali, aliisque appellari eædem consueuerunt; Græca autem *schematum* voce subinde a Lampridio [d] *vasa schematibus libidinosissimis inquinata*, ab Elagabalo nempe; ac de quo idem alibi: [e] *Disputauitque de generibus schematum & voluptatum*, immo etiam *schemæ* pro *schematis* apud Suetonium, [f] *ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset.* Decantatæ vero in veterum scriptis, præ aliis περὶ ποικίλων Ἀφροδισίων σχημάτων Auctoribus, [g] Philænidis, exstat, quod viderunt iam [h] alii, ac ad Ouidium [i] Sospitator eius Nic. Heinsius, Æschrionis Samii Jamborum Scriptoris apud [k] Athenæum Epicedium; quo illa hanc impudicorum id genus Scriptorum ac turpium figurarum labem a se longe amolitur, ac earum autorem exstitisse Polycratem quendam Athenienſem Sophistam idem auctor statuit. Ubi primo illud monendum venit, quod non aduertit ibi ad Athenæum ὁ πάνυ, exstare illud ipsum [l] Epigramma, seu Philænidos Epicedium, in Anthologia, sub Ἀδεσπότου seu *Incerti Auctoris* nomine, & quidem cum uno vel altero in duabus vocibus discrimine; λέσχην nempe pro λάσθην, & Ζῆν' pro Ζεῦν, quod vix alibi legi obseruat ibi ad Athenæum magnus Casaubonus. Alterum hic quoque haud prætereundum, quod simile nempe exstat alterius Poëtæ, seu Dioscoridis, sed ineditum antea, eiusdem Philænidos Epicedium, a me olim huc adductum; in quo de eadem insigni iniuria sibi facta grauiter ac verecunde conqueritur castissima mulier; quodque, quum nec alibi hactenus

b Ut supra Trist. l. II. v. 523.
c Lib. XII. Epigr. 49.
d In Elagabal. c. XIX.
e Ibid. c. XXVI.
f Ut supra Tiber. c. XLIII.
g Polyb. Exc. Vales. p. 53. Martial. l. VII. Epigr. 66.
Athen. l. V. p. 220. & l. VIII. p. 335. Clem. Alex. Protrept. p. 40.
h In Not. ad Martial. l. VII. Epigr. 66.
i Not. ad Trist. l. II. v. 418.
k Lib. VIII. p. 335.
l Arith. l. III. c. X. Epigr. 4.

nus vulgatum norim, merctur omnino, ac insuper propter carminis ipsius elegantiam, hic legi:

Τῆς ΣΑΜΙΗΣ τὸ μνῆμα ΦΙΛΑΙΝΙΔΟΣ, ἀλλὰ προσειπεῖν
Τλῆθί με, καὶ σήλης πλησίον ἄνερ ἴθι.
Οὐκ εἰμ' ἡ τὰ γυναιξὶν ἀναγράψασα προσάντη
Ἔργα, καὶ αἰσχύνην οὐ νομίσασα θεόν.
Αλλὰ Φιλαιδήμων ναὶ ἐμὲν τάφον· εἰ δέ τις ἡμᾶς
Λίσχύνων λαμυρὰν ἔπλασεν ἱστορίην·
Τοῦ μὲν ἀναπτύξῃ χρόνος ὄνομα, τἀμὰ δὲ λυγρὰν
Ὄψεα τερφθείη κληδόν' ἀπωσάμενος.

SAMIÆ *monumentum sum* PHILÆNIDIS, *sed te adloqui Patere me, & ad cippum propius accede viator. Non sum illa, quæ feminis proterua conscripserim Opera, verecundiam non habens pro Dea. Sed amans pudoris per meos Manes: si quis vero nos Infamans impudentem finxit fabulam: Eius quidem reuelabit nomen tempus; mea vero turpem Famam a me repellens ossa exhilarabit.* In quibus autem prioribus verbis notandum est, quod *Samia*, seu Samo insula orta, dicatur eadem *Philænis*; quum ea, quæ tot obscœnis figuris a se descriptis inclaruit, *Leucadia* alibi ab Athenæo dicatur: ἡ Φιλαινὶς ἡ Λευκαδία, unde clarius etiam eluceſcit, cur, dicto apud eundem Athenæum loco, ab Æschrione Samio inusta illa conciui suæ Philænidi calumnia depellitur. Quibus & hoc addi insuper hic debet, quod ingenii, cruditionis, & acuminis laude præstantissimus Nic. Heinsius in memorato supra ad Ouidium loco, Samiæ Nico, Lesbiæ Callistratæ, & Leucadiæ Philænidis mentionem a Xenophonte fieri credidit, eiusque eam in rem verba ab Athenæo citari; quæ tamen nec apud Xenophontem leguntur, nec de iis id tradit ibi Athenæus; sed ea, indicato apud illum loco, a Socrate meretrici Theodoræ dari præcepta, qualia tamen amorum irritamenta (iuxta Athenæum nempe, non Xenophontem) adductis tribus illis feminis, Samiæ Nico, Lesbiæ Callistratæ, & Leucadiæ Philænidi; aut etiam Athenienſi Pythonico, licet impense ea excoluerint, haud fuerint cognita. Cæterum quocunque auctore procusa sint *lasciua* illa *numismata* vulgo pro *Spintriis Tiberianis* habita:

Lib. v. p. 220.

Not. ad Trist. l. II. v. 418.

Memorabil. l. III. c. II.

Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Iurgia, sub tacita condita lætitia.

Propert. lib. II. eleg. v. v. 23.

Quum tamen & numero pauci extent hodie iidem nummi, & rarissime occurrant in tanta & parata copia illorum, qui egregia quæque & salubria facinora habent depicta; nihil certe inde nummorum veterum præstantiæ ac usui detrahi, haud difficulter, ut opinor, largieris. Adeo ut haud minus commode adaptari iis possit, quod apud Sidonium legitur: *Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem* TURPIS *prostat* HISTORIA, *quæ sicut ornat rem, sic deuenustat artificem.* Quam utique labem sat a se amoliuntur tot consignata, in illa, quæ bono adhuc literarum, ac Romanæ in primis Historiæ, fato adhuc supereſt, Cæsarianorum Nummorum penu, ACTA eorundem, ut supra obiter adtigi, PACIS ac BELLI.

Lib. II. Epist. 2.

I.

ACTA PACIS *in Nummis Imperatorum.*

I. *Quod ad* RELIGIONEM *&* DEORUM *cultum.*

UT vero a prioribus, seu ab ACTIS PACIS, ordiar, primo loco se offerunt, quæ in residuis Imperatorum Romanorum nummis ad RELIGIONEM, seu peractum ab iis DEORUM CULTUM, respiciunt. Etsi enim Imperatores, non post obitum solum sed viui adhuc ac superstites, sint subinde Deorum honoribus, aris, puluinaribus, flaminibus, templis, nominibus etiam, ut de iis paullo ante vidimus, effrena quadam illorum principum vesania, aut fœda illorum temporum adsentatione, culti; haud minus tamen, cum eorundem, tum aliorum quoque Imperatorum suæ in Deos Pietatis, ac religiosæ venerationis testata exstant, ac ad posterorum memoriam prodita, in eorundem nummis monumenta. Hinc ii etiam, necdum Imperatores vel Augusti, sed Imperii demum candidati vel hæredes, PONTIFICES, AUGURES, SACERDOTES, & (quod in superiori Dissertatione vidimus) IN OMNIA CONLEGIA COOPTATI, quo velut a teneris, sacris rite faciundis ac debitæ Deorum reuerentiæ continuo adsuescerent. Adde, quo suscepto dein PONTIFICIS MAXIMI, una cum AUGUSTI vel IMPERATORIS titulo, nomine ac iure, summi illius sacerdotii munia ac dignitatem eo decentius & religiosius obirent. Immo unde illæ in Filios ac Cæsares a piis, more Gentilium, principibus adscitorum adoptiones, in Templis subinde & coram Deorum simulacris factæ; prout de Traiano a Nerua adoptato iunior Plinius: *Non in cubiculo, sed in Templo; nec ante genialem torum, sed ante puluinar Iouis Optimi Maximi adoptio peracta est.* Quo referri etiam potest, quod adoptatæ in familiam Juliam & Augusti filiam huius testamento uxori *Ara adoptionis*, sed quam prohibuit filius eius Tiberius, a Senatu fuerit continuo decreta. De peractis vero ab ipsis Imperatoribus Pontificatus Maximi, iisque haud unius generis, muniis, adductis eam in rem veterum Auctorum testimoniis, actum est a nobis paullo ante. Cuius autem rei præclari etiamnum, & qui id ante oculos ponunt, indices prisci nummi; qui Imperatores ipsos exhibent sacra facientes, effusa nempe ab iis in Aram accensam patera, adstante autem prope victima, ac parato, qui eam cæderet, popa. Adde, & quod aliunde in Sacerdotibus Gentilium consuetum liquet, velatos subinde aut coronatos Imperatores; prout istud de Domitiano obseruat Philostratus: Θαλλοῦ δὲ στέφανον ἔχων ὁ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἄρτι μὲν τῇ Ἀθηνᾷ τεθυκὼς, *viridi ramo coronatus Imperator, ut qui Palladi modo sacram rem feciſſet.* Cuius autem postremi ritûs e plurimis, quæ occurrunt in Cæsarianis nummis, testimoniis, unum vel alterum huc adducam, e præclaris, iisque maximæ molis, Regiæ Gallorum Gazæ nummis; quorum prior Antoninum Caracallam, cum ΠΡΩΤΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, a quibus cusus est ille nummus, nomine, coronatum, & dextra pateram tenentem, ante Popam, cum Tauro nempe, ac Æditulam cum

Paneg. c. VIII.

Tacit. Ann. I. c. 14.

Vit. Apoll. l. VII. c. 32. ult. edit. Lips.

signo

signo exhibet: alter Valerianum & Gallienum Imperatores coronatos itidem ac pateram in accensam aram effundentes, desuper autem Victoriam cum alis & manibus utrisque expansis, ac cum corona in utraque manu.

Adde, quòd, sicut boni Principes [a] *diuinitus constituti*, ut de Traiano rursus Plinius, crederentur, ac inde [b] DIS AUSPICIBUS, [c] DIS GENITALIBUS, [d] DIS NUTRITORIBUS, legatur in selectis aliquot eorum nummis; ita in peculiari quoque Jouis aliorumque Deorum Cœlestium tutela iidem agere censerentur. Hinc illæ obuiæ in aliis eorum nummis inscriptiones, non in genere solum DIS CUSTODIBUS, vel IUPPITER CUSTOS, prout

[e] Ζεὺς οἰκοφύλαξ ὁσίων ἀνδρῶν,

Juppiter custos piorum virorum est pridem ab Æschylo dictus: sed nominatim IOVI CONSERVATORI AUG. aut IOVI DEFENS. SALUTIS AUG. aut I. O. M. SPONSORI SALUTIS AUG. aut similiter APOLLINI CONS. AUG. vel MARTI PATRI CONSERVATORI, MERCURIO CONS. AUG. immo etiam HERCULI COMITI AUG. & plura id genus; quæ id utique arguunt, quod, etsi eorum principum dicta sit *æquata Dis potestas*, habitum sit tamen ab iis aliquod supra se Numen, aliud Deorum supra Imperatores & Augustos, quod hi colere ac venerari tenerentur, fastigium.

1. *De Imperatoribus in Deorum tutela.*

a Paneg. c. 1.
b In Seuero.
c In Crispina Trist. To. I. p. 570.
d In Valerian. Cæs. idem To. III. p. 118.
e Suppl. v. 27.

Plinii Paneg. c. 11.

Unde etiam non VOTA solum quotannis pro eorum salute, & quidem III. Non. Januarias, qui dies & VOTA inde, & VOTORUM NUNCUPATIO, quod vel ex priscis Urbis Kalendariis constat, est dictus; aut eorum Natali die; aut stato annorum Quinquennalium vel Decennalium periodo, quod cum aliunde, tum e nummis inprimis eorundem Imperatorum, est obuium, sunt a Pontificibus cæterisque Sacerdotibus pro incolumitate Principis, ut ea de re Tacitus, suscepta; sed ab iis quoque, & quidem pro Pontificis Maximi, quo insigniti erant, munere, cum iisdem VOTORUM susceptorum vel solutorum solemnibus, tum aliunde etiam, frequenter nuncupata. Ita, ad priora Vota illa quod adtinet, de Pertinace Capitolinus: *Iis horis, quibus ille in Capitolium* VOTA *soluebat*; ac de Maximiano Herculio Lactantius: *Ita ille Romani imperii maximus Imperator, qui per longum temporis interuallum cum ingenti gloria* VIGINTI ANNORUM VOTA CELEBRAVIT. Cuiusmodi VOTA PUBLICA ab iis quoque Imperatoribus, seu ad expeditionem bellicam profecturis, seu parta

2. *De Votis pro salute Reip. a Principibus nuncupatis.*

Annal. IV. c. 5.

In Pertinac. c. V.
De Mort. Pers. c. XXX.

victoria reducibus, solenni ritu liquet itidem suscepta. Quod postremum, ut obiter id tangam, de Vespasiano refert haud uno loco Josephus, & quidem, eum Romam, quò de Judæa deuicta triumpharet, ingressurum, ac ante urbem solemnibus Senatus populique acclamationibus exceptum, imperato mox silentio, & *amictu magnam capitis partem* (pro consueto nempe sacrificantium ritu) *adopertum* SOLEMNIA VOTA *nuncupasse:* τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς μέρος ἀποκαλυψάμενος, ΕΥΧΑΣ ἐποιήσατο ΤΑΣ ΝΕΝΟΜΙΣΜΕΝΑΣ. Verum cuius utique rei ac ritus aliquot exstant etiamnum indices præclari, ac passim obuii, Imperatorum nummi, in quibus, ut de aliis sileam, iidem conspiciuntur sacra ante Aram ignitam facientes, adstante subinde Popa cum victima, & inscriptione VOTA PUBLICA; aut etiam, ut in selectis Commodi nummis, VOTA SOLUTA PRO SALUTE P. R. seu *Populi Romani*, infra COS. VII. P. P. ac qualis nummi, præter alios, meminit Harduinus, quasi exstantis in Museo Societatis Jesu, additque nummum esse ex ære magno, in quo literas PR. libenter legeret *Principis*, nisi eædem literæ, quod ipse fatetur, essent in nummo ipso disiunctissimæ.

Bell. Jud. Lvii. c. 22, 24.

Select. Oper. P. 793.

Haud aliter nempe, ut hoc addam, ac more veteri Vota pro Republica a Consule, & quidem præeunte Pontifice Maximo, quod docet haud uno loco Lucius, nuncupari consueuerant: *Quem pœnitere Votorum, quæ pro Republica nuncupauerint tot Consules Plebem, tot Dictatores?* ac alibi: *Vouit in eadem verba Consul, præeunte Pontifice Maximo, quibus antea quinquennalia Vota suscipi solita erant.* Ubi *Votorum Quinquennalium*, quæ pro salute Imperatorum celebrari sunt dein solita, ac inde toties in eadem nummorum penu consignata occurrunt, priscis Reipublicæ temporibus inductum iam morem vides. Quibus accedunt adhibita quoque, ac in præclaris nummis expressa, VOTA PUBLICA, ad celebrandum M. Aurelii cum Faustina, vel Commodi filii cum Crispina, Dis velut Auspicibus, connubium. Haud aliter ac in Hadriani nummo, olim Vernolii Ducis nunc Regiæ Gallorum Gazæ, Imperator stat velatus dextram iungens mulieri itidem stanti, cum figura Romæ intermedia, quæ velut pronuba, seu παρανύμφιος, eosdem connubiali fœdere coniungit, & inscriptione COS. III.

Lib x. c. 7.

Idem lib. xxxi. c. 9.

3. *De ludis & agonibus Votiuis.*

Neque vero VOTA solum PUBLICA sunt ab Imperatoribus, iisdemque Pontificibus Maximis, suscepta; sed VOTIVI seu solemnes etiam LUDI & AGONES frequenter ab iis celebrati, ac in eorum itidem, seu eorundem temporum, nummis expressi: uti in Urbe CAPITOLINI, CIRCENSES, SAT. seu Saturnalia, SÆCULARES, CERT. QUINQ. ROMÆ CONS. seu *Certamen Quinquennale Romæ Constitutum*, Joui nempe, Neptuno, Apollini, ac Dianæ potissimum sacri. Quomodo in Cæsarianis, qui cusi sunt in prouinciis Romani Imperii, nummis occurrunt subinde ΑΚΤΙΑ, ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ, ΔΕΙΛΙΑ, ΔΗΜΗΤΡΙΑ, ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ, ΕΦΕΣΙΑ, ΗΛΙΑ, ΘΕΟΓΑΜΙΑ, ΗΡΑΚΛΕΙΑ, ΙΣΘΜΙΑ, ΚΑΒΕΙΡΙΑ, ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, ΛΗΤΩΕΙΑ, ΝΕΜΕΙΑ, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ, ΟΛΥΜΠΙΑ, ΠΑΝΙΩΝΙΑ, ΠΥΘΙΑ, ΣΩΤΗΡΕΙΑ, ΧΡΥΣΑΝΘΕΙΝΑ, Apollini, Æsculapio, Cereri, Dioscuris, Dianæ, Apollini, Plutoni & Proserpinæ, Herculi, Neptuno, Cabiris, Latonæ, Ioui, aliisque Numinibus dicata: ac subinde in Romanis Coloniis, Romana etiam lingua,

CERT.

CERT. SACR. OECUM. ISEL. HEL. *Certamina Sacra Oecumenica Iselastica Heluia:* de quibus autem alius occurret, ac opportunior, agendi sigillatim locus. Ut eos proinde *Ludos* & *Agones* hic quoque mittam, qui a prouincialibus itidem pro salute Imperatorum, in eorum honorem, aut ob partas ab iis victorias, sunt acti, ac, deductis etiam ab iis eorundem Ludorum nominibus, in præclaris eorum nummis consignati: uti ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, ΣΕΒΑΣΜΙΑ, ΣΕΒΑΣΤΑ, ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ, ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ, ÆLIANA PINCENSIA, ΚΟΜΟΔΕΙΑ, ΣΕΥΗΡΙΑ, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΑ, ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, ac interdum in genere ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, Augusto Cæsari, Traiano, Hadriano, Commodo, Seuero, Antonino Caracallæ, eidem ac Getæ Fratri, ac ad celebrandas id genus Imperatorum victorias, dicata. De quibus autem Ludis, seu maiori eorum parte, quos exhibent vel indicant residui adhuc Imperatorum nummi, [a] alibi iam egimus, & agetur alio adhuc loco accuratius.

[a] Epist. Quint. ad Andr. Morellium.

4. *De aliis Pietatis Imperatorum indicibus nummis.*

Quam præterea Imperatorum in Deos Pietatem vel Religionem signant eorum nummi, inscripti, ut in Hadriani nummo, SACRA ROMANA RESTITUTA; aut in nummis M. Antonini & Gallieni, RELIGIO AUG. vel PIETAS, aut PIETAS AUG. vel AUGG. cum Ara, aut Imperatore ad Aram sacra faciente, aut cum Vasis Pontificalibus, aut cum Templo, aut ipsius Pietatis sub mulieris cum Patera & ante Aram stantis, vel etiam Mercurii cum Caduceo & Crumena effigie. Cuius autem Dei signum videtur præ aliis Numinibus expressum, velut *summi Deorum Præconis* ac Ministri, & quidem non *Superorum* solum, sed *Inferorum*, uti is a Tragico pridem dictus est:

Κῆρυξ μέγιστος τῶν ἄνω τὲ καὶ κάτω,

Æschyl. Choëph. v. 163.

Immo qui, ut viderunt iam alii, primus, iuxta Diodorum Siculum, Deorum cultum & sacrificia constituerit. Adde, qui testatam in Deos Religionem donis remunerandi haberet ab iis facultatem. Quod egregie illustrat singularis quidam Gallieni nummus, in quo Mercurius cum Caduceo & Crumena similiter depingitur, cum inscriptione DONA AUG. Quomodo dictus etiam in nummis Commodus AUCTOR PIETAT. cum Pietatis in auersa nummi parte, seu stolatæ, ut modo dixi, mulieris, ante Aram stantis cum patera, effigie. Accedunt hisce Templa frequenter ab iisdem Imperatoribus erecta, vel refecta, vel dedicata, quam ob rem in pluribus eorum nummis etiamnum legitur, ÆDES AUG. vel ÆD. DIVI AUG. REST. vel DEDICATIO ÆDIS. Ut nunc mittam aliud, sed impium & truculentissimum quorundam ex iis Imperatoribus, ut iam in priori huius Operis parte adtigimus, in nummis etiam proditum, suæ scilicet in Deos Pietatis facinus; vexatæ ab iis crudeliter Christianorum gentis, immo ut falso omnino iactabant, [a] NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, vel SUPERSTITIONE CHRIST. UBIQUE DELETA. Quos nempe [b] *inimicos Deorum, & hostes Religionum publicarum tollendos*, ut ea de re Lactantius, censebant deterrimi Tyranni verius quam Imperatores; quodque Herculis multiplicitem Hydram debellantis symbolo signari diximus in singulari & e maximorum genere, adde & in aureo apud illustrem Biragium, Maximiani Herculii nummo, haud semel a me olim in Gaza Christinæ Augustæ inspecto.

Vaill. Præst. Num. p. 366. P. II.

In Faustin. Sen. Vaill. ut supra p. 173.

[a] Thes. Grut. CCLXXX, 3, 4.

[b] De Mort. Pers. c. XI.

To. I. p. 267, 268.

II. *Ad*

II. *Ad* Beneficia *in Urbem* Romam *ab Imperatoribus, & quidem* Restitutæ Libertatis, *collata.*

Quod si a Deorum cultu, ad collata ab Imperatoribus in ipsam, Deam Dominamque gentium dictam, Urbem Romam Populumque Romanum beneficia vel ornamenta, quæ eorundem nummi exhibent, oculos conuertas, in iis continuo se offerent, uti in nummis Galbæ, Vitellii, ac Neruæ, Roma Renascens, vel Roma Restituta; Vespasiani vero ac Seueri, Roma Resurges vel [a] Resurgens; in aliis, etiam [b] Vitellii nummis, Urbs Restituta, vel Urbem Restitutam; in Valentiniano autem & sequutis ætatibus, [c] Renovatio Urbis Romæ. Accedit iactatum sæpe, sed specioso aut vano, ut plurimum, titulo, Libertatis, & quidem non Augusti solum, sed ipsius P. R. seu *Populi Romani*, expressum in aliis Cæsarianis nummis elogium. Id utique ostendunt plures descripti iam a præclaris antiquariis Galbæ, Vitellii, Vespasiani, Neruæ, Hadriani, Antonini Pii, & Gallieni nummi, in quibus Libertas Publica, vel Libertas Restituta, & quandoque insertis, quas modo adtigi, P. R. seu *Populi Romani* literis. Quibus addendi veniunt duo singulares quidam nummi, ut in Augusti argenteo, eoque e maximorum genere, in Thesauris Gallorum Regiis, Libertatis P. R. Vindex: alter vero a me olim indicatus, ac dein in Specimine eximii Morelli expressus, Vespasiani nempe, in cuius auersa parte legitur in Corona querna (in dictis verò Thesauris sine Corona) Adsertori Libertatis Publicæ. Nec prætereundus hic, quo restitutam veluti sub Gallieno libertatem duraturo apud posteros monumento consignauit Populus Romanus, aureus & insignis eiusdem Gallieni nummus, in quo hinc eius caput & inscriptio Gallienum Aug. P. R. *Populus Romanus* veneratur, scilicet, vel colit; illinc Ob Libert. Recep. *Ob Libertatem Receptam*, cum solito Libertatis typo. Nempe ut illud sub huius Gallieni imperio non dissimulandum crederent Romani, quod a Iuniore Plinio de Traiano, Optimo, ut vel in nummis eius obuium, Principe dicitur: *Semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit* Gratior *potestate* Libertas. Nequc ab eodem nummo alienus alter eiusdem Gallieni a præstantissimo Tristano iam editus; in cuius priori area similiter legas Gallienum Aug. P. R. illinc, cum Salutis symbolo, Ob Conservationem Salutis. Haud insuper hinc ablegandus alius præclarus Pertinacis nummus ab eximio Seguino vulgatus, cum memorabili inscriptione, Libertatis Civibus; aut alius, Augusti, de quo alibi in hoc ipso opere egimus, Civibus et Sign. Milit. a Parthis Restitut. Haud opus vero, ut eadem opera hic agam de Liberis, & quæ Suis Legibus agerent, Romani imperii ciuitatibus, seu quæ ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ & ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ, in Græcis Imperatorum nummis, vulgo appellantur. Ea enim de re cum peculiari [a] commentatione est a nobis actum, tum in priori harum [b] Dissertationum vulgata iam parte: quæ scilicet maxime e Romani imperii urbibus

a Birag. Num. Impp. p. 271.
b Vaill. Præst. Num. p. 28. P. II.
c Tristan. To. III. p. 612.

Tab. XXI. p. 112.

Vaillant Præst. Num. p. 378. P. II.

Paneg. c. LXXXVII.

To. III. p. 69. & Vaill. Præst. Num. p. 378. P. II.

Select. Num. p. 260.

a Orbis Rom. c. IX. & X.
b Diss IX. p. 674. &c. To. I.

bus eo titulo fuerint insignitæ; quæ præterea ratio, quodue ius utriusque illius appellationis fuerit, ex ipsa veterum nummorum penu aliisque monumentis antiquis, est a nobis abunde ostensum. Unum demum hic tangam Græcum, & argenteum quidem, Neruæ nummum, sed sine expresso loci, in quo ille est percussus, nomine, ΕΛΕΥΘ. ΔΗΜΟΥ, *Libertas Populi*; sed qui de alio Græcæ alicuius ciuitatis populo, non vero de Romano, omnino explicandus venit. Mitto vero, & quod est alterius loci, quod LIBERITAS pro *Libertas* in Claudii Gotthici nummo, inuenusto quidem & inconcinno, cum solito *Libertatis* typo signetur; haud aliter nempe ac UBERITAS etiam pro *Ubertas* legitur in Volusiani & Quintilli nummis.

Vaill. Præst. Num. p. 120. P. II.

III. *De* LIBERALITATIBUS & CONGIARIIS *ab Imperatoribus Populo Romano datis.*

MUNIFICENTIÆ vero in Populum Romanum ab Imperatoribus, & quidem statis temporibus ac recepto ritu, collatæ documenta, unde hodie vel plenius, vel certius, quam ex præclaris eorundem nummis nobis constat, in quibus CONGIARIA DATA POP. aut P. R. *Populo Romano*, vel LIBERALITATES AUGUSTORUM, & quidem repetitâ publicarum id genus largitionum memoriâ, consignantur? Adeo ut in Hadriani nummis, in quibus hactenus prima occurrit harum *Liberalitatum* mentio, uti & M. Antonini, LIBERALITATES VII. in Antonino Pio VIII. in Caracalla vero VIIII. & quidem diuersis eorum temporibus, ut de aliis Imperatorum, & quas eorum nummi demum exhibent, LIBERALITATIBUS sileam, legantur iteratæ. CONGIARIA vero, quibus similis Imperatorum beneficentia designatur, etsi a prioribus ante Neronem Imperatoribus data itidem legantur & a[a] Tiberio, [b] Claudio, [c] Nerone, apud Tacitum ac Suetonium, ac a postremo etiam in [d] Augusto, & [e] Caligula: primum exhibent Neronis nummi inscripti CONGIAR. DAT. POP. *Congiarium Datum Populo*, Romano nempe, uti ea de re paullo post, aut ut in nummis Regiæ Gallorum Gazæ ac alibi, CONG. PR. (in aliis I.) DAT. POP. & CONG. II. DAT. POP. ac in alio minus [f] obuio, CONG. III. DAT. POP. Ita in præclaris dein vel Titi, CONGIARIUM PRIMUM P. R. DATUM, aut Mediceis Traiani nummis a me pridem indicatis, CONGIARIUM P. R., item CONGIARIUM SECUNDUM, vel CONGIARIUM TERTIUM. Quomodo nempe de Augusto ait Suetonius: [g] *Congiaria populo frequenter dedit*; vel de Caligula: [h] *Congiaria populo bis dedit*; & de Claudio: [i] *Congiaria populo sæpius distribuit*; de Alexandro Seuero Lampridius: [k] *Congiaria populo ter dedit*. Unde plura etiam id genus Congiaria suppeditant sequentium aliquot Imperatorum nummi, ut CONGIAR. IIII. in Marco & Lucio Diuis Fratribus: in eorum vero decessore Pio [l] CONGIAR. AUG. VIII. & in Antonino Caracalla, CONG. AUG. VIIII. Quibus vero temporibus, & qua occasione eædem largitiones sint factæ, docere possunt adscripti in iisdem nummis Consulatuum aut Tribunitiæ Potestatis numeri; atque ita inde suppleri deficientes hic passim Romanæ Historiæ Annales, qui nonnunquam bis aut ter ad summum dati ab uno vel altero Imperatore *Congiarii*

a Ann. III. c. 24. XIII. c. 3.
b Ann. XII. c. 41. XIII. c. 23.
c Ann. XIV. c. 41.
d In Aug. c. XLI. XLII.
e In Calig. c. XVII.
f Vid. Vaill. Præst. Num. p. 21. P. I. & Birag. Num. Impp. p. 93.
g Ut supra c. XLI.
h In Calig. c. XVII.
i In Claud. c. XX.
k In Alex. Seu. c. XXVI.
l In Reg. Gall. Gaza.

giarii aut *Liberalitatis* præstitæ meminere. Quis iam similem Neruæ beneficentiam memorat, præter præclarum eius nummum inscriptum CONGIAR. P. R. aut geminum Gazæ Barberinæ, CONGIARIUM DA. P. R.? ut eum mittam ab eximio Patino editum, cum epigraphe CONGIAR. II. ni forte idem sit cum priori, & pro II, exesis aliquantum literis, legendum in eo fuerit P. R. Quis Getæ, præter Antonini fratris nummos, in quibus illius LIBERALITAS AUG. V. ET VI, Getæ nempe V. Antonini vero VI. numeratur, & cuius generis aureum vidi etiam in Regia Gallorum Gaza? Quis Maximi & Pupieni, præter insignes eorum nummos, & qualem æreum suppeditauit mihi Museum Seguinianum, LIBERALITAS AUGUSTORUM? Quis vel Philippi, vel Decii, Galli, Volusiani, præter elogia, in prioris nummis, LIBERALITAS AUGUST. III. in aliis vero LIBERALITAS AUGUSTORUM: ut plures id genus mittam sub potiori Cæsarum parte signatos? Quid vero illustrius in Actis Pacis eorundem Cæsarum? quid ad eorum commendationem, ac ad aliorum exemplum magis opportunum? *Nisi* (ut iunioris Plinii opportunis hac ipsa de re verbis nunc utar) *vero leuiter adtingi placet*, *locupletatas tribus*, DATUMQUE CONGIARIUM POPULO (quæ ipsa nummorum paullo ante adductorum verba) *&* DATUM *totum*; ac prout locis paullo ante iam adductis de Augusto Suetonius: *Congiarium populo frequenter dedit*: ac de Caligula similiter, *Congiarium populo bis dedit*. Unde etiam manifestius, quam ex iisdem nummis, discimus, eandem fuisse CONGIARIORUM ac LIBERALITATUM ita dictarum rationem; ac inde a Quintiliano alicubi dictum: *Congiarium cum sit commune liberalitatis atque mensuræ?* Cuius autem notæ liquidorum *mensuræ*, eiusque ad alias etiam liberalitates, quam olei, vel vini, puta frumenti vel pecuniæ Populo, seu, ut quandoque Auctores, Plebi Romanæ datas traductæ, obuia quidem est & contrita ratio: quæ ex ea tamen tot insignium Cæsarianorum nummorum penu, in quibus vel LIBERALITATES, vel CONGIARIA AUGUSTORUM consignantur, clarissime utique elucescit. Id vero, quod aliunde itidem constat, manifeste docent adductæ eædem nummorum figuræ ac inscriptiones, iisque similes Auctorum ea de re formulæ; nempe *Populo* solum, seu Romanis ciuibus, non vero peregrinis, *data* hæc Imperatorum *Congiaria*, & erogatas *Liberalitates*. Quam in rem insignis est nec hic prætereundus apud Senecam locus: *Rex honores dignis dat*; CONGIARIUM *& indignis*. FRUMENTUM PUBLICUM *tam fur*, *quam periurus & adulter accipiunt*, *&*, *sine delectu morum*, QUISQUIS INCISUS EST: ubi, pro *incisus*, legi *ciuis* in suis codicibus monet Lipsius, retineri tamen, quod alii libri exhibent, *incisus* posse, & quod firmet in Panegyrico iunior Plinius, ubi agit de Traiani Congiariis: *Omnes tamen antequam te viderent*, *adirentue*, *recipi*, INCIDI (in titulis nempe inscripti) *iussisti*; *&c.* Sed quod egregie insuper, ut obseruo, adstruunt Valentiniani Senioris in Constitutione Codicis Theodosiani de *Annonis Ciuicis* verba: *Quibus titulus figendus est æneus*, *in quibus & panis modus & percipientis nomen debet* INCIDI. Unde etiam, cum *incisis* in iisdem notis vel punctis, quadratas tabellas in nummis, quibus illæ Cæsarum Liberalitates vel Congiaria designantur, quod sequentes paullo post eorum icones ostendent, signari passim videas. Proprium autem hoc Ciuium Romanorum beneficium exstitisse, ex-

Vaill. Præst. Num. p. 45. P. I.

Thes. Num. p. 154.

Ibid p. 165.

Paneg. c. xxv.

Inst. l. VI. c. 3.

De Benef. lib. IV. c. 28.

Paneg. c. XXVI.

Pag. 343. To. V.

expreſſa paullo ante in adducto Plinii Panegyrico de Traiani Congiariis verba ſatis arguunt: *Niſi vero leuiter adtingi placet locupletatas* TRIBUS, DATUMQUE CONGIARIUM POPULO; dein: *Omni ope adniti, ne quis* E PLEBE ROMANA, DANTE CONGIARIUM *te, hominem magis ſentiret ſe eſſe quam* CIVEM. Ita, ut hoc addam, in antiquo viri doctiſſimi Iſ. Voſſii Gloſſario obſeruari mihi olim licuit, factam ibi dati ab Hadriano id genus Congiarii mentionem, & mulieris cuiusdam tum ad Imperatorem clamantis, ut ſibi de filii Congiario aliquid impertiretur, & tum ab adſtante ibidem filio dictum: Ἐγώ, Κύριε Αὐτοκράτωρ, οὐκ ἐπιγινώσκω ταύτην μητέρα· Ἀδριανὸς εἶπεν, εἰ σὺ ταύτην οὐκ ἐπιγινώσκεις μητέρα, οὐδὲ ἐγώ σε ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ, *Ego, Domine Imperator, non agnoſco eam pro matre: Hadrianus dixit, ſi tu hanc pro matre non agnoſcis, neque ego te pro* CIVE ROMANO. Quo ſpectant etiam dictæ dein Conſtantini ætate, & de quibus paullo poſt, ANNONÆ CIVICÆ.

Ut ſupra Paneg. c. xxv. Ibidem.

1. *De modo & tempore, quo Panis populo eſt datus, &c.*

Quibus adde, quod vix aliunde, quam ex eorundem nummorum contemplatione, omnem ſolemnis huius, ac iteratæ ſubinde, beneficentiæ ritum ac morem intelligas, qui non ſemel viris doctiſſimis impoſuit, ac præ aliis [a] τῷ πάνυ Salmaſio, dum in Amphitheatro omnes illas argenti & teſſerarum frumentariarum largitiones, ac panum dein ſequutis ætatibus, diuiſiones factas exiſtimat, ac de iis interpretatur inſcriptionem antiquam [b] QUÆ DIVISÆ SUNT POPULO PER GRADUS, & locutiones frequentes in Codice Theodoſiano, [c] *de Gradibus, in Gradibus, ex Gradibus Panem diſtribuere.* Hanc vero eius ſententiam merito iam ab aliis ante nos impugnatam, abunde præ cæteris nummi veteres refellunt, qui, ob ſolemnitatem eiusmodi largitionum percuſſi, oſtendunt erectum Tribunal ſeu ſuggeſtum cum Gradibus, quibus ad illum adſcendebatur; ſedentem in Curuli Imperatorem; ſtantes prope in eodem ſuggeſtu unam vel plures cum Congio, aut cum Teſſera, figuras, quæ frumentarias nempe aut nummarias Teſſeras diſtribuerent, ſingulis per eosdem gradus illas recipientibus. Cuius generis duos hic nummos addam, in quibus Neronis ac Neruæ CONGIARIA, & quidem prioris II. e Theſauris Brandenburgicis a Begero noſtro iam ante diuulgatum, exhibentur; quibus bini alii nummi accedunt: prior Hadriani in iisdem Theſauris Brandenburgicis, alter Alexandri Seueri in Gallorum Regiis, uti & olim Reginæ Chriſtianæ, unde icon eius pridem a me eſt adducta, hic vero accuratius e nummo Regiæ Gallorum Gazæ, & quidem e maximorum genere, expreſſa.

a Not. in Aurelian. c. xxxiv.
b Theſ. Grut. p. clxxv, 8.
c De Annon. Ciu. C. Th. Leg. II, III, IV.

Contin. Theſ. Brand. p. 623.

Foro autem Romano inter alia vicinum fuisse eiusmodi suggestum, ac eandem simul harum diuisionum rationem, firmat illustris apud Josephum locus, male ab eodem viro summo, de quo paullo ante, acceptus: ubi inter alia de hoc suggestu dicitur, ὑψηλόν τε ἐστὶ τὸ στέγος εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον, *sublimis vero est ille suggestus, ducens in forum.* Quo respexit proinde Prudentius, ut viderunt iam alii, a quo dicitur:

Adu. Symmach. l. 1. v. 589.

Et quem panis alit GRADIBUS *dispensus ab* ALTIS.

Quæ satis utique ante oculos ponunt; quid sibi velint locutiones illæ, PER GRADUS, aut PANUM GRADILIUM, obuiæ in inscriptione veteri, de qua paullo ante, ac apud Cassiodorum, & in Codice Theodosiano: quæ non alio, quam ad Gradus ante illum sublimem suggestum erectos respiciunt, e quibus Tesseræ, quas dixi, nummariæ aut frumentariæ, ac postea *Panes* seu *Annonæ*, diuidebantur. Neque proinde superiores aliique id genus nummi de *Panum* illorum *Gradilium* dispensatione, seu *Annonis Ciuicis*, cum clarissimo Jurisconsulto explicandi veniunt. Illæ enim *Annonæ*, seu *Panes Ciuiles*, quotidie distribui erant solitæ; nummi vero, de quibus hic agitur, ad extraordinarias Imperatorum largitiones spectant, quæ nempe, ut aliunde notum, vel sub auspicia Imperii; aut aliis aliunde in Filios vel Cæsares adscitis, ipso adoptionis die; aut die tirocinii seu virilis togæ iisdem datæ; Natalibus præterea; Quinquennalibus, vel Decennalibus Principis; liberorum Nuptiis; Victoriarum ac Triumphorum solemnibus; in Urbem aduentu; aliisque id genus publicis festiuitatibus, Populo seu Plebi Romanæ, ut Donatiuum Militi, erogabantur. Has enim, ut plurimum, videas eiusmodi LIBERALITATUM vel CONGIARIORUM occasiones in antiquis monumentis. Quod autem de extraordinariis id genus largitionibus statuendum est, non vero de ordinaria seu menstrua; qualem Romæ Principum Liberalitate constitutam fuisse tam frumenti, qua de re paullo post, quam pecuniæ diuisionem, fidem inter alia faciunt Philonis de Augusto verba: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶν ΤΑΙΣ ΜΗΝΙΑΙΑΙΣ τῆς πατρίδος ΔΙΑΝΟΜΑΙΣ, ἀργύριον ἢ σῖτον ἐν μέρει ΠΑΝΤΟΥ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ λαμβάνοντος, *quin etiam ubi* MENSTRUÆ *in urbe pecuniæ frumentique* DISTRIBUTIONES UNIVERSO POPULO *viritim fierent.* Memorabilia vero sunt, quæ continuo addit itidem Philo, quæque eorum, quæ supra de eiusmodi *Liberalitatibus* vel *Congiariis*, velut solis Romanis ciuibus dare solitis, dicta sunt, possent fidem imminuere: nempe quod eodem beneficio Judæos priuari noluit; adeo ut, si hæc liberalitas in sabbatum incideret, quando Judæis nec dare licet nec accipere, nec operis quidquam ad vitæ usum & maxime quæstum facere, iuberentur diuisores Judæis sequenti die publicum largiri. Græca compendii caussâ, & quæ apud Philonem legi possunt, hic omitto. Unde, quod paullo ante diximus, de *Liberalitatibus* id genus, seu *Congiariis* solis Romanis ciuibus dari solitis, videri posset labefactari, ni aliunde etiam, ac vel e noto Diui Pauli exemplo, constaret, & qua de re haud ita pridem alibi egimus, donatos subinde Romana Ciuitate Judæos; immo id e proximis Philonis verbis de his ipsis, qui tum sub Augusto Romæ trans Tiberim agebant, constat, de quibus idem ait: ΑΛΛ' ὅμως οὔτε ἐξῴκισε τῆς Ῥώμης ἐκείνους· οὔτε ΤΗΝ ΡΩΜΑΙΚΗΝ

Jac. Gothofr. Com. ad C. Th. To. v. p. 240.

Legat. ad Caium p. 1015.

Orbis Roman. c. xvii.

Ut supra p. 1014.

ΚΗΝ αὐτῶν ἀφείλετο ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, *eos tamen nec urbe iuſſit excedere Auguſtus, nec* ROMANAM *iis* CIVITATEM *ademit.*

Cæterum ſignata nonnunquam in aliis Cæſarianis nummis ſimilis LIBERALITAS, vel CONGIARIUM, per Mulierem ſtantem cum Cornucopiæ, e quo frumentum effundit; aut quæ utraque manu Cornucopiæ & Congium vel Teſſeram tenet. Inſignis etiam eſt Hadriani nummus Mediceus, in quo tabulato pro more inſidet Imperator, ſtans vero ante illum Mulier frumentum e Cornucopiæ effundit in ſinum alterius ſtantis; alia autem diſcedens cum ſinu pleno frumenti recepti, ac cum inſcriptione LIBERALITAS COS. III. S. C. Adde alium, & e maximorum quidem genere, Philippi Senioris nummum, in quo tres figuræ ſupra tabulatum itidem ſedentes, e quibus duæ Philippos, Patrem & Filium, exhibent; ante autem & retro figuræ duæ ſtantes ſunt additæ. Cuius autem, & trium aliorum nummorum, qui dicta modo de variis illis LIBERALITATIS typis adſtruant, hic minus exercitatis in tractatione huius peculii conſpiciendas icones ſubdam, primam & ſecundam e Philippi Senioris & Gallieni Gazæ Gallorum Regiæ, tertiam vero ex Hadriani, quartam ex Antonini Pii nummis expreſſam.

2. *De* LIBERALITATIS *typo in nummis.*

Quæ inſuper ſatis arguunt eosdem nummos ad ea tempora reſpicere, quibus per Teſſeras frumentarias Annona publica diſtribui viritim conſueuerat, nondum autem per *Panes Gradiles* loco frumenti; ſiue illa diſtributio fuerit ordinaria, quæ menſtrua olim, ut modo vidimus, ſeu extraordinaria, ob cauſſas iam adductas.

3. *De ſignificatione quarundam locutionum huc pertinentium.*

Deſignata vero interdum, quod hic quoque monendum eſt, per LIBERALITATES aut CONGIARIA, *Donatiua* Militum; ut liquet ex iis nummis, in quibus ante ſuggeſtum adſtant Prætoriani milites, aut in quibus figura ſtans dextrâ Congium ſiniſtrâ Labarum tenet. Ut enim *Liberalitas*, ſeu *Congiarium*, nonnunquam pro quouis munere adhibitum legitur (ut quum Seneca ad Urbes aut ad homines etiam datos eandem vocem transfert: [a] *Ut tua Congiaria Urbes ſint*; alibi: [b] *Seianus patrem tuum Clienti ſuo Satrio Secundo Congiarium dedit*) ſic *Congiarium* quandoque pro *donatiuo* militum acceptum, vel e Cicerone liquet, de legionibus Macedonicis tradente: [c] *Congiarium ab Antonio accipere noluerunt*; & apud Capitolinum in Pio legas: [d] *Congiarium Militibus ac populo de proprio dedit*; ac viciſſim *Donatiuum* pro *Congiario* apud Spartianum: [e] *Donatiuum populo ac militibus expendit. Largitiones* vero & *Largitates* etiam dictæ Conſtantiniana & proxima ætate illæ Cæſarum *Liberalitates:* quo-

a De Benef. l. II. c. 16.
b Conſol. ad Marciam c. XXII.
c Ad Att. l. XV. Epiſt. 8.
d In Anton. P. c. IV.
e In Hadrian. c. XXIII.

modo posterior vox occurrit in duabus Constitutionibus Theodosii, in
Cod. Theod. To. v. p. 252. titulo de Annonis Ciuicis: *Ut & parata sui munera habeat Largitas*;
In Caracall. c. 1. ac in sequenti Constitutione: *Diuæ memoriæ Constantini vel Constantii Largitates*; & apud Spartianum de Caracalla: *Non tenax in Largitate*, cuius nempe, ut paullo ante vidimus, LIBERALITATES VIIII. signantur etiamnum in eius nummis. *Largitiones* vero promiscue, ut de *Congiariorum* voce modo etiam diximus, tam de *Liberalitatibus* Populo, quam de *Donatiuis*, quæ militibus sunt expensa, sunt appellatæ: ut, ad
Cap. v. postrema quod adtinet, in Hadriano itidem Spartianus: *Militibus ob auspicia imperii duplicem Largitionem dedit:* immo pridem ante apud Taci-
Hist. 1. c. 17. tum: *Quorum* (*militum* nempe) *fauorem ut Largitione & ambitu male acquiri.* Qua cæteroquin voce solemnes ludorum editiones a Romanis Magistratibus, ut ab Ædilibus, pro more, libera adhuc urbe, exhibitæ di-
Lib. xxv. c. 2. cuntur apud Liuium: *Ædilitia* LARGITIO *hæc fuit. Ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti.* LARGITIONIS vero de *Liberalitate* in genere signatum occurrit nomen in singulari quodam Constantii, Magni Constantini filii, nummo, in quo sedens Imperator cum Tiara inter duas figuras stantes, unam militari habitu galeatam, cum Corona radiata, dextram Constantio porrigentem, aut aliquid ab eo accipientem, cum inscriptione LARGITIO.

Chiffletius noster, qui haud vulgarem huius antiquitatis amorem ac peritiam coniunxit, & cui huius nummi, e cimeliis Christinæ Augustæ, in quibus eum videram, depromptam ac transmissam iconem debeo, cu-
Fam. Byzant. p. 34. iusque inde meminit eruditissimus Du Cange, opportune eundem referebat ad eam huius Constantii liberalitatem, qua is Arsacem Regem pro-
Lib. xx. c. 11. secutus ab Ammiano Marcellino dicitur: *Constantius accitum Arsacen Armeniæ Regem*, SUMMAQUE LIBERALITATE *susceptum, præmonebat &*
Ibidem. *hortabatur, ut nobis amicus esse perseueraret & fidus*; mox: *Qui muneratus cum comitibus, quos duxerat, rediit ad Regnum, nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio.* Commode itaque de eodem Rege Armeniæ explicanda illa figura radiata videbatur, & signatus in memoriam liberalitatis illius seu *Largitionis*, quam in eum contulit Constantius, hic nummus; & cui lucem fœneratur
In Hadr. c. xxi. insuper Spartianus de simili Hadriani munificentia: *Reges eorum* (Albanorum nempe & Hiberorum) LARGITIONIBUS *prosequutus est, quum ad illum venire contempsissent.* Et hæc olim de hoc nummo, etsi minus concinne ibi expresso, monueram, quum postea a celebri Antiquario duos
Vaill. Præst. Num. p. 249. id genus nummos memorari ac describi aduertere mihi licuit: unum nempe, & cum eodem, quem pridem & hic denuo vulgauimus, typo, quemque

que non eidem Conſtantio, ſeu Juniori & Conſtantini filio, ſed eius auo Conſtantio Chloro tribuit: alterum, cum diuerſo aliquantum typo, in quo nempe, ut is eum enarrat, figura muliebris ſedet, a dextris ſtat Conſtantius, Junior nempe ac proinde prioris nepos, eius manum deoſculans, a ſiniſtris Roma galeata. E quibus utique liqueret continuo, Chiffletianam prioris nummi adlatam a me explicationem ſtare non poſſe; quæ quidem in Conſtantium Juniorem, non vero in auum eius Chlorum, poterat cadere. Illud tamen certum, miſſum ad me Roma ab erudito Chiffletio e Gaza Chriſtinæ Auguſtæ nummum, ad Iuniorem Conſtantium, non vero ad priorem, vulgo Chlorum, eſſe referendum: neque etiam ulla alibi prioris illius nummi, qui ſub eo Imperatore ſit ſignatus, facta occurrit mentio. Eâdem vero *Largitionis* voce Imperatorum *liberalitas* ab Hieronymo deſignatur, ubi Nebridii, nobiliſſimi iuuenis, in egenos beneficentiam tangit his verbis: *Quidquid & Imperatoris* LARGITIO, *& honoris inſulæ dederant, in uſus pauperum conferebat.* Ibid. p. 255. Epiſtol. ad Saluinam To. 1. p. 74.

Cæterum eadem illa ætate *Comites Sacrarum Largitionum* dicti, qui ante *Procuratores* aut *Præfecti Sacri Ærarii* vocabantur. Ut hoc addam, quod diſtributæ nonnunquam fuerint eiusmodi *Largitiones* ſeu *Liberalitates*, quæ fiebant Populo Romano, Curatoribus Tribuum & Centurionibus plebis, qui nempe easdem poſtea viritim diuiderent; ſicut factum ab eiusdem Conſtantii uxore Euſebia. Index mihi huius moris ipſe Cæſar Iulianus, inſigni loco, ubi de Auguſtæ illius in urbem Romam aduentu loquitur: Ὁπόσά τε ἔνεμε τῶν φυλῶν τοῖς ἐπιτάταις καὶ ἑκατοντάρχαις τοῦ πλήθους ἀπαριθμήσασθαι, *quantum autem pecuniæ Tribuum Curatoribus & Centurionibus plebis numerari iuſſit.* Liberalitate ſcilicet in Aduentu Cæſarum haud inſueta; quam ſimiliter in Theodoſio ſeniore commemorat Idatius, & iuxta eundem Marcellinus Comes: *Theodoſius Imperator cum Honorio filio ſuo Romam menſe Junio introiuit*, CONGIARIUM *Romano populo tribuit.* Ne abolitum iam quis putet illa ætate *Congiariorum* uſum aut morem, quod nusquam tamen in nummis, qui ſuperſunt illorum temporum, videas. Orat. III. p. 129. ed. Lipſ. In Chronico.

Ad quas autem ſolemnes Imperatorum LIBERALITATES referri inſuper debent aliæ expreſſæ in eorum nummis *Pecuniæ* vel *Frumenti Largitiones.* Cuiusmodi occurrunt, ut ab iis ordiar, cum inſcriptione in variis eorum nummis, Traiani puta, Hadriani, Caracallæ, Elagabali, aliorumque obuia, ABUNDANTIA, vel ABUNDANTIA AUG. in quibus ſtans Mulier nummos e Cornucopiæ effundit; & quod ad miſſilia ſubinde a principibus in vulgus ſparſa, quod viderunt iam alii, omnino reſpicit. A quibus vero abit ſingularis quidam Traiani nummus inſcriptus ABUNDANTIA PERPETUA P. P. S. C. in quo Congius cum Spicis & Papauere cernitur; ac proinde qui ad ſtabilem frumenti ſeu Annonæ ſub eo principe in urbe ubertatem indicandam referendus venit. Quam proinde nummi inſcriptionem, & expreſſum in eo typum, egregie utique illuſtrat, quaſi eum ante oculos habuiſſet, iunior Plinius, dum de eodem Traiano ait: *Inſtar ergo* PERPETUI CONGIARII *reor affluentiam Annonæ.* Quæ adſtruit itidem alius illius principis nummus, paullo infra conſpiciendus, in quo inſidet velut duobus copiæ cornibus refertis frugibus Mulier cum Sceptro, & inſcriptione ABUNDANTIA. Ad quam proinde, ſingulari Traiani cura & prouiſu,

4. *De Imperatorum Largitionibus Frumenti vel Pecuniæ.*

Paneg. c. XXIX.

uisu, in urbe Roma, & quidem in ipsa tum Ægypti sterilitate, frumenti
Ibid. c. xxxi. seu Annonæ *Abundantiam* respexit rursus ea de re agens Plinius: *Urbis Annona, quæ tuis opibus, tua cura usque illuc redundauit*, nempe reuectis tum ex urbe in Ægyptum, quæ inde deportatæ fuerant, messibus. Quum alioquin, ut ibidem ab eo dicitur, superbiret Ægyptiorum natio,
Ibidem. *quod in suo flumine, in suis manibus, vel* ABUNDANTIA *nostra vel fames esset*; ac prout de eodem Nilo paullo ante dixerat: *Quum ipse fecunditatis parens contractior & exilior, iisdem ubertatem eius anni angustiis,*
Cap. xxx. *quibus* ABUNDANTIAM *suam, cohibuisset*, sed ubi *abundantia* non frugum sed aquarum intelligitur; prout a maiore Plinio de eodem Nilo dicitur:
Lib. v. c. 9. *Sole per eos dies cominus facto, extrahi ardoris vi, & suspensum* ABUNDARE, nempe *exundare*, ut bene ibi eruditissimus Harduinus. Unde egregie insuper illustratur singularis quidam, de quo paullo post, Antonini Pii nummus, cum Nili effigie & inscriptione ΕΥΘΗΝΙΑ, tum illud insuper, & quod memorati modi nummi aliique luculenter adstruunt, *Abundantiam* de uberrimo cum frugum seu annonæ, ea Traiani ætate, tum de aliarum etiam rerum prouentu dici, & quidem plurium etiam numero, seu *Abundantias*, dein, quod vel ex Arnobio constare potest, ap-
Adu. Gent. l. 1. p. 9. pellatas: *Sæpenumero maximos* ANNONÆ *fuisse prouentus, vilitates, atque* ABUNDANTIAS RERUM *tantas, ut commercio strepperent uniuersa.* UBERTAS etiam, seu, ut ea ætate promiscue dicebatur, UBERITAS, eadem cum Pecuniarum tum Frugum abundantia vel largitio, signatur itidem in aliis
a Contin. Thes. Brand. p. 732, 755, 764. Cæsarianis nummis, & quidem [a] Decii, Claudii Gotthici, Quintilli, Taciti, sub typo Mulieris stantis, quæ dextra Crumenam, læua Cornucopiæ gestat; aut quæ [b] e Cornucopiæ nummos itidem effundit. Immo quo
b Num. Duc. Arsch. Tab. 63. referendi itidem veniunt nummi Cæsarum Græci, ac in Ægypto, unde annonæ abundantia in urbis Romæ horrea deferebatur, percussi; in quibus Mulier cum Spicis & Papaueribus, quorum illæ interdum e pectore eius exuberant, aut cum sinu etiam frugibus pleno, cernitur, & cum inscriptione, ut in Agrippinæ Claudii uxoris nummis apud Patinum, ΕΥΘΗΝΙΑ ac in ipsius Claudii & Traiani nummis Regiæ Gallorum Gazæ, & quorum obiter in priori Operis parte facta iam est a me mentio, ΚΑΛΥΔΙ. ΕΥΘΗΝΙΑ, ac ΕΥΘΗΝΙΑ ΤΡΑΙΑΝΟΥ, & in quo postremo Caduceus exstat inter duo Copiæ cornua, cui proinde commentarii vicem præstabunt
Arnob. ut supra p. 9. sequentia adducti paullo ante Afri Doctoris verba: PAX *nulla in terris, nulla prorsus vilitas aut* ABUNDANTIA *rerum fuit.* E quibus autem nummis liquet omnino Εὐθηνίαν a Græcis de *frugum ubertate* potissimum dictam; prout etiam, ut obseruo, a LXX. iisque Alexandrinis Se-
Gen. xli. ℣. 29. nioribus, de futuris in Ægypto septem annis impense frugiferis: Εὐθηνία πολλὴ ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτῳ, i. e. iuxta Vulgatum interpretem, *fertilitas magna in uniuersa terra Ægypti.* Ita de terræ ubertate seu abundantia rerum in genere, ut modo apud Arnobium, eadem vox a Josepho, ubi de
Bell. Jud. l. III. c. 11. Galilæa agit, adhibita: Πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν, *multitudo hominum ubique magna, propter terræ fertilitatem*, quod minus accurate interpres ibi per *opulentiam* reddidit; & quâ cæteroquin εὐθηνίας voce
a Epist. 313, 363, 384. b Tom. II. p. 641. ed. Sauil. pro *fertilitate* utuntur frequenter [a] Basilius, [b] Chrysostomus, aliique. Immo prout etiam de *abundantia otii* eandem vocem usurpari, a Senioribus, video apud Ezechielem: Ezech. xvi. ℣. 49. Ἐν πλησμονῇ ἄρτων καὶ ἐν εὐθηνίᾳ ἐσπατάλων αὐτὴ

καὶ

καὶ αἱ θυγατέρες αὐτῆς, i. e. iuxta vulgatum Interpretem, *saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius*, in Hebraico autem contextu legitur: וְשַׁלְוָת הַשֹּׁקֵט שִׁנְעַת לֶחֶם, quod reddunt Interpretes, *saturitas panis & abundantia otii*, seu, iuxta natiuam vocis שְׁלוָה significationem, *tranquillitas otii*. Unde omnino verbum εὐθηνεῖν legendum apud priscos Auctores constat, non ut hactenus apud quosdam ex iis obtinet, εὐθενεῖν, uti etiamnum apud Æschylum in ultima eruditissimi Stanleii editione:

Καρπῶν τε γαίας, καὶ βοτῶν ἐπίῤῥυτον
Αςοῖσιν ΕΥΘΕΝΟΥΝΤΑ μὴ κάμνειν χρόνῳ, Eum. ỳ. 911.

Fructibusque terræ, & pecudum affluentem, Ciuibus abundantem, non marcescere tempore: prout βοτῶν, pro βροτῶν, in priori versu bene legendum vidit laudatus Stanleius, alterum vero εὐθενοῦντα, quod erat alioquin obuium, pro εὐθηνοῦντα præteriit; ac prout legendum ibi viderat, ut ex adscriptis aliquot eidem Tragico emendationibus apud virum doctissimum Is. Vossium aduertere mihi olim licuit, præstantissimus Auratus. Quomodo apud Aristidem perperam legitur εὐθενεῖν δὲ τοῖς ἅπασιν, pro εὐθηνεῖν, *omnibus vero rebus abundare*, & quidem nominatim apud Xenophontem de regione frugibus feraee: Ὥςε καὶ τῆς εὐθηνούσης ἀφικνεῖται τοῖς τῆς θαλάσσης ἄρχουσιν; *adeò ut e regione, quæ frugibus abundat, ad eos* commeatus, *quibus paret mare, deferatur*. Apud Theophrastum vero, ut hoc insuper addam, ubi de cochlearum & exiguarum ranarum repentino prouentu agit, dicitur: Οταν εὐθηνήσωσι, *quando magna copia subito abundant*, non, ut ibi vertitur, nempe de ranulis id genus, *prospere agunt*. Ne huc adducam denuo nummum obiter ante memoratum, & quem descriptum olim vidi in eximii Morellii schedis sub Antonino Pio cusum, in quo ille πολυθρέμμων, *multa alens*, ab Æschylo pridem dictus, Nilus iacens, & prope Crocodilus depinguntur, cum eadem voce ΕΥΘΗΝΙΑ, quemque abunde illustrant adducta iam ante a Iuniore Plinio, de illo *fecunditatis* in Ægypto *parente* verba. Ad quam maiorem modo dictorum fidem sequuntur hic, cum Romana inscriptione ABUNDANTIA, vel ABUNDANTIA AUG., & UBERITAS, tres nummi cum memoratis paullo ante symbolis: in priore nempe Mulieris, quæ duobus copiæ cornibus insidet cum Sceptro: in secundo vero ac tertio, stantis Mulieris, quæ nummos e Cornucopiæ effundit, cum diuersis ABUNDANTIÆ & UBERITATIS vocibus; in quarto autem Græco seu Ægyptio Antonini Pii, quem e Thesauris Gallorum Regiis vulgauit iam laudatus Morellius, Mulier humi decumbit, infra Sphinx, dextrâ Spicas cum Papaueribus, sinistrâ Cornucopiæ gestat, & cum inscriptione ΕΥΘΗΝΙΑ.

Orat. de Concord. To. II. p. 397.
De Republ. Athen. c. 11.
De Animal. Repent. Prouent. p. 475.
Pers. ỳ. 35.
Paneg. c. xxxi.
Specim. Tab. XI.

Neque vero hinc alieni duo insignes Domitiani, ac Neruæ, eius Successoris, nummi: prior percussus in celebritate Ludorum Sæcularium, qua occasione plures sub eo principe sunt signati; ac unus inter alios, in quo sedens cernitur Imperator, coram eo duæ figuræ stantes, quarum prima Modium frugibus plenum effundit, cum singulari inscriptione, Cos. XIIII. Lud. Sæc. a Pop. in basi Frug. Ac. *Consul* XIIII. *Ludis Sæcularibus A Populo Fruges Acceptæ.* Alter vero Neruæ Imperatoris nummus exhibet Modium cum Spicis, ac in aliis intermedio Papauere, & epigraphe, Plebei Urbanæ Frumento Constituto S. C.



5. *De singulari* Domitiani *nummo.*

De priori Domitiani nummo, quæ monenda hic potissimum forent, occuparunt iam eruditi, qui e Zosimo viderunt, verba illa a Pop. Frug. Ac. *A Populo Fruges Acceptæ*, de primitiis frugum, tritici, hordei, fabarum intelligenda, quas, ineuntibus hisce Ludis apud Romanos Sæcularibus, uniuersus Populus Diis sacrorum illorum Præsidibus offerret, quæque dein, sacris illis peractis, *uniuerso Populo distribuerentur*, καὶ τῷ παντὶ δήμῳ διανέμονται. Quarum equidem, cum oblatarum Diis illis a Populo primitiarum, ac earum dein a maribus feminisque acceptarum, mentio fit in Sibyllinis de illis Sæcularibus Sacris apud eundem Zosimum versibus: Πάντες δὲ ἐξ οἴκοιο φερέσθων, *omnes autem e domo secum ferant*, *&c.* de iisdem vero dein *A Populo*, quod hic in nummo dicitur, *Acceptis*, mox:

Lib. II. p. 73. ed. Oxon.

Ibid. p. 76.

Τάδε πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω,
Ὀφρά τε θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν
Ἔνθεν πορσύνῃς μεμνημένος.

Hæc vero omnia maneant ibi recondita, Ut feminis virisque ibi consistentibus Exin memor ea porrigas. Unde etiam factum videtur, ut in utroque Sæculari Catulli & Horatii Carmine *Frugum* fiat mentio, quibus nempe Diana seu Luna, velut Frugum parens, compleret Agricolarum domos:

Catull. Carm. Sæcul.

Rustica agricolæ bonis
Tecta Frugibus *exples*;

aut unde Ceres, πολύταχυς, πολυμέδιμνος, καρποφόρος, *multis spicis*, *multis modiis abundans*, & *frugifera* (sicut in Romanis etiam nummis Cereri Frugiferæ) passim apud Græcos poëtas est dicta, cumque spicea corona, remunerationis veluti caussa:

Orph. & Callim. Hym. in Cerer. Theocr. Id. x. v. 42.

Fertilis Frugum *pecorisque tellus,*
Spicea donet Cererem corona.

Cuius

Cuius nempe utriusque Numinis, ut & Apollinis ſeu Solis, ut vel ex iisdem Poëtis, Catullo ac Horatio, & e Zoſimo præterea conſtat, præcipua quædam erat in ſacris illis Sæcularibus ratio. Nihil vero conuenientius videbatur, ac recepto cæteroquin apud Gentiles, haud minus quam apud Hebræos, ritui, de quo multa iam notarunt eruditi, conſentaneum; quam ut Frugum & quidem non *Tritici* ſolum, ſed *Hordei* etiam, & *Fabarum* primitiæ, in ineuntis NOVI SÆCULI (ſicut in veteri Gratiani nummo, de quo egit nuper multiplici doctrina inſignis Leibnitius) felix auſpicium, Diis offerrentur; ut inde etiam Romanus Populus, in fauſtum futuræ toto ſequente ſæculo felicitatis omen, eas rurſus velut a Diis oblatas acciperet. De *hordei* equidem, ut de *tritico* iam ſileam, primitiis iisque ἀμίλλαις & οὐλοις, quique eas Delum ad Apollinem ferrent Hyperboreis, ἀμιλληφόροις & οὐληφόροις inde dictis, & οὐλοχύταις, non illis ſolum *hordei primitiis*, ſed *caniſtris* etiam, e quibus *hordea* effundebantur, immo Cerere inde Ἰθλὼ appellata, & Ἴθλοις in eandem Deam Hymnis, iam ad Callimachum vidimus. Obſeru. p. 493. 494.

Ad *Fabas* vero quod adtinet, quòd hæ inter *Fruges* in Sacris illis Sæcularibus oblatas *& acceptas a Populo*, iuxta *triticum* & *hordeum*, fuerint, haud una videtur ratio. Primo quod *inter legumina*, ut ea de re Plinius, *maximus honor* FABÆ, *quippe èx qua tentatus etiam eſt* PANIS; mox: *Frumento etiam miſcetur apud plerasque gentes.* Unde a Theophraſto inter duo σιτωδῶν ſeu *frumentariorum* genera, & quidem ut e χεδροπῶν genere, præcipuum traditur. Ac unde etiam *Fabæ*, & quod huc potiſſimum facit, in ſacris apud Romanos adhibitæ, & quidem Kalendis Iuniis, quæ & inde *Fabariæ* ſint dictæ, ut e Macrobio monuit iam ad Feſtum illuſtris Scaliger: a quo, nempe Macrobio, cum Carnæ Deæ, cui Kalendæ Iuniæ erant ſacræ, meminiſſet, additur: *Cui pulte* FABARUM *& larido ſacrificatur: quod his maxime rebus vires corporis roborentur: nam & Kalendæ Iuniæ* FABARIÆ *vulgo vocantur: quia hoc menſe adultæ* FABÆ DIVINIS REBUS ADHIBENTUR: prout etiam in veteri Urbis Kalendario ad Kalendas Junias legitur hodie FABARICI pro FABARIÆ. Qua occaſione ab Ouidio, ubi de iisdem Kalendis agit, dicitur: Lib. xviii. c. 8. H. Pl. l. viii. c. 1. Saturn. l. i. c. 12.

Terra FABAS *tantum duraque fœna dabat.* Faſt. l. vi. v. 179.

Quo reſpexit etiam, ut hoc addam, ac unde hæc inſuper illuſtrantur, Plinius de Faba loquens: *Quin & priſco ritu* FABACIA *ſuæ religionis Diis in ſacro eſt, prælautus pulmentari cibo*; dein: *In eadem peculiaris religio, namque* FABAM *utique* E FRUGIBUS *referre mos eſt auſpicii cauſſa, quæ ideo* REFERIUM (ut bene ibi e MSS. Harduinus) *appellatur.* Unde, quum *æſtiuo meſſis tempore*, κατὰ δὲ τὴν ὥραν τοῦ θέρους, ut a memorato paullo ante Zoſimo, & uti aliunde etiam liquet, dicitur, Ludi illi Sæculares celebrarentur; hinc opportuna *Fabarum* ad eadem ſacra, pro recepto iam in aliis tum more, uſus etiam eſt inuectus. Lib. xviii. c. 12. Ut ſupra p. 73.

Alterius vero & præclari quidem nummi, in quo a Nerua PLEBEI URBANÆ FRUMENTI CONSTITUTI Liberalitas conſignatur, haud omittenda hic videtur, & peculiaris quidem, adtentio. Quam præclarum vero illud ac ſingularis exempli, præcipuam quondam Principis rerum Domini

6. *De quodam* Neruæ *nummo, &c.*

mini laudem, non e deuictis grauissimis hostibus, Sarmatis puta, aut Parthis; aut de Germania, vel Dacia, vel Armenia capta; aliisque insignibus vel Triumphis, vel Tropæis, quæsitam; sed de Romana Plebe sustentata, & gratuita stataque annonæ copia eidem constituta, duraturo apud posteros ære transmittere. Notum vero, & quod monuerunt iam viri docti, Frumentarias id genus Largitiones Plebi Romanæ antiquitus, ac libera adhuc urbe, indultas; ut nempe vel leui utique pretio, illoque eam in rem constituto, Populo frumentum e publico, *ex modo annonæ*, ut ea in re Tacitus, aut *sine pretio* tenuiori Romanæ plebi, donaretur. Quod utrumque (ut vetustiora eius rei exempla e Liuio ac Plinio iam mittam, de quibus consuli potest Lipsius in erudita de Re apud Romanos Frumentaria commentatione, & ad quam lectorem, ubi de hoc argumento agebatur, ablegat ad Suetonium magnus Casaubonus) abunde e Lege Annonaria a P. Clodio Tribuno plebis sub Pisone & Gabinio Coss. lata eluceſcit, de qua, ut viderunt iam alii, Asconius: *Ut Frumentum populo, quod antea semisse & trientibus in singulos* MODIOS *dabatur*, GRATIS *daretur*. Quam munificentiam, & quidem *Frumenti Plebi Romanæ* gratis dati, præter solemnes illas & extraordinarias, quas paullo ante vidimus, *Liberalitates* & *Congiaria*, quæ uniuerso Populo Romano, & minoribus etiam pueris, ut vidimus, darentur, ab Imperatoribus exercitam; eamque cum statis certisque temporibus, tum extra ordinem subinde constitutam, e Romanis Scriptoribus, aliisque lapidum ac nummorum monumentis itidem constat. Menstruam utique sub Augusto fuisse illam *Frumenti*, *Publici* inde dicti, Romanæ Plebi conceſſam largitionem, vel e Suetonio obuium, dicente: *Ac ne* PLEBS *frumentationum causſa frequentius a negotiis auocaretur, ter in annum* DARE *destinauit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque* MENSIS *acciperet*. Quod ex Dionysio Halicarnassensi, qui Augusti temporibus, ut notum, floruit, itidem liquet; a quo de sui æui moribus agente dicitur: Οἱ δὲ ἵνα ΤΟΝ ΔΗΜΟΣΙΟΝ ΣΙΤΟΝ λαμβάνωσιν ΚΑΤΑ ΜΗΝΑ, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμόνων γίγνοιτο ΤΟΙΣ ΑΠΟΡΟΙΣ ΤΩΝ ΠΟΛΙΤΩΝ Φιλανθρωπία, *alii vero ut* FRUMENTUM PUBLICUM SINGULIS MENSIBUS *accipiant, & si quid aliud munificentia principum* IN EGENOS CIVES *confertur*. Unde, inter alia, cum *menstruas* fuisse id genus frumenti largitiones, tum eas non uniuerso populo, sed *egenæ* demum *Plebi*, erogatas liquet. Adeo ut constare inde etiam possit, *menstruas* itidem, seu μηνιαίας, frumenti ac pecuniæ factas sub eodem Augusto, quarum meminit Philo loco ante a nobis iam adducto, diuisiones alterius fuisse generis, seu extraordinarias largitiones; quippe quæ, ut ibidem dicitur, uniuerso Populo fierent. Ad quas autem Urbanæ Plebi datas ab Augusto, uti ea ætate sunt quoque dictæ, *Frumentationes*, spectare videas hæc eius in Ancyrano Breuiario verba: *Consul Tertium Decimum Sexagenos Denarios Plebi Quæ Tum Frumentum Publicum Acceperunt Dedi*. Id vero, sed non Plebi, a Nerone datum tradit Suetonius: *Prætorianis cohortibus frumentum* MENSTRUUM GRATUITUM. E quibus sat, ut opinor, liquet, in memoriam certæ stabilisque id genus liberalitatis Plebi Romanæ a Nerua gratis conceſſæ, percussum adductum paullo ante nummum, cum memorabili illa inscriptione, PLEBEI URBANÆ FRUMENTO CONSTITUTO S. C. Nempe non uniuerso Populo, ut de Li-

Annal. c. xv. p. 72.

In Admirand. V. R. N. II. c. 12.

Ad Pisonian. c. IV.

In Aug. c. XL.

Antiq. Liv. p. 228.

In Neron. c. X.

Liberalitatibus id genus ſeu Congiariis Imperatorum paullo ante vidimus, ſed *Plebi Urbanæ*, ut rurſus in Ancyrano Auguſti Breuiario: *Trecentis Et Viginti Millibus* PLEBEI (ut in eo Marmore nouiſſime legit eruditiſſimus Medicus Tournebœuf, non, ut ibi hactenus, *Plebis*) URBANÆ *Sexagenos Denarios Viritim Dedi*; hoc eſt, ut ea de re in adductis Dionyſii verbis, τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν, *egenis ciuibus*, ſeu, ut poſteriori etiam ætate de Annonis Ciuicis Urbanæ Plebi erogatis in Conſtitutione Valentiniani Senioris, quæ exſtat in Codice Theodoſiano, dicitur: *Popularibus, quibus non eſt aliunde ſolatium*; ac iam ante a Dione Caſſio de ſimili Julii Cæſaris liberalitate impertita fuerat dictum: Ὄχλῳ τῷ σιτοδοτεμένῳ, *multitudini, quæ frumentum accipit.* Quo etiam ſpectat illud Suetonii de eodem Julio: *Atque ex viginti trecentisque millibus* ACCIPIENTIUM FRUMENTUM E PUBLICO, *ad centum quinquaginta viginti retraxit.* Quam cæteroquin (τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτεμένου πλῆθος ἀόριστον ὄν) *populi frumentum e publico accipientis multitudinem, quæ indefinita erat*, ab Auguſto primum ad hominum ducenta millia redactam tradit Dio: ad quod autem Auguſti factum nummum eius cum cippo & inſcriptione CC. AUGUSTI, ſed minus vere, ut poſtea dicetur, retulit celebris Antiquarius. PLEBIS vero, ut in adducto Neruæ nummo, facta eſt ſimili in re, ubi de eodem Auguſto agit, ut paullo ante vidimus, a Suetonio mentio: *Ne* PLEBS *frumentationum cauſſa, &c.* Unde illud, cum *publicum*, ut vidimus, tum *urbanum frumentum* (ſicut in conſtitutione Honorii legitur, *urbano uſus frumento*) immo illatio in urbem Romam id genus frumenti, appellata etiam poſteriori ætate, *Urbanus Canon*, item *Urbicanus.* Inde vero magna & præcipua exſtitit Romanorum, laudatiſſimorum certe ex iis, principum ſollicitudo, ne frumenti difficultatibus vel inopia laboraret urbs Roma; ſed ut ſummam Annonæ curam inter præcipua ducerent, uti ea de re, poſteriori etiam æuo, ad Theodoſium Magnum ſcribit Symmachus: *Felicitas quidem veſtra æternæ urbi ſolemnis* ALIMONIÆ COPIAM *pollicetur, D. Imperator*; dein: *Cui æternitas veſtra mandauit* FRUMENTARIOS COMMEATUS; tandem: *Hoc ſæculo veſtro, hoc virtutibus diuinis dignum eſt, ut ſecuritatem Romani Populi* INTER PRÆCIPUA ET PRIMA *curetis.* Quod adſtruunt quoque eiusdem Theodoſii Filii, Honorii nempe, Conſtitutionis verba in Codice Theodoſiano, ubi de Annona Urbi Romæ prouidenda agitur: *Certum habetis, Patres Conſcripti, quantum curarum impendimus, pro veſtris ac populi commodis.* Cuius etiam rei, præter alia Hiſtoriæ Auguſtæ, vel aliorum etiam Scriptorum earundem ætatum teſtimonia, fidem luculentam faciunt tot Cæſarum nummi, inſcripti ANNONA AUG. vel AUGUSTI; in [a] Nerone etiam ac [b] Seuero, ANNONA AUGUSTI CERES, ac Seueri inſuper, [c] ANNONA ÆTERNA, iique cum variis ſymbolis ac typis eandem Frumenti Publici in urbem Romam inuehendi vel inuecti curam teſtantibus. Cuiusmodi utique in iis occurrunt aut Mulier ſtans vel ſedens, ſeu Annona, cum Spicis, Papaueribus, Cornucopiæ, Modio cum Spicis; vel cum ſinu frugibus pleno; aut ſtans Mulier cum Temone, vel cum Naui, qua frumentum vehitur; aut quæ, hinc cum Spicis illinc cum Cornucopiæ, dextrum pedem Proræ imponit: aut quæ dextra Teſſeram frumentariam tenet, iuxta quam Annona Plebi diſtribuebatur; aut ſedens Ceres, ac ſtans Fortuna cum Prora intermedia, aliaue id genus ſymbola,

Leg. v. C. Th. de Annon. Ciuic.

Lib. XLIII. p. 224.

In Jul. Cæſ. c. XLI.

Lib. LV. p. 554.

Vaillant Præſt. Num. p. 23. P. II.

In Aug. c. XL.

Leg. XXVII. C. Th. de Nauicular. l. III. & VI. de Canon. &c.

Lib. X. Epiſt. 31.

Leg. III. C. Th. de Canon. Frum. Urb. Rom.

a Vaill. Præſt. Num. p. 21. P. I.
b Ibid. p. III.
c Birag. Num. Impp. p. 268.

quæ in præclaris cimeliis vel in libris antiquariorum, uti Vaillantii, Biragii, aliisque id genus, proſtant; quorumque omnium obuia utique eſt ratio. Quo poſtremo autem Seueri nummo, in quo ANNONA ÆTERNA, ſingulari utique titulo, legitur, Victor Schotti haud parum illuſtratur, a quo in Traiano dicitur: *Et* ANNONÆ PERPETUÆ *mire conſultum, reperto ſiſimatoque Piſtorum Collegio.* Huc ſpectant itidem inſcriptiones, vel in Commodi nummis Regiæ Gallorum Gazæ PROVIDENTIÆ AUG. in quibus vel Africa cernitur, quæ Spicas Imperatori porrigit, vel Nauis plenis velis, quæ frumentum nempe adueheret, nauigans; vel in Seuero, cum duobus Copiæ cornibus & Spica intermedia, FELICITAS TEMPORUM; in quo Mercurius dextra Caduceum cum duabus Spicis, læua Raſtrum tenet; aut denique Seueri filii, ſeu Antonini Caracallæ, nummus, qui Annonam ſtantem exhibet, quæ dextra Spicas, ſiniſtra Cornucopiæ geſtat, cum inſcriptione ANN. AUG. (*Annona Auguſti*) SÆCULI FELICISSIMI. Ut nunc mittam, quorum exſtat in utroque Codice titulus, *Canonem Frumentarium Urbis Romæ*, & *Annonas Ciuicas*, ac, ut in Theodoſiano Codice continuo additur, *Panes Gradiles.* Unde conſtare inſuper poteſt, quæ Imperatorum, quarti nempe ſæculi, cura adhuc fuerit, ut *Annonæ* illæ *Ciuicæ*, & quidem tum [a] *in panibus coctis* ciuibus Romanis, ſeu [b] *Popularibus*, ut a Valentiniano Seniore dictum vidimus, *quibus non eſt aliunde ſolatium*, erogarentur: ac prout de iisdem *Popularibus* (ut [c] *Palatinas* iam, *Militares*, & quæ Romæ vel Conſtantinopoli *ædificantibus* dabantur, *Annonas* iam mittam) intelligendam demum obſeruat clariſſimus Codicis illius interpres primam vocem alterius Conſtitutionis eiusdem Valentiniani: *Uniuerſi* (nempe dicti modo *Populares*) *panem ita gradilem de gradibus adipiſcantur.* Cuius tamen rei, quod obiter hic addendum eſt, LIBERALITATUM nempe ac CONGIARIORUM, & quod eorundem illius ætatis Imperatorum curâ frumento abundarent urbis Romæ horrea, ne in Annonæ difficultatibus eſſet eius penuria; aut quo egenis etiam ciuibus gratis illud erogaretur; cuius, inquam, rei, ac proinde ſeu PROVIDENTIÆ, ſeu ABUNDANTIÆ, ſeu ANNONÆ AUG. ſeu FRUMENTI, ut in adducto Neruæ nummo, PLEBEI URBANÆ CONSTITUTI, vel, quod ea tum largitio in panibus fieret, ANNONÆ CIVICÆ, nulla occurrit prodita in nummis illius æui Imperatorum, ſicut in tribus prioribus ſæculis (ſi illud CIVICARUM, quod ab iis non exulat, nomen mittas) commemoratio.

In Cæſarib. c. XIII.

a Leg 1. C. Th. de Annon. Ciu.
b Leg. v. eodem.
c Leg. VII. eodem.

Leg. III. eodem.

7. *De Alimentis pueris & puellis, de ſuo aut e publico, ab Imper. præſtitis.*

Ad quas inſuper Imperatorum Liberalitates, & quidem Frumentarias Urbanæ Plebi impertitas, referri itidem debent ALIMENTA pueris puellisque ingenuis de ſuo, ut id in Traiano extollit [a] Plinius Junior, aut e publico præſtita; & quorum prodita eſt, ad poſterorum memoriam vel exemplum, in Cæſarianis nummis memoria. Cuius equidem inſignis beneficentiæ auctor traditur vulgo Traianus, quam in eo magnifice prædicat dictus modo Plinius; qua nempe factum ſit, ut magnam infantium turbam de ſuo alendam ſuſceperit: [b] *Ut iam inde ab infantia* PARENTEM PUBLICUM *munere educationis experirentur*, & quidem, uti ea de re paullo poſt: [c] *Paullo minus P. C. quinque millia ingenuorum ſuerunt, quæ* LIBERALITAS *principis noſtri conquiſiuit, inuenit, adſciuit: hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis*, PUBLICIS SUMPTIBUS ALUNTUR, *patriamque, non ut patriam tantum, verum ut* ALTRICEM *amare condiſcunt.* Cuius etiam

a Paneg. c. XXVI.
b Idem, c. XXVII.
c Idem c. XXVIII.

etiam *Alimentariæ* inductæ a Traiano Liberalitatis, illiusque, ut vel ex adductis aliisue adhuc Plinii verbis licet ſtatuere, in urbe, ac quæ ſub Pertinace adhuc obtinerent, fit a Capitolino mentio: ALIMENTARIA *etiam compendia, quæ nouem annorum* EX INSTITUTO TRAIANI *debebantur, obdurata verecundia, ſuſtulit.* Immo quam *munificentiam* Traianus, ut ea vocatur in illius Panegyrico, non in urbe ſolum *paruulis ciuibus*, ſed Italiæ etiam, quæ quum iam ante ciuitatis iure gauderet, ab Auguſto dein, uti de eo Suetonius, urbi quodammodo fuerat adæquata, largiter præſtitit. Cuius equidem rei, præter Dionem Caſſium, ut viderunt præſtantes Antiquarii, indices ſunt etiamnum præelari ciusdem nummi ab iis vulgati iam aut deſcripti; in quibus ſtans Mulier cernitur, quæ, conſueto id genus liberalitatis ſymbolo, dextram cum Spicis ad puerulum infra ſtantem protendit, læua Cornucopiæ tenet, & inſcriptio ALIM. ITAL. S. P. Q. OPTIMO PRINCIPI. Quibus accedit alius adhuc ſingularis nummus a celebri Antiquario memoratus, quique exſtat in Theſauris Gallorum Regiis, in quo ipſe Traianus ſtat togatus, qui læua Spicas porrigit infanti, quem Mulier amplectitur, ſtante pro pedibus alio infante ſeu puerulo, & cum eadem modo adlata inſcriptione. Dicti vero ULPIANI, a gentili principis illius nomine, iidem pueri puellæque, qui ab eo in Italia alebantur; ut liquet etiamnum e veteri inſcriptione, quod vidit iam [a] vir doctus, quæ Traiano dicata [b] NOMINE PUERORUM PUELLARUMQUE ULPIANORUM EX S. C. Ad quas proinde *Alimentarias* in Italia conſtitutas a Traiano liberalitates referendum venit, quod de Pertinace ante adeptum imperium a Capitolino dicitur: *Poſt in Mœſia rexit alam, deinde* ALIMENTIS *diuidendis in via Æmilia procurauit*, prout nempe, & unde illa Capitolini verba haud parum illuſtrantur, in alia veteri Inſcriptione legitur PROCURATOR ALIM. VIÆ FLAM., ſeu *Flaminiæ:* aut PROCURATOR PER TRANSPADAN. HISTRIAM ET LIGURIAM. Addc Spartianum in Didio Juliano: *Poſt Germaniam Inferiorem rexit. Poſt hoc Curam Alimentorum in Italia meruit*; ac prout *Curator Alimentorum* legitur etiam in alio lapide, & quidem CURATORI PECUNIÆ REIP. ALIMENT. Eandem vero liberalitatem in alendis pueris puellisque ab Antonino Pio itidem exercitam docet eorundem inſcriptio, quam vidit iam laudatus modo Rubenius, ÆLI HADRIANI ANTONINI AUG. PII TRIB. POT. XIII. IMP. II. COS. IIII. P. P. FILIO P. P. PUELLI ET PUELLÆ ALIMENTARIÆ; ac altera, DIVO ANTONINO AUG. PIO ALIMENTARI. Immo quod e FAUSTINIANIS PUELLIS, ab eo in honorem uxoris Fauſtinæ conſtitutis, ſat conſtat; eiusque rei, præter Capitolinum, luculentis teſtibus, præclaris, qui in Auguſtæ illius defunctæ memoriam pereuſſi ſunt, & a præſtantibus Antiquariis iam vulgati, nummis. Eximius in primis ille, quique exſtat in Theſauris Gallorum Regiis, ac iam ſupra, cum de Fauſtina ageremus, a nobis exhibitus eſt, qui ſtantem in ſuggeſtu Antoninum exhibet, ſedentem ex aduerſo Mulierem, ſeu Fauſtinam, quaſi id ea ante obitum procuraſſet, ad menſam nummulariam, ſiue, qui in aliis eiusdem typi nummis videtur exhiberi, modium; infra vero adſunt ſex figuræ ſtantes, e quibus duæ infantem habent præ manibus, & inſcriptio PUELLÆ FAUSTINIANÆ. Ut vel inde inter alia liqueat, cur, inter adductas modo de *Alimentorum cura* Inſcriptiones, una ſit, in qua *Curatoris Pecuniæ Reipublicæ*

In Pertinac. c. IX.

Cap. XXV.

Cap. XXVI.

Num. Duc. Arſch. Tab. XXXV, 14, 15.

Vaill. Præſt. Num. p. 46. P. I.

a Alb. Ruben. ad Num. Duc. Arſch. in Traian.

b Theſ. Grut. MLXXXIV, 7.

In Pertinac. c. II.

Theſ. Grut. CCCLXXXV, 6.

Ibid. CCCCXI, 4.

In Did. Julian. c. II.

Theſ. Grut. CCCCXXXV, 8.

Ibid. MXXII, 6, 7.

In Anton. P. c. VIII.

Supra p. 289.

publicæ Alimentariæ, seu *ad Alimenta* destinatæ, fiat mentio; neque proinde de sola frumenti perceptione ibi actum. Immo ad quam similem *paruulorum ciuium*, uti de iis in Traiani Panegyrico iunior Plinius, qui sub eodem Imperatore Pio publicis sumptibus alerentur, conditionem opportune eruditissimus Albertus Rubenius alium eius nummum refert, in quo stat Mulier dextra coronam tenens, ad pedes autem duo puer & puella, cum inscriptione PIETATI AUG. COS. III. In aliis autem ad eiusdem rei memoriam percussis nummis legitur non COS. III. sed COS. IIII. ac præterea mulier stans alium adhuc infantem in ulnis gerit, neque tam coronam, quam quidem globum, pomum, aut vero panem, ex Harduini obseruatione, manu tenet extensa. Talis, & quidem aureus, a præstantibus antiquariis e variis Cimeliis prolatus est, ut opus non sit illius typum hic denuo exhibere. Ab Antonini vero huius successore M. Aurelio similiter tales puellas institutas notat in eius vita Capitolinus: *Nouas* (alias nempe ab illis, a senioris *Faustinæ* nomine appellatis) *puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ*, Faustinæ nempe, iuxta matrem, dictæ. Quod ab utroque Imperatore Traiani exemplo factum constat; a quo, ut ex Inscriptione paullo ante adlata vidimus, *Alimentariis in Italia pueris ac puellis*, ab illo in Italia constitutis, non uxoris quidem Plotinæ, sed a gentili suo nomine deducta ULPIANORUM appellatio est continuo indita. Adde aliud similis beneficentiæ exemplum ab eodem Marco & Vero iam ante, ac post adscitum ad imperii consortium eundem fratrem Verum, eique desponsatam filiam Lucillam, iuxta Capitolinum, exhibitum: *Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt*. Ubi, ut obiter hoc tangam, pro *nouorum hominum*, qui de Christianis neutiquam, iuxta quosdam interpretes, aut de *nouis ciuibus*, iuxta Casaubonum, intelligendi veniunt, *nouorum nominum* legendum censet ὁ πάνυ Salmasius; hoc est, qui non *Ulpiani*, aut *Faustiniani*, sicut pueri puellæue *Alimentariis* a Traiano aut a Pio adscripti, sed alia & *noua nomina*, a M. Aurelio ac Vero indita, primum ferrent, quique ad frumenti perceptionem erant ab iis admissi. Etsi vero non occurrant hactenus inter M. Aurelii nummos, qui institutarum ab eo *Puellarum Faustinianarum*, sicut de Pio vel Faustina matre constat, meminerint, quin tamen *Alimentarii* pueri puellæue sint ab eo similiter constituti, minus dubitare adhuc licet, quod de eodem Marco alibi adhuc dicat Capitolinus: *De Alimentis publicis multa prudenter inuenit*. Ubi a magno Casaubono præteritum, quod ibi notat, vellem; quòd scilicet id pertineat ad alimenta eorum, qui de pane gradili alebantur. Neque enim ea, sed inferiori ætate & Constantinianeo sæculo, hasce *in pane cocto*, seu *panum gradilium*, qui *Annonæ Ciuicæ* dicebantur, distributiones Romanis ciuibus, seu *Popularibus*, *quibus aliud solatium non esset*, demum factas iam ante vidimus.

Paneg. c. XXVI.

Select. Oper. p. 770.
Num. Duc. Arsch. XLIII. 7.
Patin. Num. Imp. in Ind.

In M. Anton. c. VII.

Ibid. c. XI.

IV. *De* REMISSIS VECTIGALIBUS, *aut* RELIQUIS *Debitorum* ABOLITIS *in nummis Imperatorum.*

Alia vero & præclara ſe adhuc offerunt haud reticendæ Imperatorum MUNIFICENTIÆ exempla, vel in REMISSIS Populi Romani Vectigalibus, CENTESIMIS puta, DUCENTESIMIS, vel QUADRAGESIMIS; vel in RELIQUIS Debitorum ABOLITIS, & de quibus ſubinde id e priſcis eorum nummis demum conſtat.

1. *De Ducenteſimâ remiſſa.*

Ac prioris quidem illius beneficentiæ præclarum nobis documentum præbent duo ſingulares Caligulæ & Galbæ nummi, a præſtantibus antiquariis non deſcripti ſolum, ſed in lucem quoque editi: unus, in quo R. CC. *Remiſſa Ducenteſima*; alter Galbæ, QUADRAGENS. REMISSÆ, aliique adhuc, de quibus mox, eiusdem rei indices nummi. Ad priorem nummum quod adtinet, inſcriptas in eo initiales literas R. CC. de *Remiſſis Ducenteſimis* omnino explicandas, abunde docet Suetonius, a quo de eodem Caligula dicitur: DUCENTESIMAM *auctionum Italiæ remiſit.* Ut fruſtra omnino fucrint viri cæteroquin harum literarum principes, [a] Turnebus ac [b] Caſaubonus, qui præter veterum ac optimorum etiam iudicum fidem, *Centeſimam*, pro *Ducenteſimam* hic legendum, Dionis, de quo mox, auctoritate adducti, ſtatuerunt; & a quibus merito, maxime ſingularis illius nummi fide, receſſit earundem nuper literarum decus Græuius. Tacitus certe, quum a Tiberio, etſi deprecante populo, retentam *Centeſimam rerum venalium* dixiſſet; alibi dein de eodem principe tradit, quòd redacto in prouinciæ formam Cappadociæ regno, *fructibusque eius leuari poſſe* CENTESIMÆ *vectigal profeſſus Cæſar*, DUCENTESIMAM *in poſterum ſtatuit.* Quibus proinde ſuffragatur adductus modo nummus, qui *Ducenteſimam* illam ab eius ſucceſſore Caligula *Remiſſam* dein, uti id a Suetonio quoque dicitur, omnino arguit. Unde non audiendus hic, grauis quamquam auctor, Dio Caſſius, ſed ab his temporibus paullo remotior; dum ab eo primum de Tiberio dicitur, quod is *pro Ducenteſimæ vectigali*, *Centeſimam* (duplo proinde maius onus) *inuexerit*: Καὶ τέλος τε διακοσιοστῆς ἔχον, ἑκατοστὴν ἤγαγε; dein vero de Caligula: Καὶ τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε, *& Vectigal* (non *tributum*, ut ibi interpres, & ad marginem ſuperioris loci vir doctus, ut aliunde, & ex adductis Taciti verbis *Centeſimæ vectigal*, ſat liquet) *Centeſimæ ſuſtulit.* Quæ nempe, cum Taciti ac Suetonii auctoritate; tum, prout de alio, de quo mox, Galbæ nummo ait magnus Caſaubonus, *inuicto* memorati nummi ſub Caligula percuſſi cum *Remiſſæ* ſub eo *Ducenteſimæ* mentione, nempe R. CC. *argumento* abunde conuelluntur; neque inſuper admittendam eſſe liquet Torrentii, ad Suetonii ea de re locum, notationem; quaſi nempe e dictis Dionis prioribus eam in rem verbis utraque *Centeſimæ* vel *Ducenteſimæ* lectio admitti ibi poſſet. Aliud quippe erat *Centeſimæ*, quod hactenus ſecundum Taciti ac Suetonii, adde & nummorum teſtimonia, pendiſſent Romani & Itali, auctionum nempe ſeu rerum venalium, aliud *Ducenteſimæ* demum, quod erat dimidia parte leuius, vectigal. Ut neque iam opus ſit hic multis aliam huius

In Calig. c. XVI.

[a] Adu. l. XXVII. c. 20.

[b] Not. ad Sueton. Calig. c. XVI.

Ann. I. c. 78.

Annal. II. c. 42.

Lib. LVIII. p. 631.

Lib. LIX p. 647.

Caligulæ nummi adlatam nuper interpretationem redarguere : ut nempe literis illis in eo expressis R. CC. *Restituti Circenses* designentur. Quod (præterquam quod id superiora abunde destruant) vel inde quòd nulla de abolitis ante Caligulam, aut *restitutis* sub eo *Circensibus* occurrat in monumentis eorum temporum mentio, aut vero *Circensium* expressa in aliis illo duplici literarum CC. compendio memoria; est abunde a viro haud vulgari eruditione ac Orientis insuper linguarum peritia commendatissimo [a] Gallando, cum mea etiam laude, explosum.

In Diar. Treuult. 1702. Septemb.

a Epistol. Galland. in Diar. Treuult. ut supra, & in Elect. R. Num. Hamburgi.

2. *De* Augusti *nummo cum inscr.* CC. AUGUSTI.

Neque vero hic est prætereunda alterius cuiusdam nummi, cum iisdem duabus literis CC, & addito AUGUSTI nomine, commemoratio. Quem prius a [a] celebri Antiquario descriptum, in lucem dein, adductis variis eius interpretationibus, protulit præstantissimus [b] Morellius, hinc cum Augusti capite in priori illius nummi area ac nomine AUGUSTUS; illinc cum Cippo seu Columna, in qua legitur CC. AUGUSTI, circum L. CANINIUS GALLUS IIIVIR. Eiusdem vero nummi accuratam ad me ab eximio Regii Borussorum Thesauri custode Johanne Carolo Schotto missam iconem, uti & prioris *Remissæ* a Caligula *Ducentesimæ*, seu R. CC, ac opportuno quidem eam in rem loco, ubi pridem a me facta erat postremi huius nummi mentio, hic subdam.

a Vaill. Præst. Num. p. 23. P. II.

b Specim. Tab. VIII.

Haud una vero, quod modo innui, ac vel ex memorato Morellii Specimine constare potest, traditur inscriptionis CC. AUGUSTI in priori illo nummo explicatio; nempe vel de *Ducentesimæ* vectigali, quod induxerit scilicet Augustus; vel de statua, quæ *Communi Consensu*, prout hæc inscriptio in alio eiusdem Augusti nummo legitur, fuerit erecta, vel de Cippo seu Milliario lapide ob Vias Munitas, sicut id quoque in denario Gentis Viniciæ obuium, posito; vel, ut celebri Antiquario videbatur, quæ literæ CC. referantur ad *ducenta* hominum *millia*, quibus, ut ea de re Dio Cassius, frumentum publicum ab Augusto concessum fuerit. Quibus addi insuper debent tres aliæ adhuc interpretationes, e quibus duæ sunt dein etiam vulgatæ: prior, & quæ una, ut de ea dicitur, reliquas omnes excludat & remoueat, nempe [a] *Circenses Cæsaris Augusti*; altera laudati paullo ante eruditissimi Gallandi, qua [b] *Caii Cæsaris Augusti* nomina designari demum putat; Cippo autem, cui illa sunt inscripta, *Aureum Milliarium*, seu *Columnam auream* vel *inauratam* designari, quam, ut ea de re Dio, in foro collocari curauerit Augustus, in quam omnes circa Romam viæ, quarum cura ei fuerat delata, desinerent. Quibus accedit noua de eodem nummo laudati modo Johannis Caroli Schotti, præstantissimi Begeri, auunculi sui, spartam feliciter nacti & exornantis, suis ad me literis expressa, & de qua meam sententiam exposcebat, coniectura; nempe quam, ob ea, quibus aliæ interpretationes a Morellio ad-

J. Vaillant ut supra.

Lib. LV. p. 554.

a Diar. Treuult. 1701. Jul. & Aug.

b Diar. Treuult. Sept. & in Elect. Rei Num.

Lib. LIV. p. 526.

adductæ laborare ei videbantur, incommoda, ei suppeditauerit Suetonius, dum ab illo de Augusto dicitur: *Ad tres Judicum centurias quartam addidit ex inferiore censu, quæ* DUCENARIORUM *vocaretur, iudicaretque de leuioribus summis.* Ad quod proinde institutum respici forte illo nummo, eamque eius inscriptionem CC. AUGUSTI de his *Ducenariis* ab Augusto institutis explicandam arbitratur. Cui tamen ingeniosæ viri præstantis, & cuius laudibus animitus faueo, eoniecturæ, ne continuo accedam, facit, quod, quum *Ducentesima*, sicut *Centesima*, de vectigali, ut *Vicesima*, *Quadragesima*, *Quinquagesima* vulgo a Romanis, uti etiam, & qua de re mox, a Græcis εἰκοστὴ, τεσσαρακοστὴ, πεντηκοστὴ, ἑκατοστὴ, &c. dicerentur, bene utique nummi inscripti R. CC. aut R. XL. vel *Remissa* XXXX, de *Remissa Ducentesima*, aut *Quadragesima*, accedente Auctorum veterum testimonio, explicandi veniunt. Quod verò geminum CC, sine alio insuper eius rei indicio, ut in hoc Augusti nummo, de *Ducenariis Judicibus* ab eo constitutis, seu *quartâ* eorum *decuriâ* tribus prioribus additâ, continuo intelligendum sit, statui itidem non potest. Neque forte illius facti, seu *Ducenariorum* id genus *Judicum* ab Augusto reliquis iam constitutis superadditorum, ea ratio exstitit; ut id ad posterorum memoriam solemni Cippo eam in rem erecto tradi, tum nummis etiam consignari, continuo meruerit; aut vero ad eandem rem, eamque singularem, designandam, una geminæ literæ CC. eum solo AUGUSTI nomine scriptura foret adhibita. Neque tamen de *Ducentesimæ*, quod in Caligulæ nummo iisdem geminis literis CC signari vidimus, vectigali intelligi easdem posse in adducto Augusti nummo, vel inde constare potest, quod non *Ducentesima*, sed *Centesima* ab Augusto, ut vidimus, & quæ primis Tiberii temporibus adhue vigebat, sit inducta; tum quod, ut bene id monuit iam Morellius, *Remissa* quidem vel *Abolita* ab Imperatoribus id genus *Vectigalia*, *Tributa*, aliaue debitorum *Reliqua*, vel onera, ceu insignia quædam eorum Liberalitatis vel Beneficentiæ exempla, legantur subinde in eorum nummis, ad posterorum memoriam vel exemplum prodita: nuspiam vero eadem, populo sæpe ne illa edicerentur, aut vero ut abolerentur, depreeante, quæ ab iis principibus inducta primum fuerant, sint continuo in eorum nummis celebrata. Neque *Circenses Cæsaris Augusti*, illa inscriptione CC. AUGUSTI, designari, haud magis quam literis in nummo Caligulæ R. CC. *Restituti Circenses*, vel inde sat liquet, quod *Circenses* statis temporibus ac locis sub Augusto, uti iam ante sub Iulio, ac liberæ urbis temporibus, ac dein sub eius Succeſſoribus, sint in urbe acti; quorum spectaculis impense delectatum eundem Augustum tradit Suetonius; quod nulla proinde peculiaris causa vel ratio subesset, ut horum *Circensium* in Cippo seu Columna, & eum solo *Augusti* nomine, signaretur memoria. Adde, quòd nulla id genus spectaculi in eodem nummo, sicut alioquin in aliis, qui ad solemnes hosce ludos respiciunt, consignata conspiciantur symbola, uti Metæ seu Obelisci, Bigæ, Quadrigæ; quodque nusquam unâ literâ C, vel geminâ etiam CC, ut bene id monuit eruditissimus Gallandus, designari *Circenses* in nummis videas, idque redarguat unus ille Hadriani, in quo is anno D. CCCLXXIIII. NAT. URB. P. CIRC. CONC. *Natali Urbis Populo Circenses Concessit*, seu quo teste, ut visum dictæ modo de hoc nummo sententiæ Auctori, *Plebeii Circenses Constituti.* In Aug. c. XLIV.

Hæc autem scripseram, quum, consulto a me eruditissimi Harduini Selectorum Operum, quod haud ita pridem prodiit, volumine, ut quid is forte de eo nummo statuisset, aduerterem; vidi continuo eum auctorem esse illius explicationis Diario Treuultiano de hoc nummo insertæ; item alterius etiam sententiæ de Caligulæ, quem iam expendimus, nummo, R. CC, hoc est, *Restituti Circenses*. Quod ipsemet agnoscit, ubi ita de eo agit in Historia Augusta e Nummis Antiquis Restituta: "In medio (num-
Select. Oper. p. 715. „ mo nempe) R. CC. *Restituti Circenses*, ut vidimus in Diario Treuul-
„ tiano. De quibus tamen *Circensibus* ante hunc Caium abolitis, aut ab eodem *restitutis*, altum est apud veteres rerum Romanarum Scriptores silentium. Præter vero, de *Remissa* a Caio *Ducentesima*, quam pro *Centesima* inuexerat Tiberius, manifesta apud Suetonium ac Tacitum verba, ipse insuper, & qua de re mox, in quibusdam Galbæ nummis, literæ R, in aliis vero cum integris literis REMISSA vel REMISSÆ, *Quadragesima* nempe, conspectus abunde eam sententiam redarguit. Aliam vero de eodem Augusti nummo coniecturam mitto, ut nempe literæ illæ CC. de *Communi Consensu* explicentur, prout legitur in alio eiusdem principis nummo, & quidem in Cippi medio similiter, IMP. CÆS. AUGUS. COM. CONS. neque proinde cum duabus solum initialibus literis CC. citra punctum intermedium, sed dimidiis vocibus COMM. CONS. aut, prout in alio eiusdem Augusti iam Diui nummo legitur, CONSENSU SENAT. ET. EQ. ORDINIS S. P. Q. R. Quibus addi insuper possunt alii, & cum geminis itidem CC, Claudii Neronis & Galbæ nummi, inscripti CC. I. B. vel EX CON. D. C. C. I. B., nempe, quod viderunt iam præstantes Antiquarii, *Coloniæ*
Vaill. de Num. Colon. *Campestris Juliæ Babbæ*, vel *Ex Consensu Decurionum Coloniæ Campestris Juliæ Babbæ*; sed quæ omnino ad superiorem Augusti nummum nihil attinent. Adde, quòd Senatus Populique Romani *Communi Consensu* hunc vel illum honorem Augusto decretum innuant quidem memorati aliquot eius nummi; non vero *Communi Consensu Augusti* tale quid factum dici in iis possit. Adeo ut, missis itidem aliis de eodem Augusti nummo inscripto CC. AUGUSTI coniecturis, ea, neque longe petita, quam adtulit eruditissimus Gallandus, potior omnino videatur, de meris nempe *Caii Cæsaris Augusti* nominibus in eo Cippi, seu Columnæ illius, medio incisis, quam in foro, post susceptam de Viis Muniendis demandatam sibi curam, extrui iusserat Augustus. Id forte posset hic aliquantum remorari, quod e duabus illis literis CC. prima, quæ lineam non absoluit, nullum punctum habeat intermedium, ut fieri cæteroquin solet, ubi id genus initialibus literis vox aliqua vel nomen in antiquis nummorum, lapidum, Auctorumue monumentis designatur; atque ubi ita C. CÆS. seu *Caius Cæsar* dicitur idem Augustus, quum tamen tria illa coniuncta *Caii Cæsaris Augusti* nomina in eius nummis vix eidem tribui videas: sed tantum vel C. CÆSAR aut IMP. CÆSAR, priusquam AUGUSTUS fuisset a Senatu Populoque Romano appellatus. Exin vero, omisso CAII prænomine, & quod ad adoptatum ab eo Agrippæ & Juliæ filium, CAIUM, & CAIUM CÆSAREM in nummis dictum, transierit; ipse CÆSAR AUGUSTUS, aut IMP. CÆS. vel IMP. CÆS. AUGUSTUS, vel AUGUSTUS tantum, sit deinceps in iis, haud vero cum tribus nominibus C. CÆSAR AUGUSTUS, quantum equidem e descriptis hactenus illius nummis liquere potest, nuncupa-

cupatus. Quamquam, quum ita eum vocari in veteri Inscriptione videam, nempe C. CÆSARI AUGUSTO F. C. *&c.* illeque omnino tria nomina, præter gentile OCTAVII, &, post adoptionem, OCTAVIANI, sed quæ e nummis eius exulant, tulerit; haud reiicienda videtur, saltem donec opportunior se forte offerat, illa Augustei huius nummi tradita, ut diximus, ab eruditissimo Gallando explicatio, ut Caninius Gallus Triumuir Monetalis positam ab Augusto in foro inauratam columnam, ob demandatam sibi Viarum circa Urbem Romam curam, in eius nummo, una cum illius nominibus, signandam crediderit. Thes. Grut. CCXXVIII, 4.

3. *De Quadragesima remissa.*

Uti vero *Remissæ* a Caligula Populo Romano *Ducentesimæ*, præter Suetonium, luculentum insuper testem, insignem nempe illius Imperatoris nummum, adduximus; ita similis beneficentiæ ab Imperatore Galba præstitæ, & de qua neutiquam aliunde nobis constaret, præclarum utique testimonium perhibent insignes aliquot eius nummi. Cuiusmodi equidem præcipuus est ille, cuius a me, inter cimelia Cardinalis de Maximis & Abbatis Bracesii una tecum aliquoties Romæ inspecti, ac a doctissimo Casaubono ad Suetonium iam adducti, facta est pridem commemoratio; in quo hinc SER. GALBÆ IMP. AUG. caput ac nomen, illinc Arcus, de quo mox, cum memorabili inscriptione QUADRAGENS. REMISSÆ, aut cum integris etiam literis in priori voce, QUADRAGENSUMA REMISSA. Immo de quo nummo ipsa viri magni ad Tranquillum verba adferenda ibidem duximus: „ Galbam reuocasse abolitionem QUADRAGESIMÆ docemur nos inuicto ar- „ gumento nummi veteris, qui ex S. C. ad tradendam posteris eius bene- „ ficii memoriam & honorem Galbæ, fuit percussus; eum nummum infra „ subiecimus. Principum enim breuioris ævi, quod vere ibi observat ὁ πάνυ, facta negligentius ab Historicis esse tradita, plures præclari huius Galbæ, & qui proxime ei successerunt, adde & Neruæ, de quibus mox, nummi luculenter ostendunt. Quales insuper alii adhuc exstant, iique partim a præclaris Antiquariis iam itidem descripti, aut in illustribus cimeliarchiis vel Musæis adhuc conspicui, in quibus vel [a] REMISSÆ XXXX. cum Arcu aut Porticu, sed sine aliis figuris: aut [b] cum Arcu duplici, & desuper quatuor Equis; aut [c] ROMA R. XL. cum Romæ figura stante, galeata, ac Tropæo innixa, & quæ dextra Victoriolam tenet; vel LIBERTAS XL. R. cum Muliere stolata, quæ dextra Pileum, læua Hastam puram gestat, seu solito *Libertatis* typo. E quibus autem, iisque paullo ante memoratis, & quidem cum inscriptione integra, indeque insigniore, in illustris Foucaultii nummo, QUADRAGENSUMA REMISSA, aliisque cum XXXX. REMISSA, & ROMA R. XL. totidem huius beneficentiæ a Galba indultæ indicibus nummis, sequentes icones hic prostant. Ibidem. Not. in Galba c. XV.

a Vaill. Præst. Num. p. 23. P. r.
b Patin. Thes. Num. p. 146. Numism. Imp. p. 97.
c Ibid. in Thes.

Qui nummi, cum singuli unum GALBÆ IMP. nomen & vultum præferant in priori eorum area, id utique luculenter videntur arguere, quòd, omissa etiam omni Galbæ mentione, minus vere huius Vectigalis abolitionem a Nerone arcessit Tacitus: *Manet tamen* ABOLITO QUADRAGESIMÆ *Quinquagesimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerunt:* quum tamen Galbæ præcipuum hoc fuisse beneficium constet *inuicto*, non huius solum nummi, sed aliorum insuper, qui idem illud eius beneficium cum aliis etiam symbolis & inscriptionibus prædicant, *argumento.*

Annal. XIII. c. 51.

Neque enim audiendus hic doctissimus Reinesius, qui illam a Tacito traditam Neronis abolitionem, de *Quadragesima* summæ litium a Caligula, iuxta Suetonium, inuecta interpretabatur, & in qua sententia fuisse ante illum video duos clari nominis Jurisconsultos, magnum [a] Cuiacium & [b] Pancirollum. Clare enim eo loco Tacitus de abolitione Vectigalium, quæ paullo ante [c] *Portoria* appellauerat, & coërcitis, qui eadem exigere consueuerant, publicanis, loquitur: ut non alia ibi sit *Quadragesima*, quam ea de qua agit Quintilianus: [d] *Præter instrumenta itineris, omnes res* QUADRAGESIMAM *publicano debeant*; aut Suetonius, qui [e] *Publicum Quadragesimæ in Asia* memorat, ut eadem loca opportune iam notauit ad [f] Tacitum Lipsius, ac prout apud Eusebium, ut hoc addam, legas [g] τὸ τῆς Ασίας δημόσιον ἀρχεῖον, *publicum Asiæ tabularium*, ut bene hæc vertit doctissimus Valesius. Adeo ut non debuerit omnino adferere ὁ πάνυ [h] Cuiacius, haud aliam fuisse *Quadragesimam*, præter eam summarum, de quibus litigabatur; cæterarum vero vectigal fuisse *Centesimam* aut *Quinquagesimam.* Quod, præter adducta modo clarissima testimonia, & apud Symmachum *Quadragesimæ portorium seu vectigal*, refellit insuper vetus inscriptio: QUINCIO AUG. LIB. TABULARIUS XXXX. GALLIARUM, quam vere de *Tabulario Quadragesimæ* interpretatur eruditissimus Reinesius, ac priorem sententiam suam iure reuocat de mutandis illis denariorum notis, quasi de *Quatuor Galliis* ibi foret mentio. Adde, quòd in altero insuper, apud Sponium, lapide dicatur quidam PLACIDUS CÆSARIS (nempe LIB. seu *Libertus*, literis ibi exesis) EX STATIONE XXXX. GALLIARUM, ac ubi de *Quadragesima* bene easdem quatuor denariorum notas explicari videas; quod itidem luculenter adstruunt memoratæ supra huius *Quadragesimæ* a Galba in Urbe, ac forte etiam in Italia, abolitæ in nummis eius inscriptiones, XXXX. REMISSA, aut REMISSÆ XXXX, sicut in aliis R. XL. aut XL. R. Haud aliter ac alibi in alio marmore, apud eundem eximium Sponium, inter alia dicitur quidam *C. Furius Sabinus Aquila* PROC. PROV. ASIÆ VICE XX. ET XXXX. & VICE PROC. XXXX. seu *Procurator Prouinciæ Asiæ Vice Vicesimæ Et Quadragesimæ*; item *Vice Procurator Quadragesimæ*, nempe, quæ ibi præcesserant, *Prouinciæ Ponti Bithyniæ Paphlagoniæ.* E quibus proinde numeris, ut hoc addam, liquet adpositè *Tabularios* id genus, quorum officium erat publicas ciuitatum rationes tractare, *Numerarios* etiam appellatos, ut e Notitia Imperii & utroque Codice constat, iisque quæ ad Theodosianum monuit doctissimus eius editor ac interpres: de quibus autem extat in eodem Codice hæc Valentiniani Senioris constitutio: NUMERARII *qui appellari consueuerant, Consularium ac Præsidum duntaxat*, TABULARII *posthac nostra sanctione vocabuntur*; quo nempe a *Numerariis* Præfecti Prætorio, ut ibi laudatus inter-

Syntag. Inscr. p. 563.

In Calig. c. XL.

a Obs. l. VI. c. 28.
b Var. l. III. c. 31.
c Ut supra.

d Declam. CCCLIX.
e In Vespas. c. I.
f Ut supra ad Ann. XIII. c. 51.
g H. Eccl. l. V. c. 18.

h Ut supra.

Lib. V. Epist. 63.

Ut supra Synt. Inscr. p. 563.

Misc. p. 217.

Ibid. p. 148.

J. Gothofr. ad Leg. IV. C. Th. de Numer. & in Paratitlo. Leg. IX. eodem.

terpres, diſtinguantur. Eam vero, de qua hic agitur, *Quadrageſimam* a Galba *Remiſſam*, Symmachi æuo iterum perſolui ſolitam, monuit iam ad Tacitum, ubi illa a Nerone *abolita* dicitur, Lipſius. Alioquin non iam *Quadrageſimæ portorium* ſeu *vectigal*, ſed REMISSAM ſibi a *Galba quartam Tributorum partem* iactantes Gallos alibi inducit idem Annalium Scriptor. Ut vero XXXX. ſeu *Quadrageſimæ*, ſic XX. etiam ſeu *Viceſimæ* VICE PROC. ſeu *Procurator Aſiæ* legitur in adducto paullo ante Marmore; quod non *Quadrageſima* ſolum, aut *Centeſima*, vel *Quinquageſima*, iuxta magnum Cuiacium, de *vectigali* ſeu *portorio* diceretur, ſed etiam *Viceſima*. Cuius autem *Viceſimæ*, uti de *Quadrageſima* itidem vidimus, haud unum erat genus: unum quidem, & de quo haud ita pridem alibi egimus, illudque ab Auguſto inductum, *Viceſima Hæreditatum:* alterum eorum, qui *Manumittebantur*; ad quam *Viceſimam* reſpexit Arrianus: Εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει, *Viceſimam eius dare oportet*; alibi autem: Δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; *Eone putatis, quod pecuniam dare cupiat Viceſimæ redemptoribus?* non, ut vertit prior interpres Εἰκοστώνας, *pro teſſera vendentibus*, quod unde hauſerit, fateor me neſcire; errare autem certo ſcio, & ſciuit etiam alter interpres Wolfius, ut poſtea animaduerti, qui *publicanos* hic vertit: *Viceſimam*, ſicut alia Vectigalia, redimebant certo pretio publicani, unde paſſim, ut vulgo notum, dicti in genere τελῶναι ſeu *Vectigalium redemptores*, *Viceſimæ* puta, vel *Quadrageſimæ*, & cuiusmodi priores Εἰκοστώνας una voce vocat ibi adpoſite Arrianus, qui illius Εἰκοστῆς ſeu *Viceſimæ* iam ante meminerat. Sic Δεκατῶναι *decimarum redemptores*, ab Anaxila dicti, apud [a] Pollucem. *Decimarum* nempe *redemptores*, ut ex [b] Demoſthene, eiusque interprete Ulpiano, monuerunt iam [c] alii, ex Helleſponto Athenas commeabant; ac prout in genere τῶν ὠνημένων τὰ τέλη, ſeu, τέλη ὠνούντων παρὰ τῆς πόλεως, *redimentium vectigalia ab urbe* fit apud Xenophontem, ubi de [d] Reditibus Athenienſium ab eo agitur, mentio; & de Hiſpanis a Senatu petentibus apud Liuium: [e] *Neue cogeret Viceſimas vendere Hiſpanos.* Quomodo etiam *Redemptores* iidem apud Romanos olim dicti, ſicut a Cicerone, & aliquoties, ut obſeruo, apud veteres Jurisconſultos: [f] *Curatores operum Redemptoribus negotium dant*, ac [g] alibi in lege de Cotoriis. Cuiusmodi cæteroquin Εἰκοστῶναι, apud Athenienſes, Εἰκοστολόγοι quoque ſunt dicti apud Ariſtophanem, quæque vox in nouiſſimo ad eum Comicum indice haud erat prætereunda: Εἰκοστολόγος κακοδαίμων, *viceſimæ collector maleficus.* Εἰκοστὴς præterea τῶν γιγνομένων, ſeu *Viceſimæ prouentuum*, tributum in Piſiſtrati ac filiorum tyrannide Athenas inuectam tradit Thucydides, ut ad Harpocratem meum pridem notaui. Quale cæteroquin, quod aliunde conſtat, & ab eruditiſſimo Meurſio (qui iſtud de *Viceſima* haud adtigit) e Prouerbiorum Græcorum collectoribus eſt obſeruatum, e *Decimis* agrorum tributum apud Athenienſes, ab eodem Piſiſtrato inductum dicitur. In inſcriptione vero Athenienſi, ſed ſequentium longe poſt temporum, eorumque tum ſub Romano imperio, apud diligentiſſimum Sponium legitur *Calpurnius* quidem *Miletus* Εἰκοστῆς Ελευθερεὺς Οἰκόνομος, ſeu, ut Latinis in eadem literis dicitur, PUBL. XX. LIB. *Publicanus Viceſimæ Libertus.* *Quadrageſimæ* vero ſeu Τεσσαρακοστῆς apud Athenienſes etiam receptæ, in eam certe urbem ab Euripide illatæ, unus, quod equidem norim, & quod pridem ad hunc locum

Hiſt. I. c. 51.

Orb. Roman. p. 159.

Diſſ. LII. c. I.

Ibid. LIII. c. 26.

a Lib. IX. c. V. §. 29.

b Adu. Leptin.

c Sigon. de Rep. Athen. & Selden. ad Marmor. Oxon. p. 45.

d De Rep. Athen. c. III. §. 19, 20.

e Lib. XLIII. c. 2.

f Ulp. Leg. II. D. de Oper. Publ.

g Leg. XV. de Publican.

Ran. v. 366.

Lib. VI. c. 54.

In Piſiſtrat. c. VI. & VIII.

Itin. To. III. p. 19. P. II.

locum vidimus, meminit alibi Aristophanes; eiusque non portorii quidem, seu rerum venalium vectigalis, sicut signata, in adductis Galbæ apud Romanos nummis *Quadragesima*; sed, ut id & a veteri Scholiaste explicatur, ex uniuscuiusque facultatibus: omnes nempe, quod ait Comicus, deierasse:

Concion. v. 819.

Τάλαντ' ἔσεσθαι πεντακόσια τῇ πόλει
ΤΗΣ ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΗΣ, ἣν εὑπόρισ' Εὐριπίδης·

Quingenta mox Reipublicæ talenta fore EX QUADRAGESIMA, *quam excogitauit Euripides.* Sed quod immane tributum continuo abolitum, immo neque ab Athenienſibus admiſſum, vel inde licet ſtatuere, quòd nulla illius, ſicut alioquin δεκάτης, εἰκοστῆς, πεντηκοστῆς, *Decimæ*, *Viceſimæ*, *Quinquageſimæ* (adde & ἑκατοστῆς ſeu *Centeſimæ* apud Xenophontem) occurrat apud Auctores Atticos, quod equidem ſciam, mentio.

De Rep. Athen. c. 1. §. 17.

4. *De Reliquis ab* Hadriano *abolitis.*

Ad quæ autem REMISSA non ſolum ab Imperatoribus VECTIGALIA, ſed quandoque etiam grauiſſima ſimul TRIBUTORUM onera, ſpectat memorabilis illa Hadriani Liberalitas; iuxta quam ABOLITA ſunt, Fiſco Principis ac Ærario Populi Romani debita ab annis ſedecim, RELIQUA, & quidem crematis in urbis foro debitorum chartis ſeu ſyngraphis: quod [a] Dio, [b] Spartianus, [c] Euſebius, [d] Caſſiodorus, [e] vetus Collectio Chronicorum e Thoromacho, [f] Zonaras, ut de Auſonio ſileam, qui id male Traiano, ut hodie apud eum legitur, [g] tribuit, tradidere. Immo cuius immenſæ, & qualis ante non exſtiterat, largitionis *ingentes*, ut de iis Spartianus, *ſummas*, cum in veteri lapide, de quo paullo poſt, tum in aliquot Hadriani nummis conſignatas etiamnum legimus: nempe RELIQUA VETERA H. S. NOVIES MILL. ABOLITA, ſeu *Seſtertium Nouies Millies*. Adde, quòd ipſam inſignis adeo & ſingularis facti non memoriam ſolum, ſed expreſſam inſuper imaginem, ad noſtram usque ætatem transmiſerint iidem nummi, in quibus Hadrianus, ut de eo hactenus antiquarii, læua Sceptrum, dextra facem accenſam tenet, qua iacentem in terra Chartarum congeriem exurit. Ex iis vero, qui exſtant illius principis nummi, unus eſt a me olim e cimeliis Chriſtinæ Auguſtæ vulgatus, & cui ſimiles dein in Regia Gallorum Gaza aliisque illuſtribus Cimeliarchiis videre mihi non ſolum, ſed quos expendere dein paullo accuratius licuit. Inde autem percipere mihi viſus ſum, non Imperatorem quidem, ſed Lictorem potius effingi, qui ſiniſtra faſcem, non vero ſceptrum, geſtat, dextra vero facem iacentibus chartis admouet; ante eum ſtant ex aduerſo tres, ac interdum quatuor, figuræ; e quibus prior Imperatorem exhibet, dextra ad Lictorem protenſa, & quidem iubentis inſtar, ut chartas illas comburat; poſt Imperatorem vero ſtant duæ, ac interdum tres figuræ, quæ tam inſigni beneficentiæ ſublatis manibus adplaudunt.

a Lib. LXIX. p. 791.
b In Hadr. c. VII.
c In Chronic. p. 166.
d In Chronic.
e Vid. Salmaſ. Not. ad Spartian. Hadr. c. VI.
f Annal. XI. p. 189. To. I.
g Gratiarum Act.

Cuius-

Cuiusmodi autem inſignes Hadriani nummos primus, quod equidem norim, in lucem protulit illuſtris Erizzo; factaque eſt dein eorum ab Occone mentio, ac poſt a magno Scaligero ad Euſebii Chronicon, ubi bene eos Hadriano tribuit. Qualem vero idem in Auſonianis Lectionibus ad Traianum male retulerat, nummo ipſo forte haud inſpecto, & Auſonii idem ibi ſtatuentis auctoritate inductus; aut vero deceptus forte lectione prioris id genus nummorum partis, in qua ille TRAIANUS HADRIANUS inſcribitur; ut poſterius nomen, quod ſæpe accidit, vetuſtate forte exeſum, vix amplius in eo comparuerit. Unde cadit omnis eiusdem Scaligeri, melius dein edocti, ibidem ad Auſonium ſollicitudo; " mirum eſt, quòd „ & Auſonius & numiſma adtribuunt Traiano, quod Hadriano nempe „ adſcribat vetus, quam ibi adfert, Inſcriptio. In Auſonio enim aut *Hadrianus* pro *Traianus* omnino reponendus, ubi ille huius facti in Panegyrico ad Gratianum Auguſtum meminit; aut id eſt omnino inter μνημονικὰ ἁμαρτήματα Auſonii referendum. Mitto, quòd *in foro Traiani* illas debitorum ſyngraphas ab Hadriano combuſtas tradat Spartianus; uti ab Aureliano itidem factum auctor eſt in eius vita Vopiscus. Neque vero, ut hoc addam, id inſolitum, ut Hadriani acta Traiano ſubinde adſcribant auctores; errore forte itidem ex ea nominum communione orto. Ita, quum Hadrianus Publicum Curſum inſtituiſſet, de quo paullo poſt, fiſcalem, Victor Schotti id Traiano tribuit, ac de prima Publici Curſus inſtitutione perperam accepit, quæ Auguſtum auctorem, ut ea de re mox agetur, habuerat. Eandem alioquin Hadriani munificentiam, præter inuictam veterum nummorum & priſci etiam lapidis fidem, ac memoratos paullo ante auctores, adſtruit quoque Abul Pharagius, qui, ut Arabica compendii cauſſa hic omittam, id primum de Hadriano memorat: *Anno imperii ipſius primo debita remiſit, iuſſitque debitores nihil omnino eorum, quibus obſtringebantur, ſoluere. Tributa etiam & Vectigalia fiſco debita hominibus remiſit.*

Animadu. p. 210.

Ad Gratian. Paneg.

Ut ſupra c. 711.

In Aurelian. c. XXIII.

Spartian. in Hadr. c. VII.

Dynaſt. VII. Arab. p. 121. in Verſ. Latin. p. 76.

Per RELIQUA autem, quæ primo loco leguntur in his Hadriani nummis (merentur enim ii omnino paullo accuratius expendi ac illuſtrari) notum eſt equidem vulgo deſignari publica & fiſcalia debita, e reſiduis prouincialium Tributis aut Vectigalibus, pro obuio ac recepto illius vocis uſu in Imperatorum Conſtitutionibus, ac interdum in earum Titulis, Conſtantiniani maxime & ſequentis ævi, & apud Scriptores eorum temporum. Cuiusmodi utique occurrunt paſſim non ſolum *Reliqua*, ſed *Reliqua Publica Tributaria*, *Reliqua in fiſcalibus titulis*, *Reliquationes* etiam; aut *De Indulgentiis Reliquorum*, vel *De Reliquis Publicis non Exigendis*. Quæ autem *Reliqua* inde etiam a Græcis dicta, uti ad Spartianum vidit iam magnus Caſaubonus, ac dein alii, λοιπάδες, λοιπὰ, ἐλλείμματα, & quidem poſtrema voce, ut hoc addam, frequentius apud Auctores Conſtantinianei ſæculi, [a] Julianum, [b] Themiſtium, aliosque; apud Procopium vero, ut ex adductis paullo poſt eius verbis liquebit, λείψανα. Ita verbo ἐλλείπει, a quo *Reliqua* dicta vocantur ἐλλείμματα, uſus eſt eam in rem dictus modo Julianus Imperator de remiſſis a ſe Antiochenſibus tributis: Ὅσα ἐκ τοῦ φθίνοντος ἐλλείπει χρόνου, *quæcunque præteriti temporis Reliqua ſunt*. Etſi vero frequentius de *Reliquis tributariis* ſeu reſiduis tributorum debitis, eadem vox *Reliqua* uſurpari in iisdem Conſtitutionibus, vel apud coæuos

Not. in Hadrian. c. VII.

a Miſopog. p. 365.
b Orat. XI. p. 143.

Epiſt. XLVII. p. 428.

Scriptores soleat; haud minus eadem de *residuis* quoque *Vectigalibus* est adhibita, ut vel e Constitutione Honorii constare potest, a quo inter eos, quibus indulta ab eo *Reliqua*, adnumerantur quoque *Conductores diuersorum Portuum ac Vectigalium*; item *Publicani* & *Telonarii* (sicut alias quoque a Paullo J. C. dicuntur *Reliquatores vectigalium*) immo quæcunque insuper ex omnibus titulis, non *fiscalibus* solum sed *ciuilibus* etiam, ac aliis de causis erant debita, ut vel ex eadem Honorii Constitutione, ac aliunde etiam, qua de re mox adhuc, constat. VETERA autem dicuntur in iisdem Hadriani nummis RELIQUA, prout apud Tacitum: [a] VETERA *Prouinciarum onera*, ac nominatim apud Suetonium: [b] *Tabulæ* VETERUM *Ærarii debitorum*, hoc est, præteriti temporis, sicut eadem vocantur a priscis Jurisconsultis; ut [c] *præteriti temporis vectigal* a Papirio; [d] *præteriti temporis Reliquationes* in Nouella Justiniani; ac nonnunquam *Præterita* tantum, ut de *Præteritis Condonatis* in eadem; alibi, [e] *Reliqua debita a præterito Circulo Indictionis*; iam ante in Valentiniani III. Nouella; [f] *superiorum omnium temporum Reliqua*. Immo prout ΤΑ ΠΑΛΑΙΑ ΣΥΜΒΟΛΑΙΑ, VETERES *syngraphas* siue *tabulas* eorum qui publico aliquid debebant, seu id genus Reliqua, combussisse dicitur a [g] Dione Augustus. Unde etiam eatenus distinguitur concessa hæc ab Hadriano Reliquorum Remissio, seu, ut in Constitutionibus ac Nouellis Constantinianei sæculi ac sequentis est eadem dicta, [h] *Indulgentia*, ab ea, qua non præterita, sed futura demum Tributa relaxabantur, & qua de re exstat Justiniani Nouella [i] *de Releuatione Tributorum publicorum*; ac prout *relenandi* ac *relenationis* voces eam in rem sunt adhibitæ; uti adhuc aliunde, & ex Constitutione Theodosii Junioris in eius Codice demum obuia fit manifestum, [k] *De Conditione Releuatarum & Donatarum Possessionum*. Neque tamen promiscue, ut in memorata modo Valentiniani III. Nouella, *superiorum omnium temporum*, verum, ut a Dione, ac duobus quidem locis, traditur, [l] τὰ ὀφειλόμενα ἑκκαίδεκα, *sedecim annorum* RELIQUA, eaque tam Fisco quam Populi Romani Ærario, ut ab illo additur, debita, sint tum ab Hadriano *Remissa*, seu, ut in eius nummis legitur, ABOLITA. Ita triplo ferme adhuc maior M. Antonini Imperatoris indulgentia extitit, a quo Reliqua sex & quadraginta annorum, Fisco itidem ac Ærario debita, condonata tradit alibi, ut vidit in Eusebianis [m] Scaliger, idem [n] Dio. Unde etiam prima velut Indictionum exempla colligit ibidem ὁ πάνυ; & ex Hadriani indulgentia annorum sedecim, seu quindecim absolutis, Marci autem quadraginta quinque absolutis itidem, annos sexaginta, seu quatuor completas Indictiones effici, per quas nempe eiusmodi fiscalium debitorum remissiones fieri solerent. Id autem mirari haud parum subit, quòd cum illam Hadriani annorum XVI. seu XV. completorum, tum M. Antonini annorum XLV. completorum similiter indulgentiam seu Remissionem, computandam statuat ibi ὁ πάνυ, a primo Hadriani anno, Christi autem CXVII. easdem vero quatuor Indictiones simul iunctas desinere in annum Christi Dionysianum CLXXVII. In quibus utique humani quid passus est vir maximus, dum non aduertit, ad Hadrianum quod adtinet, de remissis ab eo præteriti temporis annorum sedecim, non vero de releuatis in futurum totidem annorum tributis, ibi apud Eusebium, & antiquiores, unde ille id hauserat, Auctores omnino agi, quæ Dioni utique τὰ ὀφειλόμενα,

ut

Leg III. C. Th. de Indulg. Debit.

a Annal. l. IV. c. 6.
b In Aug. c. XXXII.
c Leg. VII. D. de Publican.
d Nou. CLXIII. 2.
e Nou. CLXVII.
f Nou. VII. post Cod. Theod. To. VI.
g Lib. LVII. p. 497.
h Vid. lib. XI. Tit. XXVIII. C. Th. de Indulg. Debit.
i Nou. CLXXII.
k Leg. V C. Th. de Collat. Donat.
l Lib. LXIX. p. 791. & l. LXXI. p. 814.
m Animadu. p. 210.
n Ut supra l. LXXI. p. 814.

ut vidimus, & Spartiano, ex *Reliquis ingentes ſummæ* dicuntur; immo quod ipſa, quæ ibi cæteroquin ante oculos habuit & adduxit, RELIQUA VETERA, in Hadriani ea de re nummis prodita, prorſus euincebant. Unde, ne cum hac Hadriani *annorum ſedecim*, ut diximus, indulgentia, illa *quadraginta ſex annorum* a M. Antonino conceſſa coniungeretur; ac inde continuo quatuor indictiones fierent, quæ a primo Hadriani anno, Chriſti autem CXVII. inciperent, ac deſinerent anno Chriſti CLXXVII. obſtabat continuo inuicta illa nummorum Hadriani, qui de *Abolitis* ab eo *Veteribus*, ac proinde præteriti non futuri temporis, *Reliquis* ſunt intelligendi, & quibus ſuffragantur, qui de illa agunt, veteres Scriptores, auctoritas. Ut nunc mittam Antonini Pii, inter Hadrianum & eundem Marcum, XXIII. annorum imperium: a quo autem Pio, anno Chriſti CXLVII. ſimilem debitorum remiſſionem, exuſtis itidem fiscalibus tabulis, indultam, e Chronico Caſauboniano memorat ibidem Scaliger; in Paſchali autem ſeu Alexandrino, quæcunque ſit eius rei fides, hodie quoque legitur. Quod alioquin factum de M. Antonino tradit etiam Oroſius: *Præteriti autem temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaque ſimul fiſcalium negotiorum calumnioſa monumenta congeſta in foro iuſſit incendi.* Id cæteroquin de eodem Marco obſeruat alibi Cocceianus Dio, eum miſſis ad ſe gentium ſeu prouinciarum legatis, pro ſingulorum meritis, vel ius ciuitatis Romanæ, vel immunitatem, vel *perpetuam*, *aut vero ad tempus aliquod*, *tributi remiſſionem indulſiſſe*, ἢ ἀίδιον, ἢ καὶ πρὸς χρόνον τινα, ἄνεσιν τοῦ φόρου λαβεῖν. Quomodo ab Hadriano iam ante, præter generalem ſedecim annorum præteriti temporis indulgentiam, *plurimos tributis liberos* in poſterum factos, docent Caſſiodorus, & a Salmaſio ad Spartianum adducta vetus Chronicorum Collectio. Quod aliis quoque Imperatoribus haud inſolitum, cum aliunde, tum ex eorum Conſtitutionibus de *Immunitate Conceſſa*, liquere etiamnum poteſt. Ad hanc vero omnibus Romano Imperio ſubiectis, & quidem *ſedecim annorum* ab Hadriano impertitam RELIQUORUM remiſſionem quod adtinet, eandem ſat diuerſam licet ſtatuere ab ea, quam uni forte vel alteri in Aſia urbi, graui calamitate preſſæ, conceſſiſſe apud Tacitum vel Suetonium leguntur Tiberius & Claudius: uti Cybaritis & Æginenſibus [a] *in triennium*, aut [b] Byzantiis ac [c] Sardianis in *quinquennium*, aliisue quibusdam Aſiæ ciuitatibus nocturno terræ motu, iuxta Sardianos, collapſis; quas [d] *leuari in tempus tributis* placuit. Ne addam hic iam vel Flauienſes Æduos, quibus a Conſtantio Chloro, non a Conſtantino M. eius filio, ut de eo doctiſſimus J. Gothofredus, *quinque annorum* tributa remiſſa prædicat in illius Panegyrico Eumenius; aut Antiochenſes a Juliano condonatos cum Reliquorum, tum conſuetarum in futurum quinquennium Collationum remiſſione. Quam proinde inſignem, ac iuxta ſolemnem ea de re inſcriptionem marmori tum inciſam, prius haud viſam Hadriani *Sedecim Annorum* liberalitatem non æquauit ſolum, ſed ſuperauit haud longe poſt, iuxta Dionis, ut vidimus, ea de re narrationem, M. Antoninus; ac dein, poſt aliquot ſæcula, ut hoc addam, Theodoſius Junior. Huius enim duæ leguntur Conſtitutiones; una, qua debita e quocunque titulo *Quadraginta Annorum*; altera, qua proximorum dein *Viginti Annorum Reliqua*, atque ita ab anno Chriſti CCCLXVIII. ad Annum CCCCXXVIII. munifice indulget. Quæ autem, vel Hadriani *ſedecim*, vel

In Hadrian. c. VII.

Pag. 266. ed. du Cange.

Lib. VII. c. 15.

Lib. LXXI. p. 809.

Not. in Hadrian. c. VII.

Lib. XI. Tit. XII. Cod. Th.

a Annal. IV. c. 13.
b Annal. XII. c. 63.
c Annal. II. c. 47.
d Ibidem.

Com. ad Leg. 1. de Indulg. Debit.

Miſopog. p. 365.

Leg. IX. C. Th. de Indulg. Debit.

Leg XVI. eodem.

Junioris Theodosii cum *viginti*, tum *quadraginta annorum*, in remittendis Fisco vel Ærario debitis, Liberalitas valde aliena utique exstitit, ab illo, libera adhuc Republica, aut Sullæ, aut Cassii, aut M. Antonii facto: quo priorem Græcis Asianis, [a] *quinque*; alterum, [b] *decem*; postremum, uno dempto, [c] *nouem annorum tributa*, eaque citra moram, vel intra biennium, soluenda imperasse, tradit diuersis locis Appianus.

a Mithridat. p. 213.
b Bell. Ciu. l. v. p. 632.
c Ibid. p. 675.

Verum quam ingens & quanta fuerit eadem, de qua hic agitur, Hadriani indulgentia, nouo, & quale haud in aliis hactenus vel Imperatorum, vel aliorum Regum aut Principum, ab omni forte æuo, nummis legitur, exemplo, adducti supra eius nummi, sicut vetus etiam, ut vidimus, lapis, ostentant, nempe HS. NOVIES MILL. ABOLITA, *Sestertium Nouies Millies.* Quæ memorabilis inscriptio nonnulla continuo haud protrita, eaque hic omnino aduertenda, nobis ante oculos ponit: illudque primo haud mirum videri debet, accuratam adeo summam *sedecim annorum* præteriti temporis *Reliquorum*, quæ deberent Romano imperio subiecti, hic descriptam intueri. Notum quippe e Constitutionibus Imperatorum, aliisue subinde lapidum vel Auctorum, maxime sæculi Constantinianei eique proximi, monumentis, Tabularios olim constitutos, qui accuratius publicorum debitorum rationes tenerent, easque quadrimestribus, de quibus paullo post, Breuibus contentas Rectoribus Prouinciarum vel Exactoribus traderent; in quibus Breuibus, a quo & quantum id genus *Reliquorum* deberetur, seu, ut in Constitutione Honorii Imperatoris dicitur in Codice Theodosiano, *eius temporis & debitorum nomina, & debita continebantur.* Unde iidem etiam *Numerarii* sunt dicti, prout de iis exstat peculiaris etiam titulus in dicto Codice. Ac inde etiam explicanda venit vetus Inscriptio, in qua scribitur *Florus Augusti Libertus*, TABULARI. FISCI ALEXANDRINI RELIQUO, & quo proinde spectant variæ Constitutiones Imperatorum, in quibus iidem *Tabularii* seu *Numerarii* inter *Officia fisco obnoxia* recensentur. Alterum vero illud, & valde singulare, docet eadem nummis Hadriani & marmori inscripta huius largitionis summa, quæ nempe magnitudo eiusdem fuerit, de qua silent cæteroquin, qui eius in genere meminerunt, memorati supra Auctores, & quam ad ducenties vicies quinquies centena millia Philippeorum, vel Coronatorum duos & viginti *Milliones* & semis, reduxerunt iam ante nos [a] viri docti, ac ubi de simili absorptæ a Vitellio pecuniæ summa apud Tacitum agitur: [b] *Nouies millies sestertium paucis mensibus interuertisse creditur.* Mitto enim, quæ in adducta, non apud [c] Gruterum solum, descriptorum errore, sed a Scaligero etiam in [d] Eusebianis, Inscriptione huic summæ ibidem, sicuti in nummis, expressæ SESTERTIUM NOVIES MILLIES, adduntur continuo CENTENA MILLIA: quod merito ad Spartianum castigauit ὁ πάνυ Salmasius, sed cui ibidem præiuerat, ubi huius lapidis verba itidem adtulit, doctissimus Casaubonus. Digna vero munificentia, mi OCTAVI, Romano Principe seu Parente publico, & quo nomine LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM dici merito potuit, prout in antiquo etiam nummo appellatur, Hadrianus; quemque, etsi ab uno forte aut altero Antiquario iam vulgatum; quod haud passim obuii sint eorum libri, & superiores, de quibus nunc agitur, illius Principis nummi inde illustrentur, vel quod iste ex iis lucem itidem capiat, huc etiam adducam.

Leg. III. C. Th. de Indulg. Debit.
Lib. VIII. Tit. I. C. Th. To. II. Thes. Grut. DCXI, 5.
Vid. Leg. 1. C. Th. de Numerar.

a Salmas. ad Spartian. in Hadr. c. VII. J. F. Gronou. de Pecun. Vet.
b Hist. II. c. 96.
c Thes. p. x, 4.
d Animadu. p. 210.

Alte-

Alterum vero adtendi hic meretur, & ex adscripta in prioribus illis nummis *abolita* pecuniarum *summa* licet percipere; hanc nempe, ut ut immensam, Hadriani indulgentiam, non ex omnibus & singulis RELIQUORUM titulis, sed ex Ære seu Pecunia, Auro, & Argento, haud vero e Speciebus, Annonariis puta, seu ex alio quolibet collationis in publicum titulo, constitisse. Notum enim, & quod supra obiter iam adtigimus, RELIQUA, seu Fisco vel Ærario debita, non ex Auro solum & Argento, seu e pecunia, sed præterea etiam ex speciebus, ut tritici, quæ in horreis publicis conderentur Præfectorum, tum ex metallis, & Illyricis potissimum, constitisse. Adeo ut subinde illæ Reliquorum remissiones fierent, excepto Auro & Argento, ac proinde huic Hadriani indulgentiæ plane contrariæ, uti liquet e Constitutione Juliani Imperatoris: *Excepto Auro & Argento cuncta* RELIQUA *indulgemus*; aliquando vero cum Auri & Argenti Reliquorum, tum Specierum etiam seu Annonariarum functionum, quarum nempe Tributa, in ipsis Speciebus, prout exstat ea de re peculiaris in Codice Theodosiano Titulus, erant inferenda. Adde & metallorum quoque datam subinde plenissimam indulgentiam: uti metallis exceptis a Theodosio Juniore, & quidem per annos, uti ea de re paullo ante, quadraginta: *Omnium generalium Titulorum, &c. præter trium Metallorum debitoribus (Docimeni, Proconenſis, & Troadenſis) concessimus Reliqua: sive Species, sive Æs, Pecunia, Aurum, Argentumque debetur: ita ut nec Horreis, nec Præfectoriæ Arcæ, nec nostro aliquid ex his Ærario debeatur.* Adde pleniorem adhuc, ac metallicis quidem collectionibus exceptis, Marciani indulgentiam; ac ubi omnes id genus *Reliquorum* titulos, quorum plenissima datur remissio, designari videas: ac proinde cuius eam in rem verba haud pigebit huc adferre: *Cesset igitur pro securitate provinciarium* EXACTIO RELIQUORUM; *a sextæ Indictionis initio, usque ad finem quintæ decimæ nuper elapsæ*, DEBITA DELEANTUR: *sive ex possessionibus liberari, vel patrimonialis, templorumve, aut* CIVILIS FISCALISVE IURIS, *seu* IN AURO, *seu* IN ARGENTO, *seu* IN SPECIEBUS, *vel* IN METALLICA *quacunque materia, aliove quolibet collationis* TITULO *in publicis calculis* RESIDERE *noscuntur*. Unde hanc, cæteroquin tam uberem ac insolitam, quamque iuxta veteris ea de re lapidis verba, UNUS OMNIUM PRINCIPUM ET SOLUS præstiterit Hadrianus, Munificentiam, qua Reliqua, in Auro Argento & Ære seu pecunia debita, ab annis sedecim, non vero in Speciebus aut e Metallis, debita remittebantur, ab omni obtrectatione haud remansisse immunem, licet ex Ausonii de eadem verbis, quæ non adsequuti sunt eruditissimi Interpretes, & quæ inde haud parum illustrantur, colligere:

Leg. 1. C. Th. de Indulg. Debit.

Lib. XII. C. Th. Tit. II. To. IV.

Ibid. Tit. XXVIII.

Marcian. Nou. II. post Cod. Th.

Paneg. Gratian. c. XXII. gere: *Sed, partibus retentis, non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio; quanta suberat amaritudo seruati*, nempe in Speciebus, Metallorum debiti, aliisue adhuc forte collationibus, quæ summâ illâ *Sestertium Nouies Millies* remissâ non continebantur. Quod non ceperunt viri docti, qui postrema Ausonii verba, de *Vicesima hæreditatum* non abrogata, aut, cum Scaligero, de nulla tributi in posterum leuatione interpretantur. Quod Hadrian. c. VII. nempe innuebant quoque Spartiani de eadem Hadriani liberalitate verba, qui dicit eum infinitam pecuniam a priuatis Fisco in orbe ac Italia debitam, tum in prouinciis etiam EX RELIQUIS INGENTES SUMMAS remisisse, non omnia proinde *Reliqua*; sed ea, quæ summam, in hisce eius nummis ac in veteri lapide expressam, SESTERTIORUM NOVIES MILLIES contineret, & quidem *syngraphis*, ut continuo addit, *in foro diui Traiani*, *quo magis securitas omnibus roboraretur*, *incensis*. Ita ut plurium quam *sedecim* retro *annorum Reliqua*, & quæ eam *Sestertium Nouies Millies* summam excederent, fisco vel ærario pendere debitores tenerentur. Unde etiam maiorem gratiam ex indulto *omnium* veterum *Reliquorum* remissione, incensis quoque in foro syngraphis, consequutum Gratianum tradit ibidem Ausonius: *Tu argumenta* OMNIA FLAGITANDI *publicitus ardere iussisti.* Leg. VI. C. Th. de Indulg. Debit. Ut iam mittam Honorii Constitutionem: RELIQUORUM *ex fiscalibus* CUNCTA DEBITA *Nostræ Mansuetudinis indulgentia subsequetur*, vel Valentiniani III. Nouellam, de qua iam ante obiter: *Superiorum igitur* OMNIUM TEMPORUM (non solum proinde *annorum sedecim*) RELIQUA, *tam arcalium quam utriusque Ærarii*, *usque ad ineipientem primùm Indictionem iubemus ad indulgentiam pertinere.*

Vid. post Cod. Theodos.

Illud vero tertio huc aduertendum venit, mirum utique videri posse, unde tanta creuerit pecuniæ summa, viginti nempe, ut diximus, duorum *Millionum* & semis Philippeorum, e debitorum Fisco vel Ærario, & quidem præteriti temporis, *annorum sedecim*, RELIQUIS: maxime si ratio habeatur tot Tabulariorum, Exactorum, Susceptorum, Compulsorum, Discussorum, aliorumque id genus Officialium, quibus solutioni debitorum Fiscalium, tributorum, aliorumue, & quidem Quadrimestrium Breuium, seu ter in anno erogationis faciendæ vel factæ, opera prospiciebatur, & de quibus exstant peculiares tituli in Codice Theodosiano. Ut mittam varias insuper Constitutiones Imperatorum, quibus id genus Fisco debitores, magna seueritate, patrimoniorum venditione, pignorum captione, & distractione, aliisue modis ad *uniuersi debiti solutionem* adigerentur. Verum vel inde etiam, seu tot, quibus eam in rem opus erat, dictis modo aliisque Officialibus, Edictis, Mulctis, aliisque id genus cautelis, vel compellendi modis, constare poterat, id totum Fiscalium solutionum vel exactionum per uniuersas Romani imperii prouincias onus, multis remansisse difficultatibus ac necessitatibus implicitum. Et quidem, si hinc fraudes & artes debitorum, *locupletum* maxime, iuxta Ammianum Marcellinum, seu *Potentiorum* contumaciam cogites (unde debitorum ab iis exigendorum solutio, Magni Theodosii Constitutione, & qua ille Ammiani de iis locus haud parum, ut obseruo, illustratur, Rectoribus prouinciarum imponitur) quibus nempe ii solutionem illam frustrarentur vel differrent; hinc vero calamitates publicas priuatasue, hostium, quas tangit eam in rem peculiari lege Honorius, [a] *incursiones*, deprædationes, sterilitates tempo-

Vid. C. Th. Titul. de Exactorib. Exaction. Juri Fisci Discussor. &c.

Leg. V. C. Th. de Exaction.

Lib. XVI. c. 5.

Leg XII. C. Th. de Exaction.

a Leg. XII. C. Th. de Indulg. Debit.

rum

rum vel locorum, *deſertorum* puta agrorum: adde, ipſorum Exactorum vel Diſcuſſorum iniurias & vexationes, quas memorant ibidem ac vetant plurimæ Imperatorum Conſtitutiones: quibus proinde ſingulis rationum vel caſuum momentis fiebat, ut debitam, ac in tempus præſtitutum, tributorum ſolutionem præſtare non poſſent prouinciales. Unde etiam factum, ut ſubinde debitorum illorum ex parte, vel in tempus, aut quandoque etiam generali remiſſione, ſingulari Principum indulgentia, ſubleuarentur iidem prouinciales. Adeo etiam, ut *publica* ſeu *fiſcalia Ratiocinia*, prout illo Conſtantinianeo ſæculo dicebantur, quibus Tributorum ratio ac modus, & poſſeſſionum, unde illa exigerentur, conditio continebatur, ipſi quandoque Imperatores, præter ordinarios Inſpectores eam in rem conſtitutos, conſulerent, aut etiam emendarent; unde oppreſſi id genus calamitatibus vel iniuriis poſſeſſores parte tributorum in poſterum, aut Reliquorum præteriti temporis, continuo recrearentur. Quo ſpectant, & quæ aliquam ibi notationem merebantur, Ammiani Marcellini de Juliano Imperatore verba: *Dumque per inducias, licet negotioſas & breues, ærumnoſis poſſeſſorum damnis mederi poſſe credidit*, TRIBUTI RATIOCINIA *diſpenſauit*.

Leg. II. XII. &c. eodem.

Vid. Leg. VIII. C. Th. de Numer. Leg. II. de Diſcuſſ. & Leg. I. de Bonor. Proſcr.

Lib. XVII. c. 3.

ABOLITA vero adpoſite dicuntur eadem RELIQUA, quod exuſtæ fuerant, quæ debitorum illorum fidem faciebant, chartæ ſeu ſyngraphæ, ſicut Deorum ædes *igni abolitas* dixit [a] Tacitus, aut Poëta *abolere carmina flammis*; immo in ſimili facto Honorius, iuxta tres eius illa de re Conſtitutiones in Codice Theodoſiano: [b] *Atque ut ipſa memoria* RELIQUORUM *intercidat*, CHARTAS *omnes, &c. quibus eius temporis & debitorum nomina, & debita continentur, undique in medium congregatas palam* FLAMMIS *iubemus* ABOLERI; alibi: CHARTIS ABOLITIS, *quibus publica debita continentur*; tum alio adhuc loco: *Amotis igitur* RELIQUIS, *&c.* CHARTIS ABOLITIS *debitorum*. Quomodo etiam *deleri* dicta id genus *Reliqua* in Martiani Nouella: *Ceſſet igitur pro ſecuritate prouincialium exactio* RELIQUORUM, *& ſextæ Indictionis initio usque ad finem quintæ decimæ nuper elapſæ, debita* DELEANTUR. Quum alioquin *Remiſſa* aut *Condonata* dicta ſint id genus *Reliqua*, ac ea inſuper latarum id genus Conſtitutionum ætate *Relaxata*; ut ab Honorio: *Priuatæ quoque rei debita ſimiliter* RELAXAMUS; ac in Euſebiano Chronico ex verſione Hieronymi, de hac ipſa Hadriani indulgentia: *Hadrianus* RELIQUA *tributorum Urbis* RELAXAVIT, *chartis publicis incenſis*; ac ſimiliter apud Caſſiodorum: *Fiſcalia tributa noſtra* RELAXAT *humanitas*. Quæ tributariæ ſeu Fiſco debitorum *abolitiones* dictæ cæteroquin Conſtantinianeo & ſequenti æuo, ut aliunde notum, *Indulgentiæ:* unde obuius in Codice Theodoſiano titulus de *Indulgentiis Debitorum*, & quod e latis ibi eam in rem Conſtitutionibus liquet, *Fiſcalium*; quodque notat ibi doctiſſimus Codicis illius Interpres. Quæ inſuper ſeorſim leguntur Valentiniani III. Marciani, ac Maioriani Nouellæ de *Indulgentiis Reliquorum*, hoc eſt, iuxta aliam Juſtiniani Nouellam, *de Reliquis Publicis Non Exigendis*.

5. *De Reliquorum tabulis extiſtis.*

a Annal. l. II. c. 49.

b Leg. III. C. Th. de Indulg. Debit.

Leg. VI. eodem.

Leg. XIV. eodem.

Nou. II. de Indulg. Debit.

Leg. VI. C. Th. de Indulg. Debit.

Variar. l. III. c. 32.

Nou. Juſtin. CXLVII.

Quod vero ad *Abolitionis* id genus *Reliquorum* modum ſpectat, in adductis Hadriani nummis expreſſum; Lictoris nempe ad Imperatoris iuſſa face accenſa eorundem debitorum ſyngraphas ſeu chartas comburentis; inde continuo illuſtrantur, quæ de ſimili chartarum incendio, eumque in finem

finem dici ab Honorio, in adductis eius paullo ante verbis, vidimus: *Atque ut ipsa Reliquorum memoria intercidat, &c.* Quod autem aliquot iam ante sæculis ab Hadriano, Augusti exemplo, factum licet statuere, de quo tradit Suetonius: [a] *Tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam, exussit*; ac de eo principe firmant etiam, ut ibi viderunt viri docti, [b] Appianus & [c] Dio; quodque rursus post Hadrianum æmulatus est M. Antoninus, iuxta eundem [d] Dionem & [e] Orosium; tum Aurelianus apud [f] Vopiscum, ac adstruit similiter in Cæsaribus Victor: *Tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani simul iussit*; ac præterea, iuxta Ausonium, Gratianus: [g] *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iussisti. Videre in suis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem salubris incendii. Ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum.* E quibus insuper exustarum in Hadriani nummis id genus chartarum ratio ac institutum haud parum illustrantur. Notum quippe *Breues*, & *Quadrimestres* quidem dictos, exstitisse, de quibus exstat peculiaris Constitutio in Codice Theodosiano, qui singularem quadrimestrium Tributorum rationem & notitiam continerent; & quos, uti Constantini M. lege præcipitur, a Tabulariis acciperent Exactores, qui ad exigendam Tributorum solutionem mittebantur. *Polypticos* vero dictas quoque chartas id genus seu syngraphas debitorum ab Hadriano incensas, e veteri Chronicorum collectione ex Thoromacho, de quo iam ante, vidit hic ad Spartianum ὁ πάνυ Salmasius: quorum autem, ut hoc addam, non apud Vegetium solum, ut ibidem monet, sed in duobus Honorii Constitutionibus Codicis Theodosiani occurrit etiam mentio; ac ubi in postrema, *secundum fidem Polypticorum*, certum sterilium per Asiam Proconsularem fundorum numerum, a præstanda functione annonaria immunem vult præstari Honorius. Iis autem *Polypticis* seu *Rationariis* publicis, cum Tributi exigendi modus, tum Tributi soluti ratio erat contenta; ut obseruat ad priorem de iis Constitutionem doctissimus Gothofredus.

a In Aug. c. xxxii.
b Bell. Ciu. l. v.
c Lib. lvii. p. 497.
d Lib. lxxi. p. 814.
e Lib. vii. c. 15.
f In Aurelian. c. xxxix.
g In Gratiar. Action. c. xxii.
l. 1. leg. xi. C. Th. Tit. xxv. To. iv.
Leg. 1. C. Th. de Exaction.
Lib. ii. c. 19.
Leg. ii. C. Th. de Discussor. & Leg. xiii. de Indulg. Debit.

6. *De aliis adhuc Imperatoribus, qui Reliqua remiserunt.*

Hanc vero cæteroquin aliorum adhuc Imperatorum, in remittendis id genus Tributorum aut Vectigalium Reliquis, vel abolenda eorum parte, beneficentiam commendant subinde prisci auctores, uti in Juliano Ammianus Marcellinus: [a] *Remissa debita multa diuturnitate congesta*, seu quæ in Hadriani nummis RELIQUA VETERA: aut prout de tributis haud paucis, immo quamplurimis, quæ ipse Antiochensibus aliisue etiam remiserit, cum in [b] Misopogone tum in [c] Epistolis fit ab eo mentio. Sic de Valente prædicat [d] Themistius, quòd is agricolis, ut Græca compendii caussa omittamus, *reliqua breui condonabit, aliis autem grauiorum quoque pecuniarum debita remittet.* Immo, si Procopium audimus, non iam ab aliquot, sed a singulis Imperatoribus, neque semel, sed aliquoties id fieri solitum, ut ii Reliqua condonarent: cuius locum, singularis utique huius rei testem, præterire hic non licet: Πρῶτα μὲν εἰθισμένον ἦν ἐκ παλαιοῦ ΕΚΑΣΤΟΝ τὸν Ρωμαίων ἀρχὴν ἔχοντα, οὐκ ἄπαξ μόνον ἀλλὰ καὶ πολλάκις, τοῖς τῶν δημοσίων ὀφειλημάτων ΛΕΙΨΑΝΟΙΣ τοὺς ΚΑΤΗΚΟΟΥΣ ΔΩΡΕΙΣΘΑΙ ΠΑΝΤΑΣ, *primo quidem solitum erat ab antiquo*, UNUMQUEMQUE *e Romanis Imperatoribus, non semel sed sæpius, publicorum debitorum* RELIQUA OMNIBUS *Romano Imperio* SUBIECTIS CONDONARE; & ratione quidem addita, ne per-

a Lib. xxv. c. 4.
b Misopog. p. 367.
c Epist. xlvii. p. 428.
d Orat. x. p. 143.
Arcan. Hist. c. xxx.

petuo in anguſtiis iidem verſarentur; aut Quæſtorum *Reliqua* exigentium moleſtiæ eſſent obnoxii, Juſtinianum vero addit, ſpatio annorum duo ac triginta, nulla eiusmodi *Reliqua* remiſiſſe: quo factum, ut miſeri ſubditi, non nouam, ſed præteriti temporis grauem & iniquam exactionem paſſi, fortunis omnibus exuerentur. Quam immerito autem hac labe oneretur Juſtinianus, & quod non deſtitutus fuerit ea laude, quam ex *Indulgentiis Reliquorum* ambiuerant hactenus eius Deceſſores, abunde arguunt duæ eiusdem Nouellæ, anno eius Imperii XXVIII. & XXIX. latæ, ac ſupra obiter iam indicatæ, [a] *De Reliquis Publicis Non Exigendis*, & [b] *de Indulgentia Reliquorum Publicorum*, quibus non iam *ſedecim*, ut hic Hadrianus, ſed viginti duorum annorum debita, ut iam antea vidimus, condonat. De Juliano alioquin, etſi eius quoque in remittendis ſubinde veteribus Reliquis indulgentiam paullo ante vidimus, obſeruat alibi Ammianus Marcellinus: *Id eum ad usque imperii finem & vitæ ſcimus utiliter obſeruaſſe, ne per indulgentias, quas appellant, tributariæ rei concederet* RELIQUA; idque, ut ibi addit, & qua de re iam ſupra, quod eiusmodi indulgentiæ cederent tantum in commoda diuitum, non vero pauperum, qui ad uniuerſam ſolutionem omnium id genus Reliquorum, ſub exordia principatus, compelli ſine laxamento conſueuerant.

a Nou. CXLVII.
b Nou. CXLVIII.

Lib. XVI. c. 5.

Similem cæteroquin, ut hoc addam, indulgentiam *Reliquorum*, ut hic Hadriano, ita iam olim in regni auſpiciis cum Laconum tum Perſarum Regibus conſuetam tradentem videas Herodotum: de prioribus quidem; quòd, qui ſuccedit Rex, liberat ære alieno quemcunque e Spartanis, qui *Regi aut publico quidquam debet:* Τῷ βασιλεῖ, ἢ τῷ δημοσίῳ ὠφειλε: de Perſarum autem Rege, quòd is, ubi eſt conſtitutus, *omnibus ciuitatibus tributum, quod debent, remittat*, τὸν προσφειλόμενον φόρον μετίει πάσησι τῇσι πόλισι. Neque diſparem in aliis Regibus beneficentiam commendant nonnunquam Auctores, ut in Alexandro Magno Arrianus, eum [a] Solenſibus L. talenta Reliqua remiſiſſe: in Perſeo autem Polybii [b] Excerpta Valeſiana, eum uniuerſis Macedonibus fiſcalia debita condonaſſe: in Mithridate Juſtinus: [c] *Debita ciuitatibus publica priuataque remittit*; & de Theodorico Caſſiodorus, eum Arelatenſibus, & de quo loco iam ante, [d] *fiſcalia tributa relaxaſſe*. Rhodiorum vero ſingulare factum memorat [e] Deo Chryſoſtomus, qui remiſſionem omnium debitorum, ſibi a Romanis factam, admittere detrectarint.

Lib. VI. c. 59.
Ibidem.

a Exped. Alex. l. II. p. 80. ult edit.
b Pag. 125.
c Lib. XXXVIII. c. 3.
d Varior. l. III. c. 32.
e Orat. XXXI. p. 381.

V. *De* VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA.

Ad alia inſuper Munificentiæ ab Imperatoribus ſubinde conceſſæ genera referri poſſunt in Cæſarianis Nummis conſignata plura, quæ aliunde neſciremus. Cuiusmodi a Nerua VEHICULATIO ITALIÆ REMISSA legitur in præclaro eius nummo, vulgo apud antiquarios obuio, & quem commemorarunt etiam ad Spartianum viri ſummi. Quamquam & maiorem adhuc lucem mereatur, quam hactenus ei adlata eſt; & hic nobis aliquod ſpicilegium reliquerint viri longe doctiſſimi, parum alias inter ſe concordes, qui, vel ad Hiſtoriam Auguſtam vel ad Codicem Theodoſianum, rem Romanorum Vehicularium adtigere ac illuſtrare ſunt adgreſſi. Ne-

que enim hic moror virum eruditissimum, cuius, post superiorem huiusce mei de Nummis Antiquis Operis editionem, prodiit accurata *De Re Vehicvlari Veterum*, sed alterius plane instituti & operæ, commentatio, quam de *Publico* vel *Vehicvlario*, qui in Orbem Romanum ab Imperatoribus erat inuectus, *Cursu*. De quo proinde, quum unum vel alterum, quod viderant alii, obiter tantum adtigisset, addit continuo: "sed de Cursu isto iam prolixe alii. Neque pigebit proinde nummum ipsum, etsi iam ab aliis prolatum, hic similiter subiicere.

Schefferus de Re Vehicul. p. 266.

1. *De significatione vocis* VEHICULATIO, *& de origine istius rei.*

E quo nummo id primum, nec aliunde, quod equidem sciam, ni forte in uno, de quo ad Plinii Panegyricum Lipsius, lapide, discimus, VEHICULATIONEM Romanis dictam, quæ alias *Res* [a] *Vehicularis*, [b] *Cursus Vehicularis*, vel [c] *Vehicularius*, [d] *Vehicularium Munus*, [e] *Vehicula Publica*, [f] *Cursus*, passim vero [g] *Cursus Publicus*, dicebatur. Iis autem aliisque adhuc vocibus designabantur, ut nosti, dispositæ locis publicis per Italiam ac Prouincias cum Animalia tum Vehicula, in publicos & priuatos etiam nonnunquam usus. Originem autem illius *Vehiculationis* vulgo ab Augusto repetunt viri summi: quæ tamen paullo altius arcessenda est. Magistratus enim Romani ad Exercitus & Prouincias profecturi, Mulis, Tabernaculis, aliisque instrumentis itineris, ut e [h] Cicerone, [i] Liuio, [k] Suetonio, ac [l] Dione constat, & viderunt viri docti, e publico instruebantur. Soli Legati, ut ea de re ibidem Liuius, qui repente aliquo mittebantur, iumenta per singula oppida, qua iter faciendum erat, exigebant. Primus [m] L. Postumius Consul V. C. DLXXIX. iturus in Campaniam ad agrum publicum a priuato terminandum, Prænestinis infensus, cum publicum sibi hospitium tum iumenta parata, quum inde exiret, imperauit. Inde similis continuo, & maior etiam, licentia usurpata est a sequentibus Magistratibus. Quomodo, ubi superiora enarrasset, addit Liuius: *Ius, velut prolato exemplo, Magistratibus fecit grauiorum indies talis generis imperiorum.* Hæc esset ergo prima illa origo Rei Vehicularis, impensis sociorum vel prouincialium institutæ, quæ a principio tenuis erat & extraordinaria occasione subitarum demum Legationum, & sola dein libidine ac licentia Magistratuum niteretur: nisi quod eo referendum etiam videatur a Romanis impositum aliquot per Italiam populis, Picentinis, Lucanis, ac Bruttiis, onus, ob illorum ad Annibalem defectionem, ut ex illis *pro militia*, seu militandi in posterum vice, *publici cursores & tabellarii deinceps sint constituti*, ἀντὶ δὲ στρατείας ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν ἐν τῷ τότε δημοσίῳ, sicut id de iis tradit Strabo; ac de Bruttiis nominatim, ut ibi monuit Casaubonus, Gellius, quod eos dictam ob caussam

a Leg. 1. §. 1. D. de Muner.
b Leg. XVIII. §. 4. eodem.
c Spartian. in Anton. P. c. XII.
d Idem in Seuer. c. XIV.
e Leg. XX. C. Th. de Curs. Publ.
f Leg. III. C. Th. de Curios. Cassiod. Var. l. 1. c. 29.
g Aur. Victor. Cæsar. c. XIII. C. Th. l. VIII. Tit. V. & l. XII. Tit. LI. C. Iust. de Cursu Publico.
h In Verr. IV. c. 5.
i Lib. XLII, 1.
k In Aug. c. LXVI.
l Lib. XV. c. 4.
m Liuius ut supra.

Lib. V. p. 251.

Romani *Magiſtratibus in prouincias euntibus parere & præminiſtrare ſeruorum vicem iuſſerunt.* Quæ prima velut Rei Vehicularis in orbe Romano incunabula cenſeri poſſunt. Ab Auguſto vero poſtea, quo celerius noſceret ſtatum Prouinciarum, ut ea de re Suetonius, Vehicula per publicas vias diſpoſita; atque ita inductus *Vehicularis Curſus* hinc inde ad Principem, aut a Principe, commeantium: quam eandem moris huius cauſſam & originem Traiano tribuit Victor Schotti; cuius autem onere ſublatam a Nerua Italiam docet hic nummus. Lib. x. c. 3. In Aug. c. xlix. Cæſarib. c. xiii.

Manſit vero ſub ſequentibus Cæſaribus eadem *Vehiculatio*, ſed variis ſubinde mutationibus obnoxia, dum eadem eſt a priuatis ad Fiſcum translata; aut eius onere leuatæ certæ tantum Prouinciæ; aut plures leges identidem latæ, quibus eiusmodi *Vehiculationis* commodis & incommodis conſulebatur; cautum de prouiſu, cura, alimentis Animalium id genus publicorum, & reſtricta eſt vel amplificata iisdem utendi licentia. Inſignis autem eſt de illo *Curſu Publico* apud Procopium locus, quem ex parte demum, ut aduertere mihi poſtea licuit, adtigere viri docti: plura autem continet, unde illa *Vehicularis* aut *Publici Curſus* ratio haud parum illuſtratur. Docet nempe ibi, eum Curſum ab Imperatoribus inſtitutum, cum ut hoſtium aut aliorum ſeditiones nuntiarent id genus Curſores, tum inſuper ut annua Vectigalia portarent. Quam in rem in via unius diei circiter octo Stabula, ad minimum quinque; & in ſingulis Stabulis Equos quadraginta diſpoſitos exſtitiſſe docet: unde curſu diurno decem dierum viam metiri poterant Curſores ſeu Veredarii. Inde quoque priuatorum commoda ob promercales fructus, quos alendis Equis & Stabulariis vendebant Quæſtoribus. Quibus addit ſublatum illum Curſum a Iuſtiniano, aut imminutum, ut in Ægypto & Oriente reliquo, exceptâ in Perſidem viâ, Stabulorum numerum; eumque inſuper ab Equis ad Aſinos redactum. Quod de adlatis, ut hoc tangam, publico illo Curſu ſeu Vehiculari, annuis Vectigalibus a Procopio ibi dicitur, e Theodoſii Magni Conſtitutione, quæ exſtat in Codice Theodoſiano, continuo illuſtratur: *Si aurum ſacrarum largitionum vel argentum ad Comitatum noſtrum deſtinatur, una Rheda quingentis auri libris, mille vero argenti; ſi vero priuatarum, auri trecentis, quingentis vero argenti libris oneretur*; & quæ dein in eadem lege ſtatuuntur de grauioris vel leuioris ponderis, lineis aut delicatis veſtibus, quæ rhedis, vel angariis transueherentur. Cæterum, haud accedo doctiſſimo eiusdem Codicis commentatori, qui alibi *Vehicularium Curſum* a *Curſu Publico* diſtinguit, ut hæc poſtrema appellatio non *Veredos* ſolum, ſed *Vehicula* etiam complectatur: "At, quod addit, Vehiculario Curſu, „ Veredos comprehendi quis dixerit? Ipſemet, ne longius abeam, clariſſimus hac ætate Juris Antiſtes, qui plane huius ſuæ notationis immemor, in alio & proprio eiusdem Codicis titulo de *Curſu Publico*, hæc totidem verbis profert: "Vehiculari ſcilicet Curſu dato, vel rheda, vel „ veredo, parhippum uſurpare vetitum. *Publico* equidem *Curſu* utrumque, quod ille agnoſcit, intelligi, cum *Vehicula* nempe tum *Veredos*, id utique vel e ſolo in utroque Codice titulo de *Curſu Publico*, obuiisque, in Theodoſiano potiſſimum, tot Imperatorum Conſtitutionibus, in quibus cum de *Vehiculis* aut *Vehiculari Curſu*, tum de *Veredis*, ſeu, ut iidem in iis dicuntur, *Equis Curſualibus* agitur, liquidum eſt omnino ac manifeſtum. Arcan. Hiſt. c. xxx. Leg. xlviii. C. Th. de Curſ. Publ. Iac. Gothofr. ad Leg. 1. C. Th. de Curioſ. p. 200. To. II.

Vehiculario autem *Cursu*, cum *Vehicula* tum *Veredos*, seu veloces equos vehendis hominibus destinatos, similiter intelligi, satis arguunt cum *Vehicula*, quæ a Suetonio dicitur dispositisse Augustus, *quo celerius ac sub manum agnosci nuntiarique posset, quid in prouinciis gereretur*; quo ipso *Publici Cursus*, ac proinde etiam *Veredorum* originem, idem vir præclarus [a] alibi ad Augustum refert, tum etiam quod *Vehicularis Cursus*, *Munus Vehicularium*, & *Cursus Publicus*, promiscue usurpantur apud Historiæ Augustæ Scriptores. Accedit auctoritas veteris Iurisconsulti, cui [b] *Patrimonii sunt munera Rei Vehicularis*, quibus *Publicus Cursus* in genere intelligitur; ac prout idem, de quo modo, [c] vir doctissimus, eadem verba interpretatur. Adde *Præfectos Vehiculorum* dictos, qui *Cursui Publico* inter alios præessent, ut expresse dicitur in Constitutione Magni Constantini: [d] *Super qua re Proconsules, Rectores Prouinciarum*, PRÆFECTOS VEHICULORUM, *atque omnes, qui* CURSUI PUBLICO *præsunt, &c.* & quales *Præfecti Vehiculorum* occurrunt in priscis Inscriptionibus, iique [e] *Per Gallias*, aut [f] *Trium Prouinciarum*, ac alibi apud [g] Sponium. Quamquam, ad *Veredos* quod adtinet, eos, iuxta Festum, *antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est ducerent*, nempe quasi *veheredos*, ut ibi monuerunt viri docti: sed quod dein de *Equis Cursualibus*, qui homines veherent, non de *rhedis*, est demum dictum. Unde etiam Valentiniani Senioris Constitutione vetitum videas, ne Veredi, seu Equi, qui vehendis hominibus seruiunt, vehiculis seu rhedis aptentur: *Nonnullos id agere compertum est, ut si forte defecta fuerint animalia, quæ Vehiculis deputata sunt* (nempe Boues, Mulæ, Asini) *Veredorum numerum, qui alteri seruiunt necessitati, ad Rhedas, quibus utuntur, usurpent.* Ὄχημα autem & δημόσιον δρόμον dixerunt itidem Græci promiscue de *Vehiculatione*, seu Equis Cursualibus, h. e. Veredis; seu Rhedis vel alio vehiculi genere eadem perageretur. Qua ratione etiam sequutis ætatibus factum, ut *Cursus Publicus* ab *Angariis* & *Parangariis* distinguatur in ipso utriusque Codicis titulo, *De Cursu Publico, Angariis & Parangariis*. Adde, quòd prior eius pars, seu *de Cursu Publico*, in Codice Iustinianeo ad Cursum Veredorum seu Equorum Cursualium ferme restringatur; quod ea Treboniani ætate, & qua de re adhuc paullo post, omitterentur tum aliæ usitatæ antea *Publici* vel *Vehicularis Cursus* species, exceptis forte *Angariis* vel *Parangariis*, aut, qui eiusdem erat speciei, *Clabulari*; cum protelo Boum ac tardissimo gradu commearent.

a Idem ad Leg. 1. C. Th. de Curs. Publ.
b Leg. 1. D. de Muner. & Honor.
c Idem Jac. Gothofr. ut supra C. Th. To. II. p. 200.
d Leg. IV. C. Th. de Curs. Publ.
e Thes. Grut. cccexciii, 3.
f Ibid. cccxl, 3.
g Miscell. p. 182.
Leg. XXIV. C. Th. de Curs. Publ.
C. Th. lib. VIII. tit. VI. & C. Just. lib. XII. tit. LI.

2. *De Italiæ prærogatiua in Augustorum munificentia accipienda.*

ITALIÆ vero nomen, quod in adducto Neruæ nummo sequitur, singulari Neruæ indulgentia subleuatos a grauissimo illo VEHICULATIONIS onere *Italos*, non vero Prouinciales, continuo arguit. Neque nouum aut insolitum illud inter eos discrimen, quum potior utique in priscis Annalibus ac monumentis occurrat frequenter Italiæ præ aliis Romani Orbis partibus conditio. Neque vero ea hic tango, quæ ITALIÆ, liberæ adhuc urbis temporibus, concessa sunt, ac ipsa dein Romanæ Ciuitatis iura, quod non est iam huius loci, & accuratis doctissimorum virorum commentationibus est abunde discussum ac illustratum. Mitto hic etiam *Jus* illud *Italicum*, quod sub Imperatoribus, cum in leuatione census, tum in aliis quibusdam actibus erat positum; quodque, singularis cuiusdam priuilegii loco, aliis etiam extra Italiam urbibus aut coloniis ab Imperatoribus subinde

de indultum legitur, & de quo nuper alibi egimus. Qua ratione *fundi Italici*, qui a censu erant immunes, sunt appellati, iique inde a *stipendiariis* distincti, ut liquet e Constantini Magni Constitutione, quæ in utroque Codice legitur. Ea demum hic tangam, quæ vel iam adducti veteres nummi, quique de iis agunt, Auctores suppeditant; vel quæ eam in rem adferenda adhuc veniunt. Sic auctionum seu rerum venalium *Ducentesimam Italiæ* a Caligula *Remissam*, tradentem Suetonium; illudque singulare beneficium, etsi omissa *Italiæ* in eo mentione, præclaro nummo expressum vidimus. Verum ubi memorandus in primis venit alius eiusdem Neruæ nummus, a duobus clarissimi nominis antiquariis vulgatus, [a] Tristano ac [b] Patino, in quo cernitur sedens Imperator, cui stans Mulier puellum & puellam exhibet, quibus ille dextram porrigit, cum inscriptione TUTELA ITALIÆ. Qui nummus ad similem omnino beneficentiam, qua de re silent iidem viri præstantes, referendus est, quam in Successoris eius Traiani nummis signatam iam ante vidimus, cum epigraphe ALIMENTA ITALIÆ. Sic illam insignem Hadriani, de qua paullo ante egimus, in remittenda Fisco immensa quadam debitorum pecuniæ summa, indulgentiam dum memorat Spartianus, id primo loco obseruat, *infinitam pecuniam, quæ Fisco debebatur, priuatis debitoribus* IN URBE *atque* ITALIA, *&c. remisit.* Quibus accedunt alii præclari Seueri & Antonini Caracallæ nummi, a me haud semel inspecti, cum inscriptione, INDULGENTIA AUG. IN ITALIAM. Quibus autem nummis & Spartiani verbis designari existimabat, ac quod proinde haud hic erat prætereundum, qui eos memorat, celebris Antiquarius, *Vehiculationem* ab eodem Seuero Italiæ remissam videri, ut indicat alter Neruæ nummus. Verum quæ explicatio, neque uno nomine, valde videtur ab iis nummis aliena: primo, quod eorundem nummorum typus, Mulier nempe capite turrito Globo insidens, quæ dextra Tropæum, læua Cornucopiæ tenet, nullatenus eam rem indicat, sicut indicant in Neruæ nummo, ut mox dicetur, pascentes Mulæ: alterum, quod nulla *Italiæ* aut de Italicis, sed in genere de *hominibus, quibus se commendare vellet* Seuerus, *dum vehicularium munus a priuatis ad Fiscum traduxit*, fiat apud Spartianum mentio. Immo, quum hæc *Vehiculationis* indulgentia fuisset iam *Italiæ* a Nerua concessa, neque legatur ab eo tempore ad Seuerum eius onus Italiæ denuo impositum; vel inde corruit, certe parum probabilis videtur, hæc viri præstantis explicatio. Accedit, quòd similis eiusdem Seueri indulgentia, seu eadem inscriptio, legatur in aliis eius & filii Caracallæ nummis, INDULGENTIA AUG. IN CARTH. seu *Carthaginienses*, cum solitis Cybeles, ab Afris cultæ, symbolis. Ut mittam in nummis Hadriani, Pii, Alexandri Seueri, aliorumque adhuc Imperatorum, INDULGENTIÆ AUG. & in Caracallæ etiam INDULGENTIÆ FECUNDÆ exstare inscriptiones; quæ ad alia eorum facta indultaue beneficia, quam ad *Remissam Vehiculationem*, omnino respiciunt. Exstat vero alia concessa ITALIÆ indulgentia, ab Annonaria nempe specierum functione & Glebali Auri pensione remissio, peculiari Honorii Lege concessa, quæ legitur in Codice Theodosiano. An vero commemorati paullo ante in Italia Picentini, Lucani, Bruttii, ab illo Publicorum Cursorum ac Tabellariorum onere, quod in pœnam suæ ad Annibalem defectionis erat iis a Romanis, ut id e Strabone vidimus,

Orbis Roman. Exerc. II. c. 19.

Leg. II. C. Th. de Donation. & Leg. XXVI. C. Just. eodem.

[a] To. I. p. 36. [b] Ad Sueton. in Domitian.

In Hadrian. c. VII.

Vaill. Præst. Num. p. 228, 256. P. II.

In Seuer. c. XLV.

Leg. IV. C. Th. de Indulg. Debit.

impositum, fuerint quoque liberati, haud certo quidem statuere, arbitrari tamen licet. Certe sequutis ætatibus Picenum legimus, iuxta Campaniam, Tusciam, Samnium, Apuliam, Italiæ totidem populos, singulari eiusdem Honorii, de qua paullo ante, indulgentia, magnâ tributorum, seu censualium functionum, parte subleuatos.

Leg. VII. C. Th. eodem.

Ob Italiæ cæteroquin dignitatem, profecto in Galliam Augusto, Urbis ac Italiæ administratio Tauro, iuxta Dionem (nempe Statilio Tauro, quem iuxta M. Agrippam ad multiplices Consulatus ac triumphos ab Augusto euectum tradit Velleius) est iuncta. Ab Hadriano autem, ut de eo Spartianus, quatuor Consulares iudices (seu rectores) *per omnem Italiam constituti*; & quorum quatuor Italiæ Consularium fit dein a Capitolino in Antonino Pio mentio; e quibus nempe unus fuerat ab Hadriano electus Antoninus. Adeo ut mirari neutiquam subeat, a graui, ut de eo mox, *Vehiculationis* onere liberatam a Nerua, haud insueta Imperatorum in eam indulgentia, *Italiam*; illiusque beneficii memoriam perenni ære ad posteros transmissam.

Lib LIV. p. 534.

Lib. II. c. 127.

In Hadrian. c. XXII.

In Anton. P. c. II.

3. *Continuatio superioris argumenti.*

Dum vero REMISSA in eodem Neruæ nummo dicitur VEHICULATIO, id hæc tria inferre continuo potest: aut quòd in Italia sublata eadem penitus sub Nerua fuerit; vel quod remissa sit procurandæ illius cura ac sollicitudo, eaque a priuatis, seu oppidorum in Italia Magistratibus, ad Fiscum translata: aut vero, quòd graui ac multiplici illius præstandæ onere, neque leuibus impensis in conquirendis alendisue Animalibus, construendis haud unius generis Vehiculis, Stabulis præterea, Mansionibus, Mutationibus, aut etiam Reparationibus, de quibus singulis agitur in pluribus Imperatorum Constitutionibus, aut subinde apud Auctores eorundem temporum, subleuati fuerint a Nerua Itali. Prius suadere videntur expressæ in nummo pascentes clitellis depositis Mulæ: alterum, quod illius Vehiculationis impensarum ad Fiscum traductarum sub Hadriano fiat primum ab Auctoribus mentio: postremum autem ipsa in Neruæ nummo expressa singularis illius Principis in Italiam beneficentiæ verba: VEHICULATIO ITALIÆ REMISSA; condonato etiam postea, uti ea de re mox, extra Italiam priuatis vel locorum Magistratibus, ac ad Fiscum traducto illius *Vehiculationis* procurandæ onere. Istud certe, a Nerua indultum, in Italia adhuc obtinuisse, ut cura eius rei ac sollicitudo penes peculiares Præfectos, seu Præpositos eam in rem constitutos, foret, qui Animalium, Vehiculorum, Stabulorum, Mansionum, vel Mutationum ita dictarum curam gererent, cum aliunde, ut mittam sequentis ætatis & Constantinianei maxime sæculi, quæ haud in uno Codicis Theodosiani titulo continentur, Constitutiones, tum vel ex Dione, ut obseruo, liquere potest. De Macrino enim, qui post Caracallam imperauit, ab eo dicitur, quòd πρὸς μὲν τοῖς ΤΟΥ ΣΕΒΗΡΟΥ ΟΧΗΜΑΣΙ, τοῖς κατὰ τὴν φλαμινίαν ὁδὸν διαθέσιον ἐπετάχθη, SEVERI VEHICULORUM, *quæ via Flaminia dispositа erant* (ad Cursum) PRÆFECTUS *fuerit*. De quo cæteroquin Macrino tradit, ut hoc addam, alio etiam loco idem Dio, quòd is acie victus ac in Ciliciam profugus, ΟΧΗΜΑΤΩΝ τε ἐνταῦθα, ὡς καὶ τραπιώτης τις τῶν ἀγγελιαφόρων ὤν, ἐπέβη, *vehicula ibi conscendit, ac si miles esset, ex iis, qui nuntios ferunt*, ut haud male ibi interpres, non vero ut in margine refingit ibi vir doctus, *veredæ conscendit perinde ac si miles esset veredarius*. Prior autem Dionis locus in pri-

Lib. LXXVIII. p. 893.

Ibid. p. 889.

primis notandus, quod *Vehicula Seueri* Imperatoris ibi dicuntur; quia nempe ea tum ad Fiſcum ſpectarent; atque id in Latio, in quo erat Via Flaminia, uti in reliqua Italia, a Neruæ temporibus fuerit receptum. Opportune etiam dicuntur ad *Viam Flaminiam* diſpoſita fuiſſe publica id genus *Vehicula*; quod nempe publicus ille ſeu fiſcalis curſus in viis tantum publicis ſeu regiis, non in militaribus ſeu transuerſis, fieret; ut id rurſus e variis Codicis Theodoſiani Conſtitutionibus liquet, ac unde *veredi* dicti ſint *Equi curſuales* per easdem vias publicas, *parauereedi* vero ſeu *agminales*, qui per transuerſas agerentur. Leg. III. & VI. C. Th.

4. *An* Neruâ *omni præſtandæ Vehiculationis onere Italos exemerit.*

An vero ab omni illius, quod ſupra adtigimus, *Vehiculationis* præſtandæ onere, grauibusque, quibus eadem ſubiacebat, impenſis liberati tum ſint, a Nerua Itali, de eo liquidius conſtare poterit, ſi prima ſequentium mox Imperatorum, quæ de *Vehiculatione* illa in genere vel remiſſa vel ſubleuata leguntur, hic inſpiciamus teſtimonia. E quibus autem primum illud occurrit Victoris Schotti de Traiano: *Noſcendis ocyus, quæ ubique e Republica gerebantur admota media* PUBLICI CURSUS. *Quod equidem munus ſatis vile, in peſtem orbis Romani vertit poſteriorum auaritia, inſolentiaque; niſi quod his annis ſuffectæ vires Illyrico ſint, Præfecto medente Anatolio*; Spartianus vero de Hadriano ait: *Statim* CURSUM FISCALEM *inſtituit, ne Magiſtratus* HOC ONERE *grauarentur*. De Antonino Pio Capitolinus: VEHICULARIUM CURSUM *ſumma diligentia ſubleuauit*. De Seuero autem Spartianus in adductis iam ante eius verbis: *Poſt hæc, cum ſe vellet commendare hominibus*, VEHICULARIUM MUNUS *a priuatis ad Fiſcum traduxit*. Quæ autem eorundem Auctorum de illo *Publico* ſeu *Vehiculari Curſu*, & quidem Spartiani potiſſimum in Hadriano loca, haud parum exercuerunt duos longe doctiſſimos, in diuerſa hic abeuntes, Hiſtoriæ Auguſtæ commentatores: haud uno loco vero, & quidem opportunius, adtigit ac illuſtrauit clariſſimus Codicis Theodoſiani Interpres. Ut nempe id nunc, & obiter quidem, præmoneam, duo videntur omnino in adductis ea de re Aurelii Victoris verbis animaduertenda: quòd ea, quæ de inſtituto ab Auguſto Publico Curſu vel Vehicularo, adductaque eius rei cauſſa, celerius cognoſcendi, quid in prouincia quaque gereretur, refert Suetonius, Traiano perperam tribuit Victor. Id autem, quod de Curſu illo Publico eſt dein prouiſum, non Traiano, ſed Hadriano potius, iuxta Spartiani de eo verba, adſcribendum videtur: neque nouum id eſſe, quod hoc etiam exemplo paullo ante illuſtrauimus; nempe ut, ob adſumptum forte, quod nummi eius & lapides arguunt, *Traiani* cognomen, quæ ab Hadriano facta omnino conſtat, prout RELIQUA VETERA, iuxta expenſum paullo ante eius nummum, Traiano ab Auſonio tribuantur. Spartiani vero de *Curſu Fiſcali* ab Hadriano inſtituto verba, de quibus potiſſimum ſummorum virorum par inter ſe digladiatur, ita omnino capienda ſunt: Hadrianum nempe onus Rei Vehicularis, quod hactenus ſuſtinebant extra Italiam Magiſtratus urbium, in quibus Curſus erat ille conſtitutus, municipales, ad Fiſcum traduxiſſe; ut, Italiæ exemplo, cum ſollicitudine & cura, quam Publicus ille Curſus exigebat, tum haud leuibus ad eam requiſitis ſumptibus, aut magna eorum parte, ſubleuarentur in poſterum Magiſtratus urbici ſeu Decuriones. De his enim agi ibi omnino apud Spartianum clariſſime arguunt Plutarchi in Galba verba, quod vere monuit

In Cæſarib. c. XIII.

In Hadrian. c. VII.

In Anton. P. c. XII.

In Seuer. c. XLV.

iam

iam doctissimus [a] Jac. Gothofredus; ubi inter alia dicitur, quod [b] οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες, *Magistratus cuiusque oppidi*, tabellariorum cursum, vehiculorum eam in rem dispositorum opera, continuo accelerarent. Subleuati vero illo onere ab Hadriano id genus Magistratus, constitutis tum per oppida & vias, quibus ille Cursus erat dispositus, qui curam illam deinceps ac sollicitudinem in se reciperent, ut constat e variis Codicis Theodosiani titulis, & Constitutionibus Imperatorum, in quibus appellantur *Mancipes*, *Curiosi*, *Agentes in Rebus*; adde *Exploratores*, *Præfecti*, ut antea vidimus, *Vehiculorum*, qui autem subiacerent, & a quibus coërceri iidem possent, Præfectis Prætorio, ac Rectoribus Prouinciarum: ut eam in rem adducam postrema unius Constantini Magni Legis verba: *Super qua re Proconsules*, *Rectores Prouinciarum*, *Præfectos Vehiculorum*, *atque* OMNES *qui* CURSUI PUBLICO PRÆSUNT, *admoneri conueniet*. Ita Magistratus locorum, per quæ dispositæ erant dictæ Cursus illius Publici *Stationes* vel *Mutationes*, graui utique onere erant ab Hadriano liberati; quod & specialis prouisus & cura illius *Vehiculationis* iis incumbebat. Nihil vero certius, quam per *Cursum Fiscalem* ab Hadriano institutum intelligi Cursum ad Fiscum deinceps traductum, seu *Fisco obnoxium* redditum, ut loquuntur alibi Imperatores; non autem quod communis Magistratibus esset factus, ut existimant viri summi. Nihil præterea certius, quam *Cursum Fiscalem* ab Hadriano institutum, ut tamen restarent adhuc onera & impensæ Prouinciales, quæ eo nomine ii Fisco præstare tenerentur. Quod vel arguunt adducta continuo Capitolini de Hadriani successore Antonino Pio verba, quibus *Vehicularium Cursum summa diligentia subleuauisse* dicitur. *Subleuari* autem potuit a Pio variis modis Res Vehicularis, non Diplomata solum seu licentiam Publici Cursus usurpandi paucis concedendo, quod viderunt doctissimi interpretes; sed insuper vel Stabulorum, quod a Constantino etiam factum, aut Pabulorum, aut Animalium comparandorum onus, pro locorum situ & opportunitate, Prouincialibus vel minuendo, vel remittendo; alios denique abusus vel excessus in *Vehiculatione* usurpanda, tollendo, minuendis oneribus, aut impensis priuatorum, vel etiam Fisci, neque tamen omni circa eam sumptu iisdem remisso, quod a Seuero demum factum innuere videtur Spartianus, qui dum *se vellet commendare hominibus*, *Vehicularium Munus a priuatis ad Fiscum traduxit*. Non tamen vel diuturna, vel certe uniuersalis, exstitit ille Seueri Rem Vehicularem a priuatis ad Fiscum traducentis indulgentia. Mansit utique, aut renouatum est, hoc onus priuatorum in certis Prouinciis, ad quas proinde restringenda venit lex veteris Jurisconsulti ante iam adducta, *Patrimonii sunt munera Rei Vehicularis:* quum rursus ab alio Legum Antistite dicatur: *Cursus Vehicularis sollicitudo*, *item Angariarum præbitio*, *personale munus est*. Unde etiam de ea re sub aliquot dein Imperatoribus cautum, ut a Valeriano ad Præfectum Illyrici de Balista: *Hac in forma Rempublicam vides*, *ut nec ille prouinciales grauet*, *ut illic equos contineat*, *ubi sunt pabula*; dein: *Non prouincialem*, *non possessorem cogat illic*, *frumenta ubi non habet*, *dare*; *illic equum*, *ubi non potest*, *pascere*; mox: *Ne aut Vehiculis aut* SUMPTIBUS *Rempublicam grauent*. Adde, prout, in primis a Constantio & Juliano, variis itidem modis subleuata est *Res Vehicularis*; uti a priore in peculiari Constitutione: *In his duntaxat prouinciis*, *in*

a Ad Leg. 1. C. Th. de Curs. Publ.
b In Galba p. 1056.
Leg. IV. C. Th. de Curs. Publ.
Leg. 1. C. Th. de Actuar. & Numerar.
In Anton. P. c. XII.
In Seuer. c. XLV.
Leg. 1. D. de Mun. & Honor.
Leg. XVIII. § 4. eodem.
Trebell. Poll. in Balista.
Leg. V. C. Th. de Curios.

in quibus Cursus a prouincialibus exhibetur (quoniam auaritiæ occurri pæne iam non potest) singulos solidos, per singulas Rhedas (id est, quas quadrigas *vel* flagella *appellant) percipiatis, per id tempus, quo curarum & cursus tuendi sollicitudinem sustinetis.* De Juliani vero Imperatoris in subleuanda Re Vehiculari, tollendisque, quæ inuecta in eam erant sua ætate, eamque prægrauabant, incommodis, fidem faciunt cum aliquot eius [a] Constitutiones in Codice Theodosiano, cum [b] Libanii, quæ ad illas iam adduxit clarissimus earum Interpres, de eo testimonia. Adeo etiam ut, mutatis rerum vicibus, non subleuatos solum prouinciales omni onere aut sumptu, sed rem inde facientes doceat loco supra iam indicato Procopius: ob commeatus nempe alendis Equis & Stabulariis suppeditatos, qui continuo iisdem ex Ærario a Quæstoribus persoluebantur: ita quidem ut a Justiniano, sublato eo cursu, graui dispendio iidem multarentur. Verum non idcirco damno aliquo, aut vero leui etiam beneficio adfectam a Nerua Italiam quis putet, *Remisso* illo Cursu, aut, quæ in eius nummo dicitur, *Vehiculatione:* quippe quæ, quum illa ætate necdum foret ad Fiscum traducta, varia secum priuatorum onera portabat. Conquirenda iis tum erant, seu locorum, per quæ Cursus ille Publicus erat dispositus, Magistratibus, & comparanda Animalia; exstruenda Stabula; Pabula submini-strranda; de Vehiculorum, neque iis unius generis, Rhedis, Carpentis, Birotis, Clabulis seu Angariis, Opificibus, Mulionibus præterea, Mulomedicis, Carpentariis, Veredariis, Hippocomis prouidendum. Adde licentiam & abusum onerantium præter constitutum pondus Vehicula; iumenta iniquius tractantium; deducentium ea per vias vetitas seu transuersas, non per regias seu publicas. Adde Vehiculorum id genus vel Veredorum supra numerum subinde exactorum licentiam, Euectionum fraudulentos contractus, aliaque incommoda plenius Libanii loco paullo ante indicato descripta, & signanter a Gregorio Theologo, ubi Sasimorum, velut Σταθμοῦ, seu unius e *Stationibus* Publici Cursus, incommoda inde orta describit, & quem locum iam notauit ad Procopium vir doctus. Quibus damnis aut incommodis subinde obuiam ire voluerunt variis Constitutionibus sequentes Imperatores, a quibus non *Remissa* quidem; ut hic a Nerua, sed *sublcuata* illa *Vehiculatio*; dum modus & ratio illius præscribitur; Vehiculorum præterea, aut animalium, quæ ea ducerent, aut Veredorum in singulis illis Stationibus, numerus; ponderis, in iisdem Vehiculis imponendi, quantitas; Viarum, per quas Cursus ille Publicus ageretur, constructio; aliæue in iisdem Vehiculis concedendis vel usurpandis cautelæ; Euectionum necessitas; constitutio denique certarum personarum, quæ horum omnium curam gererent: ut non immerito *Remissæ*, quod in Neruæ nummo dicitur, *Italiæ* id genus *Vehiculationis*, quæ tot incommoda vel onera secum traheret, ceu insignis cuiusdam concessæ eidem beneficentiæ, memoria publico ære signari decreto Senatus meruerit. Neque frustra proinde, ut vides, *Mulæ* pascentes in eodem nummo expressæ; quibus *Remissio* eiusmodi *Vehiculationis* indicaretur. Præcipuus enim in ea *Mulorum* seu *Mularum* usus, a quibus Rhedæ [a] *Cursuales*, aut *Fiscales*, ut a [b] Sulpitio Seuero dicuntur, traherentur, & quarum octo iungi ad Rhedam æstiuo tempore, hiemali decem, Birotis vero trinas Constantii in utroque [c] Codice Constitutione præcipi videas. Inde etiam *Vehiculum* pro *Rheda Mulari* a Valentinia-

a Leg. XII. XIII. &c. C. Th. de Curs. Publ.
b Orat. in Julian. Necem. p. 295, 296. Paneg. ad Julian. p. 182.

Orat. in Necem Julian. p. 295.
In Carmin. de vita sua.

a Leg. IX. C. Th. de Legatis.
b In Vita Martini.
c Leg. VIII. C. Th. de Curs. Publ. & Leg. III. C. Just. eodem.

De R. R. l. III. c. 17. no usurpatum, ut *Rhedariæ Mulæ* Varroni, *Rhedæ Mulares* Columellæ, ac *Muliones*, quorum sæpe fit mentio in Codice Theodosiano, & *Mulomedici* in Constitutione Valentiniani Senioris, ac apud Veterinariæ Rei Scriptores, ut ad eandem vidit iam doctissimus Interpres. Hinc *Muli*, inter alia itineris instrumenta, olim e Fisco dati Magistratibus cum ad Exercitus, tum ad Prouincias regendas profecturis, ut liquet ex [a] Liuio, [b] Suetonio, [c] Gellio, & [d] Lampridio, quibus adde [e] Tullium de Lege Agraria. Hinc Edictum Justiniani, [f] quo Mulas ad Cursum Publicum, antea adsignatas Præsidibus Prouinciarum Pontici tractus, in potestatem illius Vicarii reuocat. Hinc denique *Mulæ angariales*, ἄγγαροι ἡμίονοι, apud [g] Libanium, & quod de Juliano tradit [h] Socrates, *Mulorum*, *Boum* & *Asinorum* Cursus ab eo sublatus. Sed rectius idem [i] Libanius, qui duntaxat modum præscriptum, & in meliorem formam, circa eadem animalia, redactam a Juliano *Vehiculationem* tradit; sicut probant etiamnum Constitutiones eam in rem ab illo latæ. Mitto L. Veri *Vehicula cum Mulabus ac Mulionibus cum iuncturis argenteis:* quæ egregie illustrat adductus ibi ab incomparabili Salmasio tanquam e Plauti Aululari versus:

Leg. XXXI. C. Th. eodem.

a Lib. XLII. c. I.
b In Aug. c. XXXVI.
c Lib. XV. c. 4.
d In Alex Seu. c. XLII.
e Orat. II. de Leg. Agrar. c. XIII.
f Edict. VIII. c. 3.
g Ut sup. Orat. Fun. in Julian. p. 295.
h H. Eccl. l. III. c. I.
i Ut supra.

Mulæ dispares, iuncturæ inuersæ, Mulio nec se regens;

& quæ iam alibi de *Mulis* seu *Mulabus*, non iam in Cursu, sed in pompa muliebri aut Circensi e nummis ac antiquis Auctoribus notauimus. Cæterum præter *Mulas*, aliaque solita Vehiculationis aut Cursus Publici animalia, *Equos* puta, *Boues*, *Asinos*, de quibus etiam peculiares leguntur in Codice Theodosiano Constitutiones; & quorum postremos, *Asinos* nempe, in Ægypto & reliquo Oriente, excepta in Persidem via, a Justiniano *Equorum* loco constitutos tradentem vidimus Procopium; præter ea, inquam, Animalia, *Cameli* quoque, de quibus silent tamen, qui de hoc Cursu Publico vel ad Historiæ Augustæ Scriptores, vel ad Codicem Theodosianum egerunt, doctissimi Interpretes, recensendi veniunt. Certe, ubi de *Veredis* dicto loco egisset Procopius, mox *Camelos* magno numero e publico ali solitos obseruat vehendis impedimentis militaribus, ne aut illud onus subire cogerentur coloni, aut necessariorum quidpiam militi deesset. Hoc beneficium vero a Justiniano est sublatum. Ad quem *Camelorum* usum respicere etiam videntur ea, quæ de *Camæleſia* & *Camelariis*, ac *alimentis Camelorum* leguntur, in [a] una vel altera lege Digestorum, & illi Καμήλων Φεστιτᾶι, quorum alicubi meminit [b] Eusebius. In eundem militarem usum recepta quoque fuit apud alias gentes, & quod aliunde notum, *Vehiculatio:* sicut de Philippo contra Romanos bellum gesturo Liuius narrat, eum Vehicula Macedonibus imperasse tormentis aliisque bellicis instrumentis vehendis.

Arcan. Histor. c. XXX.

a Leg. II. & XVIII. D. de Muner. & Honor.
b De Martyr. Palæst. c. XII.

Lib. XLII. c. 3.

5. *De* Neruæ *nummo cum inscr.* Fisci Iudaici Calumnia Sublata.

Memorabilis est insuper alius Neruæ Imperatoris nummus, in quo Palma arbor cum duobus dactylis, & cum inscriptione Fisci Iudaici Calumnia Sublata. Etsi vero a [a] præstantibus Antiquariis, ac insuper a Purpurato Baronio, sit ille iam vulgatus; ad Suetonium vero in [b] Domitiano plura opportune notarint viri doctissimi, unde is haud leuiter illustra-

a In Num. Duc. Arsch. Tab. 32. Muse. S. Genouef. p. 68. b Patin. ad Sueton. Domitian. c. XII.

stratur: de eo tamen iuuabit etiamnum quædam, haud protrita forte, nec aliena a maiore adhuc luce eidem infundenda, huc adferre, ipsius singularis nummi præmissa prius icone.

De Palma equidem, noto Judææ in nummis antiquis, seu Judaicis seu Romanis, symbolo, ac de duobus *Caryotis*, præstantissimorum Dactylorum genere, in illo nummo conspicuis egimus iam in priori huius Operis Parte, quæ proinde haud hic denuo repetenda veniunt. Judæos vero, ex quo illi ab Alexandro Magno, iuxta alios in illo Orientis tractus populos, sunt subacti, cum ei, tum sequutis Macedonum in Syria Regibus tributum, & quidem cum [a] in singula capita tum in agros, præter alias insuper collationes, pendisse, ut [b] decem drachmarum millia de Templo a Sacerdotibus Scribis & Cantoribus persoluta, tum aurum Coronarium, e variis utique Josephi locis constat: ac simul eorum tributorum aut collationum, vel ex parte, vel certo demum anno, ut septimo seu Sabbatico, vel in uniuersum, datam subinde ab iisdem Regibus, seu aliquot ex iis, immunitatem. Ubi vero sub Pompeio in Romanorum potestatem transiere Judæi, stipendiarii itidem facti, ac inde tributa quoque iis pendere sunt adacti; relicta interim, dispersis per Romanas prouincias Judæis, διδραχμον quotannis Hierosolymas ad Templum transmittendi libertate. Quæ tamen facultas a Prouinciarum Rectoribus, libera adhuc Republica, est Judæis subinde, sicut a Flacco Asiæ Proconsule, adempta, iuxta nota Ciceronis ea de re verba: *Cum aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris prouinciis exportari soleret, Flaccus vetuit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Adde, quæ statim subdit: *Exportare aurum non oportere cum sæpe antea Senatus, tum me Consule grauissime iudicauit.* Quam tamen libertatem dein iisdem Iudæis ubicunque gentium degentibus, haud uno Iulii Cæsaris Dictatoris decreto relictam ac adsertam, aperte, adductis eorum decretorum verbis, Iosephus docet. Captis vero dein Hierosolymis, & euerso Templo, dispersis inde maiori adhuc numero per Romanum imperium Iudæis, id a Tito inductum, ut qui patrios ritus seruare ex iis vellent, eamque in rem se Iudæos erant professi, quod tradit Dio Cocceianus, quotannis didrachmum Ioui Capitolino persoluerent: nempe vice illius, quod prius, & Romanorum etiam, ut vidimus, permissu, ad Templum Hierosolymitanum mittere soliti erant Iudæi. Quæ ratio fuit *Fisci Judaici* tum instituti, quem autem, & quidem *præter cæteros*, a Domitiano *acerbissime actum* tradit Suetonius; *ad quem* nempe, ut addit continuo, *deferebantur, qui vel improfessi Iudaicam intra urbem viuerent vitam; vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent.* Qua ratione etiam contigit, ut præter eos, qui

[a] Joseph. Antiq. l. XIII. c. 5.
[b] Ibid. & l. XIV. c. 5.
Diss. VI. p. 350. & 354.
Orat. pro Flacco c. XXVIII.
Antiq. l. XIV. c. 17.
Lib. LXVI. p. 748.
In Domitian. c. XII.

se Iudæos erant aperte professi, in eos anxie anquireretur, qui forte dissimulata eiusmodi professione, atque ita haud persoluto annuo didrachmi tributo, Iudaicæ nihilominus superstitioni adhærere censebantur, eoque nomine ad Fiscum principis iure, vel iniuria etiam, deferebantur. Quum enim Domitianus primum, necdum in sæuitiam & rapacitatem deflectens, *fiscales calumnias*, ut de eo dixerat paullo ante idem Suetonius, *magna calumniantium pœna reprimeret:* mox vero, ut ibi continuo additur, *neque in clementiæ neque in abstinentiæ tenore permanserit*, inde etiam, inter alia diuersi longe animi ac instituti exempla, illud paullo ante adductum *Fisci Iudaici acerbissime acti* edidit; quo nempe vel religionis vel originis Iudaicæ quocunque titulo vel obtentu, fiscale tributum, a fratre Tito professis Iudæis, ut diximus, indictum, acerbe non solum, sed calumniose etiam, ut ex hoc Neruæ nummo licet statuere, exigeretur. Quam vero calumniæ speciem mox ille Domitiani successor, dissimillimi quippe animi ac instituti princeps, sustulit: non sublato, ut male vulgo huius, de quo hic agimus, nummi interpres, ipso Fisco Iudaico, sed cui tributum professi solum Iudaicum genus vel cultum, ac inde fiscalibus tabulis, seu, de quibus supra, Breuibus, inscripti deinceps persoluerent, repressis calumniosis actionibus, per quas ab aliis, velut eiusdem Iudaicæ sectæ consortibus, idem fiscale tributum summa iniuria ac iniquitate exigeretur. Id vero aliunde, ac e tot Titulis & Constitutionibus Imperatorum, in utroque, maxime autem in Theodosiano Codice, ut norunt, qui vel obiter eum versarunt, notum est, *Calumnias* passim in iis dici de iis delationibus vel actionibus, quæ Fisci nomine, seu de rebus velut Fisco debitis, summa iniuria & iniquitate deferebantur vel intentabantur: quæque inde sub grauibus pœnis sunt in iis passim vetitæ. Hinc *Calumniæ pœna* delatori, qui delationem sustinere non posset, illata; de qua Imperator Honorius: [a] *In quem* (delatorem) *si confessa titubauerint*, CALUMNIÆ POENA *referatur*. Prout cæteroquin *Calumniæ pœna*, liberæ iam urbis temporibus, lege Remmia, ut vel e [b] Ciceronis verbis & aliunde liquet, & sub Imperatoribus dein, ut ibi monuerunt iam viri docti, irrogari adhuc fuit solita, quod e [c] Papiniani & [d] Marciani de ea verbis in libris iuris Romanorum Ciuilis constat; a quo postremo dicitur: *Calumniatori pœna lege Remmia irrogatur*. Quæ autem pœna, quum calumniatoris fronti primam nominis literam K inustam tantum relinqueret, eam stigmatis id genus pœnam tolli in posterum peculiari lege, in [e] utroque Codice obuia, iussit Constantinus. Unde etiam ab eo alibi statuta longe atrocior dein pœna, quum [f] amputata ac evulsa radicitus lingua, pœna capitali, immo etiam [g] viuicomburio, calumniatorem plecti haud una lege dicti iam Codicis iusserit. Ad *Calumniosas* vero id genus *actiones* vel *delationes* relatæ potissimum, ut diximus, *fiscales*, seu quæ, Fisci principis commodorum obtentu, priuatorum seu prouincialium fortunas penitus euertebant. Unde etiam in alia lege ab Imperatore Honorio contra *calumniatores* lata, a veteri ad eam Interprete, eamque expositionem laudante ibidem clarissimo Iacobo Gothofredo, inter alia dicitur: " CALUMNIATORES sunt, qui sub nomine FISCI facultates „ impetunt alienas, & innocentes quietos esse non permittunt. Quibus addi merentur præclara Theodorici Gotthorum Regis ad Fisci Aduocatum verba, quæ alibi ab eodem doctissimo Theodosiani Codicis commentatore

Ibid. c. IX.

a Leg. XXX. C. Th. de Petition. & Delation.

b Pro Sex. Roscio c. XIX.
c Leg. XXI. D. de Testib.
d Leg. I. §. 2. D. ad S. C. Turpill.

e Leg. II. C. Th. de Pœnis & Leg. XVII. C. Iust. eodem.
f Leg. II. & IV. C. Th. de Petition. & Delation.
g Leg. I. C. Th. de Actorib.

Leg. III. C. Th. de Calumniat.

tatore ſunt adducta : *Sume igitur* FISCI *noſtri tuendi negotia, &c. Ita per medium iuſtitiæ tramitem moderatus incede, ut nec* CALUMNIA *innocentes graues, nec iuſtis petitionibus retentatores exoneres.* Quomodo ſupra iam a Suetonio, qui ex hisce hactenus illuſtratur, *fiſcales calumnias* dici vidimus; & ab Oroſio de M. Antonino id genus Reliquorum ſyngraphas ſeu Breues comburente: *Fiſcalium negotiorum Calumnioſa monumenta incendit.* E quibus autem traditam paullo ante huius præclari Neruæ Edicti, quod in hoc, quem expendimus, & de quo aliunde neſciretur, Neruæ nummo conſignatur, rationem liquido ac plene adſequimur: neque eo proinde, quod præſtantibus Antiquariis videbatur, *Fiſcum Judaicum*, ſeu *didrachmum*, iuxta Dionem, ut vidimus, quotannis a Iudæis Ioui Capitolino, poſt eorum excidium, perſoluendum, a Nerua remiſſum dici vel abolitum, ſed *Calumniam* demum illius *Fiſci ſublatam*, hoc eſt de eodem fiſcali debito ſoluendo immunes in poſterum manſiſſe, quicunque ſe haud erant Iudæos profeſſi, nec inde pro Iudæis in fiſcales tabulas relati, iisue inciſi. Aliud quippe, *Fiſcus Judaicus*, quod non aduerterunt viri præſtantes; aliud, *Fiſci Judaici Calumnia:* illum, ex Titi Edicto, ſoluere tenebantur, ut antea, profeſſi, ut diximus, Iudæi; poſteriores, ſeu *improfeſſi* Suetonio dicti, non item; ſed omnes in eos, ceu calumnioſæ, actiones vel delationes vetitæ prorſus ac ſublatæ. Haud aliter ac Magni Conſtantini lege de Aduocati Fiſci officio moneri videas: *Nempe ut pœnam metuens caueat, ne fiſcalia commoda occultet: neue, nullo negotio exiſtente,* FISCI *nomine priuatis audeat* CALUMNIAS *commouere.* Neque vero poſt Neruam immunes fuere a fiſcalibus tributis Iudæi, aut ulla etiam ratio ſubcrat, cur ſola e prouincialibus gens Iudaica, eaque iam ante excidium ſtipendiaria ſeu tributaria, ſingulari adeo ac inſolito poſt illud excidium priuilegio gauderet. Unde etiam adducam Ioſephi de iis, poſt excidium adhuc, verba: ubi libertatem quidem ſub Romanis, ſuarum nempe legum & patriorum rituum, ſeruaſſe Iudæos tradit, *ſed ita ut ii tributorum oneribus in totum ab illis opprimerentur*, ἐπιβολαῖς δὲ τῶν φόρων εἰς τὸ πάμπαν ἐπίεσαν αὐτούς. Haud diu vero poſt Neruam, proxima nempe ſub Hadriano ætate, Iudæos capitis tributum aliasque inſuper collationes pendiſſe docet Appianus; dirutis nempe ſua ætate, ob crebras eorundem defectiones, ab Hadriano Hieroſolymorum urbis mœnibus, uti iam ante a Pompeio & Veſpaſiano factum: Καὶ διὰ ταῦτα ἐστὶν ΙΟΥΔΑΙΟΣ ΑΠΑΣΙΝ ὁ ΦΟΡΟΣ ΤΩΝ ΣΩΜΑΤΩΝ βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας, *atque inde grauius eſt Judæis tributum in ſingula capita, quam quod pro aliis eorum facultatibus* (ſeu, ut non male ibi interpres, *pro cenſu*) *conferunt.* Unde quid de explicatione huius nummi ab erudito Muſei S. Genouefæ, ubi ille itidem profertur, editore ac interprete ſtatui debeat, quiuis videt: nempe eundem nummum, quod ibi dicitur, monumentum eſſe grati Iudæorum in Neruam animi, qui eos a tributo capitis, quod iis impoſuerat Domitianus, immunes continuo præſtiterit. Neque enim a Iudæis, ſed a Romanis, & quidem *Ex Senatusconſulto*, quod in eodem legitur, percuſſus eſt idem nummus; nec tributum capitis Iudæis poſt eorum excidium a Domitiano, ſed iam ante a fratre eius Tito indictum, nec ab eodem Nerua illud omnino iis remiſſum, quod breui ſubſequutis eum Imperatoribus adhuc exactum ex Appiano vidimus. Ut mittam, quæ de grauibus adhuc

Caſſiod. Var. l. 1. c. 22.

In Domitian. c. IX.

Lib. VII. c. 15.

Leg. 1. C. de Aduocat. Fiſci.

Antiq. l. XVII. c. 11. p. 584.

Bell. Syriac. p. 119.

Cabinet de S. Geneuief. p. 70.

exactionibus, quæ superioribus temporibus, & sua adhuc ætate, a Iudæis pendebantur, obseruat ab initio Epistolæ ad Commune Iudæorum scriptæ Imperator Julianus. Neque enim ibi agi liquet de annuo illo tributo, quod *Apostolatus* nomine Patriarchis suis persoluere soliti erant Iudæi, & de quo postea fit seorsim in eadem Epistola mentio; sed de grauibus, & extraordinariis quidem, collationibus, seu, ut ibi dicitur, *immenso auro, quod in* Fisci *rationes inferretur*, χρυσίᾳ πλήθος ἄφατον κομίζειν τοῖς ΤΟΥ ΤΑΜΕΙΟΥ λόγοις. Ταμεῖον enim de *Fisco* principis, & Ταμειακὰ ea quæ *ad Fiscum* spectabant, seu *fiscalia*, dicta, vel ex Glossis antiquis & scriptoribus illius ac superioris etiam ætatis est omnino manifestum. Unde, quæ tributa illa a Iudæis exigenda continerent, & de quibus paullo ante vidimus, τὰ βρέβια, *Breues* nempe, seu chartas a se incensas, ut nemini liceret in posterum Iudæos eo nomine vexare, addit continuo Iulianus. Inde autem transit ille ad solennem illam tributi pensionem, quam Patriarchæ suo persoluebant Iudæi, & Iulum, qui ea tum dignitate fungeretur, quem *fratris* & *maxime reuerendi Patriarchæ* nomine ibi dignatur, τὸν ἀδελφὸν Ἴουλον, τὸν αἰδεσιμώτατον πατριάρχην, hortatum se dicit, ut illud tributum vellet iis remittere. Unde accurate omnino ac vere id unum ad hanc Iuliani Epistolam notat doctissimus Petauius; "quod nempe hoc ad Iu-
„ dæorum respicit præstationes & tributa, quæ per Apostolos Patriarchæ
„ Iudæorum exigere solebant, facta ibidem aliquot Constitutionum Imperatorum illius ætatis mentione, & quibus modo vetita sit modo concessa Patriarchis illud tributum a Iudæis exigendi licentia: quum de abolitis quidem tributis extraordinariis, quæ tum Iudæi Fisco soluere tenebantur, eos certiores reddit ibi Iulianus; additque simul amice commonefactum a se eorum Patriarcham, ut ipsemet illud, quod ab iis exigebat tributum, iisdem condonare deinceps vellet. Id vero de hoc singulari Neruæ nummo adhuc dicendum est, quòd citra peculiarem utique notationem sat, ut opinor, ex eo liquet, quo loco habenda sit viri eruditissimi peculiaris, pro more ci haud insolito, de eodem hoc nummo sententia:
„ inde nempe constare ad Neruam usque addictam fuisse Fisco Augusti,
„ seu Imperatoris, Iudæam: nec eam ante hunc annum percussi illius sub
„ Nerua nummi, Senatui Populoque Romano redditam. Unde & balsa-
„ mum Iudaicum Fiscus principis, teste Plinio, ferebat vendebatque.
Quæ utique quam sint ab omni huius nummi, seu inscriptionis in eo contentæ, Fisci Iudaici Calumnia Sublata, explicatione prorsus aliena, quiuis, me silente, intelligit; quam nouum præterea illud sit, ac ab omni illorum temporum notitia & fide abhorrens, Iudæam sub Nerua Senatui Populoque Romano redditam: quum, ut de aliis sileam, omnes prouincias, post earum diuisionem ab Augusto, ut notum, institutam subiectas, ad prouincias Cæsarum seu Augustorum, non vero Senatus Populique accessisse, vel e Dione & aliunde constet. Adde, quòd ipsa *Judæa* sub *Palæstinæ* nomine ac regimine foret tum, ac iam ante, a Romanis relata. E quibus hactenus ad hunc Neruæ nummum, uti ad priores aliquot, cum eiusdem Neruæ, tum Traiani, Hadriani, aliorumue Imperatorum a me adnotatis, id constare arbitror, cum haud superuacaneam omnino vel mihi præreptam fuisse a viris præstantibus, qui de iis forte egerunt, in præclaris & singularibus iisdem nummis expendendis illustrandisue operam;

tum

Epistol. xxv. p. 396.

Petau. Notæ ad Julian. p. 115. To. II. Append.

Harduin. de Num. Herodiad. p. 21. & Select. Oper. p. 314.

Lib. XII. Sect. 54.

tum accuratam ac penitiorem quandam eorum notitiam ac lucem, haud ex primo eorum obtutu, & obuia cæteroquin verborum, quæ in iis leguntur, ſignificatione pendere: immo inde, & quod hac ſecunda huius Operis parte probare hactenus intendimus, præclaris, nec protritis, ſubinde maximi nobiliſſimique per orbem terrarum Imperii ritibus ac inſtitutis facem aliquam accendi.

II.

De ROMANI IMPERII, *ſiue* REGNORUM, URBIUM LIBERARUM, *&* PROVINCIARUM *in eo ſub Cæſaribus* ADMINISTRATIONE.

IPſam vero ROMANI IMPERII ſub Auguſtis, immo iam ante, inſtitutam, quæ REGNA, LIBERAS URBES, & PROVINCIAS complecteretur ADMINISTRATIONEM, eadem quoque veterum nummorum, ac Cæſarianorum vel maxime, ſupellex nobis ante oculos ponit. Quam equidem Romani Imperii diuiſionem ad Pompeium refert Appianus, quem, victo & ſublato Mithridate, e ſubactis gentibus alias ob miſſa auxilia libertate donaſſe; alias in prouinciæ formam redegiſſe; alias Regibus tradit adtribuiſſe. Quod triplex Imperii, e quo Romanus orbis conſtaret, genus tangit quoque in Orationibus Cicero, ut in Oratione de Lege Agraria: [a] *Iam illa omnibus in Prouinciis, Regnis, Liberis Populis quam acerba, &c.* idem pro Balbo: [b] *Quem Prouinciæ noſtræ, quem Liberi Populi, quem Reges, &c.* & quod addit continuo, *quem exteræ Nationes, &c.* nempe quæ non parebant Romano Imperio. Quod a Strabone [c] ſimiliter circa finem Operis, ac proinde ab Tiberii, ut notum, principatu adſtruitur; uti a Suetonio etiam in Veſpaſiano: [d] *Sed & Prouinciæ Ciuitatesque Liberæ, nec non & Regna quædam tumultuoſius inter ſe agebant.* Ad duo vero hominum genera redacta eſt ab aliis eadem Romani Imperii forma, uti a [e] Dione Cocceiano in τὸ ἐνσπευδὸν, & τὸ ὑπήκοον, ſeu, iuxta Ariſtidem, [f] τὸ ἀρχόμενον, in *fœderatum* & *ſubiectum*, ſeu *quod regebatur*, qua priori autem voce cum REGNA tum CIVITATES LIBERAS, poſtremâ PROVINCIAS Romanorum deſignari quiuis videt.

a Orat. I. c. III.

b Cap IV.

c Lib. XVII. p. 829.

d Cap. VIII.

e Lib. LIV. p. 526.

f Orat. in Romam p. 373. To. I.

I. *De* REGNIS *ſub Romanorum Imperio in nummis Cæſarianis.*

Haud obſcura equidem REGUM, qui liberæ adhuc urbis temporibus ſe in Romanorum fidem & clientelam dederant, occurrit apud Scriptores Rerum Romanarum mentio. Obuii utique eius rei, ut vel obiter hæc tangam, teſtes in Aſia Minori Rex *Eumenes*; *Ariarathes*, & *Ariobarzanes*, Cappadociæ; *Antiochus* Commagenorum; Cypri *Ptolemæus*; Bithyniæ *Pryſias*; Galatarum *Deiotarus*; *Herodes* Iudææ; in Africa *Maſſiniſſa*, *Micipſa*, *Atherbal*, pluresque id genus, quos maieſtatem Populi Romani comiter coluiſſe, ſeu, ut ea in re Tacitus, *ſolitam in Populum Romanum*

Mithridat. p. 251.

Annal. XIII. c. 9.

num reuerentiam præstitisse, e Polybio, Sallustio, Liuio, ac aliunde constat. Hinc, & quod eo nomine *se maxime tutos* esse iidem Reges, ut de iis alicubi Sallustius, existimabant, ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ, seu *Amici Romanorum*, titulum, non cupide solum ambiebant, sed, ut sibi glorioſum, auro, argento, ære, iuxta proprium nomen, signari, uti ex aliquot adductis id genus Regum ARIARATHIIS, ARIOBARZANIS, MITHRIDATIS, EUERGETIS, ac MANNI quoque, de quo paullo post, *Cappadociæ*, *Ponti*, & *Arabiæ* Regum nummis iam in priori huius Operis parte [a] vidimus. Cuius autem rei, seu [b] *inseruientium Regum*, uti iidem a Tacito alicubi dicuntur, sub Romanis Imperatoribus illustria etiamnum exempla exhibent plures nec vulgares nummi, hinc cum Augustorum, illinc cum illorum Regum effigie, quos vel datos a Romano Principe, vel ab eo in fidem acceptos liquet.

Bell. Jugurth. c. XVI.

a Diss. VIII. p. 474. &c.

b Hist. II. c. 31.

1. *De Rege* POLEMONE, *& eius filio.*

Ita cum a M. Antonio Rex *Minoris Armeniæ*, tum sub Augusto dein *Ponti*, & quidem ad Cappadociam siti, mox alterius quoque *Ponti*, *Polemoniaci* ab eo dicti, Rex constitutus, ut hoc a [a] Strabone ac [b] Dione dicitur, quodque iam occupauit eximius [c] Patinus, sit POLEMO, id adstruunt quoque duo singulares eius nummi; unus cum M. Antonii, alter cum Augusti effigie, in anteriori eorum area, in auersa vero cum *Pontici* illius *Regis*, uti a Tacito vocatur, diademato capite, ac inscriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. Cuius postremi etiam nummi, quique exstaret in Thesauris Gallorum Regiis, facta pridem a nobis fuerat, quum de his ageremus, mentio. Quum vero cognomini eiusdem filio *Polemoni* a Caligula primum paternum adsertum esset regnum; sub Claudio vero, pro *Bosporo*, *Ciliciæ* pars eidem cessisset, quod utrumque a Dione diuersis locis dicitur; hinc in Claudii, & Neronis eius Successoris nummis signatus idem POLEMO filius, & cum Regio quoque titulo, qui ab iis Imperatoribus fuit ei datus vel relictus, nempe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ.

a Lib. XII. p. 578.

b Lib. XLIX. p. 418. & l. LIV. p. 538.

c Not. ad Sueton. c. XVIII.

Lib. LIX. p. 649. & l. LX. p. 670.

2. *De Regibus* SAUROMATIS.

Neque ignoti in eo terrarum tractu *Bospori* seu *Iberiæ* etiam Reges SAUROMATÆ, quorum singulares quosdam nummos sub Traiano, Hadriano, Seuero, & cum adsumpto EUPATORIS cognomine sub M. Antonino ac L. Vero cusos, ad Juliani [a] Cæsares primum, uti ab eximio [b] Morellio itidem factum, ac dein in priori huius [c] Operis parte protuli, ac unde genuinum eorum nomen *Sauromatis* vel *Sauromatæ*, ut bene in [d] Plinii Junioris ad Traianum Epistolis, exstitisse, non *Sauromacis*, prout aliquoties apud [e] Ammianum Marcellinum, & probante quidem doctissimo Valesio, legitur, ibidem monui. De quibus vero, seu *Bosporanis*, qualis ille *Sauromata*, [f] a quo *legatio e Bosporo* ad Traianum missa; seu Iberiæ, ut alter apud [g] Ammianum sub Valente Imperatore *Sauromata*; aut vero *Sauromatarum* seu *Sarmatarum* Orientalium, ut vel ex nominis communione & vicinia earundem gentium licet statuere, Regibus, sat liquet eosdem a Romanis Imperatoribus vel datos, vel protectos. Unde, quod ibi quoque adduximus, de Traiano Eutropius: *Iberorum Regem*, *& Sauromatarum*, *& Bosporanorum*, *&c. in fidem accepit*; & de Sauromate Iberiæ Rege Ammianus: *Quem auctoritas Romana præfecit Iberiæ.* Quibus addendus hic venit alius adhuc, isque aureus, neque visus antea, illius *Sauromatæ*, qui Seueri ætate vixit, nummus; cuius sequentem iconem hisce demum diebus a viro præstantissimo Picinini, Medico Rhœto, sum nactus,

a Pag. 419, 421.

b Specim. Tab. VII.

c Diss. VI. p. 489. &c.

d Lib. X. Epist. 14, 15.

e Lib. XXVII. c. 12.

f Lib. X. Epist. 13, 14.

g Ut supra.

Lib. VIII. c. 2.

Ut supra.

nactus, qui eam Venetiis inter alia præclara cimelia adtulerat. Exhibet ea hinc barbatum ac diadematum *Regis Sauromatæ*, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ, caput ac nomen; illinc duo Diuorum Fratrum Seueri & Antonini Caracallæ capita, cum addita Æra ΕϘΥ, h. e. CCCCXCIX, prout in vulgato a Morellio eiusdem *Sauromatæ* cum Seueri effigie nummo addita est, infra Seueri caput, anni superioris Æra ΘϘΥ.

Verum præter quos Regum *Sauromatarum* nummos memorandus est ante alios, qui inter Augusti nummos, & quem penes se haberet, a celebri Antiquario est haud ita pridem adductus: in quo nempe hinc Augusti nomen & caput comparet; illinc *Regis Sauromatæ*, qui eum nempe titulum ab Augusto acceperit, effigies, & inscriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. Vaill. Num. Imp. Græc. p. 6.

2. *De aliis quibusdam Regibus.*

Huc referri itidem possunt THRACUM in vicinia Reges, de quibus egerunt iam ante præstantes aliquot antiquarii [a] Seguinus, [b] Patinus, [c] Vaillant, ac [d] nos aliquanto plenius in priori Volumine, nempe RHOEMETALCES, COTYS, neque unus RHESCYPORIS. Concessum enim iis, aut diuisum inter eos eorumque filios ab Augusto (ac dein ab eius successoribus, regnum, si e Tacito ac Dione non constaret, arguerent etiamnum aliquot eorum nummi cum Augusti, quem [d] *auctorem utriusque regni*, in quo diuisa tum erat Thracia, vocat Annalium Scriptor) ac Neronis, quorum maiestatem colerent, nominibus ac effigie. Icones eorundem nummorum, quæ id adstruunt, quas iam in priori huius Operis parte adtulimus, hic mitto. Quo loco id tamen monendum venit, quod pars ea Romani Imperii, quæ Reges ac Dynastas in clientelam eius ac fidem receptos complectebatur, in Augustorum, ut id in fine totius operis tradit Strabo, tutela & potestate semper permanserit. Ut proinde minus mirum videri debeat, si percussi Regum id genus, eorumque iussu & auctoritate, nummi, publicum illud eorum in regnantem tum Imperatorem ceu supremum Euergetem vel Sospitatorem studii cultusque testimonium ederent.

a Select. Num. p. 42, 43.
b Ad Sueton.
c Not. ad Seguin. Num. p. 394.
d Diss. VIII. p. 499. &c.
d Annal. II. c. 64.

3. *De Iudææ Regibus* HERODIS *aut* AGRIPPÆ *nomine.*

Unde, præter commemoratos hactenus variarum gentium Reges, haud omittendi insuper hic veniunt in ipsa JUDÆA haud unus quoque HERODES vel AGRIPPA. Cuiusmodi nempe, ad priores quod adtinet, *Herodes Tetrarcha* signatur in insigni nummo, quem e cimeliis viri inter Gallos summe harum antiquitatum studiosi adduxit eruditissimus Harduinus; in cuius priori parte legitur in corona laurea ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. *Caio Cæsari Germanico Augusto*, illinc Palma cernitur cum inscriptione ΗΕΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ L. M. Γ. seu Ann. XLIII. Accedit, quem olim iam protuli ac illustraui, non huius quidem *Herodis Tetrarchæ*, sed alterius, quique idem fuerit cum Magno Agrippa, nummus, hinc cum Herodis diademato capite & inscriptione ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, *Rex Herodes Amicus Claudio*, illinc ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. *Claudio Cæsari Augusto Anno* III. Quod rursus ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΥ nomen in Select. Oper. p. 331.

alio Magni Agrippæ nummo, vulgato a viris in Gallia eruditis, & quem memorat quoque eruditissimus Harduinus, ac in superiori Volumine itidem adtigimus, legitur: nempe, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ: quæ singulare in benefactorem Claudium eiusdem Agrippæ studium & cultum contestantur. Mitto, & quod non est iam huius loci, quæ de priori illo nummo cum inscriptione ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ nuper innui; eum nempe non ad hunc Agrippam, ut olim censueram, sed ad fratrem eius, Chalcidos Regem, eodem in Claudium Imperatorem studio & cultu adfectum, quod iam ante [a] Scaligero ac [b] Norisio, viris præclaris, placuerat, ut de [c] Seguino fileam, qui primus nummi iconem protulit, referendum videri. De obuiis vero Regis AGRIPPÆ Iunioris seu Filii, eodem Chalcidos regno, post Herodis patrui obitum, a Claudio, ut de eo haud uno loco [d] Josephus, donati, nummis cum Vespasiani, Titi, ac Domitiani Imperatorum, sub quibus *Regis* titulum, amisso etiam regno retinuit, nihil adtinet, quod noti sint iidem, hic pluribus commemorare.

Diss. VIII. p. 522.

a Anim. ad Euseb. p. 189.
b Epoch. Syr. Maced.
c Select. Num. p. 50.

d Antiq. l. XX. c. 3. Bell. Jud. l. II. c. 11.

4. *De* MANNO *Arabiæ Rege.*

Nec desunt etiam Regum in vicina ARABIA nummi, cum depictis in priori area Imperatorum, sub quorum tutela & patrocinio adquiescerent, nominibus ac effigie. Cuiusmodi exstat a clarissimo Seguino, ac postea a Begero in Continuatione Thesauri Brandenburgici, vulgatus MANNI, Arabiæ Reguli, nummus, hinc cum Lucillæ L. Veri coniugis effigie ac nomine, illinc cum Cereris sedentis, vel Lucillæ anterioris sub eius effigie, typo, & inscriptione ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΑΝΝΟΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ, *Rex Mannus Romanorum Amicus.* Cuius utique rei fidem faciunt duo nummi, quos in cimeliis illustris Hedges, Equitis Aurati ac splendidis muneribus summa cum laude defuncti, in Angliæ Metropoli videre mihi licuit: prior nempe, cum M. Antonini nominibus & vultu in anteriori area, exhibet hanc inscriptionem, ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ, in auersa vero cernitur Pallas stans, dextrâ Hastam tenens sinistra Scuto innixa cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΑΝΝΟΣ ΦΙΛΟ..... *Rex Mannus Philoromæus*; alter vero hinc Faustinam eius coniugem forma insignem cum illius nomine, ac titulo *Augustæ*, ΦΑΥΣΤΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, illinc Junonis effigiem, figuram nempe Muliebrem stantem, quæ dextra Pateram, sinistra Hastam gestat, ad pedes Pauo.

Lib. LXVIII. p. 781.

Quæ vero de hoc *Manno*, Arabum Regulo, apud unum hactenus Dionem leguntur, quod Traiano bellum contra Parthos in illo terrarum tractu gerente, ob missa Regi Adiabenæ auxilia suspectus fuerit hic Arabum in eo tractu Rex Mannus (prout, pro Μάνος, apud Dionem Μάννος cum duplici ν legendum euincunt adducti modo nummi) occupauit iam eximius Seguinus. Quo magis mirari subiit, id quod ad superiorem Lucillæ, quem is quoque memorat, nummum notari a viro eruditissimo video; nempe *Mannum*, nullo adducto eius rei teste vel auctore, in eo signatum, esse Parthorum Regem, qui se *Amicum Romanorum*, non iisdem subiectum vel obnoxium dicit: quum tamen aperte urbi Edessæ, cuius Rex erat Abgarus, *finitimæ Arabiæ*, τῆς Ἀραβίας τῆς πλησιοχώρου, Regulus vel Phylarchus dicatur ibi a Dione idem *Mannus*, neutiquam vero Rex Parthorum, qui tum *Hosroës*, ut ibi apud Dionem, seu *Chosroës*, uti apud Aur. Victorem, vocabatur. Adde, quòd eo ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ titulo, quem in tri-

Select. Num. p. 159.

Harduin. Select. Oper. p. 779.

Lib. LXVIII. p. 778. Cæsar. c. XIII.

tribus illis M. Antonini, Fauſtinæ, & Lucillæ nummis præfert prioris illius ſub Traiano *Manni*, quod omnino ſtatuendum eſt, Filius, vel Nepos, non amicitiam adeo, qua Imperatorem Populumque Romanum complecterentur iidem Arabum Reguli; quam obſeruantiam in iis colendis ac fidem, & ſibi tutelam ac ſecuritatem illa appellatione paratam continuo teſtarentur. Quod firmare videtur Eutropius, qui a Traiano Reges, inter alios *Arabum & Oësdrenorum*, *in fidem acceptos* memorat; nempe quos, ut vicinos ac ſibi primo ſuſpectos, vi, vel ſponte, ut e Dione, ac ubi nominatim *Manni* Arabiæ Reguli meminit, ſibi conciliarit Traianus: & in qua fide manſerit dein filius eius vel nepos, dum contra Parthos bellum itidem gereret Lucillæ maritus, & imperii cum M. Antonino conſors, L. Verus. Quid vero in illa ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΩΝ appellatione ſitum foret, docere poterunt Atherbalis Numidarum Regis dicta in Romano Senatu apud Salluſtium verba, ſeu quæ Rex Micipſa pater moriens eidem præceperat: *Vos mihi cognatorum, vos in locum adſinium ducerem: ſi ea feciſſem*, IN VESTRA AMICITIA *exercitum, diuitias, munimenta regni me habiturum*; mox: *Cæteri Reges aut bello victi* IN AMICITIAM *a vobis recepti ſunt, aut in ſuis dubiis rebus ſocietatem veſtram adpetiuerunt*; dein: *Ego ſic exiſtimabam, P. C. uti prædicantem audiueram patrem meum, qui* VESTRAM AMICITIAM *diligenter colerent, eos multum laborem ſuſcipere, cæterum ex omnibus maxime tutos eſſe.* Adde Tacitum: *Accolis Hibero Albanoque & aliis Regibus, qui magnitudine noſtra proteguntur aduerſus externa imperia.* Neque vero dum vel Maior Agrippa, vel frater eius Rex Chalcidos Herodes, ſe *Claudii* tum rerum potiuntis *Amicos* inſcribi procurant, in memoratis paullo ante eorum nummis, inde ſe nullatenus eidem imperanti tum Claudio *ſubiectos* vel *obnoxios* iactant; a quo Agrippa pluribus ditionibus Iudæa, Galilæa, ac Samaria, ut ea de re Joſephus, fuerat auctus: frater autem eius Rex Chalcidis, poteſtatem in Templum & ſacrum Ærarium, ac ius eligendorum ſummorum Pontificum fuerat conſequutus.

Lib. VIII. c. 2.

Ut ſupra p. 781.

Bell. Jugurth. c. XIV.

Annal. IV. c. 5.

Antiq. l. XIX. c. 3. Idem lib. XX. c. 1.

Sed cum aliunde magis noti, tum in pluribus etiam Cæſarianis nummis conſpicui, vicini iisdem MANNIS Arabiæ Regulis, Edeſſenorum ſeu Oësdrenorum Reges ABGARI. Exſtant utique etiamnum plures percuſſi ab iis nummi, quique adducuntur in vulgata iam huius Operis de Nummis Antiquis parte, qui M. Aurelii, L. Veri, Alexandri Seueri, & Gordiani Pii, in quorum fidem erant recepti, effigiem & cultum in altera eorundem nummorum area præferunt. Immo cum adſumptis ſubinde, ut ibi quoque vidimus, in peculiaris clientelæ teſtimonium, Romanis id genus Auguſtorum, Lucii Veri puta ac Septimii Seueri, nominibus, ut ΒΑΣ. Α. ΑΙΛ. ΣΕΠ. ΑΒΓΑΡΟΣ, *Rex Lucius Ælius Septimius Abgarus*; aut ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΙΛ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΑΒΓΑΡΟΣ, *Rex Ælius Septimius Abgarus.*

5. *De* ABGARIS *Edeſſenorum regulis.*

Diſſ. VIII. p. 538.

Accedunt vero adhuc in alia terrarum parte NUMIDIÆ & MAURITANIÆ Reges, a quibus cultam itidem Romanam maieſtatem nobis ante oculos ponunt veteres nummi, uti ille in Gente Cornelia a viris præſtantibus pridem vulgatus, & de quo in ſuperiori etiam [a] Volumine a nobis agitur, in quo duo ſimul Numidiæ & Mauritaniæ Reges BOCCHUS & IUGURTHA genuflexi, poſtremus etiam vinctis poſt tergum manibus, ante ſedentem

6. *De Numidiæ & Mauritaniæ Regibus.*

[a] Diſſ. VIII. p. 539.

in solio Syllam conspiciuntur. Ut mittam Iubæ filii cum Cleopatra coniuge signatam in præclaris aliquot nummis effigiem; cui *Jubæ* cum Mauritaniæ Tingitanæ regnum esse ab Augusto datum, tum uxorem Cleopatram, M. Antonii & Cleopatræ filiam, docet Dio; ac adstruunt præclari etiam, quales quoque iam ante adtulimus, nummi, & quibus alium insuper, haud visum hactenus, hic subdam, cuius iconem c nummo magno æreo, qui est penes celebrem urbis Antiquarium Franciscum Ficorini, expressam mihi visendam exhibuit laudatus paullo ante Picinini.

Lib. LI. p. 454. Diss. VIII. p. 541.

Quo referri etiam possunt, eiusdem Jubæ & Cleopatræ filii, Regis Ptolemæi nummi, quem e patrio Mauritaniæ regno, in quod post parentis obitum fuerat adsertus, Romam arcessitum repente sustulit Caligula.

Sueton. in Calig. c. XXXV.

7. *De Regibus Parthis, Armenius, &c. datis.*

Verum sub Traiano, ut propagati sunt latius quam sub eius Decessoribus Romani Imperii fines; sic amplificata, immo in immensum quoddam aucta, eiusdem vel Imperii vel Imperatoris maiestas. Neque enim ab eo dati solum, ut alios iam mittam, commemorati modo in Parthorum vicinia *Arabum & Oësdrenorum Reges*; sed insuper Ctesiphonte, in ipsa Parthorum Regia, Rex Regum nomine Parthamaspates iisdem Parthis a Romano principe, seu Traiano, impositus, ut id a [a] Dione traditur & ab aliis etiam, uti a [b] Spartiano, sed qui errat in Regis illius nomine, quod viderunt viri summi, commemorando, ac præterea in Parthicis apud [c] Photium Arrianus, uti etiam [d] Zonaras. Adde, ubi paullo ante, & quidem e regio Parthorum seu Arsacidarum genere, Rex nomine *Parthamasiris* Armeniæ regno foret ab eodem Traiano exutus. Utrumque vero, si aliunde non constaret, docerent nos hodie præclari eiusdem Traiani nummi. Unus est, in quo sedet in suggestu Traianus, stante retro Præfecto Prætorio, dextra in stantem infra Regem *Parthamaspaten* protensa; genuflexa vero & supplice, extensis ad Traianum, quo daret Parthis Regem, manibus, ut bene de ea coniecit præstantissimus Begerus noster, Parthiâ, cum memorabili inscriptione Rex Parthis Datus. Pileata enim ibi eadem, ut hoc addam, haud aliter ac in aliis eiusdem Traiani nummis, ubi illa humi infra Tropæum prostrata & lugens cernitur, cum inscriptione Parthia Capta. Exstat vero alius, & insignis quidem, eiusdem Traiani nummus, in quo sedet itidem in suggestu & stat retro Præfectus Prætorio, supplex ante & genu flectens ac sine diademate figura, quinque militibus ac tribus signis circumdata, cum epigraphe Rex Parthus. Quem nummum similiter omnes, qui antea de illo egerant, & quibus ego quoque accesseram, præstantes Antiquarii, ad idem Traiani Parthis Regem dantis factum continuo retulerant; præstantissimus vero Morellius de *Parthamasiride*, cui regnum Armeniæ ereptum venerat Traianus, explicandum, ac vere omnino, si quid iudico, credidit. Nempe ad fidem

a Lib. LXVIII. p. 785.
b In Hadrian. c. V.
c Biblioth. p. 52.
d Annal. l. XI. p. 187. To. I.
Contin. Thes. Brand. p. 649.
Specim. p. 60.

dem Dionis, a quo ad quoddam Armeniæ oppidum facta fuerit illius Regi, dicto nempe *Parthamaſaridi*, Traianum adeundi copia: ubi autem, ſedente pro tribunali Traiano, ſtans ipſe ſine diademate, ac militum corona circumdatus dicitur. Nec mirum, iuxta eundem Morellium, quod REX PARTHUS in eo nummo appelletur, quem Arſacidam, ſeu e Regio Parthorum genere ortum, & quidem regnantis tum adhuc Parthorum Regis Chosrois fratris filium, exſtitiſſe tradit ibidem Dio, quique in Armeniæ Regem haud fuit a Traiano reſtitutus. Quibus autem ſingularibus Traiani nummis, de datis vel ademptis ab eo ampliſſimis Regnis, addendus adhuc tertius hic venit, in quo ſedet ſimiliter in ſuggeſtu Traianus, ac ſtat retro, ut in aliis iſtis, Præfectus Prætorio; ante autem cernuntur tres figuræ ſtantes, cum memorabili inſcriptione, REGNA ADSIGNATA. Quorum trium, & inſignium quidem, nummorum icones, quas haud uno loco inſuper e Gaza Gallorum Regia ad Juliani Cæſares, in Gallorum Metropoli vulgatos, protuli, hic denuo, ac opportuno ſeu proprio eam in rem loco, conſpiciendas damus.

Lib. LXVIII. p. 779.

Pag. 241. & 419.

Ut tum equidem renouatum videas, quod de alio Aſarcida dictum ab Horatio noſti:

Jus imperiumque Phraates
Cæſaris accepit genibus minor;

Lib. I. Epiſt. 12.

aut illud Claudiani: *Poſitoque Tiaram ſubmiſere genu.*

VI. Conſ. Honor. v. 72.

Traiani vero aliorumque eius Deceſſorum exemplo, ab Antonino Pio & L. Vero, Reges ARMENIIS rurſus, iuxta præclaros utriusque Imperatoris nummos, dati, ut: REX ARMENIIS DATUS, aut REX ARMENIÆ DATUS, quos deſcripſerunt iam ac vulgarunt etiam præſtantes [a] Antiquarii. Inde mos ille ad ſequiora tempora transmiſſus, cuius meminit [b] Procopius, ut Armeniæ Minoris quinque conſtituerentur Satrapæ, qui inſignia a Romano Imperatore, Chlamydem, Tunicam, Calceamenta coloris punicei, quæ nemo niſi Imperator Romanorum & Perſarum Rex poſſent geſtare, obtinere conſueuerant. Immo non ARMENIIS, a quorum expugnatione Parthorum Regem ſolis Antonini Pii literis repulſum tradit Capitolinus, ſed QUADIS etiam Regem ab Antonino Pio DATUM, de quo ſilent Auctores, docet etiamnum, quem olim e Muſeo Seguiniano, ubi eum videram, primus protuli, nummus, ab aliis poſtea, uti a celebri Antiquario, itidem vulgatus.

[a] Triſt. To. I. p. 163. Patin. Num. Impp. p. 204. Beger. Contin. Theſ. Brand. p. 677.

[b] De Ædific. l. III. c. I.

In Anton. P. c. IX.

Vaill. Præſt. Num. p. 72. P. I.

Stantes hic cernimus duas figuras; unam nudam Regis illius barbari, nisi quod pallium habet a tergo reiectum; alteram Legati Cæsaris, qui dextram eius iungit, velut in fidem Romani Imperatoris recepti. Bella nempe, aliasque id genus Expeditiones per Legatos suos ac Præsides gessisse Pium refert Capitolinus; *tantumque*, quod alibi adhuc de eo tangit, *auctoritatis apud exteras gentes neminem habuisse, quum tamen semper amauerit pacem.* Unde Pacorum Regem a Pio *Lazis* datum, & Pharasmanem *Hiberiæ*, quod aliunde constat, Regem Romam ad eum, quod Hadriano negauerat, venisse, idem refert. Adde, quòd etiam in altero Pii, quem indicauimus, nummo, cum inscriptione REX ARMENIIS DATUS, non ipse Imperator, sed eius Legatus coronans Regem cernitur. Haud aliter ac iisdem [a] *Armeniis* olim a Caio Augusti Nepote Ariobarzanes, & a Germanico [b] Artaxias sub Augusto ac Tiberio fuerant impositi; immo iam ante iussu eiusdem Augusti deductus a [c] Tiberio in Armeniæ regnum Tigranes. REGIS autem QUADIS DATI, quum nulla occurrat in rebus Pii apud veteres Auctores mentio, inde olim, fide & auctoritate huius nummi, *Quadis* pro *Ladis* apud Capitolinum, ubi nempe de Pio ab eo dicitur, *Pacorum Regem Ladis dedit*, legendum forte conieceram: nisi quod *Lados* pro *Lazis* dictos exemplis, ut ibidem monui, tueantur alii, & quibus consona ibidem adtuli, *Diauas* & *Adiauas* apud Ammianum Marcellinum, qui *Zabas* & *Azabas* frequentius dicantur, sicut, notante ibidem doctissimo Valesio, *diæta* & *zæta*; *Diacones* & *Zacones*, *Diabolus* & *Zabolus*: & quod dein ad Callimachum monui, δάξξ & ζάξξ, *dama*, vel *caprea*; δάπεδον & ζάπεδον· ζαβάλλειν pro διαβάλλειν, & quæ plura id genus ibidem videas, ac inter alia illud apud Philostorgium: Ναδιανδὸν δὲ τὴν Ναζιανζὸν ἐξονομάζει, & quæ alia id genus addi insuper poterant. Quibus etiam suffragari videtur, tum quod apud Procopium lego, credi Romanos sub Traiano ad Lazos usque & Sagidas peruenisse; tum, qui fidem ea de re facit, Arrianus, ubi Lazis Regem nomine Malassam ab Hadriano datum scribit: ut proinde nihil obstet ab Hadriani successore idem quoque factum. Accedit & illud *Pacori* nomen Armeniis, quibus finitimi erant Lazi, familiare. Ut *Lazorum* alioquin sequiori æuo, ac ætate quidem Iustiniani, frequens occurrit apud Procopium & Agathiam mentio; quorum postremus insignia Regia Lazorum Regi a Iustiniano pro more missa commemorat; ita obscura in rebus anteriorum ætatum Romanis, si Arrianum forte mittas, *Lazorum* mentio. *Quadorum* autem non frequens solum est memoria in rebus Marci, qui Pium excepit, sed iidem pridem ante Romanis noti; unde etiam Barbaris in illo terrarum tractu *datus*, ut ea de re Tacitus, *Rex Vannus gentis Quadorum.* Immo,

In Anton. P. c. v.
Ibid. c. ix.
Spartian. Hadrian. c. xiii.
a Tacit. Annal. ii. c. 4.
b Ibid. c. 56.
c Ibid. c. 3.
In Anton. P. c. ix.
Lib. xxiii. c. 6.
Obseru. p. 200.
Lib. viii. c. ii.
Bell. Goth. l. iv. c. 2.
In Periplo Pont. Euxin.
Agath. l. iii. p. 90. ed. Reg.
Annal. ii. c. 63.

mo, quod alibi apud eundem Scriptorem legitur: *Marcomannis* QUADISQUE *usque ad nostram memoriam* REGES *manserunt, ex gente ipsorum*; mox: *Jam & externos patiuntur; sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana.* Immo quibus accessit mox ipsa *Regis* a Romanis Principibus, ut hiè ab Antonino Pio, iisdem *Quadis dati*, aut ab iis confirmati, auctoritas; uti in successore eius Marco a Capitolino dicitur: QUADI *autem, amisso* REGE *suo, non prius confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam si* NOSTRIS *placuisset* IMPERATORIBUS. Quæ autem de *Quadis* ibi tradit Capitolinus, eadem de MAURIS obseruat Procopius; id nempe prisco more apud eos receptum, ut nemo, etiam Romanorum hostis, Regem se declaret, nisi Regia insignia ab Imperatore habuerit: unde, quum ea a Vandalis accepissent, male fundatum id regnum existimabant. Alioquin non *datum*, sed sublatum *Quadis* Regem nomine Gabinium, insigni Romanorum perfidia, quippe inter sacra hospitalis mensæ Valentiniani senioris temporibus trucidatum narrat Ammianus Marcellinus. Quæ cæteroquin *Quadorum* natio ibi ab eo dicitur *immensum quantum antehac bellatrix & potens*; unde eo maius e DATO eidem Rege Antonini Imperatoris fastigium, nummique, quo illud factum ad posteros est transmissum, commendatio elucescit.

De German. c. XLII.

In M. Anton. c. XIV.

Bell. Vandal. l. II. c. 25.

Lib. XXIX. c. 6.

Quibus autem externorum Regum in colenda Romanorum Principum Maiestate, quæ veteres eorum nummi suppeditant, exemplis addi insuper possunt sequentium ætatum nummi, uti ii, qui hinc GOTTHORUM in Italia Regum THEODORICI, ATHALARICI, THEODATI, WITIGIS, aliorumue nomina ac titulos præferunt; illinc vero IUSTINIANI Imperatoris, aut ipsius etiam ROMÆ, effigiem. De quibus autem, ut ea mittam, quæ id genus in priori iam Volumine adtigimus, aut etiam veterum aliquot FRANCORUM Regum numismata, in quibus schemata & inscriptiones Imperatorum Constantinopolitanorum similiter occurrunt, consuli præ aliis potest eruditissimus Du Cange cum in Dissertatione de Inferioris Imperii Numismatibus, tum in Historia Byzantina.

8. *De Gothorum & Francorum Regibus in nummis Impp.*

II. *De* LIBERIS *seu* FOEDERATIS URBIBUS *&* POPULIS *in nummis Cæsarianis.*

Si vero ad alteram Romani Imperii, ut paullo ante diximus, partem, URBES nempe LIBERAS seu FOEDERATOS POPULOS, nos conuertimus, hoc ipsum eorum iuris & conditionis beneficium in Cæsarianis nummis consignatum quoque legitur. Ne vero id pluribus hic tangam vel illustrem, obstat, quod eâ curâ in priori huius Operis volumine sim iam perfunctus; ubi id genus Urbium priuilegia, quæ in Cæsarianis, & Græcis potissimum, nummis occurrunt, ut ΙΕΡΑΣ non solum & ΑΣΥΛΟΥΣ, *Sacræ & Inuiolabilis*, sed etiam ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ & ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ *Liberæ, & Suis Legibus utentis*, adde & IMMUNIS quandoque, a Vectigalibus nempe vel Tributis, illustraui. Unde, quæ fuerit ratio id genus Jurium seu Priuilegiorum, quibus gauderent Gentes vel Ciuitates iis titulis in earum nummis insignitæ; maxime quæ se in iis LIBERAS & SUIS LEGIBUS UTENTES iactabant, haud indiligenter, ut opinor, est ibi a me ostensum: præter illa, quæ iam ante in alio Opere eam

Differt. IX.

In Orbe Romano.

eam in rem, & quidem ab Augusti ad sequiora Justiniani tempora, cum Auctorum tum Nummorum etiam veterum fide, a me sunt adlerta itidem & comprobata: ut etiam, in quibus sita fuerit earundem Urbium LIBERTAS, aut restricta; an aliquod inter eam & ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ, & quale exstiterit discrimen; quæ denique ex iis, & Minoris quidem Asiæ, vel Ciliciæ, Cappadociæ, Syriæ, Phœnices, Arabiæ, Ponti, Thraciæ, Macedoniæ, Achaiæ Ciuitatibus, alterutrum illud ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ vel ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ius in variis Imperatorum nummis sibi continuo vindicent. Adde, quòd, ob additas ut plurimum in iis Æras, inde etiam constet, quando, & qua occasione illud *Libertatis* vel *Autonomiæ* priuilegium sit iis concessum.

I. *De iure urbium* ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ.

Quum vero, quod ibidem vidimus, & ipsum ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, quod illæ urbes adsumebant, nomen indicabat, *propriis uterentur legibus* & patrio Magistratu, ut hæc simul tangit Polybius: [a] Πολιτείαις καὶ νόμοις χρωμένοις τοῖς πατρίοις, *Magistratibus ac propriis legibus utentes*, hinc etiam, de Massilicnsibus agens, Strabo Αυτονομίαν explicat immunitatem a iurisdictione Romani Præsidis; nempe: [b] Μὴ ὑπακούειν τῶν εἰς τὴν ὑπαρχίαν πεμπομένων Στρατηγῶν, μήτ' αὐτὴν, μήτε τοὺς ὑπηκόους, *ut neque urbs ipsa, neque eius subditi missis in prouinciam Rectoribus parere necesse habeant.* Quomodo etiam Pisoni, Macedoniæ paullo ante Rectori, vitio vertit Cicero, quod *Jurisdictionem in liberam ciuitatem, contra leges Senatusque consulta* usurpasset: ac alibi adhuc ea de re: *L. Pisoni nominatim* POPULOS LIBEROS *multis Senatusconsultis, etiam recenti lege foceri ipsius*, LIBERATOS, *vinctos & constrictos tradidisti.* Quamquam non eandem fuisse omnium liberarum urbium conditionem, sed diuersam quandoque, pro fœderis legibus, aut earum in Romanos merito fat constet; neque minus dictæ sint eædem *in clientelam & fidem*, ut de Græcis in Asia urbibus, ac de se Rhodii apud Liuium, Populi Romani *recipi.* Unde etiam alibi a nobis explosa est viri eruditissimi adserta iam ante, & quam denuo in postrema illius Operis editione retinuit, sententia, statuentis nullum ius in ciuitates Liberas vel Αυτονόμους Romanis Prouinciarum Rectoribus relictum; nisi ut Ludis pro Cæsarum salute editis una cum uxoribus possent interesse; ac a me est ostensum, imperium, & quale foret iisdem Rectoribus, in urbes id genus *Liberas* vel Αὐτονόμους relictum. Adde, & quod ex earum nummis, uti ex Auctoribus etiam, euincitur, eandem *Libertatem* vel Αὐτονομίαν iis urbibus vel populis datam, quandoque fuisse imminutam dein vel ademptam; aut denuo etiam restitutam. Quomodo de dictis modo Rhodiis sub Claudio Tacitus: *Redditur* RHODIIS LIBERTAS *adempta sæpe, aut firmata, prout externis bellis meruerant, aut domi seditione deliquerant*; nempe quam, ob ciues Romanos in crucem actos, iis ademerat paullo ante, ut a Dione traditur, idem Claudius, Nerone vero deprecante iisdem postea restituit: ut id e veteri Epigrammate, quod in Anthologia legitur, obseruat insuper Lipsius. Adde, quod firmat præterea nummus Neronis a me olim e Gaza Medicea prolatus; in quo hinc Solis, quippe cui urbs erat sacra, radiatum caput cernitur, illinc Victoria, & infra ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ, *Liberorum Rhodiorum*, idque, ut modo diximus, Neronis beneficio, quo Libertas erat iis restituta.

a Lib. III. p. 195.
b Lib. IV. p. 181.
In Pison. c. XVI.
Pro Flacco c. IX.
Lib. XXXVII. c. 54.
Harduin. Chron. V. Test. p. 236. Select. Oper. p. 617.
Diss. IX. p. 11. To. I.
Annal. XII. c. 58.
Lib. LX. p. 681.

Eadem

Eadem vero libertate ſub Veſpaſiano exuta eſt paullo poſt eadem Rhodus, quod e [a] Suetonio ac [b] Eutropio conſtat, eademque, iuxta ditiones alias ac vicinas Inſulas, in prouinciam ſub *Inſularum* nomine, ut ea de re S. Rufus & Notitia Imperii, quod ad Suetonium viderunt viri docti, eſt redacta.

[a] In Veſp. c. VIII. [b] Lib. VII. c. 13.

Iuxta vero eosdem Rhodios, dicti olim ELEUTHEROCILICES, ut vel ex Ciceronis Epiſtolis ad [c] Atticum, ac præterea e [d] Diodoro conſtat, qui Cilices liberos a Myrina Amazone relictos docet, ac inde ad ſua usque tempora Ελευθεροκίλικας dictos. Id vero de diuerſis Ciliciæ partibus explicat Stephanus, in quibus incolæ eo gauderent priuilegio, ut qui antea *Eleutherocilices*, ſua ætate Ελευθεῖται dicerentur. Eodem nempe modo, quo Macedoniæ pars LIBERA eſt olim dicta, uti apud Cæſarem de Macedonia: *Cuius prouinciæ ab ea parte, quæ* LIBERA *appellabatur, &c.* Priorem vero *Eleutherocilicum* ſeu *Eleutheritarum* appellationem adſtruunt continuo varii ac inſignes eorundem Cilicum nummi, qui eam ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, aut vero ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, appellationem primariis earum urbibus tribuunt, ut *Tarſo*, *Anazarbo*, *Mopſueſtiæ*, *Coryco*, *Sebaſtæ*, *Seleuciæ ad Calycadnum*, *Diocæſareæ*, Ciliciæ nempe, non Phrygiæ, vel Cappadociæ, ut eſt a nobis alibi adſertum. Quæ autem ſingula e præclaris demum, ſi unam forte vel alteram ex iis mittam, ex obuiis earum nummis conſtant. Cuiusmodi utique vel *Tarſi* ſub Antonino Caracalla, vel *Seleuciæ ad Calycadnum* ſub Gordiano Pio cum ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ elogio percuſſi nummi, e Gaza Gallorum Regia; *Anazarbi* vero alterius, iuxta Tarſum, Ciliciæ Metropoleos, & *Mopſueſtiæ* cum ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ titulo, ſunt a nobis in alio Opere haud ita pridem adducti.

[c] Lib. V. Epiſt. 20. [d] Lib. III. p. 151.

Bell. Ciuil. l. III. c. 34.

Orbis Rom. p. 398.

Idem Orbis Roman. Diſſ. IX. p. 684.

Mitto, quas in priori huius Operis parte, ſignatas in Cæſarianis nummis, cum alterutro illo ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ vel, & frequentius quidem, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ priuilegio urbes adduximus, ut Ponti AMISUM; Cappadociæ TYANA; Phœniciæ TYRUM, DORA, TRIPOLIM; Syriæ ANTIOCHIAM, SELEUCIAM, APAMEAM; Commagenes SAMOSATA; Arabiæ MOKAM; Cariæ BARGYLIA, HALICARNASSUM; Ioniæ EPHESUM, aliasque id genus. Mirum vero, ut poſtremo illud tangam, quod de Cappadocibus ſuis tradit alicubi Strabo, ius illud αὐτονομεῖσθαι, ſeu *utendi ſuis legibus*, iisdem a Romanis conceſſum fuiſſe, quod tamen illi (nata quippe gens ad ſeruiendum) non admiſerint.

Lib. XII. p. 815.

Etſi vero, ut diximus, a iurisdictione Romani Præſidis immunes agerent eædem Urbes Liberæ, haud minus tamen, ubi vel perturbatus quocunque caſu foret earum ſtatus, vel curanda ac reficienda erant, quæ ad urbium id genus tutelam aut ornamentum facerent, miſſi a Romanis extra ordinem Legati ſeu Præfecti, qui id negotii ſuſciperent. Quod, propriis

2. *De* ORDINATIONE STATUS *liberarum ciuitatum.*

priis eam in rem vocibus, *ordinare statum* id genus urbium est a Romanis dictum, ac inde a Græcis similiter urbes id genus διορθῶσαι. Prius ex Epistola Plinii Secundi ad Maximum sat videtur manifestum: *Cogita te missum in prouinciam Achaiam, &c.* non vero ut ordinarius ac annuus illius Prouinciæ Rector, seu Proconsul, sed, quod addit mox, AD ORDINANDUM STATUM *liberarum ciuitatum*, dein: *Debere eum sibi ipsi interpretari, quale quantumque sit* ORDINARE STATUM *liberarum ciuitatum. Nam quid* ORDINATIONE *ciuilius, quid libertate pretiosius? porro quam turpe, si* ORDINATIO *euersione, libertas seruitute mutetur?* Unde etiam Græci similem Præfectum vel Moderatorem, uti Arrianus ad Epictetum, vocarunt ΔΙΟΡΘΩΤΗΝ τῶν ἐλευθέρων πόλεων, *Ordinatorem liberarum ciuitatum:* & de Herode Sophista, qui simili etiam in Asia munere fungeretur, ait Philostratus: Κατὰ χρόνους, οὓς τὰς ἐλευθέρας τῶν πόλεων αὐτὸς ΔΙΩΡΘΟΥΤΟ, *iis temporibus, quibus liberas ciuitates ille* ORDINABAT; cuiusque gestæ ab Herode *ordinationis* τῶν ἐλευθέρων πόλεων, *liberarum* (in Asia nempe) *urbium* alibi idem meminit. Ad quam similem Pergami & Smyrnæ Præfecturam, a Dione Cocceiano sub Macrino gestam, referenda olim censui illius ea de re verba: Ἣν (nempe Pergami) ὥσπερ καὶ τῆς Σμύρνης ὑπὸ τοῦ Μακρίνου ἐπετάτησα, *cuius* (Pergami) *uti & Smyrnæ præfecturam sub Macrino gessi*; sed de quo loco & significatione illius verbi ἐπετάτησα haud uno loco iam egi in priori Volumine. Quomodo etiam apud Lucianum τὸν Ἀσιάρχην τῆς Ἀσίας, de eiusmodi *Asiæ Moderatore*, potius quam de ordinario Rectore Prouinciæ Asiæ seu Proconsule, explicandum censui, opportuno eam in rem ἀσιάρχου vocabulo, quod, ut notum, de iis dicebatur, qui ad turbatum apud Lacedæmonios statum ordinandum componendumque delegebantur. Qua cæteroquin voce ἀσιάρχου, ac inde verbo ἀσιάρχασθαι, frequenter utitur Plutarchus, ubi de constitutis & ordinatis variis Asiæ Græciæue locis ab eo agitur. Quomodo sub Tiberio ad inspiciendas restaurandasque collapsas terræ motu plures Asiæ urbes missus a Tacito ac Dione dicitur vir Prætorius, *ne*, quod addit Tacitus, *Consulari obtinente Asiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur.* Prout etiam, de quopiam id genus extra ordinem apud Smyrnæos Moderatore vel Præfecto, explicandus venit Caracallæ nummus e Gaza Medicea a me olim adductus, in cuius auersa parte legitur, ΕΠΙ ΕΞ. ΕΧΟΝ. ΥΠΑΤΟΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. ΕΥΤΥΧΟΥ, *Sub Aurelio Antonino Eutyche Habente Consularem Potestatem*, nempe Ἐξουσίαν Ἔχοντα Ὑπάτου, prout priora legenda esse & explicanda pridem vidimus. Dicta vero ibi Ἐξουσία Ὑπάτου, *Consularis Potestas*, haud aliter ac Ἀρχὴ αὐτοκράτως, *summum pace & bello imperium*, subinde a Græcis Scriptoribus vocatur. Appianus de Prytanis Rhodiorum: Ἀρχὴ παρ' αὐτοῖς μάλιστα αὐτοκράτως, *magistratus, qui apud eos summam habet potestatem:* ac iam ante Dionysius Halicarnassensis: Τρίτον ἔτος ἐπὶ τῆς αὐτοκράτορος ἀρχῆς, *tertio anno summi imperii* seu Regii; idemque alibi de Romanorum Rege: Ἡγεμονίαν αὐτοκράτορα ἔχειν ἐν πολέμῳ, *summum habere in bello imperium*; ac prout apud Thucydidem quoque legitur αὐτοκράτως μάχη, *pugna, quam quis suo arbitratu*, ut bene ibi interpres, *gerit.* Smyrna autem, in qua urbe percussus adductus modo nummus, una erat, quod iam vidimus, e liberis Asiæ urbibus, uti arguit insuper eius nummus, quem descripserunt iam diligentes Antiquarii, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΑ

Lib. VIII. Epist. 24.

Diss. I. III. c. 7.

De Vit. Soph. l. I. p. 537. ult. ed.

Ibid. p. 513.

Lib. LXXIX. p. 709.

Pag. 138. & 716.

De Mort. Peregr. p. 565. To. II. vet. ed.

In Alcibiad. p. 107. & aliis locis.

Annal. l. II. c. 47.

Lib. LVII. p. 624.

Dissert. VI. p. 568. edit. super.

Bell. Ciuil. l. IV. p. 627.

Antiq. l. II. c. 22.

Ibid. l. I. c. 18.

Lib. IV. c. 126.

KAI

ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, *Smyrnæorum Sacer Et Liber Senatus*; & de qua urbe alieubi Cicero: *Nocturnus introitus Smyrnam, quaſi in hoſtium urbem, quæ eſt fideliſſimorum antiquiſſimorumque* SOCIORUM. Unde, in adducto modo Smyrnæorum nummo, idem ille memoratus in eo *Aurelius Eutyches Conſulari Poteſtate*, non de ordinario Prouineiæ Aſiæ Rectore explieandus venit; qui *Conſularis*, ut e Dione & aliunde conſtat, ſemper extiterit, ac inde etiam proprio debitoque ei nomine PROCONSUL ſeu ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ eſt, cum in priſeis Auctorum & Lapidum tum etiam Nummorum monumentis, appellatus, ut, præter alios, in aliquot Cæſarianis eorundem *Smyrnæorum* nummis, cum inſcriptionibus in auerſa eorum parte [a] ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΑΠΡΟΝΙΑΝΟΥ, vel [b] ΠΟΛΛΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, vel [c] ΣΥΙΛΛΟΥ ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΥ ΑΝΘΥ. vel [d] ΚΑΙΣΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ, *&c. Sub Aproniano Proconſule*, aut *Pollione*, aut *Suillio Nerulino*, aut *Cæſennio Pæto.* Adeo ut, qui dicitur in memorato Smyrnæorum nummo, *Aurelius Eutyches Conſulari Poteſtate*, omnino ſub Caraealla ad regendas liberas, qualem Smyrnam diximus, aliquot illius Aſiæ Proconſularis urbes miſſus extra ordinem videatur.

Philipp. xi, c. 2.

a Harduin. Num. Urb. Ill. p. 158.
b Ibid. p. 160.
c Vaill. Num. Imp. p. 21.
d Ibid. p. 23.

II. *De* PROVINCIIS *Romani Imperii, & diuerſis earum* RECTORIBUS *in nummis Imperatorum.*

Ad tertiam vero Romani Imperii, eamque maxime diffuſam quod adtinet partem, ſeu quæ ſubiectos eidem Populos eomplectebatur, PROVINCIAS nempe (Græeis cum Επαρχίας & Υπαρχίας, tum τὸ Υπήκοον, vel τὸ Ἀρχόμενον, ut paullo ante vidimus, appellatas) iisque impoſitos haud unius generis Rectores, haud parum illuſtrat eadem Cæſarianorum nummorum penus. Notum quippe, & quod modo de Liberis Urbibus ae Populis dicta continuo adſtruunt, eo PROVINCIARUM nomine nuneupatas eas gentes, quæ Romanis Legibus ae Magiſtratibus parebant, tributariæ præterea factæ & vectigales; atque ita *in ius ac ditionem*, ut ea de re quandoque Liuius, erant a Romanis receptæ, ſeu, ut de Commagenis Tacitus: *Tum primum ad ius Prætoris translati*; de Arabia vero Ammianus Marcellinus: *Hanc*, PROVINCIÆ *impoſito nomine*, *Rectoreque adtributo*, *obtemperare legibus noſtris Traianus compulit.* Quum vero ſub Auguſto facta fuerit earundem *Prouinciarum* diuiſio, ut aliæ *Auguſti* deinceps & ſequentium Imperatorum cenſerentur: aliæ *Senatui Populoque Romano*, ſub diuerſis, qui utrasque regerent, Magiſtratuum titulis, forent conceſſæ; hinc haud una earum conditio exſtitit, eaque frequenter etiam immutata: ut nempe, quæ *Auguſti* fuerant *Prouinciæ*, *Populo* eederent, ac vieiſſim. Quorum omnium ratio e nummis eorundem temporum haud parum eluceſcit.

Lib. xxi. c. 61.
Annal. ii. c. 56.
Lib. xiv. c. 8.

Notum vero Populi Romani Prouineiarum Rectoribus, & quidem ex Auguſti inſtituto, PROCONSULUM nomen, etſi qui ad eas regendas, exceptis forte Aſia & Africa, mitterentur, eſſent demum viri Prætorii, fuiſſe continuo inditum; Auguſti vero Prouineiarum Præſides, LEGATOS AUGUSTI, LEGATOS PROPRÆTORE & coniunctis etiam illis titulis LEGATOS AUGUSTI PROPRÆTORE appellatos. Quod poſtremum non arguunt ſolum

1. *De Præſidibus Auguſtorum nomine in Prouincias miſſis.*

solum lapides antiqui, sed aliquot etiam Græci Imperatorum nummi, in quibus illi Πρέσβεις vel Πρεσβευταὶ Αντιστατηγοὶ τοῦ Σεβαστοῦ nuncupantur. Ita in nummo Hadriani Mediceo, quique exstabat in Gaza Christinæ Augustæ, unde eum olim adduximus, ΕΠ. ΕΙΤΕΙ. ΡΟΥΦΟΥ ΠΡΕΣ. ΚΑΙ ΑΝΤΙ. ΤΟΥ ΣΕΒΑΣ. ΒΙΖΥΗΝΩΝ, *Sub Itio Rufo Legato Et Proprætore Augusti, Bizyenorum. Thracia* nempe, in qua urbs illa, ac proinde a Socrate Βιζύη τῆς Θράκης dicta, una erat e Prouinciis Cæsaris, utpote ex earum numero, quæ post Prouinciarum diuisionem ab Augusto institutam, in Prouinciæ formam redacta fuerat, & quidem sub Vespasiano demum, ut obseruat Suetonius. Tales autem Prouincias non Populo, sed Imperatori semper accessisse, diserte docet, ubi de illa Prouinciarum diuisione ab Augusto instituta agit, Dio. Quod quum aliunde, ac e Lapidibus antiquis, liquere potest, in quibus adquisitis id genus Prouinciis, non Populi, sed Cæsaris Magistratus, *Legati Augusti* vel *Proprætore*, leguntur impositi, aperte insuper adstruunt duo præclari Traiani nummi, alia occasione ad Juliani Cæsares a me iam adducti; in quorum priore DACIA AUGUSTI PROVINCIA legitur; in altero similiter ARABIA AUGUSTI PROVINCIA, quæ nempe ab eodem Traiano subactæ Prouinciarum Cæsaris numerum continuo auxerant.

In Vespas. c. VIII.

Lib. LIII. p. 504.

Pag. 236.

Pag. 419.

Adde, prout de eadem *Dacia* dicitur in veteri Inscriptione sub Antonino Pio, quibus hæc insigniter illustrantur: CUIUS NUTU ET AUSPICIO PROVINCIA DACIA GUBERNATUR. Unde illud præterea sat, ut opinor, eluescit, fuisse tum aliquod adhuc inter Cæsaris & Populi Prouincias discrimen; ut proinde non debuerit ὁ πάνυ Salmasius id sub Hadriano plane iam sublatum statuere, a quo id notari ad Spartianum videas: "dein„ de, quod maius est, nulla sub Hadriano distinctio erat Prouinciarum „ Cæsaris & Populi ex instituto Augusti. Quam tamen Prouinciarum distinctionem sua ætate adhuc seruatam; eademque adhuc obtinuisse diuersa Cæsaris & Populi Magistratuum, qui eas regerent, nomina, obseruat, qui sub Seuero historias suas concinnauit, Dio Cocceianus. Quæ etiam non Hadriani solum, sed sequentium adhuc Imperatorum ætate, *Proconsulum*, & *Legatorum Cæsaris* vel *Augusti*, pro diuersa Prouinciarum, quibus ii præerant, conditone, nomina obtinuerunt; unde a Macro in Thesauro Legum Romanarum dictum videas: *Præsidis nomen generale est, eoque & Proconsules, & Legati Cæsaris & omnes Prouincias regentes, &c.* Ut nunc mittam illud Lampridii in Alexandro Seuero: *Prouincias Prætorias Præsidiales plurimas fecit: Proconsulares* EX SENATUS *voluntate ordinauit:* seruato nempe adhuc eo, quod instituerat Augustus, Prouinciarum Cæsaris & Populi discrimine. *Per Prætorias* certe eas ibi intelligi, quæ a Legatis Cæsaris regebantur, ipse, prioris illius suæ ad Spartiani Hadrianum notationis oblitus, obseruat ibi ὁ πάνυ, immo fide veteris scripturæ, quæ eo propius accedit, pro *Prouincias Prætorias*, putat legendum *Prouincias Legatorias*, in quas nempe Legati Cæsaris mittebantur. Qua ratione proinde *Legati Et Proprætoris Augusti* facta est itidem mentio in adducto paullo ante *Bizyenorum* in Thracia nummo Hadriani Mediceo. In quo etiam *Augusti* nomen non *Legato* solum, sed *Proprætori* etiam postponitur, sicut in inscriptione Dolabellæ LEG. PROPR. DIVI AUGUSTI ET TI. CÆSARIS AUGUSTI. Eosdem vero *Legatos Augusti*, seu Prouin-

Thes. Grut. CCLIX, 7.

Not. in Hadrian. c. VII.

Lib. LIII. p. 504. &c.

Leg. 1. D. de Offic. Præsid.

In Alex. Seu. c. XXIV.

Salmas. Not. ibid.

Thes. Grut. CCCXCVI, 1.

uinciarum Cæſaris Rectores, *Proconſules* etiam dictos alibi recte negat illuſtris Salmaſius; nec debuit vir doctus id in dubium vertere. Coniuncta enim ſubinde harum dignitatum nomina in priſcis elogiis referri debere ad diuerſas Prouinciarum adminiſtrationes, variis temporibus ab eo, cui illæ tribuuntur, geſtas, quiuis, ut opinor, videt. Qua ratione etiam factum, ut, qui *Proconſul* Populi Prouinciam rexerat, dein *Legatus Auguſti* alicui ex eius prouinciis præeſſet, ac viciſſim. Hinc plurium id genus dignitatum, quæ in unum eundemque hominem ſunt identidem collatæ, haud infrequens occurrit in antiquis lapidibus mentio; uti inter alias in Græca Pergamena Inſcriptione ab eximio Sponio adducta, in qua *Aulus Julius Quadratus Proconſul Aſiæ, Legatus Proprætore Bithyniæ, Legatus* (nempe *Proconſulis*) *Aſiæ, Legatus Auguſti Prouinciæ Cappadociæ, Proconſul Cretæ Cypri Legatus Auguſti, Prætor Lyciæ Et Pamphyliæ, Legatus & Proprætore Imperatoris Nervæ Traiani Dacici Prouinciæ Syriæ* dicitur. Haud aliter nempe ac Balbinus, dein cum Maximo Imperator, *Rector Prouinciarum infinitarum* a Capitolino appellatur. Ut vero e lapidibus id genus, ita e nummis etiam ſubinde id beneficium eruitur; ut qualis ſtatus fuerit id genus Prouinciarum Romanarum, poſſit indubie colligi, an *Auguſti* ſcilicet, vel *Populi* eædem fuerint.

Itiner. To. III. p. 141.

In Maxim & Balb. c. VII.

2. *De mutata Prouinciarum ſorte, qua modo Auguſtis, modo Populo eædem tribuerentur.*

Crebra etenim, ut obiter paullo ante innui, mutatio earundem contigit, poſt primam diuiſionem ab Auguſto inſtitutam; ut nempe e Prouinciis Auguſti eædem Prouinciæ Populi, aut viciſſim, ſubinde fierent, ſicut, præter id adſerentem Dionem, e Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, & coæuis, lapidum potiſſimum ac nummorum etiam, monumentis liquet. Temporum itaque habenda hic eſt ratio, quod viris doctis non ſemel impoſuit, ac proinde eorum, quæ modo innui, monumentorum, e quibus ea de re poteſt certo conſtare.

Cyprum quidem, quam primo ſibi, iuxta Dionem, vindicauerat, mox, recepta eius loco *Dalmatia*, Populo conceſſit Auguſtus: unde eandem inter Populi Prouincias a Strabone relatam ſimiliter videas. Quo imperio regebatur adhuc Cyprus Claudii ac Neronis temporibus; prout id omnino adſtruunt duo Græci nummi in ea Inſula percuſſi, cum ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ſeu *Proconſulis* titulo, Cypri tum Rectoribus ibidem dato. Prior eſt e Theſauris Gallorum Regiis ſub Claudio cuſus ac inſcriptus, ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑ. ΚΥΠΡΙΩΝ, *Sub Cominio Proclo Proconſule Cypriorum.* Mitto, quòd, qui primus nummum illum protulit, & cum iisdem quidem literis, niſi quod pro ⊙, literam O, facili utique lapſu, in eo legerit, optimus Patinus, eundem tamen de quodam *Cominio Proculeiano*, qui ab Imperatore vel *Prætor* vel *Legatus Cypro* ſit præpoſitus, explicandum crediderit: quum iis vocibus in eo nummo expreſſis, ac prout eum quoque legit celebris Antiquarius, omnino *Cominius Proclus Proconſul Cypriorum* deſignetur. Alter nummus, qui *Cyprum* Populi prouinciam ſub Flauiis ſimiliter oſtendit, eſt ille, qui a Cl. Seguino eſt vulgatus, cum epigraphe, ΑΝΘΥ. ΕΠΙΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΚΥΠΡΙΩΝ, *Proconſule Eprio Marcello Cypriorum.* Ea enim ætate vixiſſe hunc celebrem paullo ante ſub Nerone delatorem e Tacito, qui haud ſemel in rebus Galbæ & Veſpaſiani enarrandis illius adhuc meminit, ſat conſtat. Quem autem *Marcellum* ſub Nerone Lyciæ præfuiſſe, ex eodem Tacito licet colligere,

Num. Impp. in Claud.

Vaill. Num. Impp. Græc. p. 13.

Hiſt. II. c. 53. & IV. c. 6, 7, 8.

Annal. XIII. c. 23.

re, dicente alibi: *Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant*, repetundarum nempe, post gestam ab eo prouinciam, accusato. Eundem vero *Cypri Proconsulatu* sub Vespasiano functum, docet alius nummus in

Vaill. Num. Impp. Græc. p. 20.

Thesauris Gallorum Regiis, idemque a celebri Antiquario memoratus, hinc cum Vespasiani nomine & effigie; illinc ΕΠ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΥ. *Eprio Marcello Proconsule Cypriorum:* ad quæ tempora referendus proinde est, qui a Cypriis itidem cum illius *Proconsulatus* memoria cusus est, superior nummus. Neque vero omittenda hic est anterior eiusdem nummi, non imperantis tum Cæsaris, sed Romani Senatus effigies, & inscriptio, ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, *Deum Senatum:* quod nempe Senatus Populique Romani prouincia foret tum *Cyprus*, ad quam regendam hic Marcellus cum solito *Proconsulis* titulo, etsi, qua de re e Dione

Lib. LIII. p. 509.

Annal. XII. c. 4.

paullo ante, *Prætorius* demum, ut e Tacito rursus licet colligere, foret a Senatu missus. Quo loco id obiter monendum est, quod in pluribus aliis Asiæ, Achaiæ, aliarumque Prouinciarum percussis sub Cæsaribus nummis factum videas; ut, quum Senatus ac Populi eædem forent, & a missis a Senatu Magistratibus regerentur, loco imperantis tum Cæsaris, earum nummi cum ipsius *Senatus*, aut vero *Populi* Romani, & quidem cum *Sacri* vel *Dei* etiam elogio, nominibus signarentur: nempe ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, vel ΘΕΟΣ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, *Sacer*, vel *Deus Senatus*, & quandoque ΙΕΡΟΣ ΔΗΜΟΣ, *Sacer Populus:* ut eos mittam, qui ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ habent inscriptum. Quæ utique in aliquot *Smyrnæ*, *Magnesiæ*, *Clazomenarum*, *Phocææ*, *Temni*, *Hierocæsareæ*, *Thyatirarum*, *Stratonicæ*, aliisque totidem Proconsularis Asiæ ciuitatum nummis, maiori ex parte ab eximio Patino iam prolatis, comparent. Prout etiam ΙΕΡΟΣ ΔΗΜΟΣ

Num. Impp. p. 4.

in *Trallium*, *Aphrodisiæ*, *Germenorum*, *Hierapoleos*, eiusdem quoque Asiæ, & *Attaitarum* Achaiæ, singularibus quibusdam nummis legitur. Etsi enim aliquot ex iis nummis extremis liberæ adhuc urbis temporibus, ac ante fundatum ab Augusto Imperium, institutamque Prouinciarum diuisionem cusos statuere liceat; exstant tamen inter eos, quos expressæ in iis Augusti, vel Liuiæ, aut etiam Tiberii effigies eorum temporibus percussos arguunt. Quod vero adstruit omnino adductus paullo ante *Cypriorum* nummus, hinc cum imberbis Senatus effigie, & inscriptione ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, illinc cum Græcis *Eprii Marcelli Proconsulis Cypriorum* nominibus, quo Magistratu illum sub Vespasiano functum euincit alius eiusdem memoratus a me nummus.

Diuersa autem a Cypri sorte ACHAIA, quæ, etsi inter Populi Prouincias ab Augusto relata, ad Principem breui, sub Tiberio quippe, iuxta [a] Tacitum, ac ut e [b] Dione præterea liquet, est translata: [c] *Macedoniam & Achaiam onera deprecantes, leuari in præsens Proconsulari Imperio, tradique Cæsari placuit.*

a Annal. I. c. 76.
b Lib. LVIII. p. 637.
c Tacit. ut supra.

3. *Quare Prouinciæ Populi peiori essent forte quam Prouinciæ Cæsarum.*

Id vero, quod ibi de grauiori onere tangitur, quo Prouinciæ Populi præ Prouinciis Cæsaris grauarentur, non debuit peritissimo alioquin Romanorum rituum Lipsio negotium facessere. Ratio enim eius rei erat, meo iudicio, obuia; quod annua essent Proconsulum, qui Populi Prouinciis præerant, imperia; inde grauiores prouincialium sumptus in itinera, ac in aduentum illorum Magistratuum, quem Cicero, [a] *non multum ab hostili expugnatione differre* alicubi testatur: adde, sumptus præterea in plu-

a Pro Manil. c. V.

plures Legatos, & maiorem comitatum eorundem Proconſulum, penes quos erant ſex faſces, faciendos. Accedit, quòd ii, non iudicio Principis, aut ſuffragiis Senatus, ſed ſorte demum erant lecti; ac inde magis incerta eorum adminiſtrationis ratio redderetur; quod tributa & vectigalia iidem in iis, quæ ſortitione illis obtigerant, prouinciis exigerent. Immo cuius grauioris Proconſularium Populi Prouinciarum, præ iis, quæ Auguſti, oneris certiſſimum utique & luculentum præbeant priorum Rectores; qui geſto illo Magiſtratu, a prouincialibus, & quidem miſſis Romam legatis, ſæuitiæ, vel rapacitatis, aut ſimul utriusque criminis interdum rei peragebantur; ac inde repetundarum, ſub Cæſaribus quoque, ut apud Suetonium, Tacitum in primis, Plinium Juniorem, Dionem, Capitolinum, aliosque, conuicti frequenter leguntur & damnati. Ut mittam, quòd queratur Cicero *de vexata Conſulari imperio*, Piſonis nempe, qui poſt geſtum Conſulatum eam adminiſtrauerat, hac ipſa, de qua ſuperiori loco Tacitus, *Macedonia*. Quibus incommodis non ſubiacebant adeo Cæſaris Prouinciæ, quarum Præſides ab ipſo Imperatore legebantur; cui rationem adminiſtrationis redderent; quibus *coërcendis tantum curæ* ab ipſo Domitiano *adhibitum* tradit Suetonius; quorum præterea minor erat comitatus, & dignatio etiam minor, quum quinque tantum faſces haberent & diuturniora imperia, ſub Tiberio maxime, qui ea continuare ferme ad finem vitæ conſueuerat; ac minora exinde Prouinciarum onera. Quæ utique egregie illuſtrat ſingularis apud Dionem locus, ubi concuſſa terræ motibus Aſia, & eadem ſubleuari aliquatenus indigente, ei hoc ab Auguſto conceſſum tradit inter alia, ut hodie apud eum legitur: Καὶ ἄρχοντα οἱ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ' οὐχ αἱρετὸν, ΕΠΙ ΔΥΟ ΕΤΗ προσέταξε, *ut ei Rectorem ſorte, ſed non ſuffragiis lectum*, AD BIENNIUM *daret:* quum alioquin annuum demum foret id genus Κληρωτῶν, ut alibi ab eodem Dione dicuntur, ſeu *ſorte lectorum* Præſidum in Prouinciis Populi imperium. Quamquam, ut verum fatear, credam omnino mendum hic, leui utique & obuio errore, irrepſiſſe, ac legendum in una e prioribus voculis οὐκ pro οἱ, nempe, καὶ ἄρχοντα ΟΥΚ, vel οἱ retento, ΟΙ ΟΥΚ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ' (ſublato ibi οὐχ) αἱρετὸν ἐπὶ δύο ἔτη, nempe, ut dixerit Dio, ad ſubleuandam tum, quæ ope aliqua indigebat, Aſiam, loco Proconſulis ſortito a Senatu, qui eam annuo imperio pro more adminiſtraret, miſſi, ab Auguſto lectum, qui illam ad biennium regeret. Immo quod adſtrui poſtea animaduerti duobus aliis apud eundem Dionem locis, ubi eſt ei ſimiliter de Populi Prouinciis & de Auguſto ſermo. Prior eſt: Ἰσαρίθμους τε γὰρ τοῖς ἔθνεσι καὶ οὓς ἂν ἐθελήσῃ ΚΛΗΡΟΥΣΘΑΙ κελεύει ΑΙΡΕΤΟΥΣ τε τινὲς καὶ ἐκεῖσε ἔπεμψαν· καὶ ΕΠΙ ΠΛΕΙΩ ΕΝΙΑΥΤΟΥ χρόνον ἔστιν οἷς ἄρξαι ἐπέτρεψαν, *iubebat enim tot viros, quot erant Prouinciæ*, SORTIRI: *quandoque etiam* (Imperatores) SUFFRAGIIS LECTOS *miſerunt, quibus, ut ii in maius quam* UNIUS ANNI *tempus præeſſent, eſt ab iis conceſſum.* Alter eiusdem Auctoris locus, ubi, ob crebras tum urbium in prouinciis Populi defectiones, hiſce ab Auguſto, ut ad biennium ſimiliter, ſicut in ſuperiori apud hunc Dionem loco, Rectorem a ſe impoſitum docet, ita ſe habet: Καὶ ΕΠΙ ΔΥΟ ΕΤΗ τοὺς αὐτοὺς ἐν τοῖς ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ἔθνεσι, καὶ ΑΙΡΕΤΟΥΣ γε ἀντὶ ΤΩΝ ΚΛΗΡΩΤΩΝ ἄρξαι· τὰ γὰρ τοῦ Καίσαρος καὶ ἄλλως ἐπὶ πλεῖω χρόνον ἐν τοῖς αὐτοῖς προσετάττετο, *ita ut* POPULI *Prouinciis non* SORTE *ſed* SUFFRAGIIS LECTI IN BIENNIUM PRÆFICERENTUR:

De Prouinc. Conſul. c. III.

In Domitian. c. VIII.

Tacit. Ann. I. c. 80.

Lib. LIV. p. 543.

Lib. LIII. p. 505.

Lib. LV. p. 567.

TUR: *quum cæteroquin Cæsaris Prouinciis per plures annos ipse Præsides daret.* Duo proinde ibi tum ab Augusto in populi Prouinciis immutata: unum, quòd, pro κληρωτοῖς, seu *sorte* pro more lectis, αἱρετοὶ, quos ipse vel Senatus eligeret, Rectores iis præficerentur: alterum, quod pro annuo bienne id eorum imperium redderetur. Hæc autem præclare illustrant, quæ de Galba apud Suetonium leguntur, quibus & inde maior quædam lux adfulget: *Africam* PROCONSULE BIENNIO *obtinuit*, EXTRA SORTEM ELECTUS *ad ordinandam prouinciam, & intestina dissensione & barbarorum tumultu inquietam.* Adde apud Tacitum de Tiberio, qui, quum ob Africam incursu Tacfarinatis motam, ad Senatum scripsisset, DELIGENDUM, extra sortem proinde, *Proconsulem gnarum militiæ, &c.* a Senatu vero decretum foret, ut Cæsar *legeret, cui mandanda foret* Africa; duos autem ipse, Manium Lepidum & Junium Blæsum, nominauit, ex queis Proconsul Africæ legeretur. Electo autem Blæso, quod ex alio dein eiusdem Taciti loco constat, *prouincia* Africa, præter morem proinde Prouinciarum Populi Proconsulum, est *prorogata.* Sed præter hæc duo Africæ Proconsulum exempla, qui extra sortem & ultra annum, Tiberii temporibus, Africam prouinciam administrarunt, unum ac memorabile exemplum, quod opportune mihi occurrit, suppeditant insignes aliquot Uticæ in Africa cusi & prolati a celebri Antiquario sub Tiberio nummi; in quibus C. VIBIUS MARSUS, non solum tum PROCOS. Africæ nempe, sed insuper PROCOS. II. immo etiam PROCOS. III. traditur; atque ita ut non in biennium solum, sed etiam in triennium sit ei prorogatus Africæ Proconsulatus. Qui præclari & luculenti sunt omnino eius rei testes; ac unde etiam, quæ modo e Suetonio, Tacito, ac Dione, de illa Proconsulis in Prouincia Populi ultra annum subinde prorogatione sunt monita, firmantur. Immo unde lucem quoque fœneratur, quod ad subleuandam Achaiam & Macedoniam (utramque Populi prouinciam) a Populo eas ad Cæsarem translatas obseruat, ut paullo ante vidimus, Tacitus. In tantum enim Proconsulari ac annuo proinde duorum Proconsulum imperio sunt leuatæ; ut etiam, quod ex aliis eiusdem Auctoris locis constat, utrique prouinciæ unus tum Cæsaris Legatus Sabinus Poppæus, & qui præterea Mœsiam regeret, sit a Tiberio impositus. Haud frustra vero *in præsens* additur in adductis supra Taciti ea de re verbis. Breui enim, sub Claudio, utraque Prouincia, iuxta Suetonium ac Dionem, ad Populum rediit, seu, ut a Dione dicitur, quas *Claudius tum forti reddidit:* Ἀπέδωκε ὁ Κλαύδιος τότε τῷ κλήρῳ. Quod de Achaia constare insuper poterat e nummo Claudii Mediceo, a me pridem eam in rem adducto, Α. ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ, *L. Mindius Proconsul Patrarum*; cuique duo similes sunt insuper a celebri Antiquario descripti cum addito *Bolani* cognomine, Α. ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΟΛΑΝΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. Quod firmat adhuc alter huius Achaiæ tum Metropoleos, *Patrarum* nempe urbis, nummus a me olim quoque ex Occone adductus, ac aliunde ab eodem laudato Antiquario dein memoratus, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ. *Claudii Rufi Proconsulis Patrensium.*

In Galba c. VII.

Annal. l. III. c. 32.

Ibid. c. 35.

Ibid. c. 58.

Vaill. de Colon. Impp. in Tiber. p. 87, 89.

Annal. I. c. 80. & V. c. 10.

In Claud. c. XXV.

Lib. LX. p. 681.

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 13, 14.

Vaill. ibid.

4. *Continuatio superioris argumenti.*

BITHYNIA, Proconsularis itidem prouincia sub Augusto, eiusdem adhuc iuris mansit sub Claudio; quod, si non aliunde, e nummis utique *Nicomediæ*, illius Prouinciæ Metropoleos, liqueret; cuiusmodi est ille, cuius olim

olim memini, hinc cum Claudii nomine ac effigie ; illinc cum adscripto nomine ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΙΣΚΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, nempe *Tarquitio Prisco Proconsule*, uti nummum supplendum Cl. nostro Gottofredi, qui illum videndum mihi exhibuerat, illico significaui. Haud absimilem postea in Gente Tarquitia ab eximio Patino editum animaduerti cum Neronis effigie, ac in auersa parte, Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΡΑΤΤΟΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. *M. Tarquitio Pretanico Proconsule Faciente Nicomedienſium.* Ut ita circa extrema Claudii ac initia Neronis Bithyniæ eundem præfuisse superiores nummi euincant. Famil. Rom. Patin. p. 273.

Pro ΠΡΕΤΑΝΙΚ. seu *Pretanico* mallem equidem ΠΡΙΣΚΟΥ, seu *Prisco*, in eodem legere, cum fide superioris nummi mihi apud vos inspecti, tum motus auctoritate Taciti, qui diserte huius *Tarquitii Prisci*, tanquam functi Bithyniæ Proconsulatu iisdem Neronis temporibus, meminit : *Damnatus iisdem Consulibus* TARQUITIUS PRISCUS *repetundarum*, *Bithynis interrogantibus*. Quæ cum totidem verbis ante multos annos monuissem ; id ex ipsa dein nummi in Thesauris Gallorum Regiis, in quos dein cum reliquis Lomeniani Musei nummis transiit, inscriptione certo constitit ; & prout est idem quoque nummus haud ita pridem a celebri Antiquario descriptus. Ut omnino inde liqueat, veteres Auctores illius *Tarquitii* meminisse (de quo nihil exstare apud veteres, quos quidem legerit auctores, monebat præstans Antiquarius) neque vero dubitare eundem debuisse, an literis illis ΝΕΙΚ. *Nicopolis*, an vero *Nicomedia* designaretur. Sub eodem Nerone alium eiusdem *Bithyniæ Proconsulem* ; Attium nempe Laconem, exhibet nummus in cimeliis Cl. Seguini a me obseruatus, ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ, *Sub Attio Lacone Proconsule Nicæensium*, prout nuper etiam est a celebri Antiquario, e museo illustris Foucault, descriptus. Sub Flauiis *Proconsularis* adhuc eadem *Bithynia*, ut arguit alius Nicomedienſium nummus a me olim itidem hic memoratus, ab eodem vero laudato modo Antiquario dein quoque adductus, ΕΠΙ ΠΛΑΓΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, *Sub Plancio Varo Proconsule*. Sub Traiano eandem *Bithyniam* mansisse *Proconsularem*, etsi extra ordinem sit ab eo ad statum illius prouinciæ componendum missus Plinius Secundus, quod ex eius ad ipsum Traianum epistolis constat, liquet e Dione Chrysostomo, qui in ea Oratione, quam in patria habuit, Prysa nempe urbe Bithyniæ, *Proconsulis* illius prouinciæ, quem *obsecrare* vellet, παρακαλεῖν τὸν ἀνθύπατον, meminit. Neque tamen ob superiores illas Nummorum inscriptiones Tacitus est arguendus, qui Marcellum Bithyniæ Rectorem sub Tiberio *Prætorem* vocat, non autem *Proconsulem*, ut omnino scribendum ibi censet Lipsius, suffragante eidem Mercero, viro eruditissimo, quod Populi, non Cæsaris prouincia foret ex Augusti diuisione

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 17. Patin. Fam. Rom. p. 273. Vaill. Num. Impp. Græc. p. 17. Lib. x. Ep. 15; 17. Orat. xlvii. p. 528. Annal. i. c. 74. Annal. xiv. c. 46.

Bithynia, quæ utique una erat e decem Prouinciis Senatui Populoque Romano ab Augusto relictis, ad quas regendas mittebantur viri Prætorii, sicut Consulares ad duas nobiliores Prouincias Asiam & Africam administrandas. *Prætor* itaque Tacito vocatur hic *Marcellus*, ratione Prouinciæ Prætoriæ, qualis erat Bithynia; haud aliter ac Cyprus *Prætoria Prouincia* vocatur alicubi a Strabone, quod nempe viri *Prætorii* demum ad eas regendas mitterentur, non autem *Consulares:* quamquam omnibus Prouinciarum Populi Rectoribus, tam Consularibus quam Prætoriis, communis esset illa *Proconsulis* appellatio, ut aperte docet Dio, ac firmant aliunde nummi ac lapides antiqui. Immo prout alibi apud eundem Tacitum, de Petronio, dicitur: *Proconsul tamen Bithyniæ, & mox Consul: Proconsul* nempe ante susceptum Consulatum, ratione administratæ ab eo, etsi Prætorii demum, Populi Prouinciæ dicitur. Lipsium aliosque decepit *Prætoris* appellatio, qua Cæsaris non Populi Magistratum crediderunt demum designari: quum priores tamen, ad regendas Cæsaris prouincias missi, non *Prætores* simpliciter, sed, ut iam ante vidimus, *Legati Augusti*, *Legati Proprætore*, ac simul interdum *Legati Augusti Proprætore*, aliquando etiam *Legati Prætorii*, dicerentur, uti de Hadriano Spartianus: *Legatus postea Prætorius in Pannoniam inferiorem missus*; quæ erat Augusti prouincia. Quæ cum ante complures annos, si hæc Spartiani verba mittas, in superiori huius Operis editione, ad adferendum ac elucidandum Taciti, ut apud eum legitur, de Granio Marcello *Prætore Bithyniæ* locum, monuissem; idem decennio post a doctissimo Norisio in Pisani Cenotaphii explicatione, ne quis hæc a me inde nunc demum animaduersa existimet, obseruatum vidi. Verum, quod præterire hic non licet, & quod nunc primum, ut sancte possum testari, aduertere mihi contigit, idem de illo Taciti loco ad Capitolinum in M. Antonino occupauerat iam ὁ πάνυ Salmasius. Unde etiam, ut hoc addam, ab Appiano, iuxta Tacitum, *Prætor* dictus, qui sua ætate ad regendam cum Ponto Bithyniam mittebatur: Πέντε δὲ καὶ Βιθυνίας πέμπεται τὶς Στρατηγὸς ἐτήσιος, *in Pontum ac Bithyniam Prætor aliquis annuus mittitur*; quod de Populi Prouincia dici demum potest. Adeo ut necdum ab Hadriano facta foret Bithyniæ, e Prouincia Populi in Prouinciam Cæsaris, mutatio, & cuius loco Pamphyliam Populo concesserit; ut traditum video in Dionis Excerptis Constantinianeis: Τῇ δὲ Βουλῇ καὶ τῷ κλήρῳ ἡ Παμφυλία ἀντὶ τῆς Βιθυνίας ἐδόθη, *Senatui ac sorti Bithyniæ loco tradita est Pamphylia*; misso nempe tum ab Hadriano ad Bithyniam regendam, post confectum bellum Judaicum, Seuero (quod postremum in Xiphilini Dionis Excerptis itidem legitur) eoque proinde *Legato Augusti* vel *Proprætore*, non vero *Prætore*, vel *Proconsule*. Exinde enim prioribus illis nominibus vocatos Bithyniæ Rectores liquet etiamnum e veteri Inscriptione sub Seuero & Caracalla, ubi inter alios titulos L. Fabii Chilonis dicitur LEG. AUG. PR. PR. PROVINCIÆ PANN. ET MOESIÆ SUP. BITHYNIÆ ET PONTI, seu *Legato Augusto Proprætori Prouinciæ Pannoniæ Et Mœsiæ Superioris Bithyniæ Et Ponti.* Adde similiter in Græca Inscriptione: ΦΛΑΟΥΙΟΥ ΔΩΡΙΟΝΟΣ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΥ ΤΗΣ ΒΙΘΥΝΙΑΣ, *Flauio Dorione Proprætore Bithyniæ.* Quamquam iam ante sub Traiano accessisse Bithyniam Prouinciis Cæsaris arguere videatur Plinius Junior eidem a Traiano, ut modo vidimus, Præpositus,

Lib. XIV. p. 684.

Lib. LIII. p. 504.

Annal. XVI. c. 18.

In Hadrian. c. III.

Diss. IV. p. 207.

Not. in M. Antonin. c. XXII.

Mithridat. p. 254.

Pag. 714.

Lib. LXIX. p. 794.

Thes. Grut. CCCCVII, 2.

tus, & quidem *Legatus Prorætore* iuxta inscriptionem antiquam, in qua is dicitur LEGAT. PROPR. PROVINCIÆ PONTI CONSULARI POTESTATE, quod præterea pluribus ex eodem Plinio adstruere conatur eruditissimus Sam. Petitus. Verum, ut mittam adlata paullo ante utriusque Dionis testimonia (unius quòd Bithynia Proconsularis, seu Populi, adhuc foret sub Traiano; alterius, & quod validius id adstruit, quòd sub Hadriano, Bithyniæ loco, quæ nempe Augusti prouincia sit tum facta, Pamphylia fuerit Populo concessa; aut quod non *Bithyniæ* simul, sed *Ponti* duntaxat, quæ cæteroquin duæ gentes, ut e Strabone ac Dione, & præterea ex Inscriptionibus antiquis constat, ab uno solebant Rectore administrari, *Legatus* vocatur in eodem lapide Plinius) adde, quòd non ordinarium fuerit illud Plinii in eadem Bithynia imperium, sed is extra ordinem, ad ordinandas prouincias Ponticas, foret missus, prout alias sub Imperatoribus factum, & pro iure peculiaris *Proconsulatus*, qui in omnes orbis Romani Prouincias ipsis Augustis, ut antea vidimus, una cum reliquis supremi imperii titulis ac insignibus, deferri consueuerat. Sic data etiam Plinio recepta alioquin, ut ex aliis nummis euincitur, non *Legati* solum, sed præterea *Consulari Potestate* facultas. Factum nempe sequutis temporibus, ut iidem *Legati Augusti* non *Prorætores* solum, sed *Consulares* etiam digniori vocabulo, a gesto nempe illo magistratu, vocarentur. Hinc inducta rursus illa Prouinciarum Romani orbis diuisio, ut *Consulares* Cæsaris Prouinciæ, *Proconsulares* vero, recepto pridem vocabulo, Populi dicerentur. Clare id exprimit Capitolinus in M. Antonino: *Prouincias ex Proconsularibus, Consulares; aut ex Consularibus Proconsulares aut Prætorias, pro belli necessitate, fecit.* Qui locus, ut recte ibi obseruat magnus Salmasius, nihil aliud arguit, quam permutationem Prouinciarum Cæsaris & Populi a M. Antonino factam, pro ingruentibus nempe belli casibus, ut alias contigisse paullo ante vidimus. *Consulares* ergo dicebantur tum illæ Prouinciæ, in quas Consulares Legati ab Imperatoribus mittebantur, ad discrimen eorum, in quas mitti solebant viri, seu *Legati*, de quibus iam ante, *Prætorii* aut *Senatores*. Ita *Consulares* euaserunt inter alias Syria, Hispania, Germania, Britannia, & lapsu temporis Thracia, Mœsia etiam utraque, ac Dacia; ut liquet ex auctoribus ac monumentis antiquis. Nonnunquam etiam dicti iidem Rectores *Consulari Potestate*, aut, iuxta Ciceronem, *Consulari Imperio*; cuius prioris exemplum, sed velut extra ordinem, missi nempe ad ordinandum liberarum Urbium statum, in veteri Smyrnæorum nummo paullo ante vidimus. Quæ vis autem fuerit illius appellationis docet singulari eam in rem loco Appianus. Ubi enim post subactam a Pompeio Syriam, missosque dein a Senatu, qui eam regerent, primo Marcium, dein Marcellinum, duos viros dignitate Prætorios, retulisset, addit, quod e vicinia illam prouinciam infestarent Arabes: Καὶ τοῦδε χάριν ἐς τὸ ἔπειτα ἐγένοντο Συρίας Στρατηγοὶ τῶν τὰ ἐπώνυμα ἀρξάντων ἐν ἄστει, ἵνα ἔχοιεν ἐξουσίαν καταλόγου τε στρατιᾶς καὶ πολέμου, *ut exinde in Syriam Rectores mitterentur ex eorum, qui Consulatu functi in urbe erant, numero, quo ii delectus militum ac belli haberent potestatem*; prout verti locus ille debuit. Ad exemplum quippe dictorum apud Athenienses, quod vel tyronibus notum, Ἐπωνύμων ἀρχῆς, uti a Plutarcho vocantur in Aristide, ac de Archonte nominatim, a quo tempus, iuxta Pollucem, seu annus nu-

Variar. Lect. l. iv. c. 3.

Cap. xxiii

Pro Flacco c. 34. & alibi.

Syriac. p. 121.

Pag. 308. To. i.

merabatur; ita per τὰ ἐπώνυμα ἄρξαντες ἐν ἄστει, eos, qui Romæ *Consulatu fungerentur*, vel *functi erant*, designat hoc loco Appianus. Quæ autem, quod obiter hic addendum est, libera tum Republica, potestas Præsidum Consularium, militum nempe in iis habendi delectum, tam Populi quam Cæsaris Prouinciarum Rectoribus erat dein ab Augusto, ut docet Dio, adempta; nisi vel iussu Senatus, vel decreto Principis nominatim alicui denuo concedebatur. Unde etiam *Consules* fieri Imperatores, eosque *Proconsules*, ubi sunt extra pomœrium, dici obseruat paullo post idem Dio; ut horum nominum intuitu καταλόγους τε ποιεῖσθαι, *delectus militum instituendi* haberent inter alia potestatem.

Lib. LIII. p. 506.

Ibid. p. 508.

5. *De discrimine eorum, qui Augustorum aut Populi Prouinciis præerant.*

Cæteroquin totum illud, cum *Proconsulum*, seu e Consularibus, quales erant duo Asiæ & Africæ Præsides, seu e Prætoriis iidem forent, qui Populi Prouincias regerent; tum *Legatorum Augusti*, vel *Proprætorum*, vel etiam, ut in Ægypto, *Præfecti Augustalis*, qui Augusti Prouinciis præessent, discrimen accurate, ut ex adductis aliquot eius rei exemplis iam vidimus, docet Cocceianus Dio, sed in cuius locorum explicatione haud semel lapsi sunt interpretes. Quod, in tradendis id genus Magistratuum nominibus, aliis quoque Græcorum Auctorum Interpretibus haud infrequenter contigit: dum distincta illa in regendis Prouinciis Ἀνθυπάτων, Ὑπατικῶν, Στρατηγῶν, Ἀντιστρατηγῶν, Πρεσβευτῶν, & Ἐπιτρόπων, *Proconsulum*, *Consularium*, *Prætorum*, *Proprætorum*, *Legatorum*, & *Procuratorum* etiam, nomina non semel confundunt. Sic Flaccum Syriæ Rectorem, quem Ὑπατικὸν vocat Josephus, male Interpres *Proconsulem* vertit pro *Consulari*, quales vulgo Syriæ Rectores: atque ita perperam e Cæsaris Prouincia Populi Prouinciam facit. Sed grauius adhuc errabat interpres Philostrati, qui, ut olim hic monueram, e Romano Syriæ Præside Principem quendam eiusdem tractus fingit, dum τῆς Συρίας ἄρχοντα, *Syriæ quendam Principem* vertit; quo tempore Syria obnoxia Romanis & a Cæsaris legato regebatur; sed quod in eo Interprete a nouissimo cruditissimoque Philostrati editore & Olearo est quoque animaduersum. Commune equidem Ἄρχοντος, sicut Ἡγεμόνος, Ἐπάρχου, Ὑπάρχου, aut Ἐπιτάτου, de *Prouinciarum* in genere *Præsidibus* nomen, quocunque tandem titulo *Proconsulum*, *Consularium*, vel *Legatorum Augusti*, seu *Propratore*, eas administrarent. Sed apud Dionem Cocceianum legas sub Augusto, loco ante iam adducto Asiæ Ἄρχοντα ἐκ τοῦ Κλήρου, *Rectorem sorte*, ut ibi apud eum legitur, constitutum, quales erant, ut notum, dictique alibi ab eodem Dione Κληρωτοὶ, *Proconsules*, seu in genere *Populi Prouinciarum Præsides*. Sic modo Ἄρχοντος, modo Ἡγεμόνος vocibus *Asiæ Proconsulem* designare solet Aristides: sed ubi utraque male ab erudito eius interprete per [a] *Prætorem* redditur, quum tamen constare ei debuerit Consularem demum, ex instituto Augusti, vere proinde *Proconsulem*, non vero *Prætorem* ad Asiam regendam missum: aliam proinde eius rationem quam Bithyniæ, de qua paullo ante, exstitisse, quæ & a viro demum Prætorio, etsi sub *Proconsulis* titulo, administrabatur. Sic verbum ἡγεμονεύειν de Dione Cocceiano, qui Africæ, quæ, iuxta Asiam, Consularis erat itidem Populi Prouincia, præerat, apud Photium, Ἀφρικῆς ἡγεμόνευσεν, non, ut ibi interpres, *in Africa Dux fuit*, sed *Proconsul Africam rexit* vertendum: haud aliter ac in eiusdem Dionis Excerptis dicitur de Aufidio Victorino: Ἀφρικῆς ἡγεμόνευσεν, *Africæ Pro-*

Vit. Apollon. l. 1. c. 35.

Lib. LIV. p. 543.

Lib. LIII. p. 502.

[a] De voce Ἄρχοντος Aristid. Serm. Sacr. IV. p. 611, 613. De voce Ἡγεμόνος Serm. Sacr. IV. p. 571, 572, 601, 604, 611, 615, 616.

Biblioth. p. 106.

Pag. 276.

Proconſul fuit, ut bene ea verba expreſſit decus harum literarum Henricus Valeſius. Ηγεμόνας cæteroquin non Populi, quales erant Aſia vel Africa, ſed Cæſaris Prouinciarum Rectores vocat, ubi de illa Prouinciarum diuiſione agit Strabo; ac prout bene ibi Ηγεμόνας pro Ηγεμονίας legendum vidit ὁ πάνυ Caſaubonus: Καὶ ἐς μὲν τὰς Καίσαρος Ηγεμόνας καὶ Διοικητὰς πέμπει, *ac ad Cæſaris quidem Præſides & Procuratores mittit.* Duo quippe, ut notum, præcipui Auguſtorum in eorum Prouinciis Miniſtri; *Legati* nempe eorum ſcu *Proprætores*, qui toti Prouinciæ præerant, & *Procuratores*, qui pecunias Cæſaris in iisdem prouinciis colligebant, militibus diſtribuebant, aut in Rationes Principis referebant; priores Ηγεμόνες, iuxta eundem Strabonem, poſteriores Διοικηταὶ (vulgo Επίτροποι) eo loco nuncupati: exemplo nempe Βασιλικῶν Διοικητῶν, ſeu *Diſpenſatorum Regiæ pecuniæ*, quorum Polybius meminit in Excerptis Conſtantinianeis, & quales οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως vocantur apud Demoſthenem. Id vero de voce Ηγεμόνος monendum venit, &, quod e variis Imperatorum nummis demum conſtat, eam, quæcunque eius rei ratio fuerit, ad Thraciæ, Cæſaris prouinciæ, Præſides potiſſimum eſſe transductam. Quod nuper etiam a celebri Antiquario occupatum videre licuit, recenſitis id genus Thraciæ urbium nummis, in quibus illud, de loci ſeu totius Prouinciæ Præſide, ΗΓΕΜΟΝΟΣ nomen legitur. Nollem tamen ibi a viro præclare omnino de hisce antiquitatibus merito obſeruatum, "neminem neſcire Thraciam in prouinciarum diuiſione ab Auguſto facta apud Dionem, ipſi ceſſiſſe. Præterquam enim quod nulla Thraciæ occurrat ibidem apud Dionem, uti neque apud Strabonem, ubi de illa prouinciarum diuiſione agunt, mentio, id conſtare viro præſtanti potuit, qui de nummis Regum Thraciæ alibi egit, ditionis Regiæ fuiſſe tum Thraciam, ac ſub Veſpaſiano demum, ut ea de re Suetonius, in Prouinciæ formam redactam: *Etenim* THRACIAM, *Ciliciam, & Commagenem, ditionis Regiæ usque ad id tempus, in* PROVINCIÆ *formam redegit.* Acceſſit quidem inde Cæſaris Prouinciis Thracia, iuxta alias ibi a Suetonio memoratas: pro recepta dein conſuetudine vel lege, ut quæ poſt inſtitutam illam diuiſionem ſub Romanorum ditionem peruenirent, accederent Cæſaris, ut id a Dione traditur, & qua de re iam ante, non Populi Prouinciis. Quod vero addit itidem vir eximius, "extra Thraciæ urbes „ ne Ηγεμόνος nomen quæras, excepto unico nummo, in quo Πρεσβευτοῦ „ καὶ Αντιστρατηγοῦ, ſeu *Proprætore*, uti ipſi vocabantur, mentio; ea utique alium, quam quæ verba illa indicant, ſenſum debent conſtituere: nempe haud aliud in Thraciæ urbium nummis præter Ηγεμόνος nomen quærendum, niſi in uno forte Thraciæ oppidi, *Bizyenorum* nempe, quique paullo poſt ab eo traditur, de quo autem nos iam ante, nummo, in quo legitur ΥΠ. ΕΙΤΕΙ. ΡΟΥΦΟΥ ΠΡΕΣΒ. ΚΑΙ ΑΝΤΙ. ΤΟΥ ΣΕΒ. ΒΙΖΥΗΝΩΝ. Adde, quòd extra Thraciam etiam non ΗΓΕΜΟΝΟΣ quidem ſed ΗΓΕΜΟΝΙΑΣ nomen legitur in ſingulari Neronis nummo cum addito loci, in Æolide nempe non in Thracia, nomine, ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ, in anteriori vero nummi area iuxta caput muliebre, non Neronis, ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΗΓΕΜΟΝΙΑ. Illius vero nummi e Muſeo, cuius eſt cuſtos, Collegii Claromontani prior meminit eruditiſſimus Harduinus, &, qui dein nummum ipſum protulit & conſpiciendum dedit, eximius Morellius. Cuius autem inſcriptionis peculiaris quædam ratio exſtitit, unde hinc illa

Lib. XVII. p. 840.

Pag. 126.

Num. Impp. Græc. p. 315.

Not. & Obſ. ad Seguin. Miſcell. p. 292. & ſeq.

In Veſpaſ. c. VIII.

Lib. LIII. p. 504.

Ibid. p. 317.

Num. Urb. Ill. p. 400. Specim. Tab. XXI.

Neroni HΓΕΜΟΝΙΑ, seu *Præsidatus* illius in Æolide tractus, tribuatur.

Sicut vero Ηγεμόνος, iuxta Strabonem, & varia Thraciæ urbium in earum nummis exempla, ita *Præsidis* etiam nomen (etsi, uti a veteri Jurisconsulto dicitur, *generale, eoque & Proconsules, & Legati Cæsaris, & omnes Prouincias regentes*, sunt appellati) lapsu temporis de iis qui minores Prouincias, & quidem, ut hoc addam, Cæsaris, administrarent, est usurpatum. Unde etiam orta est dein inter Prouincias *Proconsulares* non solum & *Prætorias*, qualis iam erat pridem recepta, sed *Præsidiales* insuper distinctio; ut apud Lampridium in Alexandro: *Prouincias Prætorias, Præsidiales plurimas fecit: Proconsulares ex Senatus voluntate ordinauit*; ubi per *Prætorias*, ac proinde *Præsidiales*, Cæsaris; per *Proconsulares*, Populi prouinciæ intelligendæ continuo veniunt. Quod adstruunt insuper Inscriptiones antiquæ, in quibus, ad discrimen aliarum Prouinciarum, quas *Legati Augusti* & *Proprætores*, aut *Proconsules* etiam subinde rexerant, *Præsides* dein, [a] *Aquitaniæ* puta, vel [b] *Hispaniæ Citerioris*, vel [c] *Byzicenæ*; aut etiam, ut totidem simul *Procuratores*, quod ibi ad Lampridium vidit ὁ πάνυ Salmasius, *Procurator Et Præses Alpium Cottiarum*, aut *Procurator Et Præses Per Orientem, &c.* appellantur. Hinc *Præsidatus* dein etiam mentio, ut *Præsidatus Dalmatiæ*, apud Vopiscum, quem Constantius Chlorus administrabat. Ipsorum vero LEGATORUM CÆSARIS, seu dictorum a Græcis ΠΡΕΣΒΕΥΤΩΝ, qui in genere Augusti Prouincias, & potiores quidem, regebant, haud infrequens occurrit in Cæsarianis, Cappadociæ in primis & Galatiæ, nummis mentio, cuiusmodi aliquot a me quoque pridem eam in rem sunt descripti, aliosque adduxit celebris Antiquarius: unde res ea abunde illustratur.

Leg. 1. D. de Offic. Præfid.

In Alex. Seu. c. XXIV.

a Thes. Grut. CCCLXV, 8.
b CCLXXVIII, 2, 3.
c Ib. CCCLXI, 1.

In Carino c. XVII.

Num. Impp. Græc. p. 317.

III.

De COLONIIS *in Romani Imperii Prouincias sub Imperatoribus* DEDUCTIS, *quarum fit in eorum nummis mentio.*

IN quas vero Romani Imperii, seu Cæsaris seu Populi, Prouincias, DEDUCTAS subinde, haud leue earum monumentum ac præsidium, sub Imperatoribus COLONIAS, & de quibus silent ferme Auctores, copiosa veterum nummorum supellex nobis etiamnum subministrat. Id enim continuo docent expressæ in iis vulgo illorum Cæsarum, a quibus nouos ac FELICES id genus Natales & *Coloniæ* dignitatem consequebantur, appellationes. Quid autem nobilius in Actis Cæsarum; immo quanta lux inde iisdem Actis; Historiæ Romani orbis; Originibus splendidissimarum urbium (neque aliæ ferme sub Cæsaribus *Romanæ Coloniæ*) ac iis, quæ huc spectantia vel in libris Jurisconsultorum ex Ulpiano & Paulo referuntur, vel apud alios Auctores obscure aut perplexe sunt tradita? Abunde hoc euincerent deductæ sub Imperatoribus per Orbem Romanum Coloniæ, quas ad numerum centum circiter & viginti, ac, una vel altera excepta, extra Italiam omnes, seruata temporum serie descriptas, ac obiter, ubi opus fuit, in eum finem nummis illustratas hic inferere cogitabam:

bam: sed dum, præter spem, plures chartas implet illa, quamquam subitanea, commentatio, hic autem summa rerum capita persequimur, liceat iam aliquot eius rei, iisque nouis ferme, exemplis & probationibus defungi. Et hæc quidem ante complures annos in superiori mea de Nummis Antiquis Commentatione adtigeram; quum exinde, elapsis tribus, & quod excurrit, lustris, in lucem prodiit viri, quo nemo hac ætate in conquirendos, versandos, diuulgandosue veteres nummos maiori studio, diligentia, & laude incubuit; nempe *Jo. Foy-Vaillant de Numismatibus Imperatorum, Augustarum, & Cæsarum, æreis in Coloniis & Municipiis percussis* opus, in duas Partes, iuxta Imperatorum seriem, diuisum. E quo proinde plura omnino, eaque adductis ipsorum nummorum iconibus illustrata, petere continuo poterunt ii, quibus in deductas ab Imperatoribus Colonias plenius inquirendi occasio vel otium dabitur. Ne illa tamen parte mutila plane esset & manca mea hæc de Historia Augusta e nummis Cæsarianis illustrata commentatio; eadem, quæ olim, & primus quidem, ea de re monueram, hic denuo, ac meo iure, eaque subinde plane noua quapiam luce perfusa, aliisque præterea insertis, reponenda censui.

Paris. Anno 1681, 1688. & postea 1695.

Hispaniam equidem MUNICIPIIS, seu, ut eadem a [a] Plinio itidem dicuntur, *Oppidis ciuium Romanorum*, & COLONIIS a Julio vel Augusto frequentatam tradunt in genere Auctores, ut de Julio Cæsare [b] Dio; vel obiter aliquas numerant, ut [c] Strabo, plures [d] Plinius; sed raro indicato deductoris nomine. Verum quam luculenter ac sigillatim, id probant tot superstites nobilis illius Gentis nummi, cum MUNICIPII, vel COLONIÆ, addito frequenter IULII, vel IULIÆ, vel AUGUSTÆ cognomine; cuiusmodi in [e] Dialogis aliquot adtulit ac illustrauit magnum eiusdem gentis decus Antonius Augustinus.

1. *De Coloniis a Iulio Cæsare ac Augusto deductis.*

a Lib. III. c. 3. lib. IV. c. 20.
b Lib. LIII. p. 503.
c Lib. III. p. 141.
d Ut supra.
e Dialog. VII.

MUNICIPIA equidem, seu, ut a Plinio insuper dicuntur, *Oppida Ciuium Romanorum* nouem circiter vel decem exhibent veteres Hispanorum sub prioribus Cæsaribus nummi, quod eorum ius seu beneficium silent nonnunquam Auctores; cuiusmodi sunt BILBILIS, CASCANTUM, ERGAVICA, GRACCURIS, OSICERDA; de reliquis vero liquet, cur inter *Oppida* vel *Populos Ciuium Romanorum*, quod idem est ac inter *Municipia*, a Plinio, sicut vel CALAGURIS vel TURIASO, adnumerentur. Alterius vero Hispaniæ Municipii facta pridem a me mentio inscripti in nummo M. A. ILLERGAVONIA DERT. ac in aliis etiam, quos tum in Italia videram, clarius pro duabus initialibus literis M. H. legebatur MUN. HIB. & cum IUL. etiam cognomento, nempe *Municipium Hibera Julia Illergauonia Dertosa*. Cui geminus nummus est a celebri dein Antiquario adductus, cum initialibus priorum vocum literis MU. H. I. additis dein similiter ILLERGAVONIA DERTOSA, ac ubi, pro *Dertosa*, *Dertosanorum* legendum censet vir præstans, diuersasque esse *Illergauoniam* & *Dertosam*, quod illa *Municipium* hæc vero *Colonia* dicatur in adducto alibi nummo ab eodem viro præstante cum literis C. I. A. D. quas ille interpretatur *Colonia Julia Augusta Dertosa*. Verum, ut mittam, qui adducitur a Goltzio in Tiberio, nummum cum inscriptione MUN. DERTOSA. *Municipium* fuisse *Dertosam* abunde innuit, quòd vir eximius non aduertit, Plinius, dum ait: *Tarracone disceptant populi* XLII, *quorum celeberrimi* CIVIUM RO-

Vaill. Num. Colon. P. I. p. 77.

Ibid. p. 74.

Lib. III. c. 3.

MA-

MANORUM DERTOSANI, quod de *municipiis* demum ab eo dici sat liquet, ac paullo ante vidimus. Adeo ut alia quærenda videatur interpretatio initialium in nummo ab illo adducto literarum C. I. A. D. Monti vero in Hispania *Calpe* cognomen oppidum exstitisse euincere videbatur nummus a me e præclaris Christinæ Augustæ cimeliis olim adductus, inscriptus C. I. CALPE, seu *Colonia Julia Calpe*. Unde illustrari haud parum videbatur apud Strabonem locus, a quo, facta dicti *Calpe* montis mentione, additur:

Lib. III. p. 140. Καὶ πρὸς αὐτὸ ΚΑΛΠΗ ΠΟΛΙΣ ἐν τετταράκοντα σταδίοις, ἀξιόλογος καὶ παλαιὰ, *& ad XL. inde stadia* URBS CALPE *memorabilis & vetusta:* neque proinde, ut ibi monueram, cum viris longe doctissimis [a] Casaubono & [b] Bocharto, *Calpes* nomen continuo apud Strabonem in *Carteiam*, quod illius nominis oppidum foret in eadem vicinia, esse commutandum. Cuius cæteroquin *Carteiæ*, illiusque *Tarteßi* antea a Græcis dictæ, meminit dein idem Geographus; ac prout etiam duplex illud nomen *Calpes* & *Carteiæ* in Antonini Itinerario legitur. Idem de hoc rarissimo, ut ait, numismate Augustæ Christinæ, eoque a me prolato, ac unde Casauboni ad Strabonem nota, quasi nulla eo nomine urbs occurrat memorata, refellitur, monuit decennio post doctissimus Norisius; ac præterea Nicolaï Damasceni, qui πόλιν Καλπίαν *urbem Calpiam* in illo Hispaniæ tractu tangit, auctoritate tuetur. Quibus inductus eruditissimus Cellarius, nihil in Strabone hic mutandum, suamque simul nummo, quem adduxeram, & Nicolao Damasceno auctoritatem adseri censuit. Quem Damasceni de hac urbe locum iam ante ad Stephanum adtigerat quoque doctissimus Holstenius, ac adsertam ab eruditissimo Valesio, contra Casaubonum, vocis Κάλπη apud Strabonem lectionem, ibi suo etiam calculo ac Stephani auctoritate comprobauit; etsi hinc in Philippi Junioris nummo signatam C. I. CALPE, non ad Hispaniam sed ad Bithyniæ urbem, quæ Κάλπαι Stephano dicitur, referre dein Holstenio placuerit. Verum aliud in eo nummo legendum obseruat celebris Antiquarius; factum nempe ab artifice, ut ex erosi nummi literis is C. I. CALPE effecerit, quum in simili Treboniani Galli nummo legatur C. I. C. A. A. P. & de *Carthagine* explicanda omnino veniat, nempe quibus initialibus literis designetur *Colonia Julia Carthago Antiqua Augusta Pia*, infra D. D. *Decreto Decurionum.* Quæ autem, quum ex ipsa nummi illius accurata inspectione pendeant, hic in medio relinquimus.

a Ad Strabonem.
b In Chanaan lib. I. c. 34. p. 615.
Lib. III p. 151.
Cenotaph. Pisan. p. 107. Excerpt. Valesi p. 482.
Geogr. Antiq. To. I. p. 58.
Vaill. Num. Col. P. II. p. 212.

Quis iam, missa Hispania, CASSANDRENSES, DIENSES, PHILIPPENSES, Romanorum in MACEDONIA Colonias, quarum meminit Paulus I. C. a Iulio vel Augusto deductas retulit, nisi præclari eorundem locorum nummi adhuc superstites, singuli cum COL. IUL. AUG. seu *Coloniæ Juliæ Augustæ* appellationibus? Cuius autem prioris Coloniæ rarissimum nummum sub Nerua percussum olim e Gaza Medicea adduximus, inscriptum COL. IUL. AUG. CASSANDRENS. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis*, quem ad *Cossam*, ut monuit [a] laudatus paullo ante Colonarum in nummis Imperatorum editor ac interpres, male retulerant nobiles Antiquarii [b] Erizzo, [c] Tristanus, & alii. PHILIPPENSIS autem COLONIÆ, præter Claudii, qualem in superiori volumine iam adduximus, Vespasiani, aliorumque adhuc Imperatorum nummos, cum additis itidem IUL. & AUG. *Iuliæ* & *Augustæ* cognominibus, mentio fit aliquoties a prisci Jurisconsultis,

Lib. VIII. D. de Censib.
a To. I. p. 144.
b Pag 170.
c To. I. p. 365.

conſultis, præter Paulum, ut a Celſo: [a] *Rebellianus ſi cauerit Coloniæ Philippenſium, &c.* ac ab eodem: [b] *Colonia Philippenſis Juris Italici eſt.* Accedunt hic, quos cum memoratis hisce tribus *Macedoniæ* ciuitatibus coniungit continuo Paulus I. C. ut ibi appellantur, *Stouenſes*, quique ſimiliter dicuntur *Iuris Italici.* Exſtant autem nummi, dum hæc olim commentarer, parum noti inſcripti MUNICIP. STOBENSIUM, qui hæc & [c] Plinium ſimul illuſtrant dicentem: STOBI *oppidum ciuium Romanorum*, & quibus geminum male [d] Triſtanus de *Sinopenſibus* accepit, qui in Caracalla cæteroquin unum quoque nummum adtulit illius Municipii. Apud Stephanum vero: Στόβος πόλις Μακεδονίας Ρωμαίων ἔποικος, *Stobi, urbs Macedoniæ, Romanorum Colonia* dicitur, pro ſolita quandoque apud Auctores harum vocum *Municipii* & *Coloniæ* confuſione. Nummi enim, iique diuerſæ etiam ætatis, ac Plinius, in tribuendo illi oppido *Municipii* nomine ac titulo, ſibi mutuam fidem adſtruunt: quum idem ſit apud Plinium, & qua de re paullo ante, *oppidum ciuium Romanorum*, & *Municipium.* Tribus vero memoratis modo eiusdem Macedoniæ, & cum iisdem nominibus *Iuliæ Auguſtæ*, Coloniis, unde de earundem deductarum auctoribus licet ſtatuere, adnumeranda inſuper venit, vel ſolis *iuuenis Pellæi*, ſeu Alexandri, natalibus inclyta, PELLA, quam proinde *Auguſtanam* itidem *Coloniam*, ut eas Colonias vocabat iuxta Ulpianum Hadrianus, clamant etiam veteres ſub Hadriano, ac ſub aliis dein quoque Cæſaribus, nummi; in quibus figura nuda rupi inſidens cernitur, qualem olim ad Juliani Cæſares protuli, ac unde inſuper cum eius ſitum, *in tumulo* nempe iuxta [a] Liuium; tum duplicem ex [b] Ulpiano ad Demoſthenem nominis illius originem, ex quibus una ad illius urbis, nempe *in tumulo*, ſitum adludit, quod Macedonum linguâ πέλλας de lapidibus dicerent, altera ad appellationem bouis cineritii, qualem Macedones πέλλην vocant, illuſtrari videas. SINOPENSES vero Ponti, quibus male a Triſtano tribui STOBENSIUM in Macedonia nummum paullo ante diximus, Romanam itidem COLONIAM exſtitiſſe, non docent ſolum, quod primi olim monuimus, [a] Strabo, [b] Plinius Junior ac [c] Ulpianus, ſed eosdem quoque Cæſares, Iulium nempe & Auguſtum, Οἰκιστὰς, nummi cum Sinopenſi numine Regiæ Gallorum Gazæ COL. I. AU. SINOPE, *Colonia Iulia Auguſta Sinope.* Alios dein eiusdem Coloniæ nummos adtulere viri præſtantes, in quibus [d] *Felicis* & [e] *Romanæ* adduntur eidem cognomenta. Unum vero, ſed Græcum, ac citra additum *Coloniæ* nomen, eaque appellatione antiquiorem, ut videtur, eiusdem urbis nummum vidi olim, Conſtantinopoli ad Regiam Gallorum Gazam miſſum, eundem mihi tum Verſaliæ exhibente præſtantiſſimo Morellio; in quo hinc caput galeatum, illinc Figura muliebris ac velata ſtans, infra duo iacula & Galea videbantur, cum inſcriptione ΣΙΝΩΠΗΣ ΜΕ. Quam figuram referendam crediderim ad Amazonem illam Σινώπην, iuxta veteres ac eruditos Apollonii Rhodii interpretes, dictam, quæ in Pontum fugiens Regi illius tractus nupſerit. Mitto, quòd Mileſiorum colonos, Romanis proinde longe vetuſtiores, exſtitiſſe eosdem Sinopenſes, tradit Xenophon. Quis etiam ab Auguſto deductæ, in vicina Ponto Galatia (ad eam enim referri debet, ut bene viderunt viri docti, non ad Helleſpontiacam) *Germæ* meminit, quam Coloniam tamen agnoſcit Ptolemæus, præter nummum Commodi, quem vidi apud illuſtrem Seuium

a Lib. xxxvi. D. de S. C. Trebon.
b Ibid. l. xxv.
c Lib. iv. c. 10.
d To. i. p. 104.
Lib. i. §. 1. D. de Cenſib.
Pag. 160.
a Lib. xliv. c. 6.
b Ad Orat. de Falſ. Leg.
a Lib. xii. p. 546.
b Lib. x. Ep. 92.
c Lib. i. §. 10. D. de Cenſib.
d Vaill. Num. Col. To. i. p. 161, 193.
e Idem Ib. To. ii. p. 149. Harduin. Select. Oper. p. 157.
Lib. ii. ℣. 948.
Lib. vi. Ἀναβασ. poſt princip.

Col. Aug. Germeno. cum lupa & lactantibus gemellis, & cui similem
To. 1. p. 716. parum feliciter Tristanus de *Cermeno*, *Germano*, aut *Germalo*, antiqua scilicet regione urbis Romæ, interpretatur. Neque vero id euincebant (quo nomine redarguitur itidem in Holstenii, qui pluribus post annis prodierunt, ad Stephanum notis) Lupa & Gemelli: quum ignorare non debuit vir, qui ætatem in his triuit, frequens illud esse Romanarum Coloniarum insigne, ut in nummis *Corinthi*, *Alexandriæ Troadis*, *Deulti*,
To. 1. Dissert. ix. p. 571. *Neapolis*, iuxta nummum Seguinianum, *Damasci*, ac aliis: idque ex recepto more, quem alibi ex eadem penu illustramus, quo originum suarum insignia seruari a Coloniis fuerunt solita. Hinc eadem etiam Lupa cum gemellis in Probi nummo Musei ante Seguiniani, iam Regii, cum inscriptione
Ut supra. Origini Aug. Immo, prout alibi iam vidimus, Antiochiæ ad Orontem a Tiberio supra portam urbis Orientalem, & postea a Traiano supra
Chronogr. p. 303. portam aliam a se exstructam, Lupa cum gemellis sculpta apud Jo. Malelam legitur, neque alium, ut idem addit, in finem, nisi ut scirent posteri, ὅτι Ρωμαίων ἐστὶ τὸ κτίσμα, *quòd Romanorum esset opus*. Quomodo conditæ quondam Albæ, apud Maronem, augurium est captum ab inventa sue,
Æneid. l. viii. ℣. 43. quæ postea insigne istius urbis extitit, ita sus in porta Æliæ, Romanæ Coloniæ, insculpta, iuxta Eusebium in Chronico: *Ælia ab Ælio Hadriano condita, & in fronte eius portæ, qua Bethleem egredimur*, Sus Scalptus *in marmore prominet*, *significans Romanæ potestati subiacere*. Haud ignotæ vero nobiles aliæ in Cæsarianis nummis, eæque in dissitas longe ab earum Metropoli regiones missæ, Romanorum Coloniæ, cum eodem Iuliæ vel Augustæ, aut cum utroque simul cognomine; ut vel inde, a quibus Imperatoribus fuerint eædem nouis incolis frequentatæ, continuo liqueat. Cuiusmodi in Phœnice legitur Berytus, in qua urbe
a C. Th. l. ix. de Iustr. Collat. b Orbis Rom. p. 249. proponebantur leges ad [a] Consularem istius regionis missæ, immo ubi postea fuit tanquam [b] Romanarum legum Gymnasium, nempe Col. Iul. Aug. Fel. Ber. *Colonia Iulia Augusta Felix Berytus*; non, ut olim in Eusebianis, post Occonem, penultimam vocem Pel. pro Fel. legit Scaliger,
Animadu. p. 195. additque cur *Pella* vocetur *Berytus* se non magis scire, quam quare *Berytus Beroë*. Ac nullo negotio poterat prius illud dubium a se amoliri ὁ πάνυ, & pro Pel. ibi Fel. reponere, obuio in nummis plurium insignium Colo-
Lib. v. c. 20. niarum elogio, præeunte eidem Plinio: *Berytus Colonia*, *quæ* Felix Iulia *appellatur*. Quod a me pridem monitum, sibi postea, etsi tanti non
a Select. Oper. p. 33. b Ut supra. c D. de Censib. erat, vindicare non refugit eruditissimus [a] Harduinus. Præter [b] Plinium vero, vel [c] Ulpianum, a quo postremo, ut viderunt iam viri docti, *Augustana Colonia* vocatur eadem *Berytus*, dicta quoque a Josepho iam
d De Bello Judaico l. vii. c. 20. ante, ut obseruo, [d] πόλις Ρωμαίων ἄποικος, *urbs Romanorum Colonia*. Sic in Paulæ Epitaphio Hieronymus: *Berytus Romana Colonia*. Accedunt in eadem Phœnice, vel Cœlesyria, ac ab Ulpiano similiter inter Romanorum Colonias memoratæ, vel Heliopolis, vel Laodicea, Iuliæ rursus & Augustæ Coloniæ similiter dictæ, in selectis earum nummis. De qua
Chronogr. p. 387. postrema, seu *Laodicea*, id unum hic tangam, notari in Malelæ Chronico, Metropoleos non solum dignitatem, quod aliunde, & ex ipsis urbis illius nummis, constat, huic urbi a Seuero concessam, sed iussisse eum insuper, ut ea *Septimia* diceretur. Quod utique firmat simul ac illustrat singularis quidam huius *Laodiceæ* nummus, quem inter cimelia inclyti ac

alto

alto e ſanguine nati Marchionis Durlacenſis cimelia, una cum amiciſſimo Palma, ſub Caracalla cuſum obſeruare mihi olim contigit, cum inſcriptione COL. SEP. AUR. LAOD. M. *Colonia Septimia Aurelia Laodicea Metropolis*, atque ita cum *Septimiæ* non ſolum, ſed etiam *Aureliæ* deductis a Patre & Filio cognomentis. Occurrit quidem Getæ nummus a celebri Antiquario vulgatus, in quo SEPT. COL. *Septimiæ Coloniæ*, ſolum illi nomen tribuitur: quod alioquin *Septimiæ*, uti & alterum *Aureliæ*, cognomentum abeſſe a ſequentibus, ſub aliis dein Auguſtis, illius urbis nummis, retenta tamen in iis *Coloniæ* & *Metropoleos* appellatione, videas.

Quis autem e priſcis Auctoribus, ut de CARTHAGINE fileam, cuius uti a Julio Cæſare nouis colonis reſtauratæ, & IULIÆ quoque inde in eius nummis dictæ, haud obſcura occurrit apud eos mentio; quis inquam, vel LEPTIS, illiusque maioris, ab eodem Julo inſuper deductæ, vel UTICÆ, *Municipii* iure ab eo donati, meminit, præter inſignes nummos, vel COL. IUL. LEPTIS, *Colonia Julia Leptis* vel MUN. IUL. UTICENS. D. D. P. *Municipium Iulium Uticenſe*, *Decreto Decurionum Poſuerunt* inſcriptos? quem poſtremum ſub Tiberio cuſum, & in Gaza Gallorum Regia a me obſeruatum, pridem monui. Accedit, a me quoque ibidem adductus, alius adhuc Africanus, ſeu in eâ Mauritaniæ Tingitanæ nummus, ſub Tiberio itidem cuſus cum inſcriptione COL. IUL. TRA. *Colonia Iulia Traducta*; de qua autem Colonia conſuli poſſunt, quæ, poſt [a] Bochartum & [b] Iſaacum Voſſium, viros doctiſſimos, poſtea a viris præſtantibus [c] Noriſio, [d] Harduino, ac [e] Vaillant de eadem ſunt in lucem prolata.

Differt. IX. p. 768.
a Chan. lib. I. c. 34. p. 614.
b Obſeru. in Mel. p. 168.
c Cenotaph. Piſ. p. 91.
d Select. Oper. p. 77.
e Num. Colon. P. I. p. 46.

Quis iam a CLAUDIO Imperatore deductas in Illyrico, SCODRAM, SADERAM, in Thracia DOBERON, tradidit, præter nummos eorundem locorum, modo fides Ligorio conſtet, in cuius Collectionibus ineditis, quas reconditas Romæ in Bibliotheca Auguſtæ Chriſtinæ videre mihi licuit, cum COLONIÆ CLAUDIÆ in ſingulis cognomento? E quibus autem, inde pridem a me adductis, poſtremum ex eodem Ligorio, in vulgatis poſtea doctiſſimi Holſtenii ad Stephanum, quæ utcunque eius ea in re fidem liberant, notis expreſſum videas, cum integro titulo COLONIA CLAUDIA DOBEROS.

2. *De Coloniis a* Claudio *deductis.*

VESPASIANUM deduxiſſe Colonias obiter, ſed tamen velut palmarium eius opus, [a] Euſebius notat in Chronicis: quot vero aut quales, ſi CÆSAREAM in Palæſtina excipias, cum ipſe, tum alii ferme Auctoris ſilent; ſi forte memoratam a [b] Frontino in Campania *Abellam*, aut a [c] Plinio in Tingitana Mauritania *Icoſion* mittas, *Ducſton* etiam, de qua mox, & *Flauiopolim*, utrumque Thraciæ oppidum, & quas [d] hic etiam tangit celebris Antiquarius, *Colonias* vocat Plinius; ſed an a Veſpaſiano vel a Tito deductæ fuerint, non tangit. Solos vero CÆSAREENSES adduxit [e] Paulus I. C. quos Veſpaſianus colonos fecerit, & quidem remiſſo ſolum iis capitis tributo. Iſtud vero de pluribus COLONIIS cum indita iis FLAVIÆ appellatione, ſub Patre vel Filio deductis, docent nos hodie plures earundem nummi. Ac CÆSAREÆ quidem obuium illud FLAVIÆ, in urbis illius nummis, ſub Tito ac aliis dein Romanis Principibus percuſſis, cognomentum: unde error ille Trebo-

3. *De Coloniis deductis a* Veſpaſiano *aut Filio.*

a Ad annum Chr. LXIX.
b De Colon. p. 103.
c Lib. V. c. 2.
d Num. Col. P. I. p. 131.
e Lib. II. D. de Cenſib.

Nouell. CIII.

niani, qui, quod de FLAVIÆ appellatione ſeu cognomine Imperatorio huic urbi indito tradiderant alii, de ipſo *Cæſareæ* nomine, quod iam ab Herode tulerat, perperam accepit. Exſtat vero Titi nummus, in qua non

FLAVIÆ solum, sed LIBERÆ etiam elogium huic urbi tribuitur, COL. CÆSAREA LIB. ΦΑΑ. frustra enim [a] vir doctus postremas has literas, in simili Caracallæ apud [b] Tristanum nummo, quod idiomatis sint diuersi, ad Æram reuocat DXXXI; quæ utique, ut alia mittam, eadem in Tito & Caracalla, ut monuit iam celebris Antiquarius, statui neutiquam potuit. Neque vero aliunde ignotæ bilingues subinde in Coloniarum nummis, uti & in lapidibus antiquis, inscriptiones. Neque præterea, ut olim quoque vidimus, *Colonia* solum *Flauia* sed *Prima* etiam, ut de ea Plinius, dicta est in Cæsarianis nummis hæc *Cæsarea*: nempe COL. PR. FL. AUG. CÆSAR. siue *Colonia Prima Flauia Cæsareensis*, in Domitiani, & plurium dein Imperatorum, nummis. Ita, de qua obiter paullo ante, ac pridem quoque, monueram, in Thracia *Deultum* dicta in variis Imperatorum nummis COL. FL. PAC. DEULT. *Colonia Flauia Julia Pacifera*, seu verius, ut visum viris præstantibus, *Pacifica Deultum*. Unde lux obscuro antea (ut hic olim, tribus ferme lustris ante viri eruditi ad Plinium notas, addideram) & inde maxime distincto Plinii loco: *Deuelton cum stagno, quod nunc* DEULTUM *vocatur veteranorum*; ob *Coloniam* nempe *Veteranorum* in eum locum a Vespasiano pro more deductam, & quomodo apud Ligorium inter nummos Tiberii *Salona Veteranorum* describitur COL. CLAUDIA AUGUSTA PIA VETER. SALONA. Eiusdem *Deulti*, quod ibidem addidi, mentio fit in Actis Synodi Calchedonensis: *Iouianus Episcopus Deultanæ ciuitatis*, non, ut ibi hodie legitur, *Deueltanæ*, quod antiquius fuerat eius nomen, ut [c] Plinio vidimus. Exstat vero nummus in Collectionibus Ligorianis inscriptus COLONIA FL. AMANUS, aut FLAVIABRICA AUGUSTA, de quo nempe Hispaniæ oppido Plinius: *Amanum portus, ubi nunc Flauiobriga, Colonia ciuitatum* IX. Adde, quòd ex iisdem nummorum monumentis constat, FLAVIAS dictas plures alias urbes, quamquam sine *Coloniæ* cognomento, quæ ab iisdem Flauiis, Vespasiano ac Tito, sunt hoc nomen nactæ. Cuiusmodi Palæstinæ vel Samariæ *Neapolis* in singulari Titi nummo, a me tum adducto, quem videram apud Cl. Seguinum, ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. Unde egregie illustratur, præcipuum illius oppidi decus, Justinus Martyr, eodem teste, τῆς ἀπὸ ΦΛΑΟΥΙΑΣ ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ τῆς Συρίας παλαιστίνης, FLAVIA NEAPOLI *Syriæ Palæstinæ ortus*, non, ut male prior interpres, *Flauia (quæ noua ciuitas est Syriæ Palæstinæ) ortus*, qui ignorasse videtur urbem dudum fuisse in eo tractu dictam *Neapolim*, quamquam cum aliunde sat notam, tum inter nobiliores Palæstinæ ciuitates iuxta *Cæsaream*, *Gazam*, *Ascalonem* ab Ammiano Marcellino, sua adhuc ætate, relatam. Liquet etiam ex eodem nummo, cur idem Justinus ab Epiphanio vocetur Σαμαρείτης, neque frustra tradi a Beniamino Tudelensi, sicut iam olim ab Hieronymo, Palæstinæ tot annos incola: *Transiuit* SICHEM, *non ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc* NEAPOLIS *appellatur*. Neque aliter rursus Epiphanius, occasione cuiusdam Samaritanorum Proseuchæ: Αλλὰ καὶ προσευχῆς τόπος ἐν ΣΙΚΙΜΟΙΣ ἐν τῇ νυνὶ καλουμένῃ ΝΕΑΠΟΛΕΙ, *sed & Proseuchæ locus ad* SICHEM, *quæ hodie* NEAPOLIS *dicitur*. Quam autem NEAPOLIM SAMARIÆ dictam cum in memorato Titi nummo, qui cum reliquis Seguini cimeliis transiit dein in Gazam Gallorum Regiam, tum in alio insuper Domitiani, qui in iisdem Thesauris reconditur, ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑ-

MAP.

[a] Harduin. Select. Oper. p. 39.
[b] To. II. p. 168.
Vaill. Num. Colon. P. I. p. 135.
Tristan. To. II. p. 254. & alii cum secuti.
Lib. IV. c. 11.
Lib. III. c. 20.
Apolog. II.
Lib. XIV. c. 8.
Hæres. XLVI, I.
In Itinerario p. 66.
Hæres. LXXX.

MAP. L. A. *Flauia Neapolis Samariæ Anno I.* adstruit quoque iisdem nummis σύχρονος Josephus: Ὅθεν δὲ ΤΗΣ ΣΑΜΑΡΕΙΤΙΔΟΣ, καὶ παρὰ ΤΗΝ ΝΕΑΠΟΛΙΝ, καλουμένην Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, *inde per* SAMARITIDEM *&* NEAPOLIM, *quæ dicebatur ab indigenis Mabartha.* Quum vero apud Plinium dicatur: *Neapolis, quæ antea Mamortha dicebatur*, non debuit in Eusebianis ὁ πάνυ dubitare, an Plinio hoc dicenti sit credendum; quasi nempe unus id de antiquæ urbis illius nomine tradidisset, qui præeuntem hic habuerat, eadem utique ætate id in belli Judaici Annalibus tradentem, ac fide utique hic dignum, Josephum. Qui & aliquam eruditissimi Harduini ad eum Plinii locum censuram, si in eam forte Scaligeri notationem is incidisset, non potuisset euitare. Neque enim discrimen in hac voce peregrina, ac urbis in remoto Oriente sitæ, Μαβαρθὰ, vel *Mamortha*, unius quippe literæ β & *m* mutationem, obtendisset hic ὁ πάνυ. Quibus etiam consentanea sunt, quæ de Neapoleos huius situ apud [a] Procopium legas: ac quæ una fuit proinde e *filiabus* illis *Samariæ*, de quibus loquitur [b] Ezechiel Propheta. Verùm haud ideo meruerat dubia Josepho fides a viro erudito statui, quod ille scilicet in adductis paullo ante verbis Νεάπολιν, non, ut alioquin Græci Scriptores, ac illius urbis nummi Νέαν πόλιν, dixerat. Atqui, ut alia iam sileam, in ipsis antiquioribus, qui exstant illius urbis, ipsique Josepho coæui sunt, nummis, quique sub Tito ac Domitiano cusi, a me olim, ac dein a celebri Antiquario descripti, exstant etiamnum in Thesauris Gallorum Regiis, præter alium insuper eiusdem ætatis, a me in eximii Morelli schedis quondam visum, NEAΠΟΛ. aut NEAΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ legitur. Sed quid opus alios eius rei testes ac Josephi defensores huc aduocare, quum ipsemet Harduinus eas partes luculenter adimpleat; dum alibi dein, seu in postremo eius Opere de Historia Augusta e nummis antiquis Illustrata, utrumque Titi ac Domitiani nummum tradi ab eo videas [a] ΦΛΑΟΥΙ ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ, & [b] ΦΛΑΟΥΙ ΝΕΑΠ. ΣΑΜΑΡ.

De Bell. Judaic. lib. v. c. 4.

Lib. v. c. 13.

a De Ædif. lib. v. c. 7.

b Cap. xvi. vs. 46.

a Pag. 736.

b Pag. 741.

Neque vero, ut hoc addam, felicius Scaliger ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ retinet, in adducto a se post Occonem nummo, pro ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ, ut in eo legitur; ac præterea minus vere colligebat hanc *Neapolim* non *Flauiam* solum, sed coniunctim *Flauiam Cæsaream* etiam dictam: quod tamen postremum neque nummi, neque Auctores ei largiuntur. Neque enim urbes, quæ *Flauiæ*, ideo quoque *Cæsareæ* sunt appellatæ. Stephanus vero ipsam urbem *Samariam* in nomen huius *Neapolis* transiisse statuit; sed inde, ut videtur, quod *Samariam* tantum de urbe, non etiam de tractu Palæstinæ, accipiat, in quo urbs eiusdem nominis; sicut alibi *Noricum* prouinciam, de urbe perperam explicat. Quamquam urbs, quæ prius *Samaria*, ea ætate, & quidem ab Herodis temporibus, *Sebaste* vocaretur, ut haud uno loco testatum reliquit idoneus eius rei testis Josephus; de qua etiam sua ætate Hieronymus: SEBASTEM, *id est* SAMARIAM, *quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone* AUGUSTA *est appellata.* Eandem, alias *Neapolim*, ab Herode conditam tradit Abul Pharagius; alibi autem sub Zenone Samaritanos Neapoli constituto Rege Christianos trucidasse. Quo respexisse videtur Procopius, loco modo indicato, ubi *Neapoli* Garizim montem scribit imminere, Samaritanis ereptum ob seditionem. Obuii vero eiusdem *Neapoleos* nummi sub sequentibus Cæsaribus, cum omissa *Samariæ*,

Animadu. Euseb. p. 119.

Antiq. Judaic. lib. xiii. c. 18. lib. xv. c. 11.

Epitaph. Paulæ.

Pag 93.

seu Σαμαρείας, mentione, additis eius loco *Syriæ Palæstinæ*, & præmissa itidem *Flauiæ* appellatione, atque ita cum integris quandoque vocibus ΦΛΑΟΥΙΑΣ ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ, iisdem proinde verbis, quibus de sua patria loquentem vidimus paullo ante, ac eadem ætate, Justinum, cum Templo in vertice montis Garizim.

Hard. Oper. Select. p. 120. Vaill. Num. Imp. Græc. p. 44.

Idem Num. Colon. P. II. p. 169.

FLAVIÆ vero dictæ insuper aliæ urbes occurrunt, ut obiter hoc addam; aliorum itidem nummorum fide, quos versare mihi licuit in illustribus Cimeliarchiis, ut Syriæ *Chalcis* ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ in nummis Traiani & Hadriani Gazæ Gallorum Regiæ; *Philadelphia* in nummo Mediceo, ΦΛ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ; *Samosata* Commagenes, iuxta descriptos iam a Goltzio ac Tristano, ac dein a celebri Antiquario, nummos; *Cretia Flauiopolis* in Bithynia, ΚΡΗΤΙΑ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙΣ· *Eumeniæ* in Achaiæ finibus, ΕΥΜΕΝΕΩΝ ΦΛΑΒΙΩΝ apud eruditum urbis Antiquarium, si nummus est genuinus. Ut hic mittam *Flauiam Fanestrem* Piceni Metropolim, e qua legem a Valentiniano Imperatore latam legimus in Codice Theodosiano: quam autem *Flauiæ* appellationem a Flauiis demum Constantinis eidem urbi inditam, arguit unum *Juliæ Fanestris* nomen ei a [a] Vitruuio, & in [b] Inscriptionibus antiquis, inditum. Sed quas hic petitas ab Augustorum nominibus urbium appellationes, & de quibus alibi opportunius, nisi ubi COLONIÆ simul iura ac nomen sunt ab iis nactæ, nunc mitto.

Vaill. Num. Græc. p. 83, 92.

C. Theod. Tit. de Pactis & Transact. l. 5.

a Lib. I. c. 1.
b Grut Inscr. ccxvi, 8.

4. *De Coloniis ab* Hadriano *deductis.*

Cuiusmodi utique occurrunt ÆLIÆ & HADRIANÆ dictæ *Coloniæ*, & *Municipia* similiter ab Ælio Hadriano nomen sortita, uti nobilis ÆLIA CAPITOLINA, abolito pristino *Hierosolymorum* nomine, quod sub Constantino demum recuperauit: ita tamen ut illud *Æliæ* nomen adhuc infra Constantinum retinuerit. Eusebium mitto, a quo dici videas: Ἐν προαστείοις δείκνυται ΤΗΣ ΝΥΝ ΑΙΛΙΑΣ, *in suburbiis ostenditur illius, quæ* NUNC ÆLIA *dicitur*; alibi: Ἐν τῇ κατὰ τὴν Αἰλίαν βιβλιοθήκῃ, *in Bibliotheca, quæ est Æliæ*. Verum adde, post Constantini & Filiorum etiam, aliorumque adhuc Imperatorum fata, Chrysostomum: Ἐπειδὴ γὰρ Αἴλιος Ἀδριανὸς ἐχρημάτιζεν, οὕτω καὶ τὴν πόλιν καλεῖσθαι ἐνομοθέτησαν· ἐκεῖθεν ΑΙΛΙΑ ΜΕΧΡΙ ΤΟΥ ΝΥΝ ὀνομάζεται, ἀπὸ τῆς ἐπωνυμίας τοῦ κρατήσαντος καὶ καθελόντος αὐτήν, *Quum enim ipse Ælius Hadrianus vocaretur, ideo inde ciuitatem* ÆLIAM *vocari iussit, quæ exin* AD HUNC DIEM ÆLIA *appellatur, cognomine victoris & euersoris.* Eadem vero, & quod e nummis eius demum constat, COMMODIANA insuper, quæcunque ratio eius appellationis fuerit, de qua silent Auctores, est appellata, seu COL. ÆL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Ad quam vero *Coloniam* haud referri a viro erudito debuerat, neque iam ante ab eximio Patino, dictum in aliis nummis ÆL. MUNIC. seu *Ælium Municipium*, quum ad aliam urbem COELLI vel COILLU in iis expressam, ut vidit celebris Antiquarius, ea appellatio respiciat; neque *Municipii*, sed *Coloniæ* demum nomen eidem *Æliæ* constanter tribuant plures ipsius Commodi & sequentium adhuc Cæsarum nummi. Verum id opportune emendauit in recensito nuper illo Opere, iis, quæ ea de re monuerat, inde continuo resectis, eruditissimus Harduinus. Obuium vero illud in variorum Cæsarum nummis *Ælium Municipium*, inscriptum nempe ÆLI. MUN. COIL. quod ego ad *Cælobrigam* Hispaniæ spectare obiter olim censui, Harduino dein ad *Consuaranorum* in Hispania oppidum, celebri vero Antiquario, ad *Coillu* Numidiæ urbem, eamque

Hist. Eccles. l. II. c. 12.

Ibid. lib. VI. c. 20.

Aduers. Judæos Orat. III.

Harduin. Num. Urb. Ill. p. 13.

Vaill. Num. Colon. P. I. p. 169, 210. &c.

Select. Oper. p. 44.

que *Municipium* in Antonini Itinerario appellatam, referre datâ operâ libuit. Quum vero eadem illa Numidiæ ciuitas *Cholli* vocetur in illo Itinerario, apud Plinium *Cullu*, Ptolemæum Κούλλα, neque alia auctoritate, quam dicti illius in Antonini Itinerario *Municipii*, nitatur laudatus modo Antiquarius, ut hanc urbem, quæ, eodem teſte, COEL. vel COIL. conſtanter in nummis eius inſcribitur, dicto Numidiæ oppido tribuat; de eo haud ſatis adhuc liquere adfirmare mihi obiter liceat. Adductus vero hic a me eſt olim nummus Philippi Senioris, in cimeliis Chriſtinæ Auguſtæ a me Romæ viſus, cum Naui & Cornucopiæ ac inſcriptione MUN. FANE. ÆL. *Municipium Faneſtre Ælium*; qualem etiam inter Philippi Junioris nummos in eximii Morelli ſchedis vidiſſe memini, ac de oppido Hiſpaniæ explicandum olim cenſui, ad diſcrimen nempe *Coloniæ Faneſtris* in Italia, de qua paullo ante; ſed, ut ingenue fatear, nulla idonea illius rei auctoritate ibi a me adducta. Lib. v. c. 3.

5. *De Coloniis a* Senuero *ac Filius deductis.*

A SEVERO quoque ac eius filiis deductas varias COLONIAS, ac ornatas Urbes (quo nomine eosdem laudat, grauis alioquin Cenſor, Tertullianus: [a] *Quantum Urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præſentis imperii triplex virtus?*) nonne fidem hodie faciunt plures COLONIÆ SEPTIMIÆ, SEVERÆ, vel SEVERIANÆ, ac a filio ANTONIANÆ, & a Julia, Seueri coniuge, IULIÆ quoque in nummis earum dictæ? Adeo ut non TYRUM ſolum COLONIAM SEPTIMIAM legamus in iisdem appellatam, & quales alio nonnunquam male transferunt viri docti, ſed & productas ultra Euphratem, ac ad Tigridis etiam ripas Colonias, totidem propugnacula Romani imperii in illius finibus futuras, RHESAINAM, SINGARA, NESIBIN, quas inſignes nummi cum Græcis COLONIÆ SEPTIMIÆ nominibus conſeruarunt. Duas equidem priores iam tradiderunt ac illuſtrarunt duo præſtantes antiquarii [a] Triſtanus ac [b] Patinus. Unum illud de RHESAINA ex [c] Abul Pharagio iam olim ſuperaddidimus, eam, Perſis oppugnantibus, liberatam a Mauritio Tiberii Imperatoris Duce. Eadem enim eſt, quam Scriptor ille Arabs رأس, ſeu *Raſainum*, vocat, & cuius oppidi ciuem Sergium illum Jacobitam alibi memorat, qui Græcorum diſciplinas in Syriacam linguam vertit. Quo ſpectat etiam ille Antiochus *Rheſinatis in Meſopotamia Epiſcopus*, prout inſcribitur in Actis Concilii primi Antiocheni. Ad SINGARAM vero quod adtinet, iuxta adductos iam a dictis viris præſtantibus & Seguino nummos, Romanorum in eodem tractu COLONIAM, neque SEPTIMIAM ſolum, ſed AURELIAM inſuper, ac, ut ſtatuere licet, a L. Aurelio Vero, qui in ea terrarum parte bellum geſſit, denominatam: nempe ΑΥΡ. ΣΕΠ. ΚΟΛΩ. ΣΙΝΓΑΡΑ, *Aurelia Septimia Colonia Singara*; de ea urbe, ut alia, quæ ad Iulianum Auguſtum de nocturno inter Conſtantium & Saporem, ſeu Romanos & Perſas, ad eam urbem prœlio, iuxta alios rerum illius ætatis Scriptores agentem, monui, nunc mittam, duo ſolum hic tangam: prius, non duas, quod exiſtimabat celebris Antiquarius, memorari in Meſopotamia *Singaras*: alterum, ac unde illius urbis nummi illuſtrantur, quod *ad radices montis* ſita dicatur a Nubienſi Geographo, ac prope eam fluuius *Albauali* dictus. Qua ratione factum, ut eadem urbs ſub Mulieris habitu, quæ nempe in decliuis montis parte fuerit poſita, rupi inſidentis fuerit in nummis eius ſculpta; & præterea cum impoſito eius capiti Centauro Sagittario, quod inſigne

a De Pallio c. 11.

a To. II. p. 588.
b Pag. 391.
c Dynaſt. VIII. p. 96 & IX. p. 172.

Pag. 178.

Ad Orat. I. p. 170.

Vaill. Num. Colon. P. II. p. 148.
Clim. IV. P. VI. p. 201.

signe fuisse Legionis Parthicæ, quæ eandem urbem, a Sapore tum obsessam, iuxta Ammianum Marcellinum, tutaretur, ibidem docui. Lib. xx. c. 6.

6. *De aliis Cæsarum Coloniis.*

Exstant vero nobiles aliquot aliæ Romanorum in ea terrarum parte urbes, ut EDESSA, & CARRHÆ, quæ in Cæsarianis itidem nummis, cum eodem COLONIÆ, altera insuper cum METROPOLEOS dignitate, titulo consignantur: & quarum hic a me similiter facta pridem erat mentio. Quum vero in edito iam priori huius Operis volumine, ubi de iis agendi opportunus erat locus, illa, quæ olim eam in rem erant a me monita, eaque noua adhuc accessione locupletata, adtulerim; eo proinde licebit hic nobis lectorem ablegare. Haud omittendæ vero hic veniunt aliæ cis Euphratem in *Syria*, *Phœnice*, *Palæstina*, & *Arabia* Romanæ itidem Coloniæ. *Syriæ* quidem LAODICEA, HELIOPOLIS, DAMASCUS, & eius caput ANTIOCHIA; *Phœniciæ* BERYTUS, de qua iam ante, EMISA, SIDON, TYRUS; *Palæstinæ*, præter dictas ante CÆSAREAM & ÆLIAM CAPITOLINAM, SEBASTE; *Arabiæ* vero BOSTRA. De quibus autem sigillatim non agemus, post operam ea in re a celebri Antiquario abunde præstitam. Id equidem de LAODICEA admodum est dubium inter antiquarios, an nummi cum eo nomine signati de cognomine urbe in Cœle Syria, & quæ ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΕΝ ΛΙΒΑΝΩ, ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΟΝ, aut ΛΙΒΑΝΟΥ, *Laodicea In Libano*, *Ad Libanum*, vel *Libani*, in Thesauris Gallorum Regiis, Mediceis, aliisque dicitur; an vero de altera LAODICEA, quæ in Syria itidem, sed ad oram Phœnices maritimam, erat sita, & quæ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ, *Laodicensium ad Mare*, dicitur in veteri nummo Alexandri I. Syriæ Regis, quem in lucem protulit celebris Antiquarius, continuo sint capiendi. Ad priorem vero Cœles Syriæ *Laodiceam*, eamque non maritimam sed mediterraneam, nummos inscriptos COL. LAOD. METROPOLEOS, atque interdum cum SEP. seu *Septimiæ* cognomento, reuocant viri præstantes Patinus ac [a] Harduinus; ad alteram vero, seu *Maritimam* & ad radices montis Casii sitam, viri præclari [b] Holstenius & [c] Norisius, quibus accessit celebris [d] Antiquarius. Priores niti videntur [e] Ulpiani auctoritate, a quo dicitur: *Est & Laodicena Colonia in Syria Cœle, cui D. Seuerus ius Italicum ob belli ciuilis merita concessit.* Verum Ulpiani ætate, & iuxta Syriæ, quæ tum obtinuit, diuisionem, *Antiochiam*, *Seleuciam* & *Laodiceam ad mare*, ad Cœlen Syriam spectasse ostendit doctissimus Norisius, ad quam etiam refertur, ab Epiphanio: Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνης ἤγουν Κοίλης Συρίας, *Laodiceæ prope Antiochiam ad Daphnen, nempe Cœlæ Syriæ.* Quod non debuit ibi doctissimo Petauio negotium facessere, ut ubi legendum crederet, τῆς πρὸς Δάφνῃ Ἀντιοχείας. Vicinæ nempe erant urbes Antiochia ac Laodicea Maritima, inter quas, quod vidit iam Norisius, iacebat celebratus ille Daphnes prope Antiochiam lucus; ac inde e vicinia, & utriusque urbis, quæ prædicatur ab Auctoribus, adfluentiâ, frequens inter eas æmulatio. Unde etiam ad eam omnino Maritimam Laodiceam, non ad alteram *Laodiceam ad Libanum*, spectant, quæ & dignatione longe minor, ac ab Antiochia longius dissita, quæcunque de *Laodicea* a partibus Seueri contra Pescennium stante; deque ea inde, seu, uti ab Ulpiano dicitur, *ob belli ciuilis merita*, a Seuero *Coloniæ* ac *Metropoleos dignitate*, imperatoriis *Septimiæ* atque *Seuerianæ* nominibus, ac *iuris* insuper *Italici* dignitate ac priuilegiis ornata, leguntur. Quæ tria etiam priora, præ-

Diſſert. ix. p. 606.

[a] Num. Urb. Ill. p. 286.
[b] In Sephan. p. 187.
[c] Epoch. Syro-Maced. Diſſ. III. c. 8. §. 2.
[d] Num. Colon. P. II. p. 167. & Num. Græc. Imp. p. 208.
[e] Lib. I. de Cenſib.

Hæreſ. LXXIII. p. 845.

Animaduerſ. p. 305.

præter Malelam, qui eorum beneficiorum in hanc Laodiceam a Seuero collatorum meminit, in illius urbis nummis etiamnum leguntur, inſcriptis, SEP. COL. LAUD. METRO. *Septimia Colonia Laudicea* (promiſcue pro *Laodicea*) *Metropolis.* Mitto, quòd non *Seuerianæ* ſolum, ſed *Juliæ* etiam nomen ei tribuatur in alio Seueri nummo ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙΚ. ΣΕΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Adde, quòd AURELIÆ inſuper appellationem a Caraealla, dicto, ut notum, *M. Aurelio Antonino*, adſumſiſſe eandem urbem olim obſeruaram in ſingulari huius Caraeallæ nummo, inſcripto COL. SEP. AUR. LAOD. in *Colonia Septimia Aurelia Laodicea Metropolis.* Mitto, quòd, Λαοδίκεια ἐν τῇ Φοινίκῃ, *Laodiceam in Phœnice*, dicat alicubi Appianus, quod ea nempe ad oram maris Phœnicii foret ſita. Chronog. p. 387. Syriac. p. 124.

DAMASCI, quæ inter nobiliſſimas Syriæ, ac dein etiam Phœnices, ciuitates eſt olim habita, quæque *caput Syriæ* dici ab Eſaia meruit, exſtant itidem, cum utraque illa COLONIÆ & METROPOLEOS dignitate, plures nummi, nempe COL. DAMA. METR. iique Philippi Senioris ætate primum euſi. Exſtant quidem antiquiores aliquot nummi, ut Alexandri Seueri Medicæus a me alibi adductus eum inſcriptione ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΙΕΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠ. *Damaſci Sacræ Metropoleos*, in medio autem Coronæ ΣΕΒΑΣΜΙΑ, ſeu *Auguſtalia*, ſolemnes nempe in honorem Auguſti inſtituti in eadem urbe ludi. Verum METROPOLIS dicta pridem ante in Cæſarianis illius urbis nummis, quam COLONIÆ eadem Damaſcus nomen in iis tulit. Inter Hadriani equidem nummos occurrunt cum titulo [a] ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & ſimiliter in [b] Antonino Pio, aliisque dein Imperatoribus; unde, ne ſub Hadriano, quod de illo ait Spartianus, [c] *tot ciuitatum Metropolis Antiochia diceretur*, id haud immerito ille tribuit Damaſco, ac vidit iam doctiſſimus Noriſius, ut ſecunda tum Phœnices, a Syria ab illo Imperatore diſtinctæ, *Metropolis* conſtitueretur, ac prout ab Hieronymo diei videas: *Phœniciæ maritimæ Metropolis Tyrus*, *Mediterraneæ Damaſcus.* Hinc lex Areadii in Codice Theodoſiano de diruendis Paganorum in Phœnice templis Damaſco data legitur, & aliæ in eodem Codice Theodoſii M. Leges, ad Conſularem Phœnices, Damaſco itidem ſunt ſcriptæ. Eadem vero *Damaſcus* Arabiæ quoque olim adſcripta; iuxta illud Tertulliani: *Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicen, ex deſtinatione Syriarum.* Quæ Tertulliani, ut hoc addam, verba, quod non aduerterunt eius interpretes, e totidem ferme Juſtini in Dialogo cum Tryphone verbis ſunt deſumpta: Ὅτι δὲ Δαμασκὸς τῆς Ἀραβικῆς γῆς ἦν καὶ ἔστιν, εἰ καὶ νῦν προσενέμηται τῇ Συροφοινίκῃ λεγομένῃ, οὐδ' ὑμῶν τινες ἀγνήσασθαι δύνανται, *Quod vero Damaſcus Arabiæ fuerit ac ſit, etſi ei, quæ nunc Syrophœnice vocatur, acceſſerit, nec veſtrum aliqui poterunt inficiari.* Quibus etiam adſtruuntur, quæ de eâ Phœnicæ ante Seueri Imperatoris tempora adtributâ diximus, ac unde etiam illuſtratur, quod Damaſcenos cum Sidoniis (Phœnicibus, ut notum) de finibus apud Romanum Præſidem diſceptaſſe tradit Joſephus. Mitto, quòd Damaſcus media inter Palæſtinam & Cœlen Syriam exſtitiſſe ab eo alibi dicitur. Cap. VII. ℣. 8. a Vaill. Num. Impp. Græc. p. 33. b Ibid. p. 42. c Cap. XIV. C. Theod. Tit. de Paganis. l. 16. Aduerſ. Marcion. lib. III. c. 13. Pag. 305.

Deductas vero in duas primarias *Phœniciæ* urbes, SIDONEM ac TYRUM, & cum addito quoque METROPOLEOS, quem iam ab antiquo obtinuerant, titulo COLONIAS eernimus in variis Cæſarum nummis. Quorum ætate vetuſtiores occurrunt potiſſimum TYRORUM nummi, in quibus ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ legi-

legitur. Eandem certe urbem cum SIDONE certasse iam olim, quænam esset *Metropolis*, obseruat Strabo. Omissus postea videtur, aut intermissus, aliquamdiu ab utraque urbe idem METROPOLEOS titulus, seu ex aliquo earundem urbium inter se pacto, seu, quod occupauit iam celebris Antiquarius, ab Augusto, ob earundem urbium seditiones, eo titulo ac iure utrique illi urbi adempto; &, quo respexit Dio in rebus Augusti, post factam Cyzicenorum mentionem, quibus libertatem, ob ciues Romanorum flagris ab iis cæsos, ademit: Καὶ τοῦτο καὶ τοὺς Τυρίους τούς τε Σιδωνίους διὰ τὰς στάσεις ἐποίησεν· *quod similiter Tyriis & Sidoniis, propter seditiones, fecit.* Utraque vero postea, ac sub diuersis Cæsaribus, METROPOLEOS dignitate ac simul COLONIÆ iure, quod plures earum nummi ostendunt, est ornata. SIDON quidem sub Elagabalo, qui *M. Aurelii Antonini* nomina, ut notum, tulit; ac unde illa in nummis sub eo Imperatore percussis COL. AUR. PIA METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon* inscribitur. TYRUS vero iam ante, in Seueri nempe Imperatoris nummis, dicta COL. SEPT. TYRUS METROPOL., cum Colono & iugo boum, ac Vexillo, in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.* Nempe iuxta Aristidem alicubi de Smyrna dicentem: Ἐν Ἀποίκου σχήματι καὶ Μητροπόλεως, *Coloniæ habitu & Metropoleos*; ac pro more, quem iam alibi, in priore huius Operis parte adtigimus, quo in gentis siue prouinciæ Metropoles deductæ sunt a Romanis frequenter Coloniæ, ut obuiis in hac nummorum penu exemplis *Antiochiæ*, *Carthaginis*, *Thessalonicæ*, & de quibus modo egimus, *Cæsareæ*, *Damasci*, *Edessæ*, & nunc *Sidonis*, *Tyri*, aliarumque id genus urbium constat. Quamquam, ad *Metropoleos* dignitatem quod adtinet, eam iam ab Hadriano, Paulo Tyrio ad illum Oratoris ab ea nomine misso, huic urbi denuo concessam tradit Suidas; & firmant etiam aliquot Seuero vetustiores Cæsariani nummi, uti sub Antonino Pio & Commodo cusi, cum inscriptione ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣ, *Tyri Metropoleos Sacræ.* Dictam vero *Coloniam* eandem *Tyrum* a Seueri demum temporibus, præter nummorum fidem, adstruit abunde nobilis eiusdem urbis ciuis Ulpianus: *In Syria Phœnice splendidissima* TYRIORUM COLONIA; mox: *Huic enim D. Seuerus & Imperator noster, ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum insignem fidem, ius Italicum dedit.* Unde liquet illustris Scaligeri error, qui ab Elagabalo deductam primum in eam urbem Coloniam censuit, quod in eius nummis illud *Coloniæ* nomen obtineret, quod iam ante in Seueri & Antonini Caracallæ nummis ei, & cum SEPT. seu *Septimiæ* appellatione, tribuitur. Unde etiam in Actis secundi Concilii Calchedonensis: Ἐν ΚΟΛΩΝΙΑ ΤΥΡΩ λαμπροτάτῃ μητροπόλει ὑπατικῇ, *in Colonia Tyro splendidissima Metropoli Consulari*, dici de eadem videas; iuxta duo priora *Coloniæ* & *Metropoleos*, adscripta in eiusdem urbis nummis, a Seueri ætate, iura vel priuilegia. Additum vero ibi λαμπροτάτης, seu *splendidissimæ* Coloniæ elogium, quod ei similiter in adductis iam ante verbis tribuit Ulpianus: *Est in Syria Phœnice Splendidissima Tyriorum Colonia*, & qua ratione, ut hoc addam, *splendidissimæ* nobiliores Romani orbis Coloniæ & Metropoles dicuntur: ut *in splendidissima Rhætiæ Prouincia* apud Tacitum; & *splendidissima Colonia Carthaginensium* in Gestis Cæciliani: unde & *splendidissimus ordo* eorundem Carthaginensium apud Apuleium; immo prout *Laodicea*, *Colonia* itidem, ut vidimus, ac *Metropolis* eo-

Lib. XVI. p. 756.

Lib. LIV. p. 525.

Vaill. Num. Col. P. II. p. 86.

In Politico. Dissert. II. p. 107.

Lib. I. de Censib. Ibidem.

Action. IX. p. 17. edit. Reg.

De Morib. Germ. c. XII.

eodem *ſplendidiſſimæ ciuitatis* titulo ornata legitur in Conſtitutione Alexandri Seueri, quæ exſtat in Codice Juſtinianeo. Ita iam ante apud Florum: *Municipia Italiæ ſplendidiſſima*; ac unde lux aliqua nummo Sidæ Pamphyliæ Metropoli ſub Gallieno percuſſo, ΣΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΕΝΔΟΞΟΥ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Sidetum Splendidiſſimæ Illuſtris Neocororum.* Υπατικὴ vero, ſeu *Conſularis*, nuncupata in memoratis paullo ante Actis Concilii Calchedonenſis, non, ut cenſebat magnus Scaliger, quod a Conſulibus, liberâ adhuc Republica, deducta fuerit in eam urbem a Romanis Colonia, ac inde petita ibi, more haud inſueto, loci Æra. Ut mittam altum de ea deductione apud Auctores, vel in ipſis *Tyri* nummis, ante Seueri tempora, ſilentium; neque enim coniuncta ibi legitur *Colonia Conſularis*, huic ſcilicet urbi tributa, appellatio: neque vero iis temporibus, ad quæ refertur caput illius urbis Epochæ, id eſt, & qua de re alibi, CXXIII. ante Chriſti Æram annis, in Romanorum, ſed in Regum Syriæ fide erat Tyrus, quæ cum Phœnice reliqua a Pompeio primum Romanorum iuris eſt facta; neque *Coloniæ* nomine in antiquioribus nummis, Inſcriptionibus, aliisue monumentis, ante Seueri & ſequentium Cæſarum tempora, conſueto alioquin more, ornata legitur; neque a Romanis, ut modo vidimus, tum deducta, a quibus demum addita illi urbi *Coloniæ*, & quidem *Septimiæ*, appellatio. Enumerabantur vero in prædictis Actis, more haud inſueto, varia *Tyri* priuilegia, *Coloniæ Splendidiſſimæ*, *Metropoleos*, *Conſularis:* quomodo in Inſcriptione Puteolana, ſupra iam adlata, ΙΕΡΑ, ΑΣΥΛΟΣ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, *Sacra*, *Inuiolabilis*, *& Suis Legibus utens* vocatur eadem Tyrus. *Conſularis* autem dicta, quod Scaligerum fugit, quia tum a *Conſulari* regeretur, ſeu ſedes eſſet *Phœnices Conſularis*, ſicut pari elogio Carthago, ſedes Proconſulis Africæ, *Proconſularis* vulgo eſt appellata, ut liquet, cum ex S. Rufo: *Ipſe ubi Carthago eſt Proconſularis*; tum ſignanter e Codice Juſtinianeo: *Et quæ Proconſularis antea appellabatur Carthago.* Υπατικὴ proinde, ſeu *Conſularis*, dicta hic *Tyrus*, ſicut Στρατηγικὴ, ſeu *Prætoria*, de qua mox, Boſtra in nummo Juliæ Domnæ apud Goltzium, cuius meminit in Euſebianis illuſtris Scaliger. Quomodo apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ diuiſas ſubinde Prouincias in *Conſulares*, *Proconſulares*, *Prætorias*, & *Præſidiales* vidimus: ac unde etiam factum, ut iisdem nominibus ſint dein quoque appellatæ prouinciarum id genus Metropoles, in quibus conſtitutæ earum Rectoribus erant ſedes. Quod in ſpecie de *Conſularibus* traditum videas in Conſtitutione quadam Zenonis Imperatoris dicti paullo ante Codicis: *Per idem tempus Præſides quidam & CONSULARES, nec non Correctores IN METROPOLI.* Haud aliter nempe ac *Roma*, & dein *Conſtantinopolis*, quod ſedes eſſent Imperatorum, qui *Regum* nomine, quod ante vidimus, vocari a Græcis, conſueuerant, Βασιλίδες & Βασιλεύουσαι, ſeu *Regiæ*, *Regnantes*, & *Auguſtiſſimæ* ſunt in utroque Codice, ac apud Auctores paſſim, dictæ. Immo qua ratione factum, ut ipſi Rectores non Prouinciæ ſed Metropoleos Præſides ſint nonnunquam inſcripti; ſicut *Præſes Antiochiæ* dictus in Nouella quadam Juſtiniani, qui alioquin erat *Præſes Syriæ Primæ*, cuius Metropolis Antiochia. *Phœnicen* autem, cuius Tyrus erat Metropolis, a *Conſulari* adminiſtratam luculenter arguunt cum Inſcriptiones antiquæ, & Notitia Imperii,

Lib. III. c. 21.

Hard. Select. Oper. p. 155.

De Emend. Temp. l. v. p. 437.

Theſ. Grut. p. MCV.

L. 2. C. de Off. Præf. Præt. Afr.

Pag. 235.

L. 1. Cod. ut omn. Jud.

Nou. VIII.

L. III. Cod. Th. de Decurion. rii, tum Codex Theodosianus, in quo lex data *ad Consularem Phœnices*; quod ex aliis etiam legibus eiusdem Codicis Beryti propositis est manifestum. Inde utique Ὑπατικὴ, seu *Consularis*, Tyrus in superioribus Concilii Calchedonensis Actis, dicitur.

Occurrit vero insuper in vicino ARABUM tractu, & iuxta præstantes Antiquarios primùm in Alexandri Seueri nummis obuia, COLONIA BOSTRA, eoque ipso illius Cæsaris nomine in iis aliisque dein dicta. Quamquam, si fides habenda est perito Numismatum Mauroceniarum editori, legatur iam ante eadem urbs inscripta COLONIA BOSTRA in nummis Caracallæ, ac Matris Iuliæ Domnæ. Exstabant equidem antiquiores illius urbis nummi, ut in Commodo N. TPA. BOΣTPA, *Neruia Traiana Bostra*, sed sine addito *Coloniæ* cognomento; ut a Traiano quidem instauratam hanc *Bostram* liceat inde statuere, haud tamen deductam in id oppidum *Coloniam*. Traiani autem Arabicas expeditiones luculenter arguunt eius nummi, in quibus ARABIA AUGUSTI PROVINCIA, quod iam alia occasione vidimus, vel CAPTA vel ADQUISITA traditur. Inde etiam initium Æræ horum *Bostranorum*, sicut & *Petræ*, ab anno Traiani VIII, sed quod est alterius loci, arcessunt Græca apud Scaligerum Collectanea. Hæc vero *Colonia Bostra*, ut Damascus apud Photium, quod monuit iam Tristanus, muris a Seuero munita primum dicitur. Eadem quoque *Bostra* Arabiæ Petrææ Metropolis exstitit; unde etiam in nummo Iuliæ Domnæ BOSTRA METR. *Bostra Metropolis* inscripta cernitur. Male vero eam, quod pridem hic monui, confundunt viri præclari, e secus acceptis Zonaræ ac Iuliani locis, cum altera *Bostra*, Philippi Imperatoris patria, ac eius nomine *Philippopolis* dicta. Exstat vero inter Philippi huius nummos Thesauri Mauroceniani unus, qui inscribitur COL. METROPOLIS BOSTRA, & in corona ΣΕΒ. seu Σεβάσμια, quem de eadem Philippi Imperatoris patria, quæque postea *Philippopolis* fuerit ab eodem dicta, statuit interpretandum Scaliger. Quæ autem diuersa fuerit a priori *Bostra* Arabiæ Petrææ Metropoli & ad Trachones colles sitâ. Cui sententiæ, etsi a dilectissimo mihi capite publice adsertæ, & cui præiuerat eam in rem summæ in versandis antiquis nummis fidei, adtentionis, ac diligentiæ, utriusque nostrum ex sorore nepos, Fridericus Bonetus, ne accedam, obstat continuo, quòd haud alia in ea Arabia, quam hæc nobilis eius ciuitas ac Petrææ Metropolis, quæque latius subinde extensa, *Bostra* legatur exstitisse; quòd in vicino eius tractu *Trachonatis* fuerit; quod ea, nummi illius urbis sub Philippo cusi, inscriptio COL. METROPOLIS BOSTRA gemina sit iis, quæ *Bostræ* Arabiæ Petrææ tribuuntur in eius nummis, qui sub Iulia Domna, Alexandro Seuero, aliisque iam ante sunt percussi; & quòd denique nouam urbem nomine *Philippopolim* in eo tractu a Philippo conditam Victor Schotti, Zonaras, ac Cedrenus demum, tradiderint, non vero urbem Bostram in hoc nomen conuersam. Accedit, & quod occupauit iam eruditissimus Cellarius, quòd in Veteri Notitia Ecclesiæ ad Ἐπαρχίαν Ἀραβίας, *Prouinciam Arabiæ*, primo loco Βόστρα Μητρόπολις quarto Φιλιππούπολις collocentur: ut reuera post Philippum geminam in eo Arabiæ tractu urbem, alteram nomine *Bostram* alteram *Philippopolim*, remansisse liqueat. Mitto deductam sub Gordiano, ac in eius & sequentium dein Imperatorum vel

Vaillant. Numism. Mauroc. p. 103.

Dissert. IV. p. 184.

Pag. 209.

Tristan. Tom. II. p. 426.

Scalig. ad Eusseb. & Tristan.

Numism. Mauroc. p. 106.

Animad. Eusseb. p. 235.

Geogr. Vet. lib. IV. c. 14.

Notit. Eccl. Vet. cum Caroli a St. Paulo Geog. excusa p. 63.

Au-

Auguſtarum nummis conſignatam, in Mœſia VIMINIACUM COLONIAM, de qua multa iam opportune Triſtanus, & in qua urbe, ut hoc addam, Athanaſius, Treuiris ab exilio reuocatus, Conſtantium, ut ipſemet id narrat, compellauit: quæque urbs Myſorum in Illyrico a Priſco Rhetore dicitur. To. II. p. 557. In Hiſt. Gothica.

7. *De* Daphne Conſtantiniana.

Sicut autem defecit paulatim, cum aliis inſtitutis, priſcus ille mos deducendarum Coloniarum, ut eruditis notum; inde etiam nulla eius exempla ſuppeditant nummi Byzantinorum Cæſarum, aut eorum, qui proxime illos præceſſerant. Occurrit quidem inter nummos Magni Conſtantini, quos iam deſcripſerunt celebres Antiquarii, CONSTANTINIANA DAFNE, nobile illud Antiochiæ ſuburbium, iuxta Pancirollum in Variis ac Ortelium, & a quo urbs ipſa, non Syriæ ſolum ſed Romanarum in Oriente Urbium princeps, *Epidaphne* olim dicta. Immo unde liceret colligere, a Conſtantino forte exſtructum in eodem ſuburbio illud Cæſarum *Dafnenſe Palatium*, cuius meminit cum Itinerarium Burdigalenſe, ſub eodem Cæſare ſcriptum, tum Conſtitutio quædam Valentiniani Senioris in Codice Theodoſiano, occaſione *Dafnenſis Aquæductus*, qui eidem Palatio inſeruiebat. Sed opportunius videtur, cum viro doctiſſimo ad Ammianum Marcellinum, eundem numinum referre ad *Dafnen*, Caſtrum in Mœſia ad ripam Danubii a Conſtantino exſtructum, ut liquet ex Procopio, & a quo Baliſtarii *Dafnenſes*, ac e militum etiam numero, *Conſtantini Dafnenſes* dicti, iuxta Notitiam Imperii. Quæ cum a me ante tot annos, ac totidem verbis, de eodem hoc nummo & ſignata in eo CONSTANTINIANA DAFNE, publice monita exſtarent: mirum forte videri cuipiam poſſet, tredecim poſt annis a viro celebri ac erudito ſequentia de eodem nummo adnotari: "Nobis nihilominus multo ſimilius videtur, eſſe Conſtantinianam „ Daphnen, caſtrum (non Antiochiæ, de quo ante, nummum illum „ explicauerat, ſuburbanum) a Conſtantino M. ad Danubii ripam ex„ ſtructum in Mœſia, cuius Procopius meminit, lib. IV. de Ædificiis „ cap. VII. p. 83. Adductisque ibi ipſis Procopii eam in rem verbis, continuo addit: "In Notitia Imperii Sect. VII. *ſub diſpoſitione viri illuſtris*, „ cui & Mœſia ſecunda ſuberat, *Conſtantini Daphnenſes*, *Baliſtarii Daphnenſes*. Quo nomine tantum abeſt, ut viro eruditione ac ingenio præſtanti ſuccenſere debeam, ut potius mihi gratuler, quod, quum notationis illius meæ de hac *Conſtantiniana Daphne* in nummo Conſtantini pridem a me, & ex iisdem auctoribus, in lucem editæ parens naturalis eſſe non poſſet, adoptare eam tamen, & inde commendabiliorem reddere, voluerit. Malum vero factum, quod, ſublatis in poſtrema recenſione illius Operis, quæ ibi antea eam in rem monuerat, in alio dein eius Tractatu hæc notat: "Δάφνη Græce laurus: itaque *Conſtantiniana Dafne* „ victoria eſt Conſtantini Max. Cui tamen, etſi alienæ adeo, & quæ viro erudito ac ſagaci imponere nullatenus debuit, interpretationi præiuerat iam ante, ut video, Patinus, qui ad hunc ipſum Conſtantini, quem in lucem protulit, nummum Oedipo eum indigere primum notat; dein addit: "Sed quid indicant hæc verba CONSTANTINIANA DAFNE; an hæc „ pro *laurea*, quæ ſe totam eſſe Conſtantini aſſerat? Mirum equidem, qui adduci potuerint duo viri in verſandis atque in explanandis antiquis nummis exercitati, ut, quum mere Latinæ ſint nummorum Conſtantinia-

Goltzius, Occo, &c. In Parergo. L. II. de Aquæduct. H. Valeſ. ad Ammian. lib. XXVII. c. 5. De Ædif. lib. IV. Harduin. Numism. Sæcul. Conſtant. p. 481. Patin. Num. Imper. p. 372.

ni æui inscriptiones, e duabus tamen in hoc nummo vocibus, priorem Latinam alteram Græcam, etsi Latinis literis scriptas, statuant; & ideo quod δάφνη Græcis sit *laurus*, per *Daphnen Victoriam* ibi designari. Quasi cæteroquin non obuii passim forent huius Constantini Magni nummi, in quibus VICTORIA eius, citra allegoricæ eam in rem ac peregrinæ vocis usum, clare Romana voce celebratur. Cuiusmodi proinde Victoriam, ad castrum illud, ad alteram nempe Danubii in Mœsia ripam situm, ac CONSTANTINIANAM DAFNEN dictam, a Constantino Magno reportatam respicit omnino hic eius nummus, in quo sedet Victoria lauream dextra tenens, pede Captiuum calcans, ac ante quam erectum Tropæum cernitur. Varias autem de Barbaris gentibus, quæ ad Istrum erant sitæ, Mœsis, Gothis, aliisque, Victorias a Constantino relatas, memorant, qui de rebus eius gestis egerunt, Auctores: ac inter eos Auctor Excerptorum de hoc Principe Ammiano Marcellino a doctissimo Valesio additus: *Item cum Constantinus Thessalonicæ esset, Gothi per neglectos limites eruperunt, & vastata Thracia & Mœsia, prædas agere cœperunt. Tunc Constantini terrore & impetu repressi, captiuos illi, impetrata pace, dederunt.* Hinc in nummis illius Principis occurrunt crebræ illæ inscriptiones, vel in genere VICTORIÆ, ut paullo ante dixi; vel VICTORIÆ GOTTHICIÆ; vel UBIQUE VICTOR; vel VICTORIÆ LÆTÆ; vel DEBELLATOR GENT. BARBAR. Mansit cæteroquin ea ætate, quod eadem *Constantinianæ*, de illo ad Danubium castro, *Dafnes* appellatio arguit, vel aucta est potius, illa mutua cum Urbium, in adoptandis nominibus Imperatoriis, tum Imperatorum in iisdem imponendis ambitio. Prius docet inter alia constitutio Arcadii in Codice Theodosiano; ubi, ob similes nominum designationes, dicuntur *Eudoxiopolitanæ ciuitatis ciues offerre patriam suam* Imperatori, sicut eandem legem corrigit diligentissimus Interpres: posterius vero euincit, id quod de Justiniano notat Procopius, eum omnia immutasse, quo omnes urbes *Justinianeæ* dicerentur: quem etiam alibi, vel eo nomine, ornauerat *Orbis Conditoris* seu *Reparatoris* elogio: Ὁ τῆς οἰκουμένης οἰκιστής.

Du Cange Fam. Byz. Tab. III. & V.

Pag. 660.

L. XIII. de Oper. Publ.

Hist. Arcan. c. XI.

De Ædif. lib. IV. c. I.

IV.

De URBIUM *Romani Orbis in Cæsarianis nummis* KOINΩNIA & OMONOIA, *seu Communione & Concordia.*

QUis autem ex Scriptoribus Historiæ Augustæ CONCORDIAM illam & COMMUNIONEM memorat, quam variæ ac nobiliores quidem urbes Romani Orbis inter se solemnibus pactis sanciebant nonnunquam, aut identidem renouabant? Dissidia quidem inter vicinas urbes, & municipalis æmulationis exempla apud eosdem Historicos nonnunquam legas; sicut [a] Lugdunensium cum Viennensibus, [b] Puteolanorum cum Capuanis, apud Tacitum; [c] Nicomediensium cum Nicæensibus, [d] Laodicensium cum Antiochensibus, [e] Tyriorum cum Berytiis, apud Herodianum. Accedunt nota aliunde, & e duobus potissimum claris sub Traiano ac M. Antonino Ora-

a Hist. l. I. c. 65.
b Ibid. l. III. c. 57.
c Lib. III. c. 2.
d Ibid. c. 6.
e Ibid. c. 3.

Oratoribus, Dione Pruſæenſi ac Ariſtide, [a] Apamenſum in Bithynia cum Pruſæenſibus, Epheſiorum cum Smyrnæis, aut Pergamenis; [b] Sidoniorum cum Tyriis; [c] Syrorum Apamenſium cum Antiochenſibus contentiones; puta de Jure Metropoleos; Primatu Gentis; Templorum, Sacrorum, aut Ludorum Communium prærogatiuis. Mitto hic ΚΟΙΝΩΝΙΑΝ id genus Urbium, quam præferunt aliquot earum nummi, ut de iis ſileam, quos frequenter exhibet Goltzius; qua voce autem nil niſi urbis ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ, ut ſæpe in aliis nummis, ſeu *Commune* vel *Uniuerſitas*, deſignatur. Qualem utique nummum in præclaris cimeliis Cardinalis Camilli Maximi olim vidimus, inſcriptum illinc ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, *Sacer Senatus*, hinc ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ ΚΟΙΝΩΝΙΑ, *Clazomeniorum Commune*. Ut proinde ab his diuerſæ cenſeri debeant illæ dictæ a Græcis ἑταιρικαὶ, vel alterius generis Κοινωνίαι, quarum ſubinde occurrit apud Atticos Auctores mentio, & de quibus conſuli poſſunt viri ſummi ad Jus Atticum, de *collegiis* nempe ſeu *ſodalitatibus*, quæ haud unius generis erant Athenis receptæ. Quomodo apud Iſæum legas, ut unum illud hic tangam, Aſtyphilum ad ſodales Herculis adductum: Ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας, *ut ſodalitii illius particeps fieret*. In iis enim, quos modo indicaui, nummis ΚΟΙΝΩΝΙΑΣ voce ipſa *Reipublicæ* ſeu totius urbis *Commune* traditur; ſicut de tota Gente ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ in aliis, ac obuiis paſſim, nummis dici conſueuit, ut ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ, ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ, ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ, ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ, ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ, ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, &c. Ut hic addam illud Ariſtotelis: Πόλις δὲ, ἡ γενῶν καὶ κωμῶν ΚΟΙΝΩΝΙΑ ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους, *ciuitas autem eſt familiarum & vicorum* SOCIETAS *ad vitam perfectam, & bonis ſufficientibus inſtructam.*

[a] Dio Chryſ. Orat. xli
[b] Idem Orat. xxxiv. & Ariſt. Orat. de Conc.
[c] Strabo lib. xvi. p. 756.
[d] Dio Chryſ. Orat. xxxiv.

P. Petitus, & Salmaſ. Obſerua. ad Jus Attic. p. 87; 154.

Orat. viii. p. 514. edit. Hanou.

Politic. lib. iii. c. 6.

Ubi vero OMONOIAN, ſeu CONCORDIAM, duarum triumue inter ſe ciuitatum, quales paullo ante adtigi, videas; ubi, depoſitis odiis & ſimultatibus, iunctas fœderis dextras; ubi communionem ſacrorum inter diſiunctas etiam multis terrarum ſpatiis ciuitates; ubi illud cognationis & fraternæ caritatis, qua nonnullæ erant inter ſe colligatæ, vinculum, niſi in iisdem præclaris ac reſiduis Nummorum monumentis, legas? Quam utique *Societatem* vel *Concordiam* id genus Urbium, ſolemnibus pactis firmatam, oſtentant tot earum nummi ſub Cæſarum imperio duobus tribusue prioribus eorum ſæculis percuſſi, in quibus duarum inter ſe urbium Societas, ut, exempli cauſſa, ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Pergamenorum Et Epheſiorum Concordia*, conſignatur. Ne vero plura id genus, & e ſelectis quidem nec vulgatis ferme adhuc nummis, adducta hic a me olim exempla, quæue haud exiguo dein numero, hic quandoque inſerenda, adnotare poſtea mihi licuit, huc denuo congeram, facit, partim, quod haud ita pridem id a celebri Antiquario ſit operoſe ac diligenter præſtitum; partim, quod hæc ipſemet in priori, ac edita iam, huius Operis parte adtigerim ac illuſtrarim. Pacta nempe illa, ut hoc addam, ſancitæ *Concordiæ* inter eiusdem gentis, ſeu *Communitatis Aſiæ*, uti in Reſcripto Antonini Pii, ac in nummis Neruæ ac Traiani, dicitur, ciuitates, *Epheſios* puta, *Smyrnæos*, *Pergamenos*, inita, vel renouata ſunt in ſolemnibus Gentis conuentibus. Quod iam antiquitus ab iisdem Ionibus uſurpatum docet, ut iam alibi diximus, Dionyſius Halicarnaſſenſis, agens de annuo illorum conuentu ad Templum Dianæ Epheſinæ: factum nempe, ut peractis communi-

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 221. & ſeq. Diſſ. iii. p. 143.

munibus gentis Sacris, Festis, Spectaculis, dein, quod addit, & quæ eius verba ibi a nobis præterita, uti olim factum a nobis fuerat, sed plenius adhuc, merentur hic adscribi: Εἴ τι πρόσκημα πρὸς πόλιν ἐγεγόνει, διαφαὶ καθεζόμενοι δήτων, καὶ περὶ τοῦ πρὸς βαρβάρους πολέμου καὶ περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ΟΜΟΦΡΟΣΥΝΗΣ κοινὰς ἐπιοῦντο βουλὰς, *si qua offensa erga aliquam ciuitatem exstitisset, iudices sedentes de ea cognoscebant, & de bello contra Barbaros gerendo, ac de mutua inter se* CONCORDIA *consultabant.* Lib. IV. p. 229. Edit. 1586.

Quem autem receptum antiquitus ab illis Græcis in Asia urbibus morem, ubi eædem in Romanorum ditionem transierant, ac sub Cæsarum imperio adhuc esse retentum, docent tot earundem, maxime Proconsularis Asiæ, quod ibi quoque indicauimus, urbium nummi, in quibus duarum, aut trium etiam, ut vidimus, ex iis urbium ΟΜΟΝΟΙΑ, seu CONCORDIA, designatur. Quo loco obiter dicendum est, hanc duarum inter se ciuitatum *Concordiam* subinde in iisdem Cæsarum nummis designari, citra additam quandoque in iis ΟΜΟΝΟΙΑΣ vocem, facta duarum solum urbium, quæ inter se recenter conuenerant, ac proinde iunctis ibi subinde dextris, mentione. Sic ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Milesiorum Smyrnæorum*, vel ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. *Smyrnæorum Laodicensium* in præclaris Antonini Pii & M. Antonini nummis Regiæ Gallorum Gazæ, cum tutelaribus eorum locorum numinibus; ut e sequentibus eorum, & insignium quidem, nummorum iconibus liquidius constabit. Ut supra p. 145.

Quomodo, ut de aliis nunc fileam, nummum, cum eiusdem Gazæ Regiæ tum ab eximio Sponio iam vulgatum, cum inscriptione ΚΩΙΩΝ ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ, de utriusque urbis, *Coiorum* nempe & *Mileti*, Concordia explicandum vidit illustris Cuperus, ac indicauit quoque celebris Antiquarius loco iam indicato. Haud vero sitam in eo tum fuisse illam Urbium id genus inter se ΟΜΟΝΟΙΑΝ, sat, ut opinor, liquet, ut nempe de belli societate, sicut olim, contra Barbaros ineundâ consilia inirent; certum eam in rem pecuniarum numerum conferrent, vel militum delectum instituerent; eosdem amicos ac inimicos haberent, ut in Smyrnæorum & Magnetum Fœdere, tempore Seleuci Callinici, cautum liquet. Quum enim in fide ac ditione imperii Romani agerent tum eædem urbes; id demum, & quod vel e dictis paullo ante duobus Oratoribus, Dione oris aurei & Aristide, sat liquet, sancitam inter urbes id genus, & publico, ad certam eius rei memoriam, ære consignatam ΟΜΟΝΟΙΑΝ innuere discimus, ne de Metropoleos titulo vel iure, aut communium utriusque Gentis Tem-

Vaill. Num. Impp. Græc. p. 229.

plo-

plorum, Sacrorum, Ludorumue primatu eædem, uti factum subinde ab iis constat, inter se deinceps disceptarent, sed mutua se amicitiâ ac beneuolentiâ complecterentur. Quomodo nempe ab Aristide, de Concordia Græcarum id genus in Asia urbium, dicitur: Νῦν χρὴ πάσας τὰς πόλεις ΑΔΕΛΦΑΣ ΑΛΛΗΛΑΙΣ ὑπολαμβάνειν· νῦν τάσεις μὲν, καὶ φιλονεικίας, καὶ τὸ μικρολογεῖσθαι περὶ τῶν ματαίων ἐκ ποδῶν ἀνελεῖν, νομίσαντες θηρίων εἶναι νοσήματα ταῦτα, *nunc vero debemus omnes urbes* SORORES *inter se exiſtimare; nunc ſeditiones, tumultus, contentiones, & puſillas de vanis rebus lites, totidem ferarum morbos arbitrari.* Paneg. Cyzic. To. I. p. 431.

Iſtius nempe Concordiæ pacto firmata quædam inter id genus urbes Fraternitatis ac neceſſitudinis, ut inter Sorores, vincula; unde & *Sorores* etiam dictæ quandoque fuerint, neque tam ob cognationem, ut de *Utica* & *Carthagine*, utraque quippe fuit Romana Colonia vel Municipium, Tertullianus: *In proximo* SOROR *ciuitas*, Utica nempe; quam ob mutuam ac vere germanam inter se beneuolentiam Carthaginis Sororem vocat: ut mittam alioquin ob morum, siue etiam immanium flagitiorum, similitudinem dictas haud semel, apud Ezechielem, *Sorores Samariam* & *Sodomam.* Ita Syria *Tetrapolis* dicta a quatuor urbibus, *Antiochia*, *Seleucia*, *Apamea*, & *Laodicea*, nempe iuxta Strabonem, Αἵτινες καὶ ἐλέγοντο ΑΔΕΛΦΑΙ ΔΙΑ ΤΗΝ ΟΜΟΝΟΙΑΝ, *quæ propter Concordiam* SORORES *dicebantur.* De Pallio ſub initium. Cap. XVI. ℣. 46. Lib. XVI. p. 1087. edit. ultim.

Ac ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑΝ quidem legas in aliis ciuitatum id genus nummis, *Perinthiorum* puta & *Nicæenſium*, ſub Seuero ac Geta percuſſis; ſed qui fraternam ſcilicet Antonini & Getæ, quamquam parum fidam, Concordiam innuunt, quod iam monuit Triſtanus, & firmant coniuncta inſuper, in ſimili nummo eorum Matris Juliæ Domnæ, utriusque fratris capita ſimul & nomina. Vid. Epiſt. v. ad Morel. p. 325. To. II. p. 103.

Inter eas vero urbes, quæ extra eiusdem Communitatis iura & fines agebant, etſi ſat longo quandoque terrarum vel marium interuallo diſſitas, ſancitam quoque haud infrequenter Concordiam, & publico quoque earum ære ſignatam initæ inter eas iſtius *Concordiæ* memoriam, produnt ſimiliter plures adhuc reſidui & præclari earum nummi. Ita, ut paucis hic earum exemplis, ob rationem iam ante a nobis indicatam, defungamur, reperitur *Athenarum* & *Smyrnæ*, ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ in nummo Commodi Mediceo: *Selgæ* & *Lacedæmonis*, ΣΕΛΓΕΩΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, in Traiani Decii nummo apud Sponium; *Smyrnæ* & *Nicomediæ*, ΟΜΟ. ΣΜΥΡ. ΝΕΙΚΟΜ. *Concordia Smyrnæorum & Nicomedienſium* in ſingulari M. Antonini nummo Regiæ Gallorum Gazæ. De quo autem poſtremo nummo illud unum obiter hic addam, quod a Plutarcho alicubi traditur, quòd, viatico indigentibus quandoque Smyrnæis, cibos miſerint Lacedæmonii, quum Athenienſium cæteroquin colonos exſtitiſſe Smyrnæos, dictasque inde haud ſemel Athenas Smyrnæ *Metropolim*, aliunde conſtat, ut id alibi quoque vidimus, ac præterea adfirmatur ab Aristide, qui, de Smyrna & Epheſo loquens, dicit: Καὶ αἱ μὲν δύο τῶν πόλεων, μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς ΑΠΟΙΚΟΙ τῆς ΑΘηναίων πόλεως, *& hæ quidem urbes unius & eiusdem urbis Athenarum ſunt* COLONIÆ. Vaill. Num. Impp. Græc. p. 222. Ibid. p. 236. Ibid. p. 238. Orat. de Concord. To. II. p. 309.

I. *De urbibus quamuis diſſitis, Concordia tamen iunctis.*

Addendum porro hic foret, & quidem ad maius adhuc duarum inter se diſſitarum, & *Concordiæ* tamen fœdere iunctarum, urbium exemplum, *Epheſi* nempe & *Alexandriæ* in præclaro nummo Gordiani Pii Mediceo, ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΦΕΣΙΩΝ Κ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, ni de eo iam alibi actum a nobis

Vsserv. ad Callim. p. 741, 745. Ad Catull. p. 206.

bis foret, ac ostensum male omnino a viro doctissimo Is. Vossio *Alexandrinos* in simili, cuius meminit, nummo, non de Ægyptiis sed de Alexandriæ Troados in ipsa Asia incolis, explicari.

2. *De caussis Concordiæ inter istas Urbes sanctæ.*

Huius autem sanctæ inter urbes haud unius gentis vel Communitatis, & longius etiam quandoque a se inuicem remotas, *Concordiæ* haud una fuit subinde ratio. Cuiusmodi nempe, quæ vel *Sacrorum* inter eas communionem inferret, ut clare arguunt Præsides eorum locorum Dii iisdem nummis insculpti, aut Commune ius *Hospitii*, quo non priuati solum (sicut Regi Numidarum Jubæ paternum erat, iuxta Cæsarem, cum Pompeio hospitium) sed plures olim urbes inter se erant iunctæ, ut præ reliquis, iuxta Herodotum, Miletus & Sybaris, illa Ioniæ in Asia, hæc Magnæ Græciæ in Italia ciuitas: Πόλιες γὰρ αὗται μάλιστα δὴ τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ἀλλήλῃσι ΕΞΕΙΝΩΘΗΣΑΝ, *istæ enim urbes præcipue ex omnibus, quas nouimus, ciuitatibus inuicem* HOSPITII IURE IUNGEBANTUR; ac sicut de Thracià, ab Ænea dicitur apud Maronem:

Lib. vi. p. 387.

Æneid. lib. iii. v. 15.

Hospitium antiquum Troiæ, sociique Penates,
Dum fortuna fuit.

Ac apud Pausaniam Messenii a Lacedæmoniis expugnati, ad sua quoque, quæ nempe vel Argis, vel Sicyone, vel in Arcadia, habuerunt, hospitia sunt dilapsi. Quomodo post de Æduis, quòd *& sua virtute & populi* R. HOSPITIO *atque amicitia plurimum in Gallia potuere*, a J. Cæsare dicitur. Accedebat *ius Ciuitatis*, seu πολιτείας, utrique urbi quandoque commune, ut inter Rhodios ac Athenienses, auctore Liuio: *Ciuitasque Rhodiis data, quemadmodum Rhodii prius Athenienſibus dederant*; quod prius factum, ἰσοπολίτειαν nempe Rhodiis ab Athenienſibus datam, docet Polybius. Plura vero, de communi illo inter varias olim Græcas in Europa vel Asia urbes ciuitatis, seu ἰσοπολιτείας vel συμπολιτείας, iure, alibi haud ita pridem adtigimus, quæ vel inde, si tanti videbitur, petat lector. Id unum superaddere hic liceat, συμπολιτεύειν dictum quandoque apud Græcos de iis quoque urbibus, quæ ad alterius potentioris arbitrium viuere, ab eaque leges accipere tenebatur. Ita de Olynthiis, Thracum tum potentissimis, Phliasiorum legati in concione Spartæ aiunt: Οὗτοι τῶν πόλεων προσηγάγοντο τινὰς ἐφ' ᾧτε τοῖς αὐτοῖς χρῆσθαι νόμοις, καὶ συμπολιτεύειν, *ipsi oppida sibi quædam adiunxerunt ea conditione, ut iisdem legibus eodemque ciuitatis iure secum viuerent.* Referri vero huc insuper potest, *ius Commercii* inter id genus urbes, ΟΜΟΝΟΙΑΝ inter se sancientes, constitutum, quale Latinis olim inter se, ac Macedonibus, in quatuor tum regiones diuisis, extra regionis suæ fines, a Romanis vetitum, docet haud uno loco Liuius; & quomodo *peregrinis* subinde *commercium datum* esse in Ulpiani Fragmentis legitur. Adde postremo mutua *Connubia*, quæ apud Græcos tantum inter unius urbis ciues, nisi aliter peculiari iure vel priuilegio esset constitutum, erant vulgo recepta. Unde ab Aristotele tradi videas, quòd, si quis Megarensium & Corinthiorum, vicinarum urbium, mœnia coniungeret, non idcirco una ex iis urbs facta censeri deberet, neque si illæ mutua inter se connubia inirent: Εἴ τις καὶ συνάγοι τόπους εἰς ἕν, ὥστε ἅπτεσθαι τὴν Μεγαρέων πόλιν καὶ Κορινθίων τοῖς τείχεσι· ὅμως οὐ μία πόλις, οὐδ' εἰ πρὸς ἀλλήλους ἐπιγαμίας ποιήσαιντο.

Lib. i. de Bell. Gall. c. 31.

Lib. xxxi. c. 15.

Exc. Leg. iii. p. 1094.

In Orbe Rom. c. iv.

Histor. Græc. lib. v. p. 554.

Lib. viii. c. 14. l. ix. c. 43. l. xliii. c. 3. l. xlv. c. 29. &c. Tit. xix. Sect. 2.

Polit. lib. iii. c. 6.

Hinc

Hinc ἐπιγαμίαι, seu *ius connubiorum*, decreto Athenienſium Thebanis datum; ſicut Athenienſibus & Byzantiis ac Perinthiis, uti id haud uno loco præſtantiſſimæ Orationis docet Demoſthenes. Quomodo etiam in Fœdere *Hierapytnenſium & Prianſiorum* ἐπιγαμίας inter alia, *ſeu mutua connubia*, ſanciti legimus. Ut mittam antiquius eius rei exemplum, cuius meminit Xenophon, Cyri nempe, primi Perſarum Regis, temporibus iis conditionibus inter Chaldæos vicinosque Armenios fœdus ſancitum, ut liceret ἐπιγαμίας ἀλλήλοις ποιεῖσθαι, *mutua inter eos inire connubia*. Apud Judæos vero e ſacris literis notum connubia iis, non ſolum cum externis & vicinis gentibus, ſed etiam inter ſe cum diuerſa Tribu fuiſſe vetita. Ut vero Connubia finitimis externisque modo a Romanis conceſſa, modo adempta fuiſſe, e pluribus, quæ alibi iam adtigimus, Liuii locis conſtat, ita Tacitus de Cremona; *Annexu connubiisque adiacentium adoleuit floruitque*; ſic enim legendum crederem eo loco, non ut hactenus, *annexu connubiisque gentium*, quod poſtremum nimis vagum ibi ac longe petitum videtur. Hanc autem meam de hoc Taciti loco coniecturam, Addendis Taciti Gronouianæ editioni præmiſſis inſeri, ut certam ac probatam, aduertere mihi poſtea licuit.

De Coronâ p. 325, 340. Thucyd. lib. VI. p. 415. Cyropæd. lib. III. p. 74. In Orbe Romi p. 519. Hiſtor. lib. III. c. 34.

V.

Adventus, Profectiones, & Restitutoris *Tituli in nummis.*

I. Profectiones *Imperatorum in nummis.*

SIngularem vero, & quidem aliquot maxime Imperatorum, ſollicitudinem ac prouidentiam, qua factum, ut in alias Romani imperii Ciuitates vel Prouincias, easque etiam longe ab urbe Roma diſſitas, itinera frequenter, neque uno intuitu, iidem ſuſciperent, & de quibus interdum aliunde vix conſtat, docent etiamnum plures eorum nummi. Quo referendos utique videas eos, in quibus illorum vel ab urbe Profectio; vel in quasdam Ciuitates aut Prouincias Adventus, vel inde Restitutoris earum in iis beneficia commemorantur.

Profectiones equidem eorum ab urbe Roma publico illorum ære, argento, auroue conſignatas nemo utique mirabitur, qui ad animum reuocabit, liberis adhuc Reipublicæ temporibus, eas, ubi a Conſule fierent, haud unius generis ſolemnia, ſingularemque ciuium adtentionem fuiſſe meritas. Præclarus eſt omnino ac ſingularis eam in rem apud Liuium locus: *Per hos forte dies P. Licinius Conſul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus* ab Urbe Profectus est. *Semper quidem ea res* cum Magna Dignitate ac Maiestate *geritur*, *&c.* Quod eo magis ſtatuendum eſt de Romano Imperatore, qui relicta urbe tum imperii ſede, & terrarum, cui ipſe ſolus tum præerat, dominâ, ad exteras, easque ſubiectas gentes perluſtrandas ac refocillandas; aut forte ad grauem Orbi Romano hoſtem debellandum, tutandosque imperii fines, ab urbe proficiſcebatur. Quamquam haud aliis ferme ſymbolis vel ſplendidiore comitatu & pompa

Lib. XLII. c. 49.

easdem Imperatorum *Profectiones* designari in eorum nummis cernimus, quam ipsius Imperatoris equitantis conspectu, milite vel Victoria præeunte, duobus autem tribusue retro subsequentibus militibus. Quo proinde referre licet, quod de primo Traiani, post adeptum imperium, in urbem Romam aduentu a Plinio Juniore dicitur: *Nullus in exigendis vehiculis tumultus*; mox: *Ad hoc comitatus accinctus & parens; diceres magnum aliquem Ducem, & te potissimum, ad exercitus ire. Profectiones* vero hasce id genus ab urbe, ad penum antiquariam quod adtinet, exhibent varii Imperatorum nummi; & primum ea in singulari, & ignoto ferme apud Antiquarios, NERONIS nummo legitur, in quo Imperator, pro more, equitans, ante autem & retro Miles, cum inscriptione PROFECTIO AUG. Verum potiori iure expressa illa legitur in duobus eximiis TRAIANI nummis, uno aureo, eoque rarissimo, altero æreo Regiæ Gallorum Gazæ, ac in priori cum integra epigraphe PROFECTIO AUGUSTI, utroque autem cum iisdem symbolis equitantis Imperatoris præeunte milite, & tribus aliis eum sequentibus.

In Panegyrico.

Hard. Select. Oper. p. 752.

Mirum autem, quòd, quum nullus ex Imperatoribus plures HADRIANO susceperit id genus ab Urbe *Profectiones*; quod ex aliis, de quibus mox, eius nummis, ac Spartiano insuper, constat, a quo profectus in Gallias, post in Germaniam, Britanniam, &c. dein Romam reuersus in Africam transisse, ac post Africam Romam reuersus, statim in Orientem profectus dicitur: haud ullus tamen occurrat hactenus eius nummus, cum PROFECTIONIS eius ab Urbe mentione. In M. Aurelii vero ac L. Veri nummis Regiæ Gallorum Gazæ æreis eandem legi, & quidem in postremo cum solo Imperatoris equitantis, citra alium militum comitatum, typo, non mirabitur, qui crebras horum Diuorum Fratrum aduersus Germanos, Marcomannos, Sarmatas, Parthos, in Oriente, *bellicas Profectiones*, ut de Marco alicubi Capitolinus, haud nescit. Seuerum autem in Galliam contra Piscennium Nigrum, dein ad Bellum Parthicum, ac in Britanniam postea profectum, ex nummis eius iuxta & Auctoribus, constat; hinc haud una etiam in eius nummis PROFECTIO AUG., & in uno quidem ex iis PROFECT. AUG. FEL. *Profectio Augusti Felix* legitur, cum sola itidem Imperatoris equitantis in eo icone. Exstat vero, quod præteriri hic non debet, inter nummos Regiæ Gallorum Gazæ, Caracallæ non equitantis, sed peditis paludata effigies, cum subsequente milite cum signo militari, & inscriptione PROFECTIO AUG. Quod quandoque etiam in eorum in urbem Romam aduentu factum, paullo post dicetur.

Cap. XIII.

Vid. Cap. XVII, & XXII.

Hard. Oper. Select. p. 800.

II. *De* ADVENTU *Imperatorum in eorum nummis.*

ADVENTUS vero in nummis Cæsarianis duplex est equidem ratio. Prima nempe, quibus solis ADVENTUS eorum, siue in urbem Romam ingressus innuitur; altera, ubi eorundem in ciuitatem vel Prouinciam imperii Romani, & quidem addito eius nomine, AFRICÆ puta, vel ACHAIÆ, &c. introitus designatur.

Quod

Quod vero ad priores, ſeu in Urbem Romam ADVENTUS AUG. vel AUGUSTI adtinet, ut in nummis Hadriani, & e maximorum quidem genere, cum inſcriptione [a] ADVENTUS AUG. ROMÆ, infra TIBERIS, idem ferme eſt, qui eorundem ab urbe PROFECTIONIS, typus; Imperatoris nempe equitantis, præeunte uno ac ſubſequentibus duobus tribusue interdum militibus. Id nempe iuxta conſuetum Imperatorum morem factum eſt, ut e profectione in Italiam vel Prouincias reduces, aut in primo etiam eorum poſt ſuſceptum imperium in urbem Romam Aduentu, non cum rheda vel vehiculo, ſed equo vecti, interdum etiam pedibus, eam ingrederentur. Prius illud abundè euincunt, ſi aliunde non conſtaret, id genus equeſtris in urbem ingreſſûs toties conſignata in nummis aliisque monumentis memoria. Hinc de Aureliano Vopiſcus: *Nam ingrediente eo Antiochiam in vehiculo, quod præ vulnere tunc equo ſedere non poſſet, &c.* dein: *Et quum in equum transire vellet, quia inuidioſum tunc erat vehiculo in ciuitate uti,* EQUUS *eſt ei* IMPERATORIS *applicitus, cui per feſtinationem inſedit.* Alterum vero, ut nempe usque ad portas urbis equo vecti, pedibus tum eam introirent, ſicut eos pedibus interdum ab Urbe Roma profectos, modo de Caracalla eius filio diximus, illuſtre in Seuero, cuiusque rei ſpectator ipſe fuerit, exemplum narrat Dio: Πράξας δὲ ὁ Σεβῆρος ταῦτα, ἐς τὴν Ῥώμην ἐσῄει, καὶ μέχρι μὲν τῶν πυλῶν ΕΠΙ ΤΟΥ ΙΠΠΟΥ καὶ ἐσθῆτι ἱππικῇ ἐλθών, ἐντεῦθεν δὲ τὴν πολιτικὴν ἀλλαξάμενος ΚΑΙ ΒΑΔΙΣΑΣ, *His rebus confectus Seuerus Romam venit,* EQUO *quidem* INSIDENS *usque ad urbis portas, veſte equeſtri amictus: inde urbana indutus* (ſeu *togatus*) PEDIBUS INTROIIT. Cuius equidem poſtremi facti ea ratio fuiſſe videtur, quod, ut de primo Seueri in urbem Romam aduentu tradit Herodianus, Senatus uniuerſus, ipſique proinde Conſules, ad portas urbis cum conſalutarent.

Singularis eſt omnino, neque cuius mentio hoc loco eſt prætermittenda, nummus Traiani in Regia Gallorum Gaza, ac inſuper cum typo in illius Imperatoris nummis non frequenter obuio, in quo nempe hinc ſoliti eius tituli ac inter eos GER. DAC. *Germanici Dacici* cognomenta leguntur, cum laureata eius effigie, illinc Imperator cernitur equitans & haſta armatus, ante eum Mulier, quæ dextrâ lauri ramuſculum & Cornucopiæ, quâ *Felicitas* nempe deſignatur, tenet, ut vidit iam celebris Antiquarius; ſicut liquet ex altero Traiani nummo inſcripto FELICITAS AUGUSTI S. C. cum eodem prorſus typo. Equitantem autem Traianum ſubſequuntur tres milites; circum legitur ADVENTUS AUG. S. P. Q. R. OPT. PRINCIPI, quæ ſequens inſignis nummi icon melius ſpectanda dabit.

1. *De Aduentu Imperatorum in Urbem Romam.*

[a] Vaill. Num. Imp. P. I. p. 192.

Cap. v.

Ibid.

Lib. LXXIV. p. 839.

Lib. II. c. 14.

Quo loco haud prætereunda hic veniunt, quæ de primo huius Traiani, post adeptum Neruæ adoptione & mox obitu imperium, in urbem Aduentu, & quorum quædam iam ante adtigimus, memorat Plinius Secundus: *Nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod* ADVENTUM TUUM *non pater quisquam, non maritus expauit*; ac paullo post: *Ac primum qui dies ille, quo exspectatus desideratusque urbem tuam* INGRESSUS ES? *Jam hoc ipsum, quod* INGRESSUS ES, *quam mirum lætumque? Nam priores inuehi & importari solebant, non dico quadriiugo curru & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat.* Ut non mirum videri debeat, sequentem hunc Traiani in Urbem *Aduentum* præeunte *Felicitate*, in adducto præclaro eius nummo, adumbrari: cuius etiam ab urbe Profectiones, uti duæ ad bellum Dacicum, ut ultimam contra Parthos, in qua expeditione obiit, mittam, felices omnino fortunatæque fuerant.

In Panegyr.

Ibid.

Quomodo etiam exstat Seueri nummus in Thesauris Gallorum Regiis ac Mediceis, in quo Imperator itidem equitans, præeunte ac subsequente milite, cum epigraphe, ADVENTUI AUG. FELICISSIMO; quem ad Seuerum Romam, post deuictum & cæsum in Gallia Albinum, reducem, non vero, ut videbatur celebri Antiquario, ob debellatum iam ante in Syria Pescennium, percussum, licet cum illustri Biragio statuere. Quamquam de illo Seueri in urbem Aduentu, qui *Felicissimus*, in honorem adserti sibi soli Imperii dicitur, aliud iudicium ferat Spartianus: INGRESSUS *deinde Romam armatus* (non pacificatoris proinde, ut interdum in aliis nummis Imperatores, habitu) *cum armatis militibus:* dein, *fuitque* INGRESSUS *Seueri odiosus atque terribilis.* Qualis alioquin FELIX ADVENTUS AUGG. N N. in Diocletiani & Maximiani, vel AUG. N. in Constantini ac Valentiniani etiam nummis, & quos descripsere iam præstantes Antiquarii, expressus legitur. Quomodo de Constantini ac Filiorum, quem sibi Roma pollicebatur, Aduentu a Nazario, in fine Panegyrici Constantino dicti, dicitur: *Unum modo est, quo fieri potest* ROMA FELICIOR, *maximum quidem, sed tamen solum, ut* CONSTANTINUM *conseruatorem suum, ut beatissimos* CÆSARES *videat, ut fruendi copiam, pro desiderii modo, capiat, ut vos alacris excipiat.*

Vaill. Num. Imp. P. II. p. 225.

Cap. VII.

Ibid.

Solemnes equidem fuisse, omnique festiuitatis genere celebratos vel primos, vel postea insignes de debellatis hostibus victorias sequentes Imperatorum in urbem Romam ADVENTUS, licet facile arbitrari, & ex Scriptoribus eorundem temporum quoque est manifestum. Quomodo, ut unum iam illud tangam, ad primum Vespasiani in urbem Romam, ubi erat iam pro Imperatore agnitus, Aduentum, plerisque Roma, quo ei occurrerent, egressis, totam urbem, velut Templum, fuisse sertis atque odoribus plenam, grauis scriptor Josephus memoriæ prodidit. Unum hic eumque singularem SEVERI ac duorum filiorum CARACALLÆ & GETÆ, illius, iuxta Patrem, tum *Augusti*, huius adhuc *Cæsaris*, in urbem Romam ingressum, eumque per tres figuras Equestres designatum, exhibet nummus Caracallæ aureus, idemque, iuxta celebrem Antiquarium, rarissimus.

De Bell. Judaic. l. VII. c. 22.

2. *De Aduentu Imperatorum*

Alterius autem Imperatorum, in Prouincias nempe ac in Ciuitates imperio Romano subiectas, ADVENTUS fidem similiter faciunt addita simul ipsa Prouinciarum vel Ciuitatum in eorum nummis nomina, ut ADVEN-

TUI

TUI AUG. AFRICÆ, vel ADVENTUI AUG. ALEXANDRIÆ, & similia. Cuiusmodi vero *Aduentus* memoriam, si paucos admodum Traiani, Seueri, aut Diocletiani forte & Maximiani nummos mittas, vix in aliis quam HADRIANI nummis, nusquam certe plures ae magis singulares, cernimus. Quales utique, & a præstantibus Antiquariis iam descripti, prostant maxime in Thesauris Gallorum Regiis, ubi illos haud semel versauimus, ac Medicæis, hinc cum HADRIANI laureato capite, illinc cum Imperatore, & alia figura, ut plurimum muliebri, sacra facientibus & cum victima interdum ante Aram, ac inscriptionibus, ut modo vidimus ADVENTUI AUG. AFRICÆ, vel ALEXANDRIÆ, adde in aliis, ARABIÆ, ASIÆ, BITHYNIÆ, BRITANNIÆ (in numismate parum obuio, quod ad cimeliarchium inclytæ Christinæ accessisse olim monui) CILICIÆ, GALLIÆ, HISPANIÆ, ITALIÆ, IUDÆÆ, MACEDONIÆ, MAURITANIÆ, MOESIÆ, PHRYGIÆ, SICILIÆ, THRACIÆ. Mitto alios Hadriani in plures Romani orbis Prouincias, puta DELMATIAM, EUBOEAM, GERMANIAM, LIBYAM, LYCIAM, PAMPHILIAM, SYRIAM Aduentus, quos tradidit Goltzius ac dein celebris [a] Antiquarius, & [b] Hárduinus, licet Occo ac Biragius de duobus posterioribus dicant, aliunde hactenus non liquere. E prioribus utique Hadriani Aduentibus, quos suppeditant etiamnum eius nummi, sat lucem fœnerantur vel Aurelii Victoris de hoc principe verba: *Immensi laboris, quippe qui* PROVINCIAS OMNES *pedibus circumierit, agmen comitantium præuertens*; vel Spartiani, a quo variæ eiusdem Hadriani in plurimas Romani Orbis Prouincias Profectiones ac Aduentus enarrantur: uti in Gallias, Germaniam, Britanniam, Hispaniam, Africam, Mauritaniam, Asiam, Achaiam, Insulas, Orientem, Ægyptum. Adde, quòd a Dione traditur, socias urbes ac subditas nullum ex Imperatoribus plures Hadriano adiisse. Saera vero, quæ diximus, in iis memorati huius Hadriani, & aliorum Imperatorum nummis, exhibéntibus in Prouinciam Aduentus, expressa haud mirabitur, qui tralatitium illud haud ignorat, ea in Aduentu aut Reditu olim Principum peragi continuo solita, ac unde Clytæmnestra apud Senecam, nuntiato ei coniugis Agamemnonis e Troia Aduentu, inquit:

in Prouincias.

[a] Num. Imp. P. 1. p. 59, & 192.
[b] Select. Oper. p. 760.

Epitom. c. XIV.

Cap. XII. & seq.

Lib. LXIX. p. 790.

Sacris colamus prosperum tandem diem.

Agamemn. v. 401.

Immo, prout, apud Æschylum, ipse Agamemnon, in ipso post decennalem ad Ilium profectionem reditu, in paternarum ædium limine ait:

Νῦν δ' ἐς μέλαθρα καὶ δόμους ἑφεστίους
Ἐλθὼν, θεοῖσι πρῶτα δεξιώσομαι,
Οἵπερ πρόσω πέμψαντες, ἤγαγον πάλιν.

Agamemn. v. 860.

Nunc vero domum & in ædes penatum Veniens, Diis primum libabo, Qui me prius ablegantes, reduxere denuo. Ut Rhodiorum exemplum nunc mittam, *qui*, iuxta Hyginum, *quotiescunque a littore longius prodeunt classes, prius sacrificant Phorbantis* ADVENTUI. Exstat vero inter descriptos a præclaris Antiquariis nummos unus Traiani S. P. Q. OPTIMO PRINCIPI ADVENTUI AUG. ARABIÆ, uti alius Seueri, & e maximorum qui-

Poët. Astron. lib. II. c. 14.

quidem genere, cum inscriptione ADVENT. AUG. GALLIÆ. Neque vero hic omittendus Græcus eiusdem Seueri nummus Mediceus, cum similis eius apud PERINTHIOS, & secundi quidem, Aduentus memoria, a me olim inde memoratus, ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β. ΣΕΥΗΡΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Aduentus II. Seueri Perinthiorum Neocororum.*

III. *De* RESTITUTORIS *Urbis* ROMÆ, PROVINCIARUM, ORBIS *&c. elogio in nummis Imperatorum.*

Verum non solum Imperatorum ab urbe PROFECTIONIS, aut eorum vel in urbem Romam vel in Prouincias Romani Orbis ADVENTUS, sed RESTITUTÆ quoque ab iis cum URBIS, seu ROMÆ, tum earundem Prouinciarum, uti ACHAIÆ, AFRICÆ, ARABIÆ aliarumue, grata fit in eadem nummorum penu commemoratio. Ac prius equidem RESTITUTORIS, cum URBIS, seu ROMÆ, elogio in selectis Seueri, Caracallæ & Valeriani nummis legitur: quod de Seuero utcunque illustrari potest e verbis Dionis Cassii in Excerptis Peireskianis: Καὶ πλεῖστά γε τῶν ἀρχαίων οἰκοδομημάτων ἀνεκτήσατο, καὶ σφίσι τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα ὡς καὶ ἐκ καινῆς αὐτὰ καὶ ἐξ ἰδίων χρημάτων κατεσκευακὼς ἐπέγραψε, *nam & plura vetera ædificia refecit atque instaurauit, iisque nomen suum inscripsit, ac si primus a fundamentis suaque pecunia ea exstruxisset:* additque multa eum superflua in sarta tecta, aut substructiones aliorum Operum, impendisse. Sic ROMÆ RESTITUTÆ laus Constantino M. tribuitur in veteri eius nummo.

Excerp. Peiresk. p. 742.

1. *De Ciuitatibus Asiæ a* Tiberio *restitutis.*

RESTITUTORIS vero aliarum Ciuitatum Romani orbis illustre exemplum suppeditat obuius TIBERII nummus, ac a Tristano iam illustratus, CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS inscriptus, ob collapsas nocturno terræ motu duodecim, iuxta [a] Senecam, [b] Tacitum, [c] Plinium, [d] Solinum, Asiæ Minoris Urbes, quas restituerit continuo Tiberius: sed quibus duodecim *una nocte*, quod de iis Plinius, *prolapsis*, duas mox accessisse euincere videtur effossum haud ita pridem Puteolis marmor, quod vulgarunt [e] viri docti, cum sculptis in eo quatuordecim Urbium simulacris ac nominibus.

a Nat. Quæst. lib. VI. c. 1.
b Annal. l. II. c. 47.
c Lib. II. c. 84.
d Cap. XI.
e Laurent. Gronou. To. VII. Antiq. Græc p. 433. Ant. Bulifon. Napoli 1694.

2. *De titulo* RESTITUTORIS *in nummis* Galbæ.

RESTITUTORIS Prouinciarum Romani Orbis, primum forte in Cæsarianis nummis, exemplum suppeditabit Galbæ nummus, a præstantissimo [a] Seguino e propriis cimeliis, quæ dein accesserunt Gallorum Regiis, vulgatus, in quo legitur REST. NUM. De eo autem hæret Seguinus, an Restituta *Numidia*, quod aliis iam visum fuerat, vel *Restituto* ut ipse coniiciebat, *Numine* sit legendum. A quo autem abit [b] Harduinus, qui de *Restituta Numantia* eadem verba explicanda contendit; & quæ sententia est dein a [c] celebri Antiquario impugnata, qui de *Restituta Numidia* omnino eadem interpretanda statuit. Quum autem utramque sententiam, de *Numidia* ac *Numantia*, e Tranquillo in Galbæ rebus, qui [d] *Africam Proconsule biennium obtinuit*, ac, ut idem Auctor de eodem mox, [e] *ob res in Africa gestas ornamenta triumphalia accepit*, dein vero [f] *per octo annos* (Hispaniam) *prouinciam rexit*, tutari liceat: *Numantiæ* vero, haud magis ac *Numidiæ*, nulla occurrat in antiquis nummis memoria; hinc an-

a Pag. 123.
b Select Oper. p. 126.
c Num. Imp. P. II. p. 77.
d Cap. VII.
e Ibid.
f Ibid. c. VIII.

anceps videri posset, quæ e duobus illis huius nummi inscriptionibus esset alteri præferenda. Ut ad *Restitutam* a Galba *Numantiam*, cum Harduino, eam referrem, suaderet diuturna illa Hispaniæ, quam is gessit, administratio, & in qua primum salutatus est Imperator; collata ab eo in illam prouinciam beneficia, unde inscriptus eius nummus HISPANIA COLONIA SULP. seu *Sulpicia* gentili Galbæ nomine appellata. Adde, quòd *Restitutam* fuisse, quæ pridem a Scipione euersa fuerat, *Numantiam* e Ptolemæo ac Antonini Itinerario liqueat; quorum postremus situm etiam eius indicet. Unum illud mirandum videtur, quod a Plinio nulla fiat in commemoratione Hispaniæ *restitutæ* illius urbis *Numantiæ*, quæ olim *decus Hispaniæ*, iuxta Florum, audiit, mentio: quum eo, quem indicat vir eruditus, loco aperte de veteri & excisa agatur *Numantia*, non quæ recens foret denuo instaurata: *Eodem Pelendones Celtiberorum quatuor populis: quorum* NUMANTINI FUERE *clari*. Ad quam etiam veterem *Numantiam* respicit alio loco idem Plinius: *Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelendonibus, & iuxta* NUMANTIAM *lapsus, &c.*

Lib. III. c. 18.

Lib. III. c. 3.

Eod. c. 19.

Missa vero *Hispania*, occurrit RESTITUTORIS ITALIÆ, ut de Hadriano, de quo mox, fileam, in TRAIANI & M. Antonini nummis, titulus, cum solita in nummis id genus Restitutarum Urbium vel Prouinciarum togati & stantis Imperatoris effigie, qui mulierem in genua procumbentem subleuat.

3. *De* RESTITUTORIS *titulo in nummis* Traiani & M. Antonini.

Quum vero nullius Imperatoris plures legantur ab urbe *Profectiones* aut in Prouincias Romani Orbis, quod paullo ante vidimus, *Aduentus*, quam HADRIANI; neque a quo plura sint collata in eas ornamenta vel beneficia; inde etiam haud mirum, si eius rei memoria in nummis eius potissimum prodita legatur, & ad posteros transmissa. Quod indicant utique inscripti adhuc eius nummi, RESTITUTORI ACHAIÆ, vel AFRICÆ, vel ARABIÆ, vel ASIÆ, vel BITHYNIÆ, vel GALLIÆ, vel HISPANIÆ, vel ITALIÆ, vel MACEDONIÆ, vel MAURITANIÆ, vel NICOMEDIÆ, vel PHRYGIÆ, vel SICILIÆ. Neque vero is BITHYNIÆ solum in genere Restitutor, sed nominatim eiusdem Metropoleos, seu RESTITUTOR NICOMEDIÆ, legitur in rarissimo nummo Abbatis Bracesii; cuius, ut alios id genus nummos mittam, solemnis, quem paullo ante adtigi, typi, stantis nempe togati Imperatoris, qui, sub Mulieris habitu supplicem posito genu Urbem aut Prouinciam dextra erigit, exemplum in isto nummo, hic denuo, ut in superiori huius Operis editione fuerat factum, apponere non pigebit.

4. *De nummis* Hadriani *cum eodem titulo.*

Unde de Hadriano loquens in Chronico Eusebius illustratur: *Terræ motu facto* NICOMEDIA *ruit, & vicinæ Urbes plurimæ euersæ sunt. Ad quarum*

rum instaurationem Hadrianus de publico est largitus impensas. Alios adhuc, uti ÆGYPTI, BRITANNIÆ, CAPPADOCIÆ, CILICIÆ, DACIÆ, LYCIÆ RESTITUTORIS titulos inter Hadriani nummos, sed alibi, quod sciam, hactenus haud visos, refert Goltzius. Verum his omnibus elogiis splendidius adhuc Hadriano largitur descriptus insignis ab Antiquariis nummus cum titulo RESTITUTORI ORBIS TERRARUM. E quibus autem huius Principis nummis lux utique accedit, vel Aurelio Victori, & ubi ad eosdem illos signatos in urbe nummos respicit, de eo dicenti: *Cum oppida* UNIVERSA RESTITUERET; vel Spartiano: *Multa in Athenienses contulit*; mox: *Inde Romam venit, atque ex ea in Africam transiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit*; ac paullo post: *Atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicauit*; dein: *Et circumiens quidem prouincias, procuratores & præsides pro factis supplicio adfecit*; item: *In omnibus pene urbibus & aliquid ædificauit, & ludos edidit.* Adde Dionem, a quo de Hadriano dicitur: Καὶ τὰς πόλεις, τάς τε συμμαχίδας καὶ τὰς ὑπηκόους, μεγαλοπρεπέστατα ὠφέλησε· πάσαις δὲ, ὡς εἰπεῖν, ἐπεκούρησε, ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖτόν τε καὶ ἔργα, καὶ χρήματα, καὶ τιμὰς ἄλλαις ἄλλας διδούς, *socias urbes atque subditas magnificentissime iuuit, omnibus equidem subuenit, aquas aliis, aliis portus, annonam & opera, & pecuniam, & honores aliis alios largiens.*

Epitom. c. XIV. Cap. XII. Ibid. Ibid. c. XIII. Ibid. Ibid. c. XIX. Lib. LXIX. p. 790.

5. *De titulo* RESTITUTORIS *in aliis Imperatorum nummis.*

Post Hadrianum vero, RESTITUTORIS SARMATIÆ in M. Antonini, vel RESTITUTORIS ARMENIÆ vel PARTHIÆ in L. Veri nummis, titulos unus exhibet Goltzius; RESTITUTORIS ILLYRICI post Occonem Biragius. [a] RESTITUTORIS GALLIARUM laudem GALLIENO ac POSTUMO tribuunt superstites, ac descripti a præstantibus Antiquariis, nummi: quomodo a Vopisco vocatur etiam AURELIANUS. Mitto, quòd idem Aurelianus, iuxta Gallienum, RESTITUTOR ORIENTIS, adde etiam Valerianus pater, dicantur in eorum nummis, ac præterea [b] RESTITUTOR ORBIS: unde duo Vopisci de Aureliano loca, & quæ ad eosdem illius principis nummos respiciunt, illustrantur: unus in ipsius Aureliani ad Zenobiam literis: [c] *Aurelianus Imperator Romani orbis, & receptor Orientis:* alter: [d] *Per quem totus Romano nomini* ORBIS EST RESTITUTUS. Ne tangam iam obuios, cum in dicto modo Aureliano tum in Probo, RESTITUTORIS EXERCITUS; in Alexandro Seuero RESTITUTORIS MON. seu MONETÆ, ac in Tacito, aliisque Constantiniani sæculi Imperatoribus, RESTITUTORIS REIPUBLICAE titulos. *Respublica* nempe, iuxta Athalarici decretum apud Cassiodorum, *non est unius ciuitatis, sed totius regni prouisa custodia.*

a Harduin. Select. Oper. p. 851, 855, 857. Vaill. Num. Imp. P. I. p. 181, 241. P. II. p. 380.
b Harduin. ut supra p. 863. Patin. Numism. Imp. p. 344.
c Cap. XXVII.
d Cap. I.
Variar. l. I. c. 2.

VI.

ACTA BELLI *in nummis Imperatorum.*

SI vero ad res BELLI ab iisdem Imperatoribus gestas nos conuertimus, quam varia, quam multiplex, quam iucunda, ac aliunde sæpe ignota, se offert, in veteri Cæsarianorum nummorum penu, earundem contemplatio? Quæ autem nemo, ut opinor, a me exspectat, ut sigillatim hic expendam; quod partim sit immensa eorum copia, & quæ sola iusti

Ope-

Operis, quum hoc ipſum iam præter inſtitutum longius excreuerit, tractationem flagitarent; partim quod, vel primo nummorum id genus conſpectu, rem, de quibus in iis agitur, prodant continuo nummi & explanent. Unde ſat erit, ac ad aliquod huius Operis noſtri complementum, ſi ſumma ac præcipua bellicæ illius Imperatorum laudis gloriæque expreſſa in eorum nummis ſimulacra tangimus.

1. *De ſignificatione vocis* VIRTUS *in nummis Imperatorum.*

Quo loco ſignata toties in iis, & ſola interdum, VIRTUS, vel VIRTUS AUG. ſeu AUGG. occurrit, quo nomine fortitudo eorum, ſeu, quæ a Cicerone, ubi de Pompeio agit, dicitur,[a] *bellandi* VIRTUS *in ſummo atque perfecto Imperatore*, hic ſe primum oſtentat. Expreſſa vero illa modo Mulieris ſtantis cum haſta & parazonio; modo Romæ galeatæ; modo paludati Imperatoris, & ſtantis ad pedes captiui; vel eiusdem Equitantis & in captiuum telum vibrantis, aut ſpoliis inſidentis, aut a Victoriâ coronati, aut Martis etiam gradiui, vel Herculis cum Leonis exuuiis & claua, aliisque militaribus id genus ſymbolis; adde interdum, ut in Commodo, cum Imperatoris Leonem proſternentis typo. Ut ſat vel inde liqueat, haud de alia VIRTUTE agi in omnibus illis Cæſarianis nummis, quam de bellica ſeu militari, qua celebrari iidem Imperatores ambirent, quod inſuper ex additis quandoque ipſis Imperatorum nominibus patet, ut VIRTUS CARI INVICTI AUG. haud aliter ac in Albini nummo, qui eſt Electoralis Gazæ Palatinæ, FORTITUDO AUG. INVICTA, aut in alio VIRTUS DIOCLETIANI AUG. Hinc etiam obuii alii, iique ferme eiusdem ætatis, nummi, inſcripti VIRTUS EQUITUM, vel VIRTUS EXERCITUUM, aut nominatim VIRTUS EXERCITUS GALL. ſeu *Gallicani*, & VIRTUS EXERCITUS ROMANORUM. Quæ certe interprete non indigent; neque etiam ſignata quandoque EXPEDITIONIS eorundem in hoſtem memoria, ut in nummo Hadriani, Regiæ Gallorum Gazæ & Mediceo, EXPED. AUG. P. M. TR. P. COS. III. Duos in Traiani nummis cum iſtius generis inſcriptione iam ante obſeruarunt præſtantes Antiquarii; unum in quo EXPEDITIO GER. ſeu *Germanica*; alterum, in quo EXPEDITIO AUG. PARTH. ſeu *Parthica*, exhibentur.

[a] Pro Leg. Manil. c. xiii.

2. *De Adlocutionibus ſiue Concionibus militaribus.*

Quo referendæ etiam veniunt ADLOCUTIONES ſeu Conciones illæ militares, quas Imperatores ad Exercitus, ante expeditionem quampiam aut ineundi prœlii tempus, habere conſueuerant; & quarum ſartam tectam memoriam ac ritum in tot præclaris Cæſarum nummis conſeruatam noſti. Hinc nempe exhibetur ſuggeſtus ſeu *Tribunal*, in quo ſtat Imperator, exerto dextro brachio, *ſilentium*, quod de Druſo, Tiberii filio, ſimili in re dicit Tacitus, *manu poſcens*, retro Prætorianorum Præfectus; infra ſtant, ac ad Imperatorem conuerſi cum Aquilis & ſignis milites, ac cum inſcriptione ADLOCUTIO AUGUSTI, vel AUGG. ADLOCUTIO COH. *Cohortium.* ADLOCUTIO COH. PRÆTOR. *Cohortium Prætorianarum*, ADLOCUTIO MILITUM, tot enim modis deſignantur, & cuius generis tria hic habes ectypa: primum e L. Veri; alterum e Gordiani Pii nummis Regiæ Gallorum Gazæ; quibus ex eadem Gaza tertium Licinii Valeriani cum inſcriptione ADLOCUTIO AUGUSTORUM, qui in alio quoque Opere exhibitus iam a nobis eſt, haud illibenter addidimus, & cui haud multum diſſimilis, ac cum eadem inſcriptione, a viris doctis deſcriptus eſt nummus Philippi Senioris.

Ad Julian. Cæſ. p. 101. Vaill. Num. Imp. P. I. p. 231.

Agnoscis, *circumdatum Aquilis signisque*, adde & *vexillis*, Augusti *Tribunal*, ut ea de re [a] Tacitus aliique loquuntur, & quem ritum sæpius præ aliis tangit Ammianus Marcellinus: [b] *Constantius iam discessurus conuocatis cohortibus & centuriis, & manipulis omnibus, Tribunali insistens, signisque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium potestatum, his exercitum* ADLOCUTUS EST. Idem alibi docet, *signo per lituos dato*, vocatos ad eiusmodi Concionem milites. Inde dictus quoque ab aliis Auctoribus, ut a [a] Tacito aut Scriptore belli Africani, Imperator [b] *pro suggestu*, aut *suggestu*, vel *de suggestu*, aut *aggere adsistens*, ut ab eodem [c] Ammiano; & quo adlusit Poëta, [d] *celso medius stans aggere fatur:* prout *medius* utique comparet in priori nummo, modo adducto, L. Verus, ac luculenter id etiam confirmat superiorum nummorum interpres Claudianus:

a Hist. lib. II. c. 29.
b Lib. XVII. c. 13.
Lib. XXIII. c. 5.
a Hist. I. c. 55.
b Cap. 54, 88.
c Ammian. l. XXIII. c. 5.
d Lib. XII. ℣. 564.

Bello Gildon. 424.

Dictis ante tamen Princeps confirmat ituros,
Aggere conspicuus: stat circumfusa iuuentus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.

Neque vero frustra ADLOCUTIONES AUGUSTI dictas in iisdem nummis videas. Peculiaris enim erat illa *Augustorum*, ut cum Ulpiano loqui mihi liceat, *prærogatiua*, non autem inferiorum Potestatum, milites e suggestu illo aut aggere adloqui. Id clare docet eximius Ammiani Marcellini locus, ubi de Juliano adhuc Cæsare dicitur, ante prœlium cum Alemannorum Regibus initum, ne in unum coactam militum multitudinem adloqueretur, inter alia obstitisse, quod *alioquin vitabat grauioris inuidiæ pondus, ne videretur id adfectasse, quod* SIBI SOLI DEBERI AUGUSTUS *existimabat.* Unde insuper Tacitus illustratur, qui de tumultuantibus militibus Germanicis, & imperium Galbæ exuentibus, verba faciens, addit continuo: *Non tamen quisquam in modum* CONCIONIS, *aut* SUGGESTU *locutus: neque enim erat adhuc cui imputaretur.* Inde etiam eam Marco, quamquam Collega & itidem Augustus, L. Verus reuerentiam tribuit, ut ei soli milites pro ambobus adloquendi facultatem relinqueret: *Obsequutus*, sicut ea de re Capitolinus, *ut Legatus Proconsuli, ut Præses Imperatori; iam primum cum Marcus* PRO AMBOBUS *ad milites* EST LOCUTUS, *&c.* Unde præterea adsequimur, cur Metio Pompositano capitale inter alia sub Domitiano fuerit non solum, quòd habere *Imperatoriam geneſin* vulgo ferebatur, sed insuper, quòd *Conciones Regum ac Ducum*

Lib. XVI. c. 12.
Hist. I. c. 55.
In Vero c. 4.
Sueton. Domit. c. 10.

ex

ex T. Liuio circumferebat. Immo, unde lucem quoque haud exiguam fœneratur Appianus, ubi inducit M. Antonium pace cum Parthis facta, in Concionem, præ pudore, non prodiiſſe, Domitio vero Ahenobarbo id muneris demandaſſe; quo nomine pluribus indignationem, quaſi ſpretis eo facto, conciliauit: Ἐξέλιπεν αὐτὸς αἰσχύνη καὶ κατηφείᾳ τὸ παραθαῤῥύναι τὸ πλῆθος, Δομέτιον δ' Αἰνόβαρβον ἐκέλευσε τοῦτο ποιῆσαι· καὶ τινὲς μὲν ἠγανάκτουν, ὡς ὑπεροχώμενοι, *ipſe autem præ pudore & mœſtitia multitudinem confirmare auſus non eſt, verùm iuſſit Domitium Ænobarbum id facere, quod quidam, tanquam ſpreti, indigne ferebant.* Parthic. p. 161.

Quæ utique abunde ante oculos ponunt præclaram horum Auctorum cum nummis, qui hanc adloquendi pro ſuggeſtu ſeu Tribunali milites facultatem ſolis *Auguſtis*, ſeu ſupremis belli Imperatoribus tribuunt, concordiam. Id vero hic paucis monendum venit, Conciones illas ſeu *Adlocutiones* e ſuggeſtu, uti ſæpe alioquin in Senatu, primi Auguſti exemplo, e ſcripto nonnunquam recitatas, uti de Maximino apud Herodianum legitur, eum, conuocatis in campum ante urbem Carthaginem militibus, Tribunal inſcendiſſe, & ex libello orationem ab amicis compoſitam ἐξ ἀναγνώσεως, ſeu *eam legendo*, recitaſſe. Lib. VII. c. 8.

Tribunal vero illud ſub Imperatoribus, vulgo tumultuaria opera, e *viridi ceſpite*, ut de eo Plinius Junior, *fuit exſtructum*, ac unde a Vopiſco *ceſpititium tribunal*, ab Ammiano autem *agger glebalis* eſt appellatum. In Panegyr. c. 56. In Probo c. 10. Lib. XXIII. c. 5.

Quamquam alibi ab eodem Ammiano Julianus Imperator dicitur, *claſſico ad concionem exercitu conuocato*, SAXEO SUGGESTU (non *ceſpititio* proinde) *inſiſtens* milites adloquutus. Lib. XXI. c. 5.

Immo de Conſtantio id alibi, ut ſingulare, adhuc obſeruat Ammianus: *Aduocato omni, quod aderat, commilitio*, TRIBUNALI *ad* ALTIOREM SUGGESTUM *erecto, quod aquilæ circumdederunt & ſigna, Auguſtus inſcendens perorauit.* Lib. XV. c. 8.

Quale ingens Tribunal alibi quadam occaſione conſcendiſſe dicitur a Juliano Imperatore idem Conſtantius milites adloquuturus, βῆμα ſcilicet ὑψηλὸν, idque, ut mox addit, nullo ex prætoria cohorte cinctus: Οὐ δὲ αὐτῷ τις τῶν δορυφόρων εἵπετο, *neque ex Prætoria cohorte ſequebatur quisquam*, pro more cæteroquin in hisce Adlocutionibus Exercituum recepto, & obuio paſſim in Cæſarianis, in quibus illæ conſignantur, nummis. Orat. II. p. 77. Vid. Not. p. 207, 208.

Mitto, quòd alibi inſuper de hoc Conſtantio, ut ſingulare, obſeruat idem Julianus, eum nempe militare Prætorium, a Tribunali, ſeu Suggeſtu, antea ſeparatum, eidem rurſus iunxiſſe: de quo autem loco, & altero Hygini: *Auguratorium parte dextra Prætorii ad viam principalem adponemus*; dein: *Parte læua Tribunal ſtatuitur*, non ea iam hic tangam, quæ ad maiorem eius rei lucem ſunt a nobis ad Julianum monita. Orat. I. p. 32. Vid. Not. p. 213, 214. De Caſtramet. Ut ſupra. p. 214.

Factæ autem illæ *Adlocutiones* militares, cum ante prælium, tum poſt victoriam, quo milites ob rem bene geſtam laudibus, quandoque etiam præmiis, remunerarentur, unde ea de re Tacitus: *Laudatis pro concione militibus*; alibi: *Vocata concione, virtutem militum laudibus cumulat*; interdum etiam aliorum ex iis ignauiam exprobrarent, uti a M. Antonio factum, clade a Parthis accepta, ut tradit Appianus. Annal. II. c. 22. Hiſtor. II. c. 57. Parthic. p. 164.

Addetiam, quo de pace cum hoſte inita, ſicut iuſſu eiusdem Antonii is de quo paullo ante, Domitius Ahenobarbus, milites certiores redderentur. Ut ſup. p. 161.

Easdem vero *Adlocutiones* nunquam impune a Romanis Principibus omiſſas, cum aliunde, tum ex Tacito colligas, arguente, inter alias improuidæ in Vitellio mentis notas, *quod non* ADLOQUIO (ita enim ille paſſim, Hiſt. II. c. 36.

passim, aliique, quod constanter in nummis ADLOCUTIO) *exercitioque militem firmaret.*

3. *De nummis, in quibus nomen* EXERCITUS *expressum legitur.*

Neque tamen illas conciones e Tribunali seu Suggestu habitas semper ab Imperatoribus, sed ab iis equitantibus interdum etiam factas, recte observat eruditissimus [a] Lipsius, ut adnotatum est in Hœschelianis ad Photium Notis, & clarissime ostendunt alii nummi, in quibus Imperator equo insidens milites compellat, cum inscriptione Exercitus, quem adloquitur. Tales sunt præclari aliquot nummi Hadriani, in quibus legitur EXERCITUS DACICUS, aut GERMANICUS, aut BRITANNICUS, aut SYRIACUS, & reliquis adhuc rarior, EXERCITUS CAPPADOCICUS, a [b] me pridem e cimeliis Cardinalis Camilli Maximi vulgatus, & cui alium addemus eiusdem Hadriani nummum, cum simili typo (nisi quod tres, non duo, conspiciantur adstantes cum Signis Milites) quem protulere iam nobiles Antiquarii [c] Erizzo ac [d] Tristanus.

a De Milit. Rom. lib. IV. Dialog. 9.
b Diss. p. 843.
c Pag. 248.
d To. I. p. 473.

Id nempe consuetum apud Romanos nemo nescit, ut a locis ac Regionibus, in quibus agebant Romanorum Legiones & Exercitus, iidem vulgo appellarentur: unde obuii apud Tacitum aliosque iidem modo e Nummis memorati [a] *Germanicus*, [b] *Syriacus*, [c] *Britannicus*, *Exercitus*, & alicubi *Cappadociæ Legiones*. Sic alibi apud eundem *Rhæticæ copiæ*, alibi *Rhæticæ alæ cohortesque*, quamquam illæ non de Romanis Legionibus, sed de *Rhætorum*, quæ mox ibi sequitur, *iuuentute*, seu *Rhæticis*, ut ibi paullo ante dicuntur, *auxiliis*, ibidem appellantur. Alioquin & tertia Legio in *Rhætia* a M. Antonino constituta apud Dionem dicitur, sed sub nomine *Italicæ*. Exstant vero adhuc alii, nec obuii vulgo, Hadriani nummi, in quibus legitur EXERCITUS DACICUS, vel IUDAICUS, MAURETANICUS, MOESIACUS, & NORICUS, ubi nempe secundam Legionem collocasse dicitur apud Dionem M. Antonius; quæ vero ITALICA insuper, uti & dicta modo in *Rhætia*, non NORICA proinde vel RHÆTICA, sint appellatæ: *Noricas* vero & Rhæticas Legiones coniungit alicubi, easque communi, non *Italicarum* sua ætate, sed *Celticarum* appellatione nuncupat.

a Annal. I. c. 22.
b Hist. II. c. 8.
c Ibid. I. c. 61.
Lib. IV. p. 564.
Ibidem.

Mitto alios Hadriani nummos, sed ab hoc loco alienos, in quibus MET. NOR. seu *Metalli Norici* fit mentio, sicut in aliis METAL. DELM. seu *Metalli Delmatici*. Unde utique licet illustrare, quæ, de *Norico ferro* ac *ære* a Noricis primum elaborato, [a] Clemens Alexandrinus, Eusebius, aliique tradidere, & in voce Νωρικός Stephanus; quamquam male ibi e *Norico* Prouincia urbem facit, ac unde *Noricus ensis* apud [b] Horatium, & *Noricum metallum* apud [c] Martialem continuo, quod viderunt iam alii, illustrantur. Ita *Metalli Parthici*, de quo iam alibi, fit apud Iuniorem Pli-

a Stromat. lib. I. p. 363. edit. Potteri.
b Lib. I. Od. 16. Epod XVII.
c Lib. IV. Epig. 55.

Plinium mentio: *Macedonici* vero *Metalli* meminit Liuius, *quod*, ut addit, *ingens vectigal erat*. Cuiusmodi autem Metallis præpoſiti erant ſub Imperatoribus Procuratores Cæſaris, quod vel docebit Galenus: Τοῦ προεστῶτος τῶν Μετάλλων ἐπιτρόπου Καίσαρος, *præpoſiti Metallis Procuratoris Cæſaris*, ac firmat inſuper vetus inſcriptio, in qua legitur M. Ulpius Aug. Lib. Eutyches Proc. Metall. Alboc. *Albocenſis*, nempe in Hiſpania Tarraconenſi.

Lib. x. Epl. 16. Diſſ. vi. p. 325. Lib. xlv. c. 18. Lib. i. de Antid. p. 424. edit. Gr. Baſil.

Ut vero a Metallis ad Caſtra redeam, occurrit rurſus in alio Hadriani nummo [a] Exer. Hispan. h. e. *Exercitus Hiſpanicus*, vel *Hiſpanienſis* potius; ſicut a [b] Suetonio ac a [c] Tacito dicitur, *Exercitus Hiſpanienſis*; a [d] Velleio, *Hiſpanienſis militia*; alias [e] *Hiſpana legio*, vel *Hiſpaniæ miles* eidem Tacito. Ita Hadrianus [f] Spartiano ab *Hiſpanienſibus* ortus, ac ſimiliter [g] Vopiſco Bonoſus *Hiſpanienſis*, qui nempe nati in Hiſpania aliunde originem ducerent: ſicut innuunt iidem Auctores, & monuit ibidem ad Spartianum Caſaubonus. Quale nempe, & quidem formatum ex alio, gentilitium Romanis haud inſolitum: ſic *Exercitus Europenſes* apud [h] Vopiſcum; *Romanenſis Eccleſia*, quod ad Spartianum tangit Caſaubonus, apud [i] Tertullianum; *Piſtor Romanienſis* in inſcriptione veteri ſub Traiano; quemadmodum Ῥωμαϊσία ἀγορὰ de *Foro Romano* apud recentiores Græcos, uti apud Georgium Syncellum, legitur. Ita Exercitus, non *Germanici* ſolum aut *Illyrici*, ſed *Germaniciani* etiam & *Illyriciani*, illi apud Suetonium haud ſemel; hi in nummis Traiani Decii, Exercitus Illyriciani, & apud Marcellinum Comitem *Illyriciana militia* & *Illyriciani milites:* alibi, ut præter Acta Conciliorum, apud Victorem Tunnunenſem, *Illyricianus Epiſcopus*, & *Illyriciana Synodus*; & apud Caſſiodorum, *Marcellinus Illyricianus*. Non audiendus vero Erizzo, qui nummum ΕΛΑΙΤΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΗΓ. ΙΛΥΡΡΙΟΥ explicat, *Sub Imperatore Illyriciani Exercitus*, aut *Tempore Illyriciani Exercitus*, quod reddere debuerat *Sub Præfide Illyrio*, aut forte *Illyrico*, qui in antiquis Inſcriptionibus legitur. Quo loco omitti haud debet Virtus Illyrici, ſeu *Illyriciani Exercitus* in aureis Maximiani Herculii, Conſtantini, eiusque Filiorum, & Juliani Deſertoris nummis.

a Vaill. Num. Imp. P. i. p. 62. b Veſpaſ. c. vi. c Annal. i. c. 3. d Lib. ii. c. 59. e Hiſt. i. c. 6. f Cap. i. g Cap. xiv. h In Probo. i De Præſcr. Hæret. Gruter. xi, 7. Chronic. Græc. Euſeb. p. 215. In Otho. c. vii. Veſp. c. vi. In Chronico. Diuin. Lection. c. xvii. Numiſm. Aurea Ducis Arſchot. Tab. xlix. & in aliis lxiv.

Expreſſus quoque in nummis Poſtumi [a] Exercitus Vac. ſeu *Vaccenſis*, a *Vacca* Numidiæ oppido, ac foro ibi rerum venalium, e [b] Belli Jugurthini & [c] Africani Scriptoribus ſatis noto. Niſi potius *Vaccæus* aut *Vaccenſis* exercitus dicendus ſit a *Vacca*, ſita ad Pyrenæos montes urbe; quod Poſtumi, qui in Gallia imperium tenuit, nec inde pedem extuliſſe traditur, mentio in eodem nummo ſuadere videtur. Hinc etiam [d] *ab omni Exercitu* & *ab omnibus Galliis*, alibi, *Exercitibus conſentientibus*, nempe qui in variis Galliarum partibus agebant, dicitur Imperator ſalutatus Poſtumus. Equidem apud Triſtanum occurrit quoque inter Poſtumi filii nummos Exercitus Isc. ſeu *Iſcanicus*, ab *Iſca* Magnæ Britanniæ oppido, ac ſecundæ Legionis Auguſtæ, iuxta Ptolemæum ac Antonini Itinerarium, domicilio; unde luſtratam forte ab eodem Poſtumo vicinam Galliæ inſulam, haud male colligit idem Triſtanus. Mitto aliam amici noſtri coniecturam, qui priorem illam epigraphen *Exercitum Vacantem* interpretabatur, ſeu *Exercitum* ex *Vacantibus* ſcriptum a Poſtumo; ſicut *Exercitum ex Cauſariis* dixit Liuius, ac de Baliſta Valerianus apud Trebel-

4. *De quodam Poſtumi nummo cum inſcr.* Exercitus Vac.

a Harduin. Select. Oper. p. 854. b Cap. xxviii. & xlvii. c Cap. lxxiv. d Trebell. c. iii. Lib. vi. c. 6.

Cap. XIX. bellium: *Gaudens, quod eius consilio nullum adscriptitium, id est Vacantem, haberet.* Quibus addi etiam possent *Tribuni* illi *Vacantes*, quorum [a] Ammianus Marcellinus ac [b] Vegetius non semel meminerunt. Cui coniecturæ, ut alia iam mittam, repugnat ille veterum ac similium nummorum consensus, in quibus, consueto more, appellati a locis ac regionibus Exercitus, ubi sedem illos habere Imperatoribus placuerat. Immo similes *Exercituum* appellationes, ut in nummis sculptæ, ita videntur maioribus Vexillis cum Imperatoris nomine fuisse adscriptæ, ac inde explicandus Dio, a quo traditur Vexillum magnum veli instar literis puniceis inscriptum *ad notitiam Exercitus aut summi belli Imperatoris dandam*, πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ. Equidem de Imperatore id, sequentibus etiam sæculis, usurpatum, fidem facit Constantini nummus, in quo Delmatius Labarum cum litera C. tenet, quam de Constantino recte interpretatur eruditus Areschotanorum nummorum interpres.

a Lib. XVI. c. ult. & XVIII. c. 2. &c.
b Lib. III. c. 17.
Lib. XL. p. 129.
Tab. LXV.

5. *De aliis nummis, in quibus* FIDES, VIRTUS, GLORIA, *&c.* EXERCITUS.

Referendi vero huc quoque haud minus insignes nummi, in quibus facta est non solum *Exercitus*, sed virtutis etiam eorum, seu fortitudinis, commemoratio: VIRTUS MILITUM, aut VIRTUS EXERCITUS ROMANI, in aliis ROMANORUM; aut VIRT. EXERCITUS GALL. item GLORIA EXERCITUS GALL. *Gallicani* aut *Galliciani*, ut apud Ammianum *miles Gallicanus*. In quibus autem memoratis nummis aut Eques supra nauim, aut Miles cum Tropæo & Captiuo, aut Miles gradiens inter duos Captiuos, aut duæ Figuræ iacentes, tanquam totidem *Virtutis* illius & *Gloriæ* bello partæ symbola vel monumenta, conspiciuntur. Alium quoque inter Seueri nummos citat Sauotus, FIDEI EXERCITUS GALL. LUG. qui nempe Exercitus a partibus Seueri contra Albinum in Gallia, ac, ut id ab Herodiano traditur, prope Lugdunum, prostrati ac cæsi, steterit.

Lib. III. c. 7.

Unum vero & singularem Licinii Imperatoris nummum iuuit olim huc adferre, cum Romanorum Vallo, ac inscriptione VIRTUS EXER. TSA. quem autem alia occasione, in hac ipsa Commentationis nostræ recensione, iam supra exhibuimus. Scilicet cum Vallum in eo exhibeatur, & nobis tum ibi fuerit propositum valli rationem ex nummis illustrare, haud abs re facturum me putaui, si eo loco repeterem, quæ olim hic erant dicta. Nihil igitur hic denuo venit admonendum de eodem nummo.

Dissert. X. p. 228.

Diuersus vero a superioribus nummus Vitellii, in quo figura armata gradiens cum hasta & signo militari ac inscriptione CONSENSUS EXERCITUUM, a quibus nempe, is (ut, de quo paullo ante, Postumus, *ab omni exercitu*) est Imperator renuntiatus, & cui similis quoque inscriptio legitur in aureo Vespasiani nummo. Qui *consensus Exercituum* signanter in Vitellianis nummis insertus mihi videtur, ut opponeretur æmuli paullo ante Othonis iactationi, qua, non quidem *Exercituum*, sed *Consensum Populi ac Senatus* pro se attulisse apud Tacitum dicitur; idque ea oratione, quæ in Urbe ab eodem pro concione est habita, & publice post eius fata extabat, ut liquet ex eodem Annalium Scriptore.

Histor. I. c. 90.

I. *De* LEGIONUM *expreſſis in nummis Imperatorum nominibus.*

Neque vero EXERCITUUM duntaxat, ſed etiam LEGIONUM, in quibus præcipua eorum vis erat ſita, occurrit haud infrequens in Cæſarianis nummis commemoratio. Unde, ſicut in M. Antonii denariis, atque ita extremis Reipublicæ Romanæ temporibus, ſignatum usque ad XXIII. *Legionum* numerum vidimus in poſtrema Diſſertationis primæ huius Voluminis parte; ita in Seueri & Gallieni nummis plurium itidem leguntur LEGIONUM Romanarum nomina, & quidem in Seuero LEG. XXX. ULP. *Legio trigeſima Ulpia*, cuius a Traiano inſtitutæ fit apud Dionem mentio; ac in Inſcriptionibus itidem antiquis, tum Gruterianis, tum apud Sponium. Unde uteunque illuſtratur, quod ab eodem Dione de numero Legionum, quæ ſua ætate, ſeu ſub Seuero, ſupereſſent, traditur; nempe undeuiginti ex iis, quæ ab Auguſto fuerant relictæ, additis dein, quas ibidem tangit, duodecim Legionibus earumque nominibus, quæ a Nerone, Galba, Veſpaſiano, Domitiano, Traiano, M. Antonino, & Seuero, additæ fuerant, & quæ, cum XIX. illis ab Auguſto relictis, ſimul numerum XXXI. Legionum effeiunt: quamquam adſcriptus ille XXX. ſiue *trigeſimæ* numerus *Legioni Ulpiæ*, a Traiano inſtitutæ, ad eum iam numerum, ac proinde ante M. Antoninum ac Seuerum, exercuiſſe tum *Legiones* Romanas omnino euincat. Verum, ne in iisdem LEGIONUM, quas, uti iam ante indicaui, vel Seueri vel Gallieni potiſſimum nummi ſuppeditant, nominibus commemorandis hic immorer, faeit partim, quod eadem iam ſint accurate a præſtantibus Antiquariis deſcripta; partim, quod eadem, & plura etiam quam in nummis leguntur, proſtant etiamnum in Inſcriptionibus antiquis, quod, vel ex obuio in Gruteriano Theſauro Indice, eorum quæ ad rem bellicam pertinet, continuo conſtare cuiuis poteſt. Ea autem nobis hic enarranda ſuſcepimus, quæ e nummis Cæſarianis eruuntur potiſſimum ac illuſtrantur. Qua ratione etiam alia iam hic mittimus, quæ, etſi in Cæſarianis nummis ſint itidem obuia, in aliis tamen reſiduis etiamnum, quæque virorum præſtantium induſtriâ vulgata ſunt, Romanæ antiquitatis monumentis, Signis, Statuis, Tropæis, Arcubus, Columnis, aliisque Anaglyphis & Marmoribus, liquidius conſpicientur.

Diſſert. x. p. 232.

Lib. LV. p. 564.

Ibidem.

Huius generis ſunt, inter alia, quæ ad militarem habitum vel adparatum pertinent; *Paludamenta* nempe Imperatoria; diuerſa *Armorum* genera, nec Romanorum ſolum, ſed variarum etiam Gentium, eum quibus ii deeertabant, veluti Hiſpanorum, Germanorum, Daeorum, Sarmatarum, aliarumque; obuia inde CLYPEI, SCUTI, PARMÆ, aut *Gladiorum*, quibus vel Romani vel dicti eorum hoſtes utebantur, diſcrimina. Adde, quæ, LEGIONUM non ſolum, de quibus modo egimus, *Signa*, *Aquilæ*, *Vexilla*; ſed inſuper quæ COHORTIUM PRÆTORIARUM inſignia; quæ *Labari*, aut *Cantabri* figura; quæ FIDEI PRÆT. vel MILITUM, vel EQUITUM ſymbola exſtiterint: quorum omnium, ut expreſſa eſt in Cæſarianis etiam nummis ratio, ita in dictis paullo ante aliis reſiduis ac illuſtribus Romanarum Antiquitatum monumentis conſignata, ac inde a viris eruditis explanata, reperiuntur.

II. *De* VICTORIIS *Augustorum in nummis ipsorum signatis.*

De VICTORIIS, subactis bello PROVINCIIS, ac partis inde TRIUMPHIS, idem, quod modo de aliis venerandæ Antiquitatis monumentis diximus, statuendum foret; nisi quod diffusa magis ac uberior eorundem notitia e Nummis Cæsarianis, quam aliunde pereipitur. Describit, prima aduersus Julianum Philippica, Gregorius Thcologus studiose obseruatum a Romanis morem, ut publicis ac solemnibus statuis ac imaginibus Imperatores ornarent, quibus adpingerent elariſſimas quasque Urbes vel dona offerentes vel Victorias; eaput eorum corona cingentes; modo iacentes, ae ad eorum pedes prostratos Barbaros; atque aliarum rerum ab iis felieiter gestarum, & quorum adspectu iidem gauderent, simulaera. Nonne autem eodem adhue spectaculo nos oblectant exlatæ & eonspicuæ etiamnum id genus imagines in antiquis, & multiplieibus quidem, Imperatorum nummis? Hinc toties VICTORIA AUGUSTI, vel AUGUSTORUM, signata in Cæsarianis nummis; aut quandoque addito ipso Imperatoris nomine, VICTORIA GALBÆ AUG. vel OTHONIS, vel IMP. VESPASIANI, vel ANTONINI AUG. nempe Marci: & similiter in Græcis nummis NIKH ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΥ, ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΝΙΚΗ, & quæ plura id genus hue a me possent eongeri. Hinc varia, neque unius generis, symbola, ut nosti, eonspieiuntur in iis nummis, quibus id genus Victoriæ adumbrantur; sieut ipsius Victoriæ gradientis, vel Globo aut Proræ insistentis, aut Spoliis insidentis, aut Tropæum ferentis, & ad pedes cum Captiuo; aut solo quandoque Tropæo, cum adiacentibus duobus Captiuis; vel Milite gradiente; vel Figura Equitis hostem prosternentis; aut Imperatoris equitantis præeunte Victoria, aliisque id genus typis. Quibus additum subinde deuictæ Gentis nomen, ut VICTORIÆ BRITANNICÆ in Commodo, Seuero, Caraealla, & Geta. Qualem etiam *Victoriam Britannicam* signari in Claudii Imperatoris nummo, in quo Victoria dextro pede Globo insistit, sinistra supra Clypeum scribit, & cum inscriptione VICTORIA AUGUST. obseruat celebris Antiquarius; sed a quo cæteroquin, quod in dictis Imperatorum nummis legitur, nomen BRITANNICÆ exulat.

Steliteut. r.

Nam. Imper. P. II. p. 61.

I. *De nummis cum* VICTORIA GERMANICA. Lib. VII. c. 2.

VICTORIÆ vero GERMANICÆ anterior occurrit & frequens in hac nummorum penu mentio, uti Vitellii, Neruæ, M. Antonini, Maximini, Valeriani, Gallieni, Postumi; adeo glorioſum iisdem Imperatoribus visum est a deuicta fortissima gente laudem ac decus ad posteros transmittere. Quod, præter alia, ostendit, id quod de Maximino tradit Herodianus, eum partam de Germanis Victoriam non solum per literas S. P. Q. Romano significasse; sed etiam depictam maximis imaginibus ante Curiam publicasse: ut non tam Romani audire, quæ gesta fuerant, quam ea possent oculis subiicere. Quod de Victoria, a M. Antonino de Germanis itidem parta, potiori iure licet etiamnum statuere: quippe quam totam belli contra Germanos ab eo Imperatore gesti historiam; traiectus Romani Exercitus per pontem supra Danubium in hostilem regionem; versos in fugam & profligatos hand uno, eum equestri tum pedestri, prælio

lio ac in fugam versos Germanos; captas eorum urbes; prostrata eorum corpora; de salute ac deditione decernentes eorum Regulos, ad genua M. Antonini prolabentes, ac pacem implorantes; erecta de iis Tropæa, & inscribentem, sicut in nummis itidem cernitur, clypeo Victoriam VIC. GERM. ostentant cælata in Columna huius Imperatoris, adhuc Romæ conspicua, earundem rerum simulacra, ac inde a viris eruditis descripta ac enarrata. Hard. Oper. Select. p. 784.

2. *De inscriptione* VICTORIA PARTHICA.

VICTORIA vero PARTHICA, cum in eiusdem M. Antonini ac L. Veri, tum Seueri, Caracallæ, ac Macrini nummis legitur, immo in Seueri nummis etiam VICTORIA PARTHICA MAXIMA: a quibus utique Principibus bella feliciter contra Parthos gesta memorant Romanarum rerum Scriptores, ac firmant insuper, cum iidem nummi, tum additum in iis PARTHICI, & quidem subinde PARTHICI MAXIMI, cognomentum.

3. *De nummo Philippi Patris cum* VICTORIA CARPICA.

Exstat vero singularis pretii nummus æreus, & e maximorum quidem genere, quem e Gaza Christinæ Augustæ olim adduximus, qui hinc Philippum Seniorem & Otaciliam coniugem exhibet, illinc duas Victorias cum Clypeo, & inscriptione VICTORIÆ CARPICÆ. Cuiusmodi etiam nummus e Thesauris Gallorum Regiis, sed cum una Victoria gradiente, & quæ dextra Coronam, sinistrà palmam gestat, est in eximii [a] Morellii Specimine vulgatus. *Carpi* nempe sub Maximo & Balbino, quod [b] Capitolinus tradit in eorum vita, contra Mœsos pugnantes Scythico bello principium dedere; qui a Gordiano dein repulsi, dum in Persas tendit, & a Philippo successore tandem profligati, ut ea de re Zosimus, ad pacem petendam compulsi fuere, & cuius felicis expeditionis præclari utique ac luculenti indices sunt superiores nummi. Insurgentes vero postea iidem *Carpi* ab Aureliano sunt deuicti, unde ei CARPICI cognomen a Senatu delatum, sed quod ille non admiserit, ut auctor est Vopiscus. Sub Diocletiano vero & Collega, iuxta Eutropium, iidem *Carpi & Basternæ subacti, & Sarmatæ victi; quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanorum finibus locauerunt* iidem Imperatores; unde illustratur, quod de *Carpis* tradit nominatim in Fastis Idatius; quòd scilicet *gens uniuersa in Romanorum fidem ac ditionem transiit.*

a Tab. IX.
b Cap. XVI.
Lib. I. p. 20.
Aurelian. c. XXX.
Lib. IX. c. 15.

4. *De* VICTORIA GOTHICA *in nummis* Claudii Gothici.

Accedit VICTORIA GOTHICA signata in tribus insignibus nummis; nempe Claudii, *Gothici*, ad prioris Imperatoris Claudii discrimen & ob insignem de Gothis relatam victoriam, vulgo appellati, Taciti præterea, & Constantini Magni: quorum priorem ad Juliani Imperatoris [a] Orationem primam, postremum ad eiusdem Juliani [b] Cæsares olim adtulimus, medium vero, seu Taciti, cum eadem Victoria nummum, [c] Patinus; quos autem cum diuersis typis, neque facile obuios, iuuabit hic uno obtutu adspicere.

a Pag. 52.
b Pag. 251.
c Num. Imp. pag 347.

De Claudio, qui & inde a deuictis Gothis *Gothici* cognomen, ut dixi,
Cap. II. meruit, res nota e Scriptoribus Historiæ Augustæ, ac Eumenio in Constantini Panegyrico, ut viderunt iam alii, uti etiam de Tacito, e Zosi-
Ut supra. mo, quod monuit idem Patinus: quamquam non *Gothi*, prout verba eius
Lib. I. p. 57. e Græco versa citat vir doctus, sed Σκύθαι ibidem dicantur; verum quo nomine *Gothos* frequenter a Græcis Scriptoribus vocari constat, ut vide-
Ad Julian. Orat. p. 51, 93. runt iam alii, inter quos ad Eusebium doctissimus Valesius, & nos quoque alibi. De Constantini vero rebus contra Gothos gestis Eutropius:
Lib. X. c. 4. *Nam etiam* GOTHOS, *post ciuile bellum, varie profligauit, pace his ad postremum data:* & in Excerptis de Constantio Chloro & Constantino M.
Pag. 660. post Ammianum Marcellinum editis, similiter: GOTHI *per neglectos limites eruperunt, & vastata Thracia & Mœsia prædas agere cœperunt. Tunc* CONSTANTINI *terrore & impetu repressi captiuos illi impetrata pace reddiderunt.* Quorum locorum posteriorem iam ante alia occasione adtu-
Supra p. 614. limus; utrumque vero, uti postea aduertere mihi licuit, occupauit iam
Tab. VII. præstantissimus Morellius ad Constantini nummum, in quo, DEBELLATORI GENTIUM BARBARARUM, ac infra GOTHIA legitur.

5. *De* QUADIS *a* M. Antonino *deuictis, &c.*

QUADOS vero, qui iuxta Marcomannos, quibus erant vicini, aliosque vicinos populos in Romanos insurrexerant, a M. Antonino, cum reliquis illis Barbaris, deuictos, docet in eius vita [a] Capitolinus, ac ad pacem, redditis captiuis, compulsos Dio Cocceianus seu [b] Xiphilinus. Immo in quo Marci contra *Quados* bello illam delapsam Christianæ legionis precibus diuinitus pluuiam, quæ siti pereuntem Romanum exercitum seruauerit, idem tradit [c] Xiphilinus. Quod in bello itidem contra *Quados* ab illo Imperatore suscepto, & in *Quadorum* regione, contigisse [d] Eusebius, Georgius Syncellus, ac Zonaras, ut obseruo, pariter memoriæ prodiderunt. Quæ cæteroquin singula grauissimi illius belli gesta, illudque ipsum pluuiæ diuinitus missæ, quasi a Joue scilicet Pluuio, factum oculis etiamnum subiiciunt cælata, in celebri eius Columna, earum rerum simulacra; & ex parte etiam exhibent eiusdem Marci Imperatoris nummi; etsi haud expressum in iis occurrat QUADORUM nomen. At vero idem legitur in insigni quodam nummo, quem e cimeliis Christinæ Augustæ olim protulimus, quo Carum ac Numerianum de *Quadis* deuictis triumphasse discimus, in quo nempe uterque triumphans cernitur cum inscriptione TRIUNFO QUADOR. Quo proinde referas, quod a Vopisco de Caro dicitur: *Profligato magna ex parte bello Sarmatico, quod gerebat, contra*
Cap. VIII. *Persas profectus*; ac similiter Georgius Syncellus: *Carus in Gallia natus, Sarmatas rebelles domuit. Sarmatarum* enim nomine vicinas iis gentes
Ut supra. sæpe ab Auctoribus intelligi, cuiuis notum est. Ita Eusebius, ubi in Historia meminit cœlestis illius pluuiæ legionis Melitinæ precibus impetratæ, id factum tradit, quum acies contra Germanos & Sarmatas, qui *Quadi* ab eodem dicuntur, ut vidimus, in eius Chronico, instituta esset ab eodem Imperatore; quum tamen a deuictis in genere *Sarmatis*, inter alia cognomenta, quæ nummi eidem Principi tribuunt (ut GERMANICI, PARTHICI ARMENIACI) SARMATICI quoque, & quod postremum tulerit, in iis legitur. Ipsius vero VICTORIÆ SARMATICÆ, in Diocletiani dein & Herculii Maximiani nummis, uti etiam Constantii Chlori, quales olim e Gaza Barberina indicaui, & aliunde dein adtulere viri præstantes, occurrit obuia

[a] Cap. XXVII.
[b] Lib. LXXII. p. 802, 805.
[c] Ibid.
[d] Hist. Eccles. lib. V. c. 5.

obuia apud Auctores eorum temporum mentio; uti apud Eutropium, qui a Diocletiano & Collegâ, ut paullo ante vidimus, victos, inter alias gentes, Sarmatas, magnamque ex iis gentibus captiuorum multitudinem in finibus Romani imperii locatam tradit. Lib. IX. c. 15.

6. *De* GENTIBUS, CAPTIS, SUBACTIS, DEVICTIS, RECEPTIS, *&c.*

Accedunt inſuper plura in Cæſarianis nummis CAPTARUM, vel DEVICTARUM, vel SUBACTARUM, vel RECEPTARUM etiam GENTIUM nomina, quæ totidem ſunt manifeſta rei feliciter a Romanis Imperatoribus geſtæ monumenta. Qualia, ut hæc obiter indicem, neque enim quisquam, opinor, a me exſpectat, ut hæc, hiſtoriis ac annalibus eorundem temporum maiori ex parte prodita, ſigillatim hic expendam, ſunt ÆGYPTUS CAPTA, &[a] ARMENIA CAPTA, eademque [b]RECEPTA, in Auguſti, prout iam ante in M. Antonii nummis [c] ARMENIA DEVICTA. Eadem rurſus, lugentis & captiuo habitu iuxta Tropæum, aut cum ſolo Tropæo, in Traiani ac L. Veri nummis Regiæ Gallorum Gazæ comparet cum nomine ARMENIA, ac in alio eiusdem Veri nummo ARMEN. CAP. immo in alio adhuc inſigni Traiani nummo, quem olim ad [d] Juliani Cæſares adtulimus, ARMEMIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTÆ, in quo Imperator cum haſta & parazonio ſtat inter duos iacentes fluuios, Euphratem nempe ac Tigrim. Ea nempe ratio Armeniæ fuerat, ubi primum a Lucullo & Pompeio Romanorum armis eſt ſubacta, ut Reges dein a Romanis, quod vel e Tacito, de Caio Cæſare, Tiberio, ac Germanico conſtat factum, acciperet, ita tamen, ut Romanis infida permaneret, ac inde ad Parthos, vi vel ſponte, identidem deficeret. Cuius rei cauſſam Tacitus alibi ambiguam Armeniorum fidem adfert, qua fiebat, ut *utraque arma inuitarent, ſitu terrarum, ſimilitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota illuc magis ad ſeruitium inclinantes.* Inde etiam, e Recepta denuo Armenia, ARMENIACI cognomen, inter alios deuictarum a ſe gentium titulos, quod vel eorum nummi oſtentant, adſumpſerunt Diui Fratres Marcus & Verus.

a Num. Duc. Arſch. Tab. 1, 2, 3, 4, 6. Hard. Select. Oper. p. 697.
b Idem ibid. 8. Hard. ibid.
c Num. Duc. Arſch. Tab. VII, 5.
d Pag. 184, 241.

Annal. II. c. 3, 63.

Ut vero ad alias (ſolos enim nummos hic tango, qui deuictarum Gentium nomina ſimul oſtentant) ſubactas a Romanis Principibus Regiones, quas eorum nummi oſtentant, tranſeam, GERMANIA legitur CAPTA in Vitellio, ac Domitiano; SUBACTA in M. Antonino, cuius haud obuium Regiæ Gallorum Gazæ ea de re nummum, ad dictos paullo ante Juliani Cæſares, protuli; DEVICTA in Alexandro Seuero, ac pridem ante, in Germanico; SIGN. RECEPT. DEVICTIS GERMANIS, IUDÆA CAPTA in Veſpaſiano ac Tito, & in Græcis etiam nummis, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. Sic PARTHIA CAPTA, uti etiam ARABIA CAPTA, item ADQUISITA, & DACIA CAPTA in Traiano; ac inde, ut alibi iam vidimus, utraque, cum ARABIA tum DACIA, AUGUSTI PROVINCIA dicta in eius nummis, poſtrema etiam DACIA PROVINCIA in Philippis Patre & Filio. SARMATIA vero DEVICTA, uti quoque cum FRANCIA tum ALAMANNIA DEVICTA, conſpiciuntur in nummis Magni Conſtantini, & filiorum Criſpi & Conſtantini Junioris, quorum hic ſubiiciam ectypa, uti alterius Conſtantini Magni, in quo ALAMANNIA GAUDIUM ROMANORUM, uti FRANCIA in alio nummo itidem, dicitur, & qui in meis ad Juliani Cæſares notis itidem comparent, ob eas nempe Romanorum armis domitas & ſubactas.

Pag. 435.

Ibid. p. 419.

Ibid. p. 251.

Du Cange Fam. Byzant. Tab. III.

Pag. 250.

7. *De nummis* De Parthis, De Brit. De Germ. *&c. inscriptis.*

Ad quas captas subactasque a Romanis Gentes spectant itidem, ut quinis intelligit, in Cæsarianis nummis inscriptiones De Parthis in Augusto; De Britannis in Claudio; De Germ. vel Germanis in Nerone Druso, Claudio, Domitiano, M. Antonino, aliis; ac in Seuero De Germ. Vota Suscepta, & De Iudæis in Vespasiano; De Sarm. in M. Antonino & Commodo Gazæ Mediceæ. Idem vero subinde indicant, vel sola adscripta Regionum id genus nomina, ut Britannia in Claudio, Antonino Pio, Commodo, Seuero; Dacia in Traiano, & Græce ΠΑΡΘΙΑ, Francia, item Gothia, ut iam ante vidimus, in nummis Constantini Magni. Quæ autem velatæ, ut plurimum, ac lugentis in nummis id genus Mulieris, aut Tropæi erecti, & adiacentis captiui conspectus abunde ante oculos ponit. Mitto iam augusta illa ac superba, non a deuicta una Gente, sed pluribus simul subactis, consignata quoque elogia; ut Debellatoris Gentium Barbararum in Constantino Magno; Undique vel Ubique Victoris, prius in Numeriano alterum in Constantino Magno eiusque Filiis Crispo & Constantio, qui postremus in nummo argenteo illustrissimi Colberti, e cuius cimeliis eum olim indicauimus, Victor Omnium Gentium dicitur.

8. *De singulari* Constantii *nummo.*

Quid iam, ut ob argumenti dignitatem dicam an similitudinem hoc tangam, debellatum ab eodem Constantio Magnentium referam, ac in eius rei memoriam coronatum a Victoria eundem Imperatorem Labarum tenentem, in quo depicta Crucis effigies, ut monumentum historiæ, quæ de eodem haud minus ac Parente circumfertur, consentaneum, [a] Hoc Signo Victor Eris; cuiusmodi nummum ab Occone descriptum nouerам, quemque dein ab eximio [b] Patino, apud quem eum olim videram, uti pridem eius facta est a me mentio, vulgatum cernimus. Immo prout inde, in nummis Constantinianei sæculi & sequentibus, *Vexilla militum*, ut verbis utar Hieronymi, [c] *Crucis insignia* reddita intuemur; aut eius picturam *ardentes Diadematum gemmas* condecorantes, quibus plena est omnis hæc memoria. Adde susceptam sæculo septimo ab Eraclio contra Cosroëm Regem Regum expeditionem, cum ut alias ulciscereturiniurias, tum ut Crucis signum ab eo Hierosolymis auectum repeteret: prout colligas e Zonara, Cedreno, aliis, & arguit utique singularis nummus, cuius ectypum hic damus e Museo Leonardi Agostini, celebris Urbis Antiquarii, & quem nummum etiam exhibuit Du Cangius in Familiis Byzantinis. In eo nempe depictus Eraclius cum filio Eraclio Constantino, seu Eraclius et Era. Const. PP. Aug. in altera parte Crux supra globum & basim erecta, cum memorabili inscriptione Deus Adiuta Romanis, cui eadem occasione præmittimus indicatum modo Constantii nummum, cum solemni illa epigraphe: Hoc Signo Victor Eris.

a Socrates l. 1. c. 1. &c. Sozomenus l. 1. c. 3. Philostorgius l. 1. c. 6. & Gottofr. ad eum. p. 16. & seqq.
b Numism. Imp. p. 380.
c Epist. ad Lætam.

Pag. 112.

Quam-

Quamquam non de *Britannis* solum, *Germanis*, *Armeniis*, *Judæis*, *Arabibus*, *Parthis*, *Dacis*, *Carpis*, *Gothis*, *Sarmatis*, *Alamannis* ac *Francis*, aliisque hostibus Populi Romani erecta in Cæsarianis nummis Tropæa videas, aut actos Triumphos, sed insuper de deleta scilicet aut triumphata Christianorum gente, sub symbolo Herculis Hydram perimentis in insigni Maximiani Herculii nummo, a me haud semel in cimeliis Christinæ Augustæ inspecto, ac in priori huius Operis parte iam adducto & illustrato. Differt. v. p. 268.

Ad geminos, sed infaustos, Diocletiani Collegæ Triumphos refero quoque nummum aurcum eximiæ raritatis, qui laudatum sæpius Cimeliarchium magni literarum, cum hæc primum commentarer, Mæcenatis Medicci Cardinalis Leopoldi exornat. Exhibet ille hinc Diocletianum, illinc tres Mulieres stantes cum Cornibuscopiæ, & inscriptione FATIS VICTRICIBUS. Huic pridem a nobis adducto similem postea in Diocletiani Collega, Herculio Maximiano, e Gaza Gallorum Regia protulit eximius Morellius, nisi quod Cornuacopiæ in postremo non compareant. En utriusque iconem. 9. *De singulari* Diocletiani *nummo, in quo* FATA VICTRICIA.

Vides hic TRIA FATA, ut Parcas vocat Fulgentius (& quod a me olim ex huius Mythologico adductum obseruat postremus ac eruditissimus eius editor Thomas Munckerus) ut passim, Græcorum more, Romani Auctores; certe iuxta Artemidori regulam, apud quem tres Mulieres vestitæ Parcas, nudæ Horas aut Gratias signare dicuntur. Quamquam & Furias tres Mulieres stolatæ, sed facibus insuper ac flagellis, quæ abunde illas produnt, adumbrant in præclaro Philippi nummo; & præterea *Parcas* & *Fata* distinguat Ausonius: *Tres ordine* PARCÆ; & paullo post: *Tres Charites*, TRIA FATA. Equidem Templum olim Romæ exstitit Parcis dicatum sub nomine TRIUM FATORUM, cuius meminit aliquoties, ut pridem monui, Anastasius: & de quo audiendus, qui illum explicat, Procopius: Ἔχει δὲ τὸν νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου ὀλίγον ὑπερβάντα ΤΑ ΤΡΙΑ ΦΑΤΑ· οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι ΤΑΣ ΜΟΙΡΑΣ νενομίκασι καλεῖν, *Ædem vero habet* (Janus) *in foro pro Curia paullo super* TRIA FATA; *sic Romani* PARCAS *vocare consueuerunt*. Accedit inter Epistolas Cypriani una Celerini Confessoris, ubi de sorore Etecusa ab eo dicitur: *Quia pro se dona numerauit*, Mythol. lib. 1. Titul. *Fata*. Oneir. lib. 11. c. 49. Idyll. xi. v. 7, & 18. Bell. Gotth. lib. 1. c. 25. p. 375. Edit. Reg. Epist. xx.

uit, ne sacrificaret; sed tantum adscendisse videtur usque ad TRIA FATA, *& inde descendisse*; ubi viri docti, ignoratione huius Ædis in urbe, *Triumfracta*, vel *Triumfata*, vel *Dryphracta*, ut doctissimus J. F. Gronouius, emendabant, sed quod aduertit iam dici de loco in foro Romæ notissimo doctissimus Antistes, qui postremus Cyprianum edidit. E quibus autem haud male liceret colligere Romæ Templum eo nomine sub Diocletiano erectum. Certe nondum exstabat illud ætate Tertulliani, qui Romanos sugillat, quod non tantum honorem *Fatis* decreuerint, a quibus tradita iis erat inuita Junone Carthago, quam lupæ Larentinæ. Quamquam [a] Zosimus *Parcas* quoque recenseat inter ea numina, quibus ludis Sæcularibus sacra fiebant in Campo Martio. *Parcæ* autem vel eædem cum *Fatis* in Theologia Gentilium, iuxta plurima veterum Auctorum loca, vel *Fati dominæ*, uti appellantur ab [b] Ouidio:

Obseru. in Script. Eccles. cap. XIV. p. 143.

Apolog. lib. II.

[a] Ἔνθα σὲ ῥύζειν Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας.

Lib. II. p. 75.

[b] Trist. lib. V. Eleg. 3. ℣. 17.

An DOMINÆ FATI *quidquid cecinere sorores*;

& quibus *Parcis* proinde ab Horatio in Sæculari Carmine inuocatis, additur inter alia:

Carm. Sæc. ℣. 27, 28.

BONA *iam peractis*
Jungite FATA.

Neque vero solum Romæ Parcarum Ædes aut cultus, sed & earum sacra apud Lacedæmonios & prope Thebas memorat Pausanias; ac apud Phæacenses exstitisse docebit Apollonius Rhodius. VICTRICIA vero vocantur eadem FATA in superiori nummo, cum iuxta consuetam apud Gentiles Deorum Dearumque appellationem, DIANÆ VICTRICI, MINERVÆ VICTRICI, VENERI VICTRICI, & similes; tum iuxta propriam & peculiarem vim horum FATORUM, quibus *stat Juppiter ipse*: unde Acdesti vitam restituere recusasse ab Arnobio dicitur, quia FATIS potentioribus prohibebatur, quorum, ut alia mittam, occurrentes ubique de cupiditatibus hominum VICTORIAS prædicat Libanius: Καὶ ΤΗΝ ΝΙΚΗΝ πανταχοῦ ΤΩΝ ΜΟΙΡΩΝ, quæ denique eodem, etiam iuxta adductos nummos, epitheto a Claudiano, ut pridem monui, ornantur:

Corinth. p. 54. & Lacon. p. 93. Argon. lib. IV.

Aduers. Gent. lib. V. p. 160.

De Seruit. p. 644.

De Laud. Stilic. l. III. ℣. 127.

In proprium seducta Larem VICTRICIA *reddit*
FATA *solo*.

Alioquin, ut *Victricia* hoc loco, ita *victa*, aut *superata*, nonnunquam legas eadem *Fata*, ut apud Senecam:

Herc. Fur. ℣. 612.

Et FATA VICI, *morte contemta redii*;

& apud Maronem:

Æneid. XI. ℣. 160.

Contra ego viuendo VICI *mea* FATA *superstes*;

ac ab Oedipo apud eundem Senecam: FATA SUPERAVI *impia*; & in Hercule Oetæo: *Nefas* FATI. His enim titulis nonnunquam, ob præcipitia funera, ornantur in antiquis Elegiis, quæ *sinistra*, *dira*, *impia*, *inuida* frequenter eadem vocant. Inde autem, & quod eadem VICTRICIA FATA oc-

℣. 1046.

℣. 1125.

occurrant in duobus Diocletiani & Maximiani Herculii nummis, cusos eosdem putat eximius Morellius, quum uterque imperium abdicaret; siue, uti ex aureo Lactantii libello haud ita pridem reperto nunc constat, cum se imperio inuiti abdicare cogerentur. De Mort. Pers. c. XVIII.

Neque vero *fortes* solum Exercitus, aut Victoriam *Augustam* vel *Æternam*, sed PACEM etiam AUGUSTAM, eamque subinde PERPETUAM itidem & ÆTERNAM, Romanis Imperatoribus vindicant, aut gratulantur, hæc monumenta. Hinc toties in iis expressa similiter legitur PAX AUGUSTI, vel AUGUSTA, quam nempe Romanis præstarent Tiberius, Claudius, Galba, Vespasianus, aliique eos sequuti principes, prout ab Ouidio iam ante sub Augusto dictum: 10. *De nummis, in quibus* PAX ÆTERN. PERPET. *&c. consignatur.*

Vix hac invenias totum, mihi crede, per orbem,
Quæ minus AUGUSTA PACE *fruatur humus;* De Ponto l. II. Eleg. V. ℣. 17.

& ut Germanicus ad Tiberium:

PAX TUA *tuque adsis nato, numenque secundes.* Arat. Phænom. Præf.

ac Nero apud Senecam: *Hinc tot millia gladiatorum, quæ* PAX MEA *comprimit*; & de Telamone Valerius Flaccus: *Lætus opum*, PACISQUE MEÆ, *tutusque manerem:* scilicet, quod *Pax* illius censeretur, penes quem erant auspicia, ac unde *Pacis* iuxta & *Belli Domini* vocantur apud Dionem iidem Cæsares: Πολέμου καὶ ΕΙΡΗΝΗΣ κύριοι, quod iam antea vidimus; ac FUNDATOR PACIS dicitur Seuerus in veteri eius nummo. Eandem vero PACEM AUGUSTAM *per omnes terrarum angulos* diffusam, iuxta Velleium, celebrat itidem in Augusto nummus, a præstantibus Antiquariis adductus iam ac vulgatus, in quo Globus inter duas laureas, cum inscriptione PAX ORBIS TERRARUM S. P. Q. R. Ne adducam iam eam in rem prolatum ab iisdem eruditis eiusdem Augusti nummum cum nota epigraphe IAN. CLU. *Janum Clusit*, vel alium inscriptum PACI PERP. seu *Perpetuæ*. Quæ cæteroquin memorabilis inscriptio PAX ORBIS TERRARUM, præter Augustum, in Galbæ etiam, Othonis, ac Vespasiani, sed vanissimâ, maxime in duobus prioribus, ut aliunde notum, iactatione legitur. Quod similiter de obuiis illis Neronis nummis dicendum venit, in quibus cum eodem Jani Templo signatur hæc Inscriptio, PACE P. R. TERRA MARIQUE PARTA IANUM CLUSIT, aut PACE P. R. UBIQUE PARTA TEMPLUM CLUSIT, nempe quod de Augusto ait Horatius: *Vacuum duellis* JANUM *Quirini* CLAUSIT. Quomodo PACATORES ORBIS dicuntur in eorum nummis, Seuerus, Caracalla, & Postumus; scilicet iuxta Poëtam:

De Clement. lib. 1. c. 1. Argon. l. III. ℣. 659. Supra Diss. XII. p. 482. Hard. Oper. Select. p. 802. Lib. II. c. 126. Torrent. ad Suet. Aug. c. 22. Patin. de Num. ex ære Mediocr. p. 113. Patin. ad Sueton. Nero. c. XV. Lib. IV. Od. XV. ℣. 8, 9.

PACATUMQUE *reget patriis virtutibus* ORBEM. Virgil. Eclog. IV. ℣. 17.

Et, sicut in aliis Cæsarianis nummis, quos paullo ante vidimus, UBIQUE VICTORES, sic in nummo Gallieni seu Gallienæ aureo, quem ad Juliani Cæsares olim adtuli, & de quo editæ sunt dein, qua de re iam supra, diuersæ præstantium virorum sententiæ, UBIQUE PAX; iuxta Corbulonis de Nerone dictum: *Imperatori suo immotam* UBIQUE PACEM; aut Vopiscum in Probo: UBIQUE PAX, *ubique Romanæ Leges*; ac paullo ante: Pag. 103. Tacit. Ann. XV. c. 27. Cap. XX.

Ibidem. *Totum mundum fecerat iam Romanum.* Sic FUNDATOR PACIS dictus in genere Seuerus, in eius nummis, iuxta simile Spartiani de eodem testimonium: Cap. XXII. *In æternum* PACE FUNDATA, & quomodo in singulari Philippi Patris nummo legitur PAX FUNDATA CUM PERSIS; haud aliter ac apud Lib. XLIII. c. 5. Justinum: *Parta pace & securitate* FUNDATA. Neque vero *fundatam* solum vel *Augustam*, sed ÆTERNAM etiam ac PERPETUAM, ut diximus, PACEM prædicant rursus Cæsariani nummi, & quidem sub variis symbolis, vel Templi Pacis in Augusto; vel Templi Jani Clusi in Tiberio; vel stantis Mulieris cum Oleæ ramo siue Hasta, ut in Alexandro Seuero, Gordiano, aliisque e sequentibus Imperatoribus; vel Pacis arma comburentis, ut in M. Antonini nummo Regiæ Gallorum Gazæ, ac in aliis deinde Alexandri Seueri, Gordiani, & sequentium aliquot Imperatorum; idque, ut manifestum, ad ÆTERNÆ PACIS, quam præferunt iidem nummi, symbolum. Nempe iuxta illud Maronis:

Æneid. IV. ℣. 99. *Quin potius* PACEM ÆTERNAM *pactosque hymenæos*;

& apud Senecam, sed quod de morte ibi ab eo dicitur: *Excepit illum Magna & Æterna Pax.* Postremum vero, ut hoc addam, *Æternæ* id genus *Pacis* typum, arma nempe comburentis, in Galbæ similiter, Vitellii, Vespasiani ac Antonini Pii nummis, exhibet eadem Gaza Regia.

Occurrunt adhuc aliæ singulares in Cæsarianis nummis PACIS inscriptiones, ut in Pupieno & Balbino PAX PUBLICA, interempto nempe hoste publico, quod monuit iam celebris Antiquarius, Maximino, & quem quidem nummum in Pupieno exhibet eadem Gaza; adde, in Gallieno insuper Gaza Medicea. Immo in Græcis quoque Imperatorum vel Augustarum nummis legitur aliquoties EIPHNH, eaque Cereris instar, Spicis coronata, & cum prominentibus insuper e sinu Spicis; sicut in Agrippinæ Neronis matris nummo apud Tristanum, ac in altero Titi, ab eo, quem idem nobilis Antiquarius protulit, aliquantum diuerso, in quo stans Pax mulieris habitu cernitur, quæ dextra Spicas, sinistra Caduceum præfert, cum nomine EIPHNH, & ad quam similem Pacis iconem respexit Tibullus:

Vaill. Num. Imp. P. I. p. 157.

Lib. I. Eleg. 10. *At nobis* PAX *alma veni*, SPICAMQUE *teneto:*

a Obseru. in Callim. p. 748. b Hymn. in Cerer. ℣. 138. ut id hic iam olim monui, & postea [a] ad Callimachum, ubi de Cerere dicitur: [b] Φέρβε καὶ ἐγάναν, *Foue & Pacem*, adductis eorundem nummorum iconibus diligentius illustraui, quæ hic itidem, ut debito eam in rem loco, sequuntur.

Sicut

Sicut vero, PAX AUGUSTA, ut vidimus, ita etiam EIPHNH ΣΕΒΑΣΤΗ dicta in Hadriani nummis: nempe Θεὰν Εἰρήνην vocat Euripides, & *Pacem Deum* dixit haud semel Liuius; & inter alios Phineus apud Valerium Flaccum: *Quæ iuuenes, sine Pace Deum.* In Oreste v. 1683. Argon. lib. IV. v. 477.

II. *De singulari* Vitellii *nummo.*

Haud vero præterire hic debet præclari nummi ectypum, quod tua opera curatum ad me ex urbe misit vir summis ornamentis generis, animi, fortunæ, præditus, sed nouo ostri fulgore factus adhuc splendidior Cardinalis Maximi. Exhibet autem ille nummus hinc Vitellium laureatum cum solitis principatus titulis & GERMANICI cognomine, illinc tres figuras, unam solitum Romæ, sedentis, galeatæ, & clypeo innixæ, typum, cum Victoria præ manibus, quæ coronam stanti & togato offert Vitellio, stante itidem a tergo muliere tunicata; quæ autem non, ut statuere quis posset, Germaniæ, & quod liquere potest ex habitu, qui nihil habet barbari aut consoni cum aliis Germaniæ typis, verum, cum iuxta usitata Dearum id genus apud Romanos simulacra, tum ex inscriptione addita, *Pacis* ipsius effigiem exhibet. Integra proinde nummi epigraphe PAX GER. ROMA, non *Pax Germaniæ Roma*, sed *Pax Germanici*, ut adposite insuper ad amatum Vitellio cognomen, atque ad illos solemnes & indicatas paullo ante in Cæsarianis nummis inscriptiones, *Pax Augusti*, respiciatur.

Cuius autem nummi pridem a me hic vulgati facta dein occurrit mentio a celebri Antiquario, qui eundem haud immerito inter præstantissimos Vitellii nummos retulit. Ut nunc mittam in priori nummi area omissum CÆSARIS, expressum vero AUGUSTI cognomen: utrumque ad Taciti, sed qua de re iam supra, fidem. Vaillant Num. Imp. P. I. p. 27. Differt. XII. p. 350.

VII.

De TEMPLIS, *quæ comparent in nummis Imperatorum.*

QUid iam adtingam neque unius generis OPERA ab iisdem Cæsaribus, aut in eorum honorem vel erecta vel restaurata, quorum formam ac memoriam prisca hæc Nummorum supellex præbet; & quæ nobis sunt hodie pro *diurnis Urbis Actis*, quibus talia mandari solita Tacitus refert. Huius generis sunt tot ÆDES DEORUM, seu TEMPLA, quæ ab Imperatoribus sunt exstructa vel refecta; aut in ipsorum etiam honorem & cultum, cum in Urbe tum in Prouinciis, condita. Annal. XIII. c. 31.

1. *De Templis* Jovi, *sub variis cognominibus consecratis.*

Ac in Urbe quidem, quum nihil vel sanctius vel celebrius fuerit Æde Iovis Capitolini, Ædiculam eius, seu Cellam verius distylon, cum Dei illius simulacro, antequam nempe illud Templum a Vitellianis, ut aliunde liquet, incenderetur, in Vitellii nummo depictam intuemur cum inscriptione I. O. Max. Capitolinus. Cuius etiam nummi, haud vulgo obuii, iconem, ut a laudato aliquoties Chiffletio ad me Roma transmissam pridem hic protulimus, ita a celebri dein Antiquario multis post annis itidem expressam in Vitellio cernimus. Cui simul, sculptam iam ante in Petiliæ Gentis nummo, hexastylon Capitolinæ huius Ædis, cum Capitolini Iouis nomine ac simulacro in priori nummi area, effigiem, & cui haud dissimilis itidem in Pompeia cernitur, hic addemus; ac simul alteram, quæ in præclaro, & e maximorum quidem genere, Commodi nummo cernitur. Quibus alium eiusdem generis nummum cum ipsius Iouis Capitolini capite, atque eiusdem quidem Imperatoris, e GazaGallorum Regia, haud inuitis credo Lectoribus, adiungemus.

In quo autem priori Vitellii nummo id obiter notandum venit, præmissam in eo solitam I. O. Max. *Iouis Optimi Maximi* appellationem, quæ nempe erat huic *Ioui Capitolino*, quod aliunde notum, propria ac peculiaris. Unde etiam a Romanis Scriptoribus, citra ullam *Capitolii* aut *Capitolini* mentionem, *Iouis Optimi Maximi* Templum frequenter dicitur, ut a Cicerone in Verrinis; alibi *in Cella Iouis Optimi Maxinni*, qualis in hoc Vitellii nummo cernitur; & apud Liuium: *Templum Iouis Optimi Maximi.* Nempe quod iis nominibus simulacrum eius foret in eo Templo consecratum, iisque soleret ille inuocari; ut rursus apud Tullium: *Cum audissent simulacrum Iouis Optimi Maximi dedicatum*; dein: *Ubi ne precari quidem Iouem Optimum Maximum, &c. possit.* Neque vero miraberis, ut opinor, duabus sequentibus Templi Capitolini iconibus nullum insertum Iouis ipsius simulacrum. Præterquam enim quod nomen eius ac effigies, ut modo iam innui, in priori *Petiliæ* Gentis nummi area signabatur, frons exterior demum illius Templi in eo & sequenti nummo depingitur; non vero interior illius Cella, in qua, ut in priori Vitellii nummo, erectum

Lib. vii. c. 3.

Lib. iv. in Verr. c. 28.

Ibid. c. 32.

erat

erat Iouis signum. Qualia proinde Templa seu Templorum frontes, sine ullis Deorum, quibus cæteroquin erant illa consecrata, simulacris, comparent frequenter, ut alibi iam adtigi, in priscis nummis; quod subinde etiam in processu huius de Templis, quæ in Cæsarianorum nummorum penu comparent, commentationis videbitur. Ipsum vero sacrificium pro nuptiis COMMODI & CRISPINÆ in postremo nummo expressum, & addita pro felicibus earum auspiciis VOTA PUBLICA, & de quibus iam ante obiter egimus, quod sit alterius loci, hic non tango. Dicatum vero in eodem Capitolio IOVI TONANTI ab Augusto Templum, sed ut Capitolini Iouis Janitori, quod a [a] Suetonio ac a [b] Dione traditur, quodque hexastylon inter Augusti [c] nummos conspicitur: ac in aliis insuper IOVI DEO tetrastylon, & præterea hexastylon IOV. OLY. seu *Ioui Olympio:* verum quod postremum non Romæ, sed Athenis, Augusti temporibus, eiusque Genio, ut id a [d] Tranquillo dicitur, fuit destinatum, ab Hadriano vero demum, ut ex [e] Pausania & [f] Spartiano constat, consecratum.

a August. c. XXIX.
b Lib. LIV. P. 523.
c Vaill. Num. Imp. P. II. p. 38.
Idem ibid. P. I. p. 3.
d August. c. LX.
e In Attic. p. 16.
f In Hadrian. c. XIII.

Mitto adhuc alia IOVIS in urbe TEMPLA in iisdem Imperatorum nummis conspicua, ut IOVIS CUSTODIS Templum, quod illi Deo in Capitolio, teste [g] Suetonio, & quidem *ingens*, iuxta [h] Tacitum, ut viderunt iam præstantes Antiquarii, sacrauit Domitianus, cum Iouis simulacro sed citra eius nomen: & quale Templum hexastylon adhuc in nummis eius prostat. Verum cum IOVI SOSPITATORI a Caracalla dicatum sit cum illo nomine in Urbe Templum, & aliud IOVI ULTORI ab Alexandro Seuero, idemque porticibus variisque statuis in eius pronao exornatum, intus vero cella seu Ædicula tetrastylos cum Iouis simulacro, ut ab Auctoribus proditum est memoriæ, haud immeritò magni muneris loco habenda tot præclara numismata, quæ nobis post multorum sæculorum decursum non solum eadem templa, verum etiam ipsorum numinum simulacra ob oculos ponunt. Quas autem tot IOVIS CUSTODIS a Domitiano, aut IOVIS SOSPITATORIS a Caracalla; IOVIS vero ULTORIS ab Alexandro Seuero exstructas insignes Ædes cum statuis aliisque earum ornamentis haud illibenter; ut opinor, licet ab aliis iam prolatas, hic adspiciet Lector.

g Domitian. c. 5.
h Histor. III. c. 74.

Vaill. Num. Imp. P. II. p. 108 Tristan. To. II. p. 176.

Quum vero simulacrum IOVIS CONSERVATORIS occurrat in plurimis Imperatorum nummis; eius Templum hexastylon in singulari, & e maximorum genere, Diocletiani nummo primum, quod equidem sciam, cernitur, & quidem qui exstat in Gaza Gallorum Regia, cum inscriptione, quod docebit cum modo adductis nummis expressa inde eius effigies, IOVI CONSERVATORI AUG.

Vaill. ut supra P. I. p. 142.

2. *De Templo* MARTIS ARMIGERI *in nummis.*

Mitto, neque enim vacat vel necesse erit, omnes Deorum in nummis Imperatorum conspicuas huc aduocare Ædes, ut MARTIS ULTORIS, quam bello Philippensi ab Augusto votam, ac dein ab eo perfectam dedicatamque, ut de ea [a] Tranquillus ac [b] Dio, exhibent eius [c] nummi.

Quo loco haud prætereundum venit rotundum Martis ΟΠΛΟΦΟΡΟΥ, uti dicitur in epistylio, seu *Armigeri*, templum peculiaris structuræ cum ipsa Martis statua, & a dextro Ædis latere Popa Taurum malleo perculere paratus, ac victimarius, a sinistro tres figuræ supra Aram accensam libantes. Extat hic, & e maximorum quidem genere, inter Gordiani nummos tum [d] Regiæ Gallorum Gazæ tum [e] Abbatis de Camps, sed aliquantum diuersi typi.

a August. c. XXIX.
b Lib. LIII. p. 526.
c Vaill. Num. Imp. P. II. p. 38.
d Tab. XXVI.
e Pag. 87.

3. *De* HERCULIS VICTORIS *Templo.*

HERCULIS autem VICTORIS Templum, quamquam citra Dei nomen & cognomen, sed in utroque cum Hercule, vel cum Centauris depugnante vel sacra faciente, & in priori cum Aquila in Templi ipsius Zophoro, ostendunt præclari Antonini Pii nummi apud Abbatem de Camps; quod ad eos iam vidit celebris Antiquarius. A quo vero nollem ibi monitum:

Pag. 25.

„ Templum illud *Herculis Victoris* Romæ extructum, ut arguit *Aquila* „ in eius frontispicio, imperii insigne, quod repræsentare voluit Antoni„ nus, quasi Hercules, ob id solum factum (debellatos nempe, quod in eodem nummo signatur, Centauros) „ cultum & Templum fuisset meri„ tus. Quæ profecto sunt valde, ne quid præter morem meum asperius dicam, aliena, nec ulla inde Romæ ædes sacrata, nec nummus *Herculi Victori* percussus posset equidem statui. Neque enim ignorare debuit vir nummorum veterum usu & tractatione præ aliis hac ætate insignis, & quod ei ex eadem nummorum, qui Romæ vel in Græcia Asiaue percussi sunt, pœnu constare debuerat, signatas crebro in Templorum fastigiis Aquilas, unde illa etiam ἀετώματα, vel αἰετοὶ, sint a Græcis dicta, uti pridem apud Aristophanem, cuiusque ea de re locum citant veteres Grammatici:

Auib. v. 1110.

Εἶτα πρὸς τούτοισιν, ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε,
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν.

Quod, iuxta nouam & accuratam eruditissimi Tiberii Hemsterhusii versionem, ubi αἰετὸς per *fastigiatum tectum* redditur, significat: *Præterea tanquam in Templis habitabitis: Domus enim vestras fastigiato tecto educemus:* ubi ab erudito ac veteri Scholiaste adnotatur: Τὰς γὰρ τῶν ἱερῶν στέγας, πτερὰ καὶ ΑΕΤΟΥΣ καλοῦσιν, *Templorum enim tecta Alas & AQUILAS vocant.* Immo iam ante Pindarus:

Olymp. Od. XIII.

Η Θεῶν ναοῖσιν ΟΙΩ-
ΝΩΝ ΒΑΣΙΛΗΑ δίδυ-
μον ἔθηκ',

Aut in Deorum Templis VOLUCRUM REGEM *geminum posuit:* [a] quod nempe vulgo duæ Aquilæ in anteriore & posteriore Templi parte, ut ibi Didymus, & e priscis etiam nummis constat, seu ab utriusque fastigii lateribus, ponerentur. Quod autem notat alicubi [b] Vitruuius Ædes Doricas Marti & Herculi erigi solitas, id egregie firmant iidem nummi.

a Ὅτι διπλᾶ τὰ ἀετώματα, ὄπισθεν καὶ ἔμπροσθεν.
b Lib. I. c. 2. p. 6.

Non

Non hic tangam ÆSCULAPII Templum, cum Dei illius nomine, & ex Græcia in Inſulam Tiberinam aduentu, in ſingulari eiusdem Antonini nummo expreſſum, ac in ſuperiori [a] huius Operis parte iam adductum ac illuſtratum: nec tamen DEARUM, & memorabilia quidem, Templa hic ſinam indicta. Occurrunt aut [b] MATRIS DEUM SALUTARIS, ſeu Cybeles, Ædes in Fauſtina Seniore, vel [c] IUNONIS MARTIALIS in Auguſto, ac in Treboniano Gallo & Voluſiano inſuper; aut [d] VESTÆ in Lucilla L. Veri aliisque inſuper Imperatorum vel Auguſtarum nummis: qui autem, quum nec vulgo ſint obuii, & ſignatæ in iis Ædes haud vulgaris ſint ſtructuræ, præter Fauſtinæ nummum iam ſupra a [e] nobis exhibitum merentur omnino hic conſpici.

4. *De Templis* MATRIS DEUM, IUNONIS SALUTARIS, *&c.*

a Differt. IV. p. 217.
b Numism. Reg. Gall. Tab. IX.
c Num. Abbat. de Camps p. 107. & Triſtan. To. II. p. 668.
d Abbat. de Camps ibid. p. 41.
e Supra p. 290.

Quum autem quadrata, ut plurimum, forent Gentilium Templa, hîc tamen, quod obiter aduertendum venit, non VESTÆ ſolum, ſed duo priora etiam, MATRIS nempe DEUM & IUNONIS MARTIALIS, rotunda itidem videas. In prioris vero Templi, & ad quod gradibus adſcendebatur, pronao ſculptum viſitur illius *Deûm Matris*, ſeu MATRIS MAGNÆ, ut in aliis Romanis nummis dicitur, ſimulacrum. Alterius vero, ſeu IUNONIS, Ædis pulcrum omnino ac ornatum cernitur in eo nummo, ac θολοειδὲς quidem, ut de Pantheo ab Agrippa exſtructo a Dione dicitur, faſtigium. Ad tertium vero, ſeu VESTÆ Templum tetraſtylon, quod adtinet, præter θολοειδὲ itidem eius formam, e gracilitate Columnarum agnoſcis, ut opinor, ordinis illud eſſe Corinthii, de quo nota ſunt, quæ tradit Vitruuius: *Tertium vero, quod Corinthium dicitur, virginalis habet gracilitatis imitationem:* opportune proinde ad dicatum VESTÆ Templum, & ſex virginum Veſtalium, quas ad Aram accenſam libare ibi cernimus, conſpectum. Mitto, quòd huic *Veſtæ* Aram humilem, ſicuti *Terræ* (quæ eadem cum Veſta) & *Mari*; Diis vero Cœleſtibus excelſam ſtatui ab eodem Vitruuio alibi traditur.

Lib. III. p. 515.

Lib. IV. c. I. p. 61.

Idem ibid. c. 8. p. 77.

Miſſis vero Cœleſtibus aut Terreſtribus hisce Deabus, CLEMENTIÆ Templum hexaſtylon, illudque rotundum itidem, a [a] Plutarcho ac a [b] Dione memoratum, nummus Julii Cæſaris, cuius Clementiæ erat illud ſacratum, exhibet, ac vulgarunt iam in eius nummo præſtantes [c] Antiquarii. Quam inſigne vero Templum illud CONCORDIÆ, quod ſequenti anno belli Dalmatici, ut e [d] Dione monuit iam [e] celebris Antiquarius, confectum, & quidem Auguſto adhuc ſuperſtite, dedicauit Tiberius; cuiusque factæ ab eo dedicationis meminit quoque [f] Suetonius! Quod utique inter maxime notabiles,

5. *De Templis* CLEMENTIÆ, CONCORDIÆ, & PACIS.

a In Cæſare.
b Lib. XLIIII. p. 243, 244.
c Num. Ducis Arſchot. Tab. IV. n. II.
f Tiber. c. XX.

Vaill. Fam. Rom. in Æmil. XLVII. d Lib. LVI. p. 586. e Ad Num. Abbat. de Camps p. 5.

les, non Abbatis solum de Camps, sed Regiæ etiam Gallorum Gazæ nummos spectatur, dignumque omnino est, quod hic quoque prostet.

Structuram quidem in Templo hexastylo vides Doricam, cum duabus ab utroque latere Ædiculis, insertaque *Concordiæ* Ara in ingressu, cum Tiberii vero ac *Drusi*, eius filii, statuis, desuper in zophoro S. P. Q. R. ipsum Templi fastigium variis Statuis decoratum; in summitate vero eius Aquilam nemo mirabitur, qui nouit illo ornamentorum genere Templorum apud Gentiles fastigia fuisse frequenter decorata; immo, ad *Aquilam* quod adtinet, cum Ἀετώματα, tum Ἀετοὺς fuisse illa interdum, uti obiter ea de re iam ante, nuncupata. Neque vero CONCORDIÆ solum sub Augusto, sed etiam PACI PERPETUÆ Templum hexastylon, cum Ara in ingressu, sacratum in eius nummis comparet. Quo loco haud reticeri debet opus tota Urbe Roma, ut de eo Herodianus, maximum atque pulcherrimum, PACIS nempe Templum foro proximum a Vespasiano extructum; cuius effigiem, quod viderunt iam celebres Antiquarii, exhibent præclari Vespasiani ac Titi nummi: Ædem nempe hexastylon plurimis statuis in zophoro, ac tribus intra ipsam Ædem, aliis duabus ad eius latera, & duabus Aquilis supra epistylium ornatam, cum literis infra S.P.Q.R.

Lib. 1. c. 14.

Num. Duc. Arsch. Tab. XXVII, 2. Antiq. Rom. To. IV. p. 1028.

Superbum vero illud Pacis Templum inter Commodi insuper nummos a me Romæ olim visum hic monueram; ac proinde necdum incendio, quod mox, teste Herodiano, sub illo Imperatore contigit, dirutum. Certe ætate sua combustum illud docet una cum sua ἀποθήκη Galenus eo libro, quem scripsit Seuero & Caracalla imperantibus; & cuius ea de re locum, quem ad Suetonium iam indicasse vidi postea magnum Casaubonum, olim adtuli: Ὁπότε καὶ ΤΟ ΤΗΣ ΕΙΡΗΝΗΣ ΤΕΜΕΝΟΣ ἐκαύθη, *quando etiam* PACIS TEMPLUM *arsit.*

Lib. 1. c. 14.

De Antid. l. 1. p. 433.

Ad Vespas. c. IX.

Neque

Neque vero sacrata solum dictis modo Diis ac Deabus, aut aliis Numinum loco habitis, sed etiam dicata ipsis Imperatoribus in Urbe Templa, ostentat hæc Cæsarianorum nummorum penus. IULIO CÆSARI ex Senatusconsulto exstructum ab Augusto in foro Templum cum epigraphe DIVO IULIO EX S. C. inter Augusti nummos etiamnum visitur. Pycnostylum illud fuisse, seu cum crebris columnis, tradit Vitruuius; quæ tamen non conspiciuntur in duobus sequentibus, qui hanc Iulii Ædem tetrastylon tantum exhibent, nummis. 6. *De Templis Romæ ipsis Imperatoribus dicatis.* Lib. III. c. 2. p. 41.

Cuius cæteroquin Diui Iulii Ædis ea dein habita est a Romanis inuiolata sanctitas, ut, quod alibi obseruat Dio, nemo, qui ad Iulii Cæsaris sacellum confugerat, posset inde extrahi; quale priuilegium nulli Deo, ut addit idem Dio, erat concessum, & ne quidem, lapsu temporis, Romuli Asylo. Eiusdem vero Ædis meminit obiter Tacitus; dum *ante Ædem Diui Iulii* iacuisse confossum Romæ T. Vinium in rebus Galbæ memorat: ac similiter Suetonius, a quo ante Diui Iulii Ædem defunctus Augustus a Tiberio laudatus dicitur. Lib. XLVII. p. 338. Histor. lib. I. c. 42. August. cap. c.

Ipsi vero AUGUSTO erectam quoque in Urbe, e regione Templi Pacis, Ædem e Sexto Rufo viderunt iam eruditi; eam autem octastylon ac ab Antonino Pio, de quo aliunde non constaret, restitutam docent huius Imperatoris nummi inscripti ÆDES DIVI AUG. RESTITUTA COS. IIII. aut etiam, teste celebri Antiquario, qui & prioris inscriptionis alibi meminit, TEMPL. DIVI AUG. REST. COS. IIII. Num. Imper. P. I. p. 78.

Exstat etiam Templum FLAVIANI nomine, in honorem parentis Vespasiani, totiusque simul FLAVIÆ Gentis a Tito conditum, illudque hexastylon cum tribus statuis in eius ingressu, ipso autem Templi fastigio Equestribus Statuis in lateribus, & Quadrigis supra eius capitulum, exornato, & cum singulari inscriptione ÆTERNITATI FLAVIORUM; ut liquebit ex sequenti eius schemate, quodque in Domitiani nummis, ut obiter hoc addam, similiter visitur. Num. Ducis Arschot. Tab. XXX, 19.

Ædem vero FAUSTINÆ Senioris (Antonini Pii Coniugis) Romæ quoque constitutam abunde euinceret pulcherrimum Templum hexastylon in nummo illius Augustæ, consecratæ ac iam DIVÆ, ut in priori parte dicitur, obuium, cum inscriptione [a] ÆDES DIV. FAUSTINÆ, in aliis etiam [b] ÆTERNITAS, etsi non etiamnum Romæ supereſſent, & quæ toties ibidem vidimus, præclara, in sacra olim via, eius fragmina, cum epigraphe DIVO ANTONINO ET DIVÆ FAUSTINÆ S. C. Ut vere omnino sit a Capitolino adsertum, quod ea sit [c] *a Senatu consecrata, delatis ei Circensibus atque* TEMPLO.

a Num. Duc. Arschot. Tab. XLIV, 12. Vaill. Num. Imp. P. II. p. 172.
b Num. Duc. Arschot. Tab. XLIV, 10, 11. Vaill. Num. Imp. P. I. p. 80. P. II. p. 172.
c In Anton. Pio. c. VI.

7. *De templis in Prouinciis Imperatoribus dedicatis.*

Alia adhuc Templa honori Imperatorum Romæ dicata, quæ in eorum nummis etiamnum conspiciuntur, iam hic non tangam: uti vel [a] SALUTI AUGUSTI in Tito; vel [b] MEMORIÆ ÆTERNÆ in Maximiano Herculio, Constantio Chloro, Romulio, aliis. Verum haud Romæ solum, sed dedicata quoque Imperatoribus in Prouinciis Templa, & quorum subinde fit a priscis Scriptoribus mentio, ostentant adhuc eorum nummi; IULIO quidem CÆSARI *Ephesi* ac *Nicææ*, clarissimis Asiæ Bithyniæque ciuitatibus, Templa Augusti permissu facta docet [c] Dio Cocceianus. De ipso vero AUGUSTO notat Suetonius, [d] *quod in nulla Prouincia nisi communi* SUO ROMÆQUE *nomine* TEMPLA *recepit*. Quale utique exstat hexastylon a *Communi Asiæ* exstructum, cum inscriptione in epistylio ROM. ET AUG. ac ab utroque Templi latere COM. ASI. quodque *Pergami*, consentiente Augusto, fuisse constitutum e Tacito discimus: *Cum Diuus Augustus* SIBI ATQUE URBI ROMÆ TEMPLUM *apud Pergamenos fieri non prohibuisset*. Id firmat etiam Dio, qui extraneis hominibus, sicut ipse Græcos appellabat, concessisse Augustum tradit, ut sibi quoque, nullâ factâ ibi *Romæ* mentione, sicut parenti Julio, Templa dicarentur; quodque sit ab Asianis *Pergami*, a Bithynis autem *Nicomediæ* factum. Quod postremum de Bithynis ostendunt etiamnum duo insignes Hadriani nummi, in quibus Templum octastylon visitur: unus cum Latina inscriptione COM. BITH. *Commune Bithyniæ*; ac in Templi frontispicio ROM. S. P. AUG. uti eum adducit celebris Antiquarius; verum ubi pro S. R. exesis forte aliquantum duabus illis in nummo literis, ET legendum omnino crederem; nempe, ut in memorato modo Augusti nummo, ROM. ET AUG. *Romæ & Augusto*. Alter vero nummus cum simili Templo octastylo, & inscriptione KOINON BEIΘYNIAΣ, *Commune Bithyniæ*, idemque e maximorum genere, exstat iam, iuxta sequens eius schema, inter sculptos Gazæ Gallorum Regiæ nummos, dictos vulgo *Medaglioni*.

a Num. Duc. Arschot. Tab. XLIV, 12. Vaill. Num. Imp. P. II. p. 172.
b Num. Duc. Arschot. Tab. XLIV, 10, 11. Vaill. Num. Imp. P. I. p. 80. P. II. p. 172.
c In Anton. Pio. c. VI.
Annal. lib. IV. c. 37.
Ut supra. lib. LI. p. 458.
Vaill. Num. Imp. P. II. p. 144.

Quod

Quod vero nudum signo, seu Augusti effigie, illud Templum cernitur, ut alia quoque Templa, in variis priscis nummis, id iam antea non fuisse insolitum vidimus, ut & quod exterior solum earundem Ædium frons in iis sit expressa. Adde, quòd, non in Prouinciis solum sed in Urbe etiam, sacrum ROMÆ ET AUGUSTO Templum exstitisse, & quidem e regione Templi Pacis, e Sexto Rufo viderunt iam præstantes veterum Urbis Ædificiorum explanatores, & ad Suetonium eruditus Antistes. Torrent. ad August. cap. c.

Quamquam non stetisse videtur intra hos fines Augustus, aut prouincialium in eo colendo studium. Præterquam enim quod prudentes apud Tacitum in eo arguebant, *nihil Deorum honoribus ab eo esse relictum, cum se* TEMPLIS *& effigie Numinum* COLI VELLET; prostant etiamnum nummi & inscriptiones, in quibus ANTONIA, Neronis Drusi Senioris coniux, SACERDOS DIVI AUGUSTI tantum, non simul ROMÆ, dicitur, & quem nummum spectandum præbuit celebris Antiquarius. Immo, prout id egregie adstruitur duobus aliis *Pergamenorum* nummis, illinc cum Augusti effigie, hinc cum inscriptione ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Deum Augustum Pergamenorum*, citra itidem ullam ROMÆ mentionem. Illustris vero est, de *Templis* ac *Delubris* ubique in Romano orbe in AUGUSTI honorem extructis, apud Philonem locus: ubi nempe quodam totius orbis consensu cœlestes honores eidem Principi decretos tradit, ac inter alia ΝΑΟΥΣ, προπύλαια, προτεμένισματα, TEMPLA, *Vestibula*, *Delubra*, *Porticus*; ut hisce quidem, quod addit, nulla alia pulcriora in urbibus aliis videantur: τῷ Σεβαστίῳ certe, seu *Augusti Templo Alexandriæ*, de quo ibi pluribus agit, nihil esse magnificentius. Ne iam huc adducam minus utique sumptuosæ, vel amplitudinis vel structuræ, Templum tetrastylon, quod est a TEIIS in Ionia eidem Augusto, velut Conditori suo, dicatum, in nummo cum Augusti capite intra Ædem, & epigraphe ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ, *Augustus Conditor*. Annal. lib. I. c. 10. Vaillant Num. Imp. P. II. p 51. Idem Num. Imp. Græc. p. 5. Legat. ad Caium p. 1013.

At vero non *Augusto* solum, sed, eius exemplo, aliis dein Imperatoribus Templa similiter fuisse erecta, testatur indicato iam ante loco Dio Cocceianus, ac, præter aliorum adhuc Auctorum testimonia, e priscis eorum nummis itidem comprobatur. Ita, ut TIBERIO & SENATUI, certantibus eam in rem clarissimis Asiæ ciuitatibus, Templum a SMYRNÆIS conderetur, ab amplissimo Ordine, nec inuito Tiberio, concessum docet Tacitus. Quam autem utramque, PERGAMENORUM ac SMYRNÆORUM in honorem AUGUSTI AC TIBERII Ædem, in duobus insignibus Caracallæ nummis, qui prostant inter edita Selecta Abbatis de Camps Numismata, reperiri obseruat, qui eadem notis illustrauit, celebris Antiquarius; & quorum prior, Pergamenorum scilicet nummus, reconditur etiam in Thesauris Gallorum Regiis; hic autem, ac inter alia ob singularis in eo structuræ fastigium, conspiciendus. Ut supra. lib. II. p. 458. Annal. l. IV. c. 55, 56. Pag. 69.

Medium nempe Templum Iovi, Philio a Græcis dicto, & quale in Traiani nummo comparet; alterum, a dextris, Augusto; tertium Traiano, ob simile, de quo statim, ei dicatum a Pergamenis Templum, tribuendum, haud male statuit laudatus Antiquarius. Adde, quòd eadem Templa ex eorum genere sint, quæ *pycnostyla*, id est crebris columnis, vocat Vitruuius. Ab illis vero, de quibus paullo ante, in Ionia Teiis percussus exstat Neronis nummus ac Templum distylon tantum, & cum expresso Neronis capite, ac epigraphe ΝΕΡΩΝ ΤΗΙΩΝ. Uti vero Augusto, ita Traiano etiam, quod modo adtigi, consecratum a Pergamenis Templum tetrastylon, in quo ille a Victoria coronatur, exstat in iisdem dictis Thesauris Regiis cum inscriptione ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΤΩ ΘΕΩ ΣΕΒΑΣΤΩ, *Deo Seruatori Et Deo Augusto: Æsculapio* nempe, ΣΩΤΗΡΟΣ nomine a Pergamenis, ut aliunde constat, culto, & *Traiano*. Est vero memorabilis in primis in eadem Gaza Regia Caracallæ nummus, & e maximorum quidem, qui iam vulgati sunt, genere; in quo tres spectantur Ædiculæ, duæ in lateribus sex columnarum, media tetrastylos cum statua in singulis & cum literis desuper in zophoro. Supra priorem a dextro latere legitur ΑΥΡ. supra mediam ΑΝ. & supra tertiam ΣΕ, quæ Antonino Pio, M. Aurelio, & Sept. Severo easdem sacras indicant. Ac præterea cum inscriptione, ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΔΗΜΟΥ, infra ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Augustorum sub Aurelio Demo* Prætore, *Smyrnæorum Primorum Asiæ Bis Neocororum*.

Ut supra lib. III. c. 2. p. 41.

Nec omittendum hic venit (quod in eadem Regia Gaza, ac præterea in cimeliis illustris Foucault cernitur) Templum octostylon, cum inscriptione ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Nicomediensium Bis Neocororum* in num-

Vaill. Num. Imp. Græc. p. 73.

nummis Commodi. Unde adstrui videtur ac illustrari, id quod refert Dio, a Senatu nempe impetrasse Nicomedienses, ut Templum Commodo exstruerent.

Ipsius URBIS Templum, ne quid magnitudini aut magnificentiæ Urbis Æternæ deesset, ab Hadriano conditum anno, quo Natalem eiusdem celebrauit, indicat Nummus descriptus pridem ab antiquariis, ac citatus quoque viro incomparabili in Eusebianis, & doctissimo Valesio ad Ammianum, DCCCLXIV. NAT. URBIS P. CIR. CON. S.C. *Natali Urbis Populo Circenses Concessit Senatusconsulto.* Vaill. Num. Imp. P. 1. p. 63.

Jam quot veteres ac insignes ARCUS in iisdem Nummis videas etiamnum erectos vel AUGUSTO ob Vias Munitas, & signa à Parthis recepta; vel DRUSO & CLAUDIO de Germanis ac Britannis deuictis; vel GALBÆ ob Remissam Quadragesimam; vel NERONI, DOMITIANO, TRAIANO, SEVERO, POSTUMO, CONSTANTINO MAGNO, solita adulationis illorum temporum, iuxta ac Victoriarum, monumenta? Quam insignis inter alios sequens Arcus TRAIANI, tertio eius Consulatu erectus, iuxta præclarum Nummum, quem, e diuite ac cleganti penu antiquaria laudati sæpius genere ac meritis splendidissimi Camilli Maximi, multa rei antiquariæ peritia insignis Petrus Bellorius noster suppeditauit. 8. *De Arcubus, Pontibus, & aliis operibus Cæsarum publicis.*

Ex eodem vero Arcu diruto, eum, qui in Urbe adhuc hodie visitur, Arcum Constantini exstructum, liquet continuo fide huius Nummi. Neque proinde male id iam coniecerant superiori sæculo antiquarii, ut auctor est Marlianus, unde etiam Nummi huius præstantiam licet cuiuis æstimare: *In hoc autem* (Arcu Constantini) *sunt quædam mira arte sculpta, quædam non satis probantur: ideo multi volunt illa ex* ARCU TRAIANI *destructo ad huius ornatum translata, hæc ultro illis addita.* Pro *Arcu* vero *fornicem* dixisse Veteres vel ex Tullio videas: *Ad ipsum fornicem Fabianum*; unde illa glossa ad hunc locum veteris Grammatici inediti, & alibi iam mihi citati, e Bibliotheca Vossiana, *Arcus Latinum non est.* At præter Suetonium, Tacitum, aliosque, a quibus iam hæc vox Latio donata, certe ætate Seueri ac filiorum eadem, ut *Latina*, in Nummo Caracallæ publice signata, ARCUS AUGG. Quid commemorem tot alia Traiani Opera, quæ illum Pace non minus quam Bello clarum posteris reddidere, cuiusmodi occurrunt in his monumentis CIRCUS, PORTUS, FORUM, BASILICA, VIA, AQUA, BIBLIOTHECA, singula ULPIÆ vel TRAIANI nominibus appellata? PONTES denique eiusdem supra *Euphratem*, *Tigrim*, *Danubium*, in iisdem nummis adhuc conspicui; qui inscripti, vel EUPHRATES; vel VIRTUS AUGUSTI TIGRIS; vel PONS TRAIANI DANUVIUS, non minus ac Araxes *pontem indignatus*, & de quo Ponte scribit Procopius, eum Istri al-

Topog. Urb. Romæ.

In Verr. Act. 1. c. 7.

In Cimel. Regin. Christ.

Virg. Æneid. VIII. v. 728.

De Ædific. lib. IV. c. 6.

alluuie ac temporis lapsu corruisse; operis vero Architectum exstitisse Apollodorum Damascenum. Alios Pontes non commemoro, modo cum tribus aut pluribus fornicibus, quos exhibent interdum nummi Augusti, Seueri, Valeriani; modo supra naues positos cum traiectu militum, ut in M. Aurelio & Gordiano.

Quot insuper alia Urbis Æternæ decora eædem nummorum icones adumbrant, *Thermas*; *Theatra*; *Porticus*; *Vias*; *Macellum Neronis*; *Circum Maximum* cum *Obeliscis*, *Metis*, *Quadrigis*, *Euripo*; *Circum Caracallæ*; *Amphitheatrum* cum *Meta sudante*, ac parte *Domus Aureæ*; quæ vulgo, si rudera quædam excipias, non aliunde, quam ex his nummorum monumentis, antiquæ Romæ enarratores tradere solent, ac in conspectu legentium ponere. Præter notam in hoc genere Onuphrii, Donati, aliorumque industriam, docuit id Nardini ROMA ANTIQUA tuo, Octaui, beneficio in lucem feliciter adserta. Ita *Amphitheatri* a Gordiano restituti memoria non alibi, quam in præclaro eiusdem nummo conseruatur; unde illustratur Capitolinus, qui paullo ante in Senatu, hoc est tempore delati Balbino & Pupieno imperii, inter alia relatum refert a Consule, de *ædificatione Amphitheatri*. Sic in exorta inter eruditos Urbis Antiquarios controuersia, de Arcu *Portugalliæ* vulgo appellato, nosti me iis continuo accessisse, qui non Claudio, cum Ligorio, aut Domitiano, vel Philippo cum aliis, sed M. Aurelio eundem adiudicabant. Id enim mihi non minus ac optimo vindici Romanæ antiquitatis Benedicto Mellino nostro, fide veteris nummi comprobatum, in quo Faustina minor Victoriæ humeris in cœlum sublata cernitur; haud insolito consecrationis ritu, & cui gemina plane in illo Arcu figura eiusdem Augustæ spectatur. An vero illæ figuræ, vel M. Aurelii & L. Veri & Faustinæ, aliunde in Arcum illum insertæ fuerint, isque sit revera longe Antoninorum temporibus recentior; quæ sententia est laudati paulo ante rerum antiquarum egregie periti P. Bellorii, illi aliisque expendendum relinquimus. Hoc unum addere liceat, eandem Victoriæ alatæ figuram, in cœlum Augustam ferentis, mihi quoque obseruatam in matris Faustinæ nummo, quem Museo Augustæ Christinæ credo accessisse. Ut enim de Victoria potius, quam de Diana Lucifera, prout existimant nonnulli, easdem figuras alatas explicem, facit, præter solemnem hunc Victoriæ typum, Patris Seueri Alexandri, quod narrat Lampridius, somnium: *Pater eadem nocte in somnis vidit alis se* ROMANÆ VICTORIÆ, *quæ in Senatu*, AD COELUM VEHI.

In Cimel. Mediceo.

In Maxim. & Balbin. c. 1.

Vid. Joh. Vignol. Differt. de Column. Anton.

Cap. XIV.

Quin agmen hic claudat Sacrum illud Seruatoris Sepulchrum, seu Ædicula eidem superimposita, ac ANASTASIS etiam dicta, quam exhibet singularis nummus, de quo post Tristanum ac Sirmondum differuit ad Eusebium doctissimus Valesius. Eiusdem notæ nummum vidisse pridem iuuit apud clarum urbis Antiquarium Leonardum Agostini.

CONCLUSIO OPERIS.

Verum hæc alibi merentur expendi accuratius, & simul quæ ad Religionem Gentilium, Consecrationem, & Supellectilem veterum spectare videbuntur. Dum enim susceptо semel argumento lubenter hic inseruio, longius me paullatim prouectum video, quam ab initio instituti tecum sermonis constitueram, unde pedem etiam referre haud erit iam inconsultum. Neque difficulter missionem mihi largieris, OCTAVI iucundissime, qui vo-

voluntati tuæ obſequutus, minus iam illibenter conſpectu Urbis ac Italiæ veſtræ mihi carendum intelligo. Habebit enim hæc opera levem quidem, ſed dulcem tamen, & manſuram etiam apud poſteros, neceſſitudinis tecum contractæ recordationem, quam Florentiæ bonis auſpiciis cœptam, magna ſtudiorum animorumque conſenſione voluiſti coaleſcere. Eà quippe lubentius adficior hoc loco, quam vel Generis vel Ingenii tui, quamquam florentis utriusque, cumulatiſſima laude, quam non in Urbe ſolum, ſed apud exteros late jam diffudiſti. Meminiſſe enim potes, me primam illius notitiam acceptam ferre famâ nominis ac meritorum clariſſimis & amiciſſimis viris CAPPELLANO & HEINSIO, qui de tua ſingulari virtute ac eruditione profectionem in Urbem ſuſcipientem literis ſuis certiorem continuo fecere. Verum illam ſingularem ingenii tui præſtantiam, illud exaggeratum optimis artibus ac diſciplinis pectus, illud ſubtile & elegans in literis iudicium, arguit abunde arguetque adhuc luculentius, non iam ROMA ANTIQUA tuo beneficio reſurgens, ſed eidem Urbi decus ac lumen propriis doctrinæ tuæ monumentis quæſitum ac partum. Multa equidem, ut noſti, decora veterem me quodammodo nec plane incurioſum Urbis hoſpitem detinuerunt; Reginæ quondam Terrarum adſpectus; Pater Tiberis; Colles ſeptem Domini; Loci Genius; Cœli clementia; Incolarum comitas; Bibliothecarum copia; Veſtigia denique clarorum hominum, ac memoria locorum nusquam gentium magis conſpicua. Haud ullæ tamen hic mihi, aut in aliis Italiæ oris potiores illecebræ; haud acrius aliud diſceſſum parantis deſiderium, quam uſûs & conſuetudinis cum decoris eiusdem Cœli ingeniis, BONIS, MAXIMIS, OLIVIS, ALLATIIS, GRATIANIS, FERRARIIS, GOTTOFREDIS, POLLINIS, SEPTALIS, DATIS, MAGALOTTIIS, FAVORITIS, REDIIS, GRADIIS, CHIMENTELLIS, MELLINIS, RICCIIS; & dulcibus mihi ante alios, Parthenopes ac Floræ amoribus, ATURRE DUCE ac LUDOVICO STROZZA, minus clariſſimâ proſapiâ, quam incredibili quadam ingenii elegantia, humanitate, virtute, rerum uſu ac peritia florentibus. Quibus adnumerandus etiam venit, quamquam natus in alio ſolo, PETRUS VALERIUS DIAZIUS, vir ampliſſima dignitate, qua & antea Valeriæ Prouinciæ ac Bruttiis regendis præpoſitus, & iam inter ſupremos Regni Neapolitani curatores adlectus, fungitur, ita autem in omnibus harum artium ſtudiis liberaliſſimis doctrinisque verſatus, ut ſe non adeo Ant. Auguſtini conterraneum, quam æmulum probet. Quid JOANNEM MOROSINUM taceam, dulce decus non meum ſolum, ſed Patriæ inuictæ, ſed generis, quod Reges Principesque, ac tot claros Toga & Sago Heroas, complectitur, ſed artium omnium, quas vitæ elegantia ac ſplendore muneris longe lateque illuſtrat ac diffundit. Alios mitto in altiori adhuc faſtigio poſitos, ne vel oſtri, quod illos ambit, fulgor; vel ſummi Imperii in florentiſſimis Italiæ oris maieſtas, non autem grata beneficiorum recordatio, mentis oculos in ſe conuertiſſe videatur. Unum tamen ampliſſimi Ordinis præterire hic non poſſum SFORZAM PALLAVICINUM, qui cauet, ne hodie deſint Italiæ Phœnices ingeniorum, aut ne in erudita eius conſuetudine, quæ literatæ Romæ compendium præbet, nouus ego Tiberis accola veterem vel Tullii facundiam, vel Varronis ſcientiam deſiderarim; ſed aut eorum meri-

Differt. 1. p. 32. &c. Vaillant Præf. Num. Colon.

tis,

tis, aut tuis in me beneficiis enarrandis non immoror hic ulterius. Unum illud te rogo, mi OCTAVI, per coniunctionis nostræ necessitudinem, ne, si amori in me tuo plusculum quam mereor indulsisti hactenus, aut largieris in posterum, maiorem tamen amoris portionem, quam fides in te mea postulat, te mihi concessisse censeas. Ita nullo gratiori viatico procul a tuo & Urbis conspectu discedentem prosequeris.

FINIS.

INDEX
AUCTORUM

Qui in his Dissertationibus illustrantur, explicantur, aut emendantur.

Abul Pharagius. 553, 607
Ælianus. 334, 400, 419
Æschines. 395
Æschylus. 306, 327, 438, 451, 490, 491, 525, 527, 623. *em.* 537
Agathias. 391, 403, 504, 505, 582
Ammianus Marcellinus. 32, 75, 168, 267, 278, 300, 314, 337, 372, 375, 379, 380, 381, 391, 402, 414, 420, 438, 458, 459, 460, 481, 497, 501, 509, 534, 558, 559, 560, 561, 576, 582, 583, 587, 608, 628, 629, 632. *expl.* 385
Ampelius. 72
Apollonius Rhodius. 127, 211, 640
Appianus. 21, 38, 52, 55, 66, 67, 72, 73, 81, 82, 84, 94, 105, 106, 107, 109, 116, 121, 153, 164, 171, 172, 173, 178, 179, 181, 182, 183, 184, 220, 231, 233, 371, 397, 403, 404, 423, 428, 429, 430, 445, 448, 452, 470, 489, 556, 560, 573, 575, 586, 594, 609, 629. *ill.* 172, 347, 595, 629. *emend.* 32, 81
Apuleius. 63, 478
Aratus. 641
Aristides. 123, 131, 338, 376, 397, 399, 418, 499, 575, 595, 596, 610, 615, 617. *em.* 537
Aristophanes. 24, 127, 133, 258, 488, 490, 499, 522, 551, 552. *expl.* 646
Aristoteles. 615, 618
Arnobius. 399, 491, 536, 640
Arrianus. 24, 91, 92, 197, 359, 551, 561, 582. *ill.* 551
Artemidorus. 639
Asconius. 10, 40, 68, 70, 97, 160, 190, 198, 199, 470, 540
Athanasius. 330, 438, 481, 486, 613
Athenæus. 26, 123, 155, 210, 212, 292, 334, 400, 475, 522, 523
Athenagoras. 331, 376, 397
Auctor Belli Africani. 148, 166, 236, 237, 628, 631
Auctor Dialogi de Causs. Corrupt. Eloq. 342
Auctor Libelli de Nominibus. 23, 26, 40
Auctor Octaviæ. 329
Auctor Paneg. Constant. & Maxim. 490, 495, 496, 510, 513
Auctor Vitæ Pythagoræ. 371
Augustinus. 281
Aulus. 268
Aurelius Victor. 214, 243, 254, 255, 257, 264, 265, 266, 284, 288, 301, 311, 345, 377, 381, 388, 389, 426, 440, 482, 489, 495, 497, 508, 509, 510, 514, 562, 578, 623. *expl.* 626
Ausonius. 15, 21, 41, 52, 179, 345, 371, 380, 552, 560, 639, *expl.* 414, 558, *castig.* 553
Basilius. 536
Beniamin Tudelensis. 604
Cæsar. 32, 84, 92, 171, 184, 199, 233, 235, 236, 237, 318, 585, 618, *expl.* 92
Callimachus. 128, 333, 538, 539, 642
Calpurnius. 492
Capitolinus. 5, 136, 150, 157, 215, 243, 245, 247, 248, 249, 251, 275, 278, 293, 297, 301, 339, 340, 347, 352, 359, 360, 369, 401, 422, 426, 427, 433, 437, 444, 447, 449, 452, 501, 506, 507, 509, 525, 533, 543, 566, 567, 568, 581, 582, 583, 589, 595, 620, 628, 635, 636, 654, *illust.* 24, 544. *bis. expl.* 32, *emend.* 139, 248, 360
Cassiodorus. 110, 119, 255, 278, 421, 438, 442, 552, 559, 561, 562, 573, 626, 631, *ill.* 107
Cato. 101
Catullus. 292, 487, 538
Censorinus. 125, *expl.* 104, 116
Chronica Veter. 552
Chronicon Alexandrinum. 358, 447, 509
Chrysostomus. 25, 163, 200, 225, 279, 330, 334, 336, 372, 385, 387, 390, 397, 536, 561, 593, 606, 615
Cicero. 4, 6, 22, 24, 26, 28, 29, 30, 31, 33, 37, 38, 39, 41, 42, 43, 44, 46, 49, 51, 53, 55, 56, 60, 63, 67, 68, 70, 72, 77, 78, 81, 83, 84, 85, 87, 92, 96, 99, 102, 103, 104, 105, 106, 107, 109, 110, 112, 113, 116, 117, 119, 120, 122, 123, 130, 136, 139, 140, 141, 142, 143, 144, 148, 150, 155, 157, 161, 164, 165, 166, 167, 173, 183, 188, 189, 190, 192, 198, 199, 200, 213, 230, 273, 276, 342, 343, 362, 364, 365, 367, 429, 431, 434, 436, 446, 470, 473, 477, 479, 490, 533, 562, 570, 572, 575, 584, 585, 587, 591, 595, 627, 644, 653, *ill.* 10, 28, 32, 53, 69, 101, 117, 138, 156, 164, 186, 199, *bis. expl.* 109, 144, 149, 150, *em.* 27, 145, 342
Claudianus. 20, 87, 275, 276, 318, 386, 399, 437, 452, 458, 486, 487, 497, 521, 581, 628, 640, *expl.* 399, 454
Clemens Alexandrinus. 330, 331, 334, 409, 522, *ill.* 630
Codex Theodosianus. 104, 115, 117, 119, 141, 142, 151, 155, 168, 193, 262, 266, 318, 358, 415, 416, 438, 440, 454, 486, 534, 541, 542, 550, 551, 554, 555, 556, 557, 558, 559, 560, 562, 563, 564, 565, 566, 567, 568, 569, 570, 572, 602, 606, 609, 612, 614, *emend.* 314
Concilium Chalcedonense. 254, 610
Constantinus Porphyrogenneta. *expl.* 418
Curtius. 388
Cyprianus. 114, 115, 399, *expl.* 112, 113, 639, 640
Demosthenes. 24, 155, 551, 619
Dio Cassius. 3, 12, 29, 32, 33, 34, 42, 55, 58, 64, 66,

66, 67, 74, 75, 76, 79, 80, 84, 88, 91, 92, 93, 99, 105, 107, 111, 114, 115, 118, 119, 122, 123, 125, 129, 131, 136, 137, 142, 145, 150, 152, 154, 157, 158, 159, 171, 173, 178, 179, 180, 181, 183, 184, 187, 188, 189, 195, 200, 204, 206, 209, 213, 215, 217, 220, 232, 272, 275, 277, 279, 286, 287, 293, 294, 296, 297, 298, 316, 326, 329, 331, 332, 337, 338, 342, 343, 345, 352, 353, 359, 363, 365, 366, 368, 371, 375, 392, 393, 395, 398, 404, 409, 424, 425, 426, 427, 428, 429, 430, 433, 434, 435, 436, 437, 441, 442, 445, 446, 447, 448, 451, 452, 454, 456, 462, 463, 464, 467, 469, 471, 472, 473, 478, 479, 480, 482, 483, 485, 488, 492, 497, 541, 545, 546, 552, 554, 555, 560, 562, 566, 571, 575, 576, 580, 581, 584, 586, 588, 589, 591, 592, 594, 596, 597, 599, 610, 621, 622, 626, 630, 632, 633, 636, 641, 645, 646, 647, 649, 650, 651, *ill.* 205, 275, 404, 480, 545, *expl.* 63, 114, 280, 326, 346, 366, 425, 433, 472, *em.* 31, 37, 182, 340, 578, 591

Diodorus. 39, 66, 74, 105, 106, 210, 221, 224, 334, 371, 397, 418, 421, 499, 527, 585

Diogenes Laërtius. 24

Dionysius Halicarnassensis. 18, 20, 21, 23, 40, 48, 52, 54, 55, 66, 89, 90, 91, 93, 94, 95, 97, 98, 99, 100, 110, 129, 141, 148, 149, 152, 160, 171, 172, 189, 195, 202, 206, 207, 210, 214, 216, 219, 276, 428, 429, 433, 476, 477, 484, 540, 586, 616, *ill.* 89, 218, *em.* 219

Empedocles. 191

Ennius. 46

Epigrammata Vetera. 75, 225, 522, 523

Epiphanius. 604, 608

Etymologicum Magnum. 212

Eumenius. 636

Euripides. 127, 218, 491, 643

Eusebius. 25, 243, 255, 257, 268, 311, 312, 331, 372, 373, 382, 385, 386, 390, 398, 402, 412, 415, 416, 417, 419, 420, 423, 427, 435, 447, 482, 487, 495, 496, 509, 550, 552, 606, 631, 636

Eutropius. 214, 243, 256, 257, 264, 265, 267, 311, 312, 323, 345, 495, *em.* 258, 357, 377, 412, 426, 509, 576, 579, 585, 636, 637

Excerpta Peiresciana. 64, 267, 269, 271, 283, 333, 561, 624

Excerpta Valesiana. 266, 509, 521, 522, 594, 597, 614, 636

Fasti Capitolini. 48, 50, 97, 147, 173, 206, 222, 430

Festus. 33, 40, 119, 123, 145, 192, 218, 219, 220, 233, 235, 276, 363, 472, *expl.* 108

Firmicus. 486

Florus. 173, 348, 371, 388, 611, 625

Frontinus. 195, *expl.* 196, 197

Fulgentius. 639

Galenus. 336, 340, 631, 648

Georgius Syncellus. 257, 258

Gellius. 4, 34, 59, 96, 104, 164, 206, 219, 367, 563, 570, *expl.* 207

Geographus Nubiensis. 607

Glossæ Græco-Barbaræ. 236, 531

Glossarium Vetus. 170

Gregorius Nazianzenus. 197, 385, 402, 565, 634

Herodianus. 248, 269, 294, 297, 299, 334, 340, 354, 357, 376, 388, 389, 397, 398, 403, 423, 493, 614, 621, 629, 632, 648

Herodotus. 9, 276, 334, 419, 421, 451, 499, 561, 618

Hieronymus. 5, 168, 330, 331, 348, 377, 458, 459, 488, 535, 605, 638

Homerus. 334, 488

Horatius. 32, 35, 37, 38, 59, 60, 76, 87, 124, 126, 128, 189, 226, 228, 337, 450, 581, 630, 640, 641, *ill.* 204, *expl.* 60, 337, *bis.*

Hyginus. 235, 623, 629

Jamblichus. 330, 337

Idatius. 635

Incerti Epithalam. 510, 511, 513, 514

Inscriptiones Antiq. 7, 9, 11, 12, 24, 35, 45, 51, 65, 102, 107, 115, 127, 141, 154, 157, 160, 161, 165, 166, 175, 177, 180, 184, 185, 194, 197, 233, 235, 238, 270, 272, 274, 294, 295, 300, 301, 303, 309, 334, 337, 357, 368, 369, 383, 384, 387, 405, 416, 417, 418, 419, 439, 441, 443, 444, 446, 447, 451, 454, 464, 465, 467, 471, 474, 475, 482, 484, 494, 499, 501, 502, 503, 507, 508, 513, 527, 531, 543, 549, 550, 556, 564, 588, 594, 598, 611, 631, *expl.* 276, 295, 367, 465, 473, 474

Johannes Antiochenus. *expl.* 435

Jornandes. 255

Josephus. 11, 24, 55, 57, 80, 84, 88, 92, 107, 275, 284, 336, 352, 354, 396, 401, 418, 419, 434, 461, 483, 526, 536, 571, 573, 578, 579, 602, 605, 622, *expl.* 596, *em.* 7, 31, 327

Isæus. 615

Julianus. 84, 267, 292, 329, 334, 336, 382, 398, 419, 423, 453, 463, 486, 535, 553, 555, 560, 574, 629

Jus Civile. 4, 11, 22, 75, 95, 107, 110, 113, 115, 116, 117, 151, 159, 160, 166, 175, 194, 234, 236, 262, 269, 272, 294, 301, 370, 374, 376, 377, 384, 412, 413, 417, 454, 471, 480, 481, 485, 487, 488, 501, 531, 559, 561, 570, 572, 573, 588, 598, 600, 601, 603, 608, 610, 611, 613, *illustr.* 377, 481, 504, 508, 509

Justinus. 306, 561, 642

Justinus Martyr. 330, 340, 435, 609, *expl.* 604

Juvenalis. 21, 52, 122, 195, 216, 230, 234, 359, 442, 478

Kalendaria Antiqua. 122, 131, 539

Lactantius. 145, 312, 313, 372, 378, 380, 382, 389, 399, 412, 423, 459, 470, 495, 496, 509, 510, 511, 513, 514, 525, 527, 641, *expl.* 402, 420, 470

Lampridius. 99, 140, 166, 188, 195, 232, 269, 278, 289, 299, 339, 347, 359, 368, 383, 389, 423, 434, 435, 436, 438, 441, 445, 447, 456, 482, 484, 486, 492, 493, 506, 522, 529, 570, 588, 598, 654, *ill.* 359, *em.* 340

Latinus Pacatus. 482

Libanius. 372, 386, 387, 390, 423, 453, 486, 569, 570, 640

Livius. 3, 4, 8, 10, 13, 14, 15, 19, 21, 22, 23, 24,

24, 25, 27, 29, 30, 36, 37, 38, 40, 42, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 55, 56, 57, 61, 63, 64, 65, 68, 69, 70, 72, 73, 84, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100, 101, 102, 104, 106, 109, 110, 112, 117, 119, 120, 121, 122, 123, 128, 129, 130, 131, 132, 136, 137, 138, 140, 141, 143, 145, 146, 147, 148, 151, 153, 155, 156, 158, 159, 160, 164, 172, 173, 174, 175, 176, 181, 183, 185, 187, 188, 192, 194, 196, 200, 201, 203, 205, 206, 207, 209, 210, 214, 221, 223, 224, 225, 227, 228, 231, 234, 236, 276, 278, 297, 306, 359, 365, 367, 368, 369, 395, 421, 424, 448, 453, 462, 471, 473, 476, 479, 482, 485, 526, 534, 562, 570, 571, 584, 587, 618, 619, 631, 644, *illustr.* 33, 34, 63, 101, 177, *expl.* 95, 119, 122, 172, *em.* 26

Lucanus. 230, 318, 388, 399, 439, 451, 586
Lucianus. 334, 441
Lucretius. 20, 306
Macrobius. 13, 26, 40, 44, 61, 74, 76, 77, 85, 121, 123, 473, 539
Malela. 602, 609
Mamertinus. 459, 478, 481, 493, 494, 495, 497
Manetho. 130
Manilius. 127, 318, 334, *ill.* 317
Marcellinus Comes. 535
Marmora Felsinea. 43, 132, 416
Marmora Oxoniensia. 63, 309, 336, 358, 416, 435
Martialis. 230, 287, 354, 450, 478, 483, 488, 489, 494, 522, 630, *ill.* 521
Menander Comicus. *ill.* 488
Menander Rhetor. 123
Monumentum Ancyranum. 197, 361, 541, *expl.* 361
Nemesianus. 378, 492
Nepos. 53, 57, 81, 209, *ill.* 28
Nicephorus. 272, 384, 386, 488
Notitia Ecclesiæ. 612
Notitia Imperii. 497
Oppianus. 294, 488
Origenes, 330. 334
Orosius. 555, 560, 573
Orpheus. 127, 538
Ouidius. 71, 108, 119, 144, 145, 146, 147, 212, 220, 274, 275, 278, 359, 371, 442, 446, 450, 482, 487, 488, 521, 522, 539, 640, 641, *ill.* 6, 274, 445
Passio Perpet. ac Felic. 358
Pausanias. 75, 324, 331, 332, 369, 401, 435, 497, 640, 645, *ill.* 450
Philo. 35, 321, 375, 397, 448, 482, 532, 651
Philostorgius. 358, 386, 390, 582, 638
Philostratus. 270, 296, 338, 398, 421, 499, 524, 586, *ill.* 295, 596
Photius. 17, 163, 358, 371, 443, 580, *ill.* 510, 596
Pindarus. 318, 498, *ill.* 133, 646
Plato. 24, 123, 132, 435, 490
Plautus. 74, 192, 306, 395, 570, *expl.* 191
Plinius. 9, 10, 14, 15, 20, 30, 39, 40, 46, 56, 60, 61, 73, 76, 80, 99, 125, 130, 132, 137, 138, 180, 186, 188, 195, 196, 214, 219, 226, 228, 230, 235, 278, 319, 332, 343, 344, 346, 351, 360, 396, 401, 408, 410, 443, 462, 475, 476, 536, 539, 574, 599, 601, 602, 603, 604, 607, 624, 625. *illustr.* 62, 76, 122, 147, 430, 442, 605
Plinius Junior. 7, 65, 83, 85, 107, 190, 271, 287, 328, 352, 353, 367, 368, 401, 411, 423, 424, 436, 438, 441, 445, 448, 454, 460, 478, 482, 483, 500, 524, 525, 528, 530, 531, 535, 536, 537, 542, 543, 544, 576, 586, 593, 601, 620, 622, 629, 631
Plutarchus. 14, 18, 27, 34, 36, 38, 40, 44, 50, 51, 55, 63, 66, 67, 70, 73, 84, 87, 99, 100, 106, 107, 121, 139, 143, 149, 159, 165, 172, 178, 195, 196, 201, 206, 212, 214, 218, 219, 223, 224, 225, 226, 228, 233, 292, 316, 317, 336, 349, 350, 409, 416, 472, 477, 491, 586, 647. *expl.* 107, 187, *em.* 20
Pollux. 152, 155, 551
Polybius. 31, 55, 67, 71, 84, 98, 105, 106, 108, 172, 185, 205, 209, 210, 221, 224, 260, 597, 618, *em.* 181
Polyanus. 68
Porphyrius. 330
Porphyrius Horatii Interp. 189
Porphyrius Optatianus. 443
Procopius. 269, 294, 297, 370, 372, 385, 402, 451, 487, 505, 560, 563, 570, 581, 582, 583, 605, 613, 614, 639, 653
Propertius. 129, 218, 521, 522, 523
Prosper Aquitanus. 268
Prudentius. 274, 532
Ptolemeus. 332
Quintilianus. 22, 33, 39, 57, 62, 64, 75, 101, 478, 530, 550
Rutilius. 36, 197, *ill.* 88, 98
Sallustius. 4, 162, 233, 576, 579, 631
Scholia Pindari inedita. 133
Scholiastes Apollonii Rhodii. 123, 601
Scholiastes Aristophanis. 155, 216, 218, 292
Scholiastes Ciceronis inedituus. 458
Scholiastes Demosthenis. 601
Scholiastes Dionysii Areop. 424
Scholiastes Euripidis. 123
Scholiastes Homeri. 14, 15
Scholiastes Horatii. 189
Scholiastes Pindari. 123, 646
Scriptura Sacra. 226, 234, 236, 397, 484, 536, 605, 609, 617, *expl.* 418
Seneca. 19, 37, 57, 73, 116, 157, 188, 214, 234, 275, 343, 344, 369, 445, 446, 533, 624, 641, *ill.* 74, 530
Seneca pater. 45
Seneca Tragicus. 59, 283, 623, 640
Servius. 123, 133, 207, 218, 222, 228, 342, 367, 442
Sidonius. 64, 268, 357, 452, 475, 523
Silius. 14, 75, 87, 328, *ill.* 328
Socrates. 294, 334, 481, 638
Solinus. 624
Sophocles. 251, 491
Sozomenus. 497, 638
Spartianus. 84, 157, 197, 270, 271, 323, 332, 338, 346, 348, 353, 354, 355, 375, 382, 388, 389, 422, 425, 436, 437, 444, 447, 492, 497, 502, 503, 504, 506, 507, 508, 533, 534, 543, 552, 553, 555, 558, 562, 565, 566, 567, 568, 580, 582, 594, 609, 620, 622,

622, 623, 631, 642, 645, *expl.* 352, 626
Statius. 87, 271, 399, 450, 478, 483, *ill.* 328
Stephanus. 163, 332, 499
Stobæus. 130
Suetonius. 4, 13, 25, 28, 29, 33, 36, 37, 38, 39, 40, 42, 43, 47, 48, 49, 55, 58, 64, 66, 75, 76, 80, 81, 82, 90, 91, 93, 116, 118, 120, 125, 129, 145, 152, 157, 158, 165, 188, 198, 205, 206, 207, 211, 217, 233, 234, 236, 270, 271, 173, 274, 276, 277, 278, 279, 281, 284, 285, 286, 287, 316, 318, 320, 321, 322, 327, 329, 342, 343, 344, 345, 348, 349, 350, 351, 354, 359, 363, 368, 369, 370, 371, 375, 388, 393, 395, 397, 401, 402, 422, 425, 426, 428, 435, 436, 439, 446, 447, 452, 454, 456, 472, 475, 476, 477, 478, 482, 487, 499, 520, 522, 529, 540, 541, 545, 547, 550, 554, 562, 563, 570, 571, 572, 573, 575, 580, 585, 588, 591, 592, 597, 628, 631, 645, 646, 647, 649, 650, *ill.* 58, 425, *expl.* 139, *emend.* 277
Suidas. 212
Sulpitius Severus. 312, 388, 399, 402
Symmachus. 87, 88, 104, 137, 141, 142, 168, 306, 365, 414, 415, 438, 442, 450, 471, 481, 482, 486, 541, 550
Synesius. 398, 399
Tabulæ Capitolinæ. 125
Tacitus. 3, 7, 8, 9, 13, 19, 29, 30, 33, 34, 37, 38, 40, 42, 43, 55, 56, 57, 58, 65, 67, 73, 80, 91, 101, 104, 107, 117, 119, 120, 121, 122, 125, 146, 156, 157, 159, 160, 165, 167, 182, 183, 187, 188, 198, 205, 211, 216, 217, 226, 231, 232, 234, 237, 238, 242, 270, 272, 273, 275, 278, 281, 284, 297, 323, 327, 343, 344, 345, 348, 349, 350, 352, 353, 354, 355, 360, 363, 365, 366, 368, 369, 370, 405, 409, 413, 420, 421, 422, 424, 424, 426, 429, 436, 437, 442, 451, 452, 454, 464, 470, 472, 473, 475, 476, 477, 482, 489, 490, 492, 520, 524, 525, 529, 534, 540, 545, 550, 551, 554, 555, 559, 575, 576, 577, 579, 582, 583, 584, 586, 587, 589, 590, 591, 592, 593, 594, 610, 624, 628, 629, 630, 631, 632, 637, 641, 643, 645, 649, 650, 651, *illust.* 20, 71, 469, *em.* 37, 593, 619
Tatianus. 330, 336
Terentius. 74
Tertullianus. 63, 269, 275, 279, 290, 318, 330, 334, 399, 482, 490, 491, 607, 609, 631, 640, *expl.* 484, 617, *ill.* 191, 443, 481, *em.* 279
Themistius. 380, 450, 452, 455, 500, 553, 560
Theocritus. 538
Theophrastus. 401, 539, *em.* 537
Thucydides. 24, 292, 551, 586, 619
Tibullus. 211, 492, 642, *ill.* 196
Trebellius Pollio. 5, 84, 92, 258, 259, 260, 262, 306, 307, 323, 479, 568, 631, *castig.* 258
Valerius Flaccus. 641, 643
Valerius Maximus. 4, 19, 21, 30, 38, 39, 40, 45, 62, 67, 73, 90, 93, 95, 101, 148, 192, 204, 211, 226, 454, 473, 477, *expl.* 213, 227, *emend.* 26
Varro. 14, 40, 41, 55, 61, 76, 101, 102, 130, 143, 187, 192, 228, 570. *expl.* 202, *em.* 34
Vegetius. 228, 229, 489, 497, 632
Velleius. 4, 26, 29, 32, 55, 56, 57, 73, 81, 147, 176, 178, 207, 221, 222, 273, 275, 318, 342, 343, 365, 366, 368, 425, 426, 430, 431, 433, 462, 566, 631, 641, *expl.* 470
Victor Schotti. 254, 255, 256, 257, 261, 264, 265, 266, 311, 352, 357, 377, 388, 509, 510, 511, *ill.* 542, *expl.* 352, 567
P. Victor. 129, 188, 192, 195, *em.* 187
Victor Tunnunensis. 631
Virgilius. 15, 20, 36, 39, 123, 132, 202, 218, 225, 276, 318, 322, 337, 342, 379, 399, 420, 450, 487, 602, 618, 628, 640, 641, 642, 653. *ill.* 129
Vitruvius. 606, 646, 647, 649, 652
Vopiscus. 93, 113, 136, 278, 307, 348, 357, 376, 377, 402, 424, 481, 504, 505, 553, 560, 598, 621, 626, 629, 631, 635, 636, 641, *expl.* 263, *em.* 260
Vulcatius Gallicanus. 436, 437
Xenophon. 87, 416, 523, 551, 552, 601, 618, 619, *em.* 537
Zonaras. 243, 253, 255, 264, 300, 311, 312, 358, 381, 384, 412, 453, 477, 509, 552, 580, *ill.* 250
Zosimus. 124, 125, 126, 128, 249, 253, 254, 256, 257, 261, 262, 264, 265, 266, 358, 381, 385, 386, 414, 457, 497, 509, 538, 635, 640, *ill.* 124, 245, 249, 257, 414, 538, 636, *em.* 250, 251

INDEX

Imperatorum, Regum, Illuſtrium Virorum & Feminarum, ac Urbium & Locorum, quorum nummi exhibentur, illuſtrantur, aut citantur.

REx L. Ælius Septimius Abgarus. 579
Achilleus Aug. 264
M. Acilius. 14, 15
Aciſculus. 44, 76, 170
Aemonenſium, ſub Serotinio Capitone & Julia Seuera. 280
Æchmetus Æchmeti. 24
Ælia Capitolina, Colonia Commodiana. 606
L. Ælianus Aug. 264, 26
T. Æl. Cæſar Antoninus, 345, 355
Sex. Ælius Catus. 55
M. Æmilius Barbula. 88, 90
Mam. Æmilius Lepidus Liuianus. 30
L. Æmilius M. F. Regillus Pr. P. 176
M. Aimilius M. F. M. N. Paulus. 23, 35
Agrippa, Herennio Præt. 317
Agrippina Aug. Mater Auguſti, *Neronis nempe.* 279, 280
Agrippina Dea Mytilenæorum. 277
Mater C. Cæſaris Auguſti. 278
Seruilius Ahala. 53
Alabandenſium, *Caius & Lucius.* 319
Alabandenſium, Britannicus Cæſar. 326
Albia Dominica. 315
L. Albinus A. F. A. N. 125, 131
Albinus Bruti F. 78, 79, 80
Sp. Albinus Magnus. 66
Albini, Fortitudo Aug. Inuicta. 627
Alexander P. F. Aug. 265
Alexander Cleo, Sardianorum. 322
Alexander M. *in nummis Nicæenſ.* 163
Alexander Rex, *filius M. Antonii & Cleopatræ.* 317
Alexandri Seueri, Liberalitas Aug. IIII. 531
Germ. Deuicta. 637
Indulgentia Auguſti. 565
Pax Æterna. 642
Reſtitutor Monetæ. 626
Alexandrianorum & Epheſiorum. 617
Alexio Comneno Domino, Domine Adiuta. 487
C. Allarius. 7
C. Allectus Aug. 264, 265
Cn. Sal. Amandus Aug. 264
Amanus Colonia Flauia. 604
Ancus. 18
Annia Fauſtina, *Elagabali uxor.* 297
C. Annius C. F. C. N. Proc. 177
C. Annius T. F. T. N. Procoſ. 162
Antinous. 329, 330, 331, 332, 333, 336
Antiochenſium ſub Traiano, *patre.* 329
Aurelius Cæſar. 509
Antiſtius IIIvir, Fœdus P. R. cum Sabinis. 201
C. Antius C. F. Reſtio. 57
Antonia *Claudii Filia.* 281
Antoninus Aug. Armeniacus, *Marcus Aur.* 502
Aurelius Cæſar Aug. Pii Fil. Tr. Pot. VII. Tr. Pot. VIII. 432
M. Aurelius *Antoninus* Pont. Max. 422
Antiochæ Coloniæ. 509
Aurelius Cæſar, Antiochiæ. *ibid.*
Congiar. IV. 529
Pax & Libertas. 410
Salus Generis Humani. *ibid.*
Religio Aug. 527
Reſtitutor Sarmatiæ. 626
Rex Mannus Philoromæus. 578
Tr. Pot. XXXIV. 426
M. Antonini Aug. Victoria. 634
Vic. Germ. 635
M. Aurelii Antonini Templum. 652
Antoninus Pius Aug., Rex Quadis Datus. 582
Abundantia. 537
Congiar. Aug. VIII. 529, 533
Pietati Aug. Cos. III. 544
& *L. Veri*, Rex Armeniæ Datus. 581
Tr. Pot. XXIV. 426
Antonini Pii Templum. 652
Antonia Druſi Coniux. Sacerdos Diui Aug. 651
Q. Antonius Balbus. 50
L. Antonius M. F. 64
M. Antonius M. F. 23
Antonius Imp. 54
M. Antonius Imp. Cos. Deſign. Iter. & Tert. 178, 179, 476
M. Antonius IIIvir. R. P. C. 167
M. Antonius M. F. 317
Apamenſium ſub M. Aurelio Alexandro. 417
Appius Pulcher Imp. Procos. Laodiceæ. 177
S. Appuleius Pr. Cos. *ibid.*
Apronianus Proconſul Smyrnæorum. 587
L. Apronii Procos. III. Permiſſu. 169
M. Aquilius M. F. 15
M. Aquilius M. F. M. N. 23
C. Aquil. Sabinus. 264
M' Aquillius M'. F. M'. N. 26

Arabia Augusti Prouinciâ, *Traiani.* 588
Fl. Ariadna. 315
Aroë Patrensis Colonia Augusta, Liberi Aug. 324
C. Asinius Pollio Procos. 322
Athenienſium & Smytnæorum Concordia. 617
S. Atilius M. F. Silanus. 151,152
A. Atilius A. F. C. N. 215
Attalus Prætor Cæſareus, Pergamenorum. 525,652
Attalus Sophiſta. 310
Attalus Sophiſta Patriis Smyr. Laodic. 616
Attius Laco Proconſul Nicæenſium. 593
M. Aufidius Ruſticus. 61
Auguſto Cæſari S. P. Q. R. Paren. Conſ. ſuo. 216
Auguſtus Deus Pergamenorum. 651
Auguſtus. *Vota Publica pro eius ſalute ſuſcepta, &c.* 141
Auguſtus *cum roſtris.* 191
Deus Cæſar Auguſtus. 489
Pergameni Deum Auguſtum. *ibid.*
Auguſtus D. F. Ludos Sæc. Fec. 125
CC. Auguſti. 546
Com. Conſ. 548
Conſenſu Senat. & Eq. Ordinis. 548
Ciuibus & Signis Militatibus a Parthis Reſtitut. 528
De Parthis. 638
Jan. Clu. 641
Juno Martialis. 647
Libertatis P. R. Vindex. 528
Paci Perp. 641
Parens Coloniæ. 452
Pax Orbis Terrarum. 641
Quod Viæ Mundæ Sunt Ex Ea Pecunia Quam Is Ad Ærarium Detulit. 194,195
Rom. & Aug. Com. Aſi. 650
Aureliano Aug. Deo & Domino Nato, Reſtitutor Orbis. 484,485,491
Reſtitutor Orientis. 626
Reſtitutor Exercitus. *ibid.*
Tr. Pot. V. 427
M. Aurelius Alexander Pontifex Apamenſium. 417
M. L. Aurelius Aſiarcha, Cyzicenorum. 417
M. Aurelius Cotta. 16, 17, 57
Aurelius Demus, Smyrnæorum. 652
Aurelius Eutyches Habens Conſularem Poteſtatem. 587
M. Aurelius Tertius Aſiarcha, Smyrnæorum. 417
Bacchus Conditor, *in nummis Nicæenſ.* 163
M. Barbatus Pro Pr. Achaiæ. 178
M. Bellius Duumuir. 7
Berytus Colonia Julia Aug Fel. 602
Berytus Felix. 443
Claudius Bias Pontifex, Cianorum. 417
L. Bibulus M. F. Proc. Siciliæ. 177
Bithynienſium Hadrianorum, Deus Antinous. 332,333
Bithyniæ Commune Hadr. Aug. 650
Bizyenorum Sub Itio Ruſo Legato & Proprætore Auguſti. 588,597
Boſtra Col. Neruia Traiana. 612
Britannicus. 281
Britannicus Cæſar. 345
Britannicus, *Claudii Filius.* 325,326
L. Brutus. 83
Brutus. 88
Primus Conſul. 90,96,97,98
Brutus Procos. 177
Q. Cæpio Brutus. 77,78,79,80,135
M. Brutus, Libertas P. R. Reſtit. 208
L. Cæcilius L. F. L. N. 24
Cæſar, Dictator Perpetuus. 209
Cæſ. Dict. Quart., Cæſar Quinc. 452
Cæſar Dictator, &c. 171,172
J. Cæſar Imp. Quint. Imp. Sex. Dict. Quarto, Dictator Perpetuus. 402,404
Cæſar Parens Patriæ. 446
J. Cæſaris Templum. 649
C. Cæſar Auguſti F. 204
Cæſar, *Domitiani Imp. Filius.* 327,354
Cæſarea Flauia, Libera. 603,604
Cæſarea Prima Auguſtotum. 325
Cæſennius Pætus Proconſul Smyrnæorum. 587
Caius & Lucius Alabandenſium. 319
C. L. Cæſares. 354
Nicæenſium. 319
C. Cæſar *Caligula* Diui Aug. Pronepos Aug. 546
Germanico Auguſto. 577
R. CC. 545,546
Caius Cæſ. Aug. Germ. Imp. 395
L. Caldus VIIvir Epul. 85,193
Calpe Colonia Julia. 600
L. Calpurnius Beſtia. 61
C. Caluiſius Sabinus. 8
C. M. Aur. Carus Aug. 376
Carus & Carinus Augg. *ibid.*
Virtus Auggg. 377
P. Canidius Craſſus Leg. 179
L. Caninius. 193
L. Caninius Gallus IIIvir. 546
Caracallæ, Ann. Aug. Sæculi Feliciſſimi. 442
Antoninum Regem Caphyatæ Arcades. 399,400
Cong. Aug. VIIII. 429,530
Indulgentia Aug. in Italiam. 565
Indulgentia Aug. in Carth. *ibid.*
Indulgentiæ Fecundæ. *ibid.*
Pacator Orbis. 641
Sæculi Feliciſſimi. 542
Sub Aurel. Antonino Eutyche Habente

te Consularem Potestatem, *Smyrnæorum.* 586
Sub Prætore Cæsareo Attalo Pergamenorum. 525
C. Caraufius Aug. 264, 265
Carbo. 54
Cn. Carbo C. F. 153
Carinus Cæs. 355, 357
Caro Aug. Deo & Domino. 485, 491.
Deo & Domino Inuicto. 485
Carthago Colonia Julia Antiqua Augusta Pia. 600
Carthago Felix. 443
Carus, Parthicus, Persicus. 503
Casca Longus. 48
Cassandrenses, Colonia Julia Aug. 600
C. Cassius Imp. 135, 149
Q. Cassius. 200
L. Cestius. 150, 166
Chalcidensium Flauiorum. 606
Cianorum, sub Claudio Biante Pontifice. 417
Cilices Liberi, Autonomi. 585
Cinna Cos. Iter. 88, 90, 93
Cn. Cinna Magnus. 66
Claudia Neronis Filia. 270
P. Claudius Pulcher. 212
Claudius Imp. XXVII. 404
Ti. Claudius Cæs. Aug. P. M. Tr. P. XI. Imp. PP. Cos. V. 397
De Britannis. 638
Herodes Rex Philoclaudius. 577
Victoria Augusti. 634
Claudii Imp. Liberi. 324
Claudius Gotthicus, Diuus Claudius Gothicus. 504
Claudius *Gotthic.* Victoria Gotthica. 635
Optimus. 501
Optimus Maximus. *ibid.*
Tr. Pot. II. 427
Clazomeniorum Commune. 615
Cleopatra Regina, Juba Rex. 580
P. Clodius M. F. 127
M. Clodius Macer Propr. Africæ. 178
Clodius Macer Proprætor. Afric. 241
M. Coccius M. F. Nerua IIIvir, *cum tribus globis inscriptis* Asia, Europa, Africa. 213
Cœlobriga Munic. Ælium. 606, 607
Cœpio. 155
Cohortes Prætoriæ, Cohors Speculatorum. 233, 237
Coiorum, Milesiorum. 616
Cominius Proclus Proconsul Cypriorum. 589
Commagene Felix. 443
Commodus Britannicus Felix. 441
Commodus Cæsar Antonini Aug. Filius. 339, 340
Commodus Hercules Romanus. 493
Germanicus Sarmaticus. 503
Herc. Rom. Condit. 493
Hercules Germanicus. *ibid.*
Herc. Commodiano. *ibid.*
Herc. Rom. Cond. *ibid.*
Commodus Olympius. 499, 500
Commodo Imperante Orbis Felix Est. 400, 443
Nicomedensium. 652
Optimus Maximus. 501
I. O. M. *ibid.*
Parthicus Magnus. 400
Princeps Juuentutis. 364
Prouidentiæ Deorum. 542
Vota Publica. 645, 646
Vota Soluta pro Salute P. R. 526
Concordiæ Templum. 648
Constantina Aug. 270
Constantiniana Dafne. 613
Fl. Jul. Constantin. Aug. 315
Constantinus Max. Aug. 387, 390
D. N. Constantinus P. F. Aug. 486
Constantinus P. F. Aug. P. M. Tr. P. P. P. Cos. III. Procos. 469
Alamannia Gaudium Romanorum. *ibid.*
Debellator Gentium Barbararum. 636
Felix Processus Cos. VI. Aug. N. 457
Francia Gaudium Romanorum. *ibid.*
Princeps Juuentutis. 364
Pont. Max. Tr. P. IIII. P. P. Procos. 415
Romæ Restitutæ. 624
Sarmatia Deuicta. 638
Victoria Gotthica. 635
Victoria Gotthica, Ubique Victor, Victoria Læta, Debellator Gent. Barbar. 614, 638
& *Crispi*, Joui Conseruatori, Marti Conseruatori, Soli Inuicto Comiti. 414
Constantinus Junior Nob. Cæs. 387
Dominorum Nostrorum Cæs. Vot. X. 486
D. N. Constantius P. F. Aug. Largitio. 534
Constantius Perpet. Aug. 383
In Hoc Signo Victor Eris. 639
Victor Omnium Gentium. 638
Corinthus, Permissu Imp. 169
J. Cornelia Paulla. 297
Cornelia Supera, *Valeriani iunioris uxor.* 305
A. Cornelius Cossus. 36
Cossus Cn. F. Lentulus. 36, 225
Cossus Lentulus. 82
Pedianus Costa Leg. 98
Crassus. 54, 91
P. Crassus M. F. 99, 101
Jun. 104, 179
Creta Flauiopolis. 606
Crispina, *Commodi uxor.* Aug. 292
A. Quinctius Crispinus Sulpicianus. 77

Jul. Crispus Nob. Cæs. 387
L. Critonius. 153
Cybele, Mater Deûm Salutaris. 647
Cypriorum sub Cominio Proclo Proconsule Cypriorum. 589
Proconsule Eprio Marcello Cypriorum. *ibid.*
Cyzicenorum sub M. L. Aurelio Asiarcha. 417
Dacia Augusti Prouincia, *Traiani.* 588
Damascus Colonia Metr. 609
Sacra Metr. *ibid.*
M. Tullius M. F. Decula. 100
Deultum Colonia Flauia Julia Pacifica. 604
Delmatianus. 267
D. N. Decentius Fort. Cæs. 513
M. Opelius Antoninus Diadumenianus Cæsar. 509. Aug. *ibid.*
Didia Clara. 270
Didia Juliana, *Didii Juliani Filia.* 293
T. Didius. 230
T. Didius Imp. Villa Publ. 193
Didius Julianus, Commodus. 509
D. N. Diocletiano Felicissimo. 485
Diocletianus, Fatis Victricibus. 639
Diocletianus Augustus, Consul VII. PP. Procos. 469
Conseruator Urbis suæ. 512
Felicissimus Senex Aug. Prouidentia Deorum Quies Augg. 513
Diocletiano & Maximiano Augg. 383
Impp. Diocletianus & Maximianus Augg. 459
Felix Aduentus Augg. N. N. 622
Impp. Diocletiano III. & Maximiano Coss. 460
Moneta Joui & Herculi Augg. 494
Dolabellæ Procos. Permissu. 170
Domitia Aug. Imp. Domit. 39
Domitia Aug. *Domitiani uxor.* 287
Domitia Augusta. 385
Imp. Cæs. Domitianus Aug. 353
Domitiani Victoria. 634
Censor Perpet. 478
Censor. Pot. *ibid.*
Cens. Pot. 427
Tr. Pot. IIII. Cos XI. Tr. Pot. V. Cos. XI. 432
Ludis Sæc. a Pop. Fruges Acceptæ. 538
& *Domitia*, Deorum Augustorum. 491
Flauia Domitilla, *Vespasiani uxor.* 284, 286
Domitillæ Memoriæ. 271, 285
Domitius Domitianus. 262
Drusilla Aug. Mytilen. 271, 279
Drusus Cæsar Augusti Filius, Tib. Germ. Cæsares. 321
Drusus Cæsar, *Tiberii Filius*, Germanicus, Juniores Dii se mutuo amantes. 321, 322
Drusus & Germanicus, Juniores Dii Se Inuicem Amantes. 490
Drusus *Germanici Filius.* 322, 323
Elagabalus Sacerdos Dei Solis. 370, 420
Ephesiorum Cæsar Olympius Hadrianus. 498
Ephesiorum & Hieropolitarum Concordia. 499
Ephesiorum & Pergamenorum Concordia. 615
Ephesiorum & Alexandrianorum. 617
M. Eppius Leg. 178, 179
Eprius Marcellus Proconsul Cypriorum. 589, 590
Eraclius & Era. Const. PP. Aug. Deus Adiuta Romanis. 639
Etruscus & Quintus Cæsares. 257
Ælia Eudocia, *Theodosii iunioris uxor.* 314
Ælia Eudoxia, *Arcadii uxor.* *ibid.*
Licinia Eudoxia. *ibid.*
Eugenius Aug. 267
Eumenienſium Flauiorum. 606
Ælia Marc. Euphemia. 315
Eurypylus Heros, Pergamenorum. 334
L. Fabius L. F. Hisp. Quæst. 162
K. Fabius Ambustus. 174
Q. Fabius Labeo. 57
Fabius Maximus. 71
Paullus Fabius Maximus. 35, 82
Q. *Fabius* Maximus Africanus. 64, 65
N. Fabius Pictor. 26, 86
M. Fannius. 153
Faustina Aug. Antonini Pii. 39
Ædes Diuæ Faustinæ. 650
Mater Deûm Salutaris. 647
Faustina *utraque*, *mater & filia.* 288, 289, 290
Firmius Aug. 263, 264
Ælia Flaccilla Aug. *Magni Theodosii uxor.* 314
L. Flaccus. P. F. Æd. Cur. 152
C. Flaminius C. F. 104
L. Flaminius Chilo. 168
L. Flaminius Chilo IIIIvir Pr. Fl. 97
T. Flaminius. T. F. Æd. Cur. 152
C. Fonteius Capito Propr. 176
P. Fonteius Capito IIIvir Concordia. 193
Prodicus, Fronto Asiarcha. 417
Fuluia, *altera Titi uxor.* Aug. 286
C. Fuluius Cn. F. Cn. N. Max. Centumal. 71, 104
L. Furius Cn. F. Brocchus IIIvir. 111
M. Furius Sacerdos & Asiarcha, Pergamenorum. 417, 424
Ser. Galba Imp. 403
Ser. Sulp. Galba Imp. Cæs. Aug. 348, 349, 353
Quadragens. Remissa. 545, 549

Ex Con. D. C. C. I. B. 548
Pax & Libertas. 410
Pax Orbis Terrarum. 641
Reſtitutor Numidiæ. 624
Senatus Pietati Auguſti. 437
Victoria Galbæ Aug. 634
Galba Claudianus Sacerdos Maximus, Sardianorum. 418
Galeria Valeria, *Galerii Maximiani coniux.* 312
Galerius Antoninus Imp. Antonini Filius. 338
M. Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini Filius. 507
Galla Placidia. 314, 315
Galliena Aug. 306
Gallienum Aug. P. R. Ob Libert. Recept. 528
Germanicus Maximus. 502
Ob Conſeru. Salutis. 528
Religio Aug. 527
Reſtitutor Galliarum. 626
Gallienus & Valerianus. 525
P. Licinius Gallienus. 259
Q. Jul. Saloninus Gallienus Nob. Cæſ. *ibid.*
Gallus Pro Pr. 177
L. Gellius L. Filius Publicola. 161
Gellius Rufus Proconſul Nicæenſium. 281
Germæ Colon. Aug. 602
Germanicus Cæſar. 207
Germanicus Cæſ. P. C. Cæſaris Auguſti Cos. II. Imp. 396
Germanicus Deus. 277
Deus Germanicus Mytilenæorum. 490
Getæ Liberalitas Aug. V. 530
Glycerius Aug. 268
M. Ant. Gordianus Cæſar. 243, 251, 252
Gordianus Pius. 252
Adlocutio Auguſti. 628
Pax Æterna. 642
Gratianus Augg. Aug. Gloria noui Sæculi. 378, *&c.*
Hadrianotheritarum Antinous Bonus Heros. 335, 336
L. Ælius Cæſar, Imp. Cæſ. Hadrianus Olympius. 498
Hadrianus Aug. Commune Bithyniæ. 650
Hadrianus Aug. Hercules Romanus. 492
Hadrianus Jupiter Olympius. 497
Hadrianus Reſtitutor Nicomediæ. 625
Hadrianus Opt. Aug. Germ. 501
Aduentus Aug. Romæ. 621
Aduentus *in varias Vrbes aut Prouincias.* 623
Exercitus Dacicus, Germanicus, Britannicus, &c. 630, 631
Exped. Aug. P. M. Tr. P. Cos. III. 627
Hercules Seruator. 492
Liberalitas Aug. 531, 533
Locupletator Orbis Terrarum. 557
Metal. Noric. 630
Metal. Delm. *ibid.*
Nat. Urbis P. Cir. Con. S. C. 653
Olympius. 498
Reliqua Vetera Nouies Mill. Abolita. 552
Reſtitutor Bithyniæ. 625
Reſtitutor Orbis Terrarum. 626
Sacra Romana Reſtituta. 527
Victoria. 634
Hannibalianus. 267
Fl. Julia Helena, *Conſtantini mater.* 312, 314
Heliopolis Colonia Auguſta. 602
Herodes Tetrarcha. 577
Herodes Rex Philoclaudius. *ibid.*
Rex Magnus Agrippa. 578
Herennia Etruſcilla. 304, 305
Hierapolitarum & Epheſiorum Concordia. 499
Juſta Grata Honoria. 315
Grata Honoria. 380
M. Seu. Hoſtilianus. 253
C. Valens Hoſtilianus Meſſius Decius. 255
C. Hypſæus Cos. Preiuer. Capt. 227
Jadera Felix. 443
Ilienſium Scamander, Nero, Britannicus Cæſares. 345
Illergauonia Dertoſa. 599
Illyrius Præſes Elaitarum. 631
Ionum Colophoniorum. 423
Jouinus, Sebaſtianus Aug. 268
Italicum Municipium, Permiſſu Diui Auguſti. 169
Itius Rufus Legatus & Proprætor Auguſti Bizyenorum. 588, 597
Juba Rex, Cleopatra Regina. 580
Julia, *Titi filia*, Aug. 287
Julia Auguſti Filia. *i. e. Liuia.* 273, 274
Julia Aphrodite, *Auguſti filia.* *ibid.*
Julia Dea Auguſta Mytilenæorum, *de Liuia.* 489
Julia Domna. 294, 295
Julia Mæſa. 270
Julia Procla Herois. 308, 309
Julia *Seueri* Auguſta. 385
Julianus Semper Auguſtus. 384, 391
Juliopolitarum in Bithynia, Romani Hercules. 493
Junia Donata, *uxor Poſtumi tyranni.* 307
Juno Martialis. 647
Jupiter Capitolinus. 644, 645
Conſeruator. 645
Imperator, Præſes Orbis. 485
Soſpitator. 645
Ultor. *ibid.*
Juſtinianus. 392
T. Labienus Parthicus Imp. 66

Lacedæmoniorum & Selganorum Concordia. 617
Laodicea Colonia Augusta. 602
Septimia Aurelia Metr. 603
Laodicea In Libano, Ad Libanum, &c. 608
Laodicea Ad Mare. *ibid.* 609
Laodicensium Cæsar Hadrianus Olympius. 498
Laodicensium, Felicia Tempora, *Commodi.* 441
Laodicensium Sacerdos Maximus Dedicauit. 418
Laodicensium *in Phrygia*, Nero Augustus Deus. 491
Leges latæ, &c. Absoluo, Condemno, Prouoco. 200
Legiones variæ in nummis. 232
L. Lentulus. 160
L. Lentulus Caudinus. 220
Cn. Lentulus Clodianus. 78
Lentulus Curator X. Fland. 168
L. Lentulus Flamen Martialis. 85
Lentulus Spinther. 48
Leo, Anthemius Augg. 268
Leontia Phocæ. 315
Paulus, Lepidus. 35
Concordia. *ibid.*
M. Lepidus Æd. Cur. 144
M. Lepidus Æmilia Ref. 186
Lepidus Imp. 54
Leptis Colonia Julia. 603
Libo, Puteal Scribonii. 190
A. Licinius. 132
A. Licinius Nerua Silianus. 77
Iouius Licinius Aug. 496
Domini Nostri Iouii Licinii Aug. & Cæs. 496
Licinius Augustus, Virtus Exercitus. 228, 230, 632
P. Licinius Stolo IIIvir A.A.A. F.F.F. 316
Liuia Augusta, *Augusti uxor.* 274, 275
Genetrix Orbis. 451
L. Liuineius Regulus. 137
C. Liuius Mamiliani F. Drusus. 79
Longinus IIIvir. 200
Lucilla, *L. Veri Coniux.* 291
Vestæ Templum. 647
Lurinus, Volumnius. 282
Macedoniæ Quæstores aliquot. 165
Magnia Urbica. 311
Magnus Maximus Aug. 267
C. Mamilius C.F. Turrinus. 34, 111, 112
Julia Mammæa. 270, 298, 299
L. Mancinus A.F. 152, 153
Manlia Scantilla, *Didii Juliani uxor.* 293
T. Manlius Appius Cl. Q. Urb. 160
Mannus Rex Philotomæus. 578
C. Marc. 160
Marcellinus. 80
Fl. Marca. 315
Marcellus, *Octauiæ filius.* 316
M. Marcellus M.F. M.N. 215
M. Marcellus Cos. Quinq. 225
M. Marcellus Æd. Cur. 144
Marciana Aug. 288
Fl. Marciana. 315
Marciana Aug. Sotor Imp. Traiani. 271
M. Marcius Augustus P.M. Tr.P. 253
Mariniana, *Valeriani patris uxor.* 305
P. Catuilius Marinus. 253, 262
C. Marius C. F. Capito. 51
C. Marius Trogus IIIvir. *ibid.*
C. Marius Pro IIIvir. 168
Mars Pater. 485
Mars, Armiger. 646
Martinianus Aug. 266
Maxentius Diuo Maximiano Socero. 381
Diuo Constantio Affini. *ibid.*
Diuo Maximiano Patri Maxentius Aug. 449
Imp. Maxentius Diuo Maximiano Socero. 449
Maxentius Diuo Maximiano Socero. 511
Diuo Constantio Adfini. 512
Diuo Constantio Cognato. *ibid.*
Diuo Romulo N.V. Filio. *ibid.*
Diuo Romulo Nubis Conf. *ibid.*
Fel. Proces. Consul Aug. 457, 461, 463
Patri Socero. 511, 512
Fl. Maxima Constantia. 315
Fl. Maxima Fausta, *Constantini M. uxor.* 313
D. N. Maximiano Seni. Aug. 485
Maximiano Seni P. Optimo, Requies Optimorum Meritorum. 513
Maximianus, Fatis Victricibus. 634
C. Gal. Val. Maximianus. 382
Memoriæ Æternæ. 650
Herculi Debellatori. 493
Herculi Victori. *ibid.*
Herculi Pacifero. *ibid.*
Hercules Aug. 494
Virtus Illyrici. 631
Iouius Maximinus Nob. Cæs. 496
Maximinus Augustus, Consul VIII. P. P. Procos. 469
Q. Maximus Æmiliani F. 79, 80
M'. Maximus M.F. Messala. 71
C. Jul. Ver. Maximus Nobilissimus Cæsar. 357
Q. Maximus Verrucosus. 70
Maximus *cognomen Gentis Corneliæ.* 70
& *Pupienus*, Liberalitas Augustorum. 539
C. Memmius Imperator. 183
Memmius Ædilis, Cerealia Primus Fecit. 97
Merula Ædilis. 157, 158

M. Messala M. F. ex S. C. 87, 88
Messala patre Cos. 98
Statilia Messalina. 284
Valeria Messalina Aug. 280, 281
Q. Herennius Etruscus Messius Decius. 255, 256
C. Metellus. 215
Q. Metellus. 80
Metellus Pius. 104, 179
Q. Metellus Macedonicus. 48
Q. Metellus Numidicus Pr. Cos. 177
Milesiorum, Coiorum. 616
Milesiorum, Smyrnæorum. *ibid.*
M. Minatius Sabinus. 166
Mindius Balbus Procos. Nicomed. 325
L. Mindius Bolanus Proconsul Patrensium. 590
M. Minucius Q. F. Rufus. 127
Moschus Moschi. 24
Mucianus. 80
L. Mumatius L. F. L. N. L. Pron. 24
L. Mussidius Longus, Cloacin. 193
Mytilenæorum Deus Germanicus, Dea Agrippina. 277, 490
Drusilla. 279
Mytilenæorum Julia Dea Augusta, *de Liuia.* 489
Deus Mytil. 490
Tib. Deus Aug. Mytil. 489
Nassica. 157, 159
Natta. 44
Neapolis Fl. Samar. 604, 605, 606
Fl. Pop. Nepotianus. 267
Neri Q. Urb. 160
Nero Claudius Drusus Germanicus. 37
C. Claudius Nero. *ibid.*
Ti. Claudius Ti. F. Nero. *ibid.*
Neronis Claudii Præsidatus. 597
Nero Augustus Deus. 491
Nero, Teiorum. 652
Nero Cæsar. 345
Annona Augusti Ceres. 541
C. C. I. B. 548
Cæs. Aug Imp. 403
Cæsar Augustus Armeniacus. 502
Cæsar Deus Dei Filius. 491
Congiarium datum Pop. Rom. 529
Cong. II. *ibid.*
Cong. III. *ibid.* 531
Pace P. R. Terra Marique Parta Janum Clusit. 641
Pace P. R. ubique Parta Templum Clusit. *ibid.*
Profectio Augusti. 620
Sacerdos Cooptatus In Omnia Collegia Supra Numerum. 367
Seruator Orbis. 500
Nero, *Germanici Filius.* 322, 323
Nerua Proq. P. 161, 162, 166
P. Nerua. 193
Nerua Cæsar P. P. 383
L. Ælius Nerua Cæsar. 448
Imp. Cæs. Nerua. 353
Diui Nerua & Traianus Pater. 448
Nerua Deus Augustus. 491
Congiar. P. R. 530, 531
Fisci Iudaici Calumnia Sublata. 571, 574
Libertas Populi. 529
Plebei Urbanæ Frumento Constituto. 538, 540, 542
Roma Renascens. 528
Roma Restituta. *ibid.*
Tutela Italiæ. 565
Vehiculatio Italiæ Remissa. 562
Nesibis Colonia Septimia. 607
Nicæensium in Cilbano, Caius & Lucius. 319
Nicæensium Proconsul Attius Laco. 593
Nicæensium Proconsul Gellius Rufus. 281
Commodo Imperante Orbis Felix Est. 400, 443
Nicomediensium sub Mindio Balbo. 325
Nicomediensium, *Hadrianus* Deus Olympius. 498
Nicomediensium, M. Tarquitio Pretanico Proconsule Faciente. 593
Plancius Varus Proconsul. *ibid.*
Nicomediensium & Smyrnæorum Concordia. 617
Nicopolitarum, Traianus Cæsar Seruator Urbis. 500
Nigrianus Diuus. 264
Nigrinianus Diuus. 265, 266
S. Nonius Pr. Lud. V. P. F. 97, 140
C. Norbanus. 11, 91, 92, 150, 151
Numa Pompilius. 18, 19, 20
Numerianus Nob. C. 355, 356
C. Numonius Vaala. 228, 230
Octauia, *Augusti soror.* 276
Octauia, *Claudii Filia & Neronis uxor.* 281, 282, 283
Octauiola Felix. 443
C. Octauius C. F. C. N. C. P. 25
M. Octauius Quæstor Prætorian. 161
M. Oppius Capito Præf. Class. 176, 184
Otacilia, *Philippi Senioris uxor.* 303, 304
Pietas Augusta. 435
M. Otho Imp. Cæsar. 353
Pax & Libertas. 410
Pax Orbis Terrarum. 641
Victoria Aug. 634
T. Jul. Mar. Pacatianus T. F. Aug. 261, 262
Palikanus. 151, 191
C. Pansa C. F. C. N. 24
L. Papirius D. A. 153
C. Papirius Maso. Æd. Cur. 150
Patrensium L. Mindius Bolanus Proc. 592
Cl. Rufus Proconsf. Patr. 592
Indulgentia Augusti Moneta Impetrata. 169
Paulina, *Maximini uxor.* 300

L. Paulus Ter. 223
Paullus, Lepidus. 82
Paullus, Lepidus, Concordia. 190
Pauſanias Pauſaniæ. 24
Pax Cereris habitu. 643
Pacis Templum. 648
Pergameni Deum Auguſtum. 484
Pergamenorum & Epheſiorum Concordia. 615
Pergamenorum, Eurypylus Heros. 334
Pergamenorum, Jupiter Philius Imp. Cæſ. Traianus, Deo Seruatori & Deo Auguſto. 500, 651, 652
Pergamenorum, M. Furius Sacerdos & Aſiarcha. 417, 424
Pergamenorum ſub Prætore Cæſareo Attalo. 525, 652
Pergamenorum, Sub Prætore Commodo Flauio Glucone. 255, 256
M. Auf. Perpenna Licinianus P. M. Tr. P. P. P. 254
Perperenenſium *in* Æolide, Neronis Præſidatus. 597
Diuus Pertinax Pius Pater. 448, 449
Imp. Cæſ. P. Heluio Pertinaci Principi Senatus Patr. Patriæ Cos. II. 451
Peſcennius Niger. 242, 243
Petronius Maximus Aug. 268
Philadelphenſium Flauiorum. 606
Philemon Philemonis. 24
Philippenſis Colonia Jul. Aug. 600
Philippi, Liberalitas Auguſt. III. 530, 533
Spes Felicitatis Orbis. 443
Victoria Carpica. 635
pater & filius, Aduentus Augg. Concordia Augg. 376
Philippopolitarum, *nummus Marini.* 253
Philippus, Princeps Juuentutis. 364
Piſo. 155
Cn. Piſo Cn. F. 34
Cn. Piſo. 88, 90
L. Piſo Frugi. 48, 132
L. Plætorius. 166
M. Plætorius Ceſtianus. 78
Plautilla, *Caracallæ uxor.* 296
A. Plautius Æd. Cur. Bacchius Judæus. 226
M. Plautus L. F. Hypſæus. 151
Plotina Aug. 288
Plotina Aug. Imp. Traiani. 39
M. Poblicius Leg. Propr. 179
Polemo Rex. 576
Pollio Proconſul Smyrnæorum. 587
Q. Pompeius Q. F. Rufus Cos. 134
Pompeius *Magnus.* 67
Cn. Magnus Imp. 179
Pompeii *pater & filius.* 53, 184
filius. 75
Cn. Pompeius Sex. F. Cn. N. 134
Q. Pomponius Rufus. 88
Poppæa Aug. 270, 283
L. Porcius Capito IIvir Quinq. 103
A. Poſtumius A. F. S. N. Albinus. 127
C. Junius Caſſius Poſtumus. 260
M. Poſtumus Albinus. 103
Poſtumus Pius Aug. Quinquennales. 323
Poſtumus, Germanicus Maximus. 502
Poſtumus Reſtitutor Galliarum. 626
Exercitus Vacc. 631
Pacator Orbis. 641
Poſtumus Fil. Exercitus Iſcanicus. 631
Priſcus Attalus Aug. 268
L. Priſcus Aug. 254
C. Probus Inuictus Aug. 383
Probus Imp. & *eius uxor.* 308
Origini Aug. 602
Tr. Pot. 427
Victoria Germanica. 504
Victoria Gotthica. *ibid.*
Virtus Probi Inuicti Aug. *ibid.*
Victorioſo ſemper. *ibid.*
Procopius Aug. 267
Ælia Pulcheria, *Theodoſii iunioris ſoror.* 315
Pupienus & Balbinus, Patres Senatus. 451
A. Pupius. 162, 163
M. Pupius M. F. Piſo Frugi Calpurnianus. 79
L. Purpureo. 134
Rauenna Felix. 443
L. Regulus IIIIvir A. P. F. 167
L. Regulus Prætor. 117
Liuineius. *ibid.* 151
Rheſaina Colonia Septimia. 607
Rhodiorum Liberorum. 585
Roma Felix. 444
Romulenſis Colonia, Permiſſu Diui Auguſti. 169
Romulus. 21
Cl. Rufus Proconſul Patrenſium. 592
P. Rutilius Lupus Æd. Cur. 150, 151
Sabina Aug. Hadriani Aug. 39
Sabina, *Hadriani Coniux.* 288
Furia Sabina Tranquillina. 301, 302, 303
Salluſtia Barbia Orbiana. 299, 300, 304
Salona Claudia Aug. Pia Veteranorum. 604
Salonina Chryſogone *Gallieni uxor.* 306
P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus. 259
Samaria Flauia Neapolis. 604, 605, 606
Sardianorum ſub Alexandro Cleone. 322
Sardianorum ſub Galbo Claudiano Sacerdote Maximo. 418
Sauromata Eupator Rex. 576
Sauromata Rex. 577
M. Scaurus Æd. Cur. Rex Aretas. 226
L. Scipio Aſiagenes. 64
Cn. Scipio Aſina. 61
Scipio Imp. 80, 104, 179
Sebaſtianus Aug. 268
Selganorum & Lacedæmoniorum Concordia. 617
Ti. Sempronius P. F. Gracchus. 127

Seruilius. 155
C. Seruilius, Flora Primus. 146, 149
M. Seruilius M.F., Seruil. C.F. 227
Seruius. 18
L. Seruius Rufus. 23, 27, 28, 30
L. Seruius Rufus Tuſcul. 227
L. Seſtius Proq. 167
Val. Seuera. 315
Seuerina, *Aureliani Imp. uxor.* 307, 308
M. Aur. Seuerus Antoninus. 388
Imp. Cæſ. L. Sept. Seuerus Pertin. Aug. 508
Adiabenicus, Arabicus, Parthicus Max. 503
Aduentui Aug. Feliciſſimo. 622
Aduentui Aug. Galliæ. 624
Aduentus II. Perinth. *ibid.*
Annona Æterna. 541
Annona Aug. Ceres. *ibid.*
Fidei Exercitus Gall. Lug. 632
Fundator Pacis. 641
Hercules Defenſor. 494
Indulgentia Aug. in Italiam. 565
Leg. XXX. Ulp. 633
Pacator Orbis. 641
Victoria Parthica Maxima. 35, 503
Seueri Templum. 652
C. Sextius. 32
C. Sextus Ædilis. 157, 158
Silanus. 80
M. Silanus L. Filius. 153
M. Silanus Aug. Proc. 162
Siluanus Imp. 267
Singara Colonia Septimia. 607
Sinope Colonia Jul. Aug. 601
Smyrnæorum ſub M. Aurelio Tertio Aſiarcha. 417
Smyrnæorum, Sub Aurelio Antonino Eutyche Habente Conſularem Poteſtatem, *Caracallæ.* 586
Cæſennio Pæto Proconſ. 587
Pollione Proconſule. *ibid.*
Smyrnæorum Sacer & Liber Senatus. 586
Sub Proconſule Aproniano. 587
Suillio Nerulino Proconſ. *ibid.*
Smyrnæorum, Mileſiorum. 616
Athenienſium & Smyrnæorum Concordia. 617
Smyrn. & Nicomed. *ibid.*
Smyrnæorum, Laodicenſium. 616
Smyrnæorum, Aurelii Demi. 652
Julia Soæmis. 270, 296
L. Statius Murcus. 31
Stobenſium Municip. 601
Suillius Nerulinus Proc. Smyrnæorum. 587
Corn. Sulla. 88, 166
Sulla. 54
Sulla Felix. 73
Sullæ *pater & filius.* 53, 74
Fauſtus, Felix. 226
Sullæ F. nummus cum quatuor coronis. 213
L. Liuianus Sulpicius *Galba.* 28
C. Sulpitius *cum roſtris.* 191
Syrorum, Commodus Annius. 339
Tacitus, Reſtitutor Reip. 626
Victoria Gothica. 635
M. Tarquitius Pretanicus Proconſ. Nicomedienſium. 593
Tarſenſium, *Caracallæ.* 441
Tarſenſium, Antonianæ Seueræ. 388
Teiorum Nero. 283, 652
Temnitarum ſub Aur. Hermia. 260
Temnitarum, *Hadrianus* Olympius. 498
M. Terentius Varro Lucullus. 79
Theodahatus Rex. 392
Theodebertus Victor. *ibid.*
Theodora Aug. *Conſtantini M. uxor.* 312, 313
Theodora Juſtiniani. 315
Theſeus *in nummis Nicæenſ.* 163
Thyatirenorum, Clodio Aur. Proclo. 309
Tiberius Cæſar Auguſti F. 343
Tiberii Cæſaris Permiſſu. 169
Tiberius Deus Auguſtus Mytilenæorum. 489
Imp. Cæſ. Tiberius Aug. D. D. Col. Pace Aug. Perp. 403
Ti. Cæſar Aug. F. Imp. *cum Templo Concordiæ.* 648
Augur & Pontifex. 366
Ciuitatibus Aſiæ Reſtitutis. 624
Tr. Pot. XVI. 425
Tr. Pot. XXXVIII. 426
Tiberius Aug. *Tyrannus.* 267
Titiana Aug. *Pertinacis uxor.* 293
Titus & Domitianus Cæſares. 351, 353
Principes Juuentutis. 363, 364
Pontifices. 366
Titus Cæſ. Imp. Veſp. Pont. Tr. Pot. *de Tito adhuc Cæſare.* 401
Cenſor. 478
Congiarium Primum P.R. datum. 529
Saluti Auguſti. 650
Signis Rec. Deuictis Germanis, Judæa Capta. 637
Tr. Pot. X. 426
Tradu&ta Colonia Julia. 603
Traianus Neruæ Nepos. 329
Traianus Aug. Perp. 383
Imp. Cæſ. Traianus Aug. P. M. Tr. P. PR. Proconſ. 468
Nerua Traianus Cæſar Germanicus Neruæ Aug. F. TR. P. Cos. II. 352, 356
Traianus Cæſar Seruator Urbis. 500
Abundantia Perpetua. 535, 536, 537
Aduentus Auguſti. 621
Alimenta Italiæ. 565
Arabia Auguſti Prouincia. 588
Armenia & Meſopotamia in Poteſtatem P.R. Redacta. 637
Aug. Parth. Parri. 449
Congiarium P.R. 529

Congiarium Secundum. *ibid.*
Congiarium Tertium. *ibid.*
Dacia Augusti Prouincia. 588
Diuo Traiano Patri. 449
Expeditio Ger. 627
Expeditio Aug Parth. *ibid.*
Felicitas Augusti. 621
Jupiter Philius, Deo Seruatori & Deo Aug. 500
Opt. Princip. Aduent. Aug. Arabiæ. 623
Patri Aug. 449
Regna Adsignata. 581
Rex Parthis Datus. *ibid.*
Rex Parthus. *ibid.*
Traiani Imp. Pater tam adoptiuus quam naturalis. 328
Traiani Pater naturalis. 329
Traiani Arcus. 653
C. M. Q. Traianus Decius. 256, 257
Exercitus Illyriciani. 631
C. Trebonius C. F. Asper. 220
C. Trebon. Julianus Aug. 264, 265
Triumpus *Deus.* 212
Triumuiri Reip. Constituendæ. 173
L. Torquatus IIIvir. 86
A. Torquatus A. F. Cos. 87, 88
Tuditanus, P. Semp. C. F. 46
M. Tullius Decula. 17, 18
Tullus Hostilius. 18, 19, 20
Turdus. 44
Tyrus Colonia Septimia. 607
Metrop. 609, 610
Valentiniani, Renouatio Urbis Romæ. 528
P. Licinius Valerianus. 259
Adlocutio Augustorum. 628
Princeps Juuentutis. 364
Restitutor Orientis. 626
& Gallienus. 525
C. Valerius Ædilis. 157
L. Valerius Flaccus Æd. *ibid.*
C. Valerius Flaccus Imperator. 183
Valerius Messalla Potitus. 36
C. Valerius Potitus Cos. 36, 174
Varro Proq. 167
Plancius Varus Proconsul Nicomediensium. 593
Vetranio Aug. 267
Ælia Verina. 315
Annius Verus Cæsar Antonini Aug. Filius. 339, 340, 507
Adlocutio. 628
Armen. Cap. 637
Parthiæ. 626
Pietati Senatus. 437
Restitutor Armeniæ. 626
& Lucillæ, Pro Victoria Dominorum nostrorum. 483
Verus, *siue* Verissimus Cæsar. 339, 340
Vespasia Polla. 270
T. Cæsar Vespasianus. 345, 351, 355
Vespasianus, *cum filiis.* 121
Imp. Cæs. August. Vespasianus. 351, 353
Adsertor Libertatis Publicæ. 528
Æternitati Flauiorum. 649
ac Titi, Judæa Capta, Judæa Deuicta. 502
Pacis Templum. 648
Pax Orbis Terrarum. 641
Signis Rec. Deuictis Germanis, Judæa Capta. 637
Victoria Aug. 634
Vespasiani Imp. Liberi. 327
Vestæ Templum. 647
Ti. Vetturius. 203, 204
Vhaballathus Aug. 260
Hermias Vhaballathus. *ibid.*
C. Vibius Verus. 150
C. Vibius C. F. C. N. 24
C. Vibius C. F. Pansa. 57
Victor. Aug. 267
Victorina Aug. *mater patris Victorini tyranni.* 307
P. Villius T. F. T. N. Tappulus. 158
Viminiacum Colonia. 613
L. Vinicius L. F. IIIvir. 195
Virtus Cari Inuicti Aug. 627
L. Vitellius Cos. III. Censor. 475, 477
L. Vitellius, *Imp. Pater.* 328
A. Vitellius L. F. Imperator Cos. Perp. 454
Vitellius Cæs. Imperator Pont. P. P. P. E. Semper Augustus. 350
Vitellius Germanicus Imp. 403
Vitellius Germ. Imp. Aug. Pax. Ger. Roma. 643
Capi I. O. Max. 644
Consensus Exercituum. 632
Germania Capta. 637
Germanicus. 370
Honos & Virtus. 411
Libertas Restituta, Roma Renascens, I. O. Max. Capitolinus. 410
Libertas Restituta. 411
XVvir Sac. Fac. 369
Roma Renascens. 411, 528
Roma Restituta. 528
Securitas P. R. 411
Urbs Restituta. 528
Vitellii Imp. Liberi. 327
C. Ummidius Actius. 7
C. Ummidius Quadratus. *ibid.*
Q. Voconius Vitulus. 61
Volusianus, Vandalicus, Finnicus, Galindicus, Vendenicus. 503, 504
L. Volusus IIIvir. 35, 36, 174
Volusus Valerius Messala. 35, 36
Uticense Municip. Jul. 603
Zenobia Aug. 307
Fl. Zenonida. 315

INDEX

INDEX

Rerum & Verborum.

A.

A. litera, an in nummis occurrens ſit explicanda per *Prima*. 324

A. C. in nummis Legis Tabellariæ memoriam exhibentibus ſignificat *Abſoluo, Condemno*. 198

Abgari Edeſſenorum reges in quibusdam Imperatorum Romanorum nummis. 579

Abolere dictum de eo, quod flammis abſumitur. 559

Accenſus præcedebat Conſulem, & lictores, ſed ſine faſcibus, ſequebantur, quo menſe Conſul non habebat Faſces. 96

Achaia erat Prouincia Prætoria. 107. eius rector apud auctores & in Reſcriptis principum tamen Proconſul dictus. *ibid.*

Achaia primo inter Prouincias Populi numerata, verum iam ſub Tiberio ad Cæſarem translata. 590

Achilleus Diocletiani ætate Tyrannus in nummis obuius. 265

Acilia gens, unde dicta fuerit. 14, 15

Aciſculus cognomen gentis Valeriæ. 44

Aciſculi in gente Valeria, unde dicti. 76

Aciſculus erat inſtrumentum fabrile, quo ſaxa cædebantur in latomiis. 170

Acmonia urbs Phrygiæ Pacatianæ. 280. eius gentile Ἀκμονεὺς non Ἀκμονιεὺς. *ibid.*

Acta Pacis in nummis Imperatorum. 524

Acta Vrbis diurna continebant opera a Cæſaribus, aut in eorum honorem erecta vel inſtaurata. 643

Adlocutiones Imperatorum ad Exercitus e Tribunali. 627. in nummis expreſſæ. *ibid.* Aquilis & ſignis tum Imperatores circumdati. 628. milites lituo ad eiusmodi adlocutiones vocati. *ibid.* nemini licebat milites ita alloqui, niſi Auguſtis. *ibid.* recitabant ii nonnunquam adlocutiones iſtas e ſcripto. 629. factæ adlocutiones cum ante prælium, tum poſt victoriam. *ibid.* nunquam impune omiſſæ. *ibid.* interdum milites adloquebantur Imperatores inter equitandum. 630

Adoptatorum apud Romanos Nomina. 77. cognomina ſolum tam Adoptantis quam Adoptati in nummis. 78, 80, 81. & cum tertio cognomine e gente naturali. 79 prænominis vicem interdum occupat naturale adoptati cognomen. 82

Aduentus Imperatorum in nummis conſignatus duplex, nempe in Urbem Romam aut in Prouincias. 620. Imperatores e Prouinciis reduces, aut etiam iri primo eorum in Urbem aduentu, eam equo, interdum etiam pedibus ingrediebantur. 621. Aduentus Imperatorum in Urbem poſt hoſtes debellatos ſolemnis. 622. Aduentus eiusmodi tempore Sacra ſolemnia inſtituta. 623

Ædiles Cereales erant plebeii. 154. diu ante J. Cæſarem inſtituti ſunt Ædiles Cereales, & celebrata ab iis Cerealia. *ibid.*

Ædiles Curules erant proximo ad Prætoram gradu. 143. ſedebant ſella Curuli. *ibid.* Comitiis Tributis creati. *ibid.* curabant quidquid faciebat ad tutelam aut ornamentum Urbis. *ibid.* quibus ſignis in nummis deſignentur. 144. præſertim ſacrarum Aedium cura iis commiſſa. *ibid.* Ludos curabant etiam Aediles Curules. *ibid.* & quidem Cereales, Florales, & Romanos. *ibid.* 148. Quibus ſymbolis in nummis procuratio Aedilium Curulium in ludis edendis deſignetur. 149. & *ſeq.* *Magnificentiſſima Ædilitas*, & *ornatiſſima Ædilitas* de Curulium Aedilium dignitate. 150. pauci Auguſti temporibus petebant Aedilitatem Curulem ob magnitudinem ſumptuum in ludis edendis. *ibid.* Quæſtores aut Tribuni plebis ideo ad ſuſcipiendam Aedilitatem iſtam adacti. *ibid.* a populo ſtipes collata ad impenſas muneris Aedilitii. *ibid.* Annonæ cura iisdem Aedilibus commiſſa. *ibid.* diuidebant frumentum aliunde aductum populo certo pretio. 151

Ædiles plebis erant veluti adminiſtri tribunorum plebis. 148. ſignati comparent quoque in nummis. 152. ſola ferme annonæ cura illis relicta. 153. quibus ſymbolis deſignentur in nummis. *ibid.* ludos plebeios ediderunt Aediles plebis. *ibid.* nunquam, quod eſt viſum viro cuidam docto, cura ludorum Megalenſium ad Aediles pertinuit. 158. Aedili plebis mortuo aliquando aliquis, qui ante Aedilis Curulis fuerat, ei ſucceſſit, quod rarum. 159

Ædilibus Curulibus nunquam Faſces cum Securibus prælati. 111

Ægyp-

Ægyptiorum ſacerdotes ſupremi ἱεροφάντες, ἱερογράμματοι, ἱεροφύλακες dicti. 84
Ægyptiorum reges vel e ſacerdotibus vel e bellicoſis legebantur. 416. Sacerdotes hæreditarii. 421
Ægyptus ſub Cæſaribus regebatur a præfecto Auguſtali, cui ius Faſcium non erat. 92
Ἀεισεβαστὸς unica voce, ut apud Comicos *Semperlenitas*. 384
Ælia ac *Hadrianæ* dictæ Coloniæ ab Hadriano deductæ. 606
Ælia Capitolina dicta Hieroſolyma ab Hadriano, nomine priſtino abolito. *ibid.* illud nomen retentum adhuc infra Conſtantinum. *ibid.* Commodiana quoque dicta eadem urbs. *ibid.*
Ælianus Tyrannus qua ætate vixerit. 264, 265. *vide* Julianus.
Æmilia gens, unde ita dicta. 14
Æmilius Paullus quoties triumphauerit. 221, 222. quo modo ſingularis eius nummus ſit explicandus, in quo legitur TER PAULUS. *ibid.* 223
Æneadæ, quinam proprie dicti. 15
Ærarii Præfecti, Ærarii Prætores, ſub Cæſaribus. 160
Æſculapius in nummis gentis Aciliæ. 14
Æſculapius *Seruatoris* nomine a Pergamenis cultus. 652
Æterni elogium datum non tantum urbi Romæ ſed imperio Auguſtorum Æternitas ab adſentatoribus promiſſa. 346, 384
Africæ Proconſules an duodecim Faſcibus uſi. 114. iſtius prouinciæ dignitas & amplitudo fuit magna. 115
Africani cognomen duobus Scipionibus commune. 49
Africani cognomen, an Q. Fabio tributum. 65. variis gentibus commune. *ibid.*
Ἀγαθὸς Δαίμων, ἀγαθὸς Θεός. 336, 337
Agger dicitur etiam de Tribunali erecto ad Imperatoris adlocutiones militares. 628
Agnomina, an cognomina quarto loco poſita ſint dicenda. 49
Agrippa gener Auguſti inuictus bello. 317. præſertim victoriis naualibus clarus. *ibid.*
Agrippæ cognomen unde ortum. 59
Agrippina Caii Imperatoris mater & Germanici coniux in Græcis nummis cognomine *Deæ* non vero in Latinis cum Auguſtæ cognomine legitur. 277
Agrippina Claudii patrui uxor ac Neronis Mater in nummis. 279, 280
Ἀκέσιος, ἀκέσματα, &c. 14
Albinus Bruti F. quis ſit in nummis. 78, 79
Alemannorum nomen quando primum innotuerit Romanis. 505. iam ab initio tertii Sæculi Alemanni diſtincti a Francis & Germanis. *ibid.*
Alexander M. in nummis Nicæenſium. 163
Alexander a Senatu Romano cultus tanquam Deus decimus tertius. 334
Alexander Magnus apud Indos Olympius dictus. 499
Alexander Tyrannus ſub Maxentio, in Africa Imperii inſignia adſumpſit. 265. Nigrinianus non videtur eius filius fuiſſe. *ibid.* eius nummi. *ibid.*
Alimenta pueris ac puellis e publico a Traiano & aliis dein imperatoribus data. 542, 543
Allaria, an Familiæ nomen. 7
Allectus Carauſii, qui in Britannia Imperium inuaſit, ſocius, ac ab eo occiſus. 265. eius nummi cum ſummis Imperii inſignibus. *ibid.*
Anaſtaſis dicta Ædicula Seruatoris ſepulcro ſuperimpoſita. 654
Ancilia a Saliis quotannis Romæ circumlata. 205. eo tempore quidquid ſuſciperetur habebatur inſauſtum. *ibid.*
Ancus Marcius rex, quo patre genitus. 19. a Græcis frequenter Marcius dictus. 20
Anio Aquæductus aptus rigandis Romæ hortis. 195
Anni quarundam gentium Sacerdotum nominibus ſignati. 418
Annia Fauſtina prima Elagabali uxor. 296, 297
Annius Verus M. Antonini filius ſeptennis obiit. 339
Annona per teſſeras frumentarias viritim diuiſa. 533
Annona, quibus Symbolis exhibeatur in nummis. 541, 542
Annonæ cura Ædilibus Curulibus commiſſa. 150
Annonæ cura nequaquam eſt habita munus ſordidum, etiam temporibus vetuſtiſſimis. 156. ea conſiſtebat potiſſimum in emendo & commode transuehendo frumento. *ibid.* poſt, labente Imperio, viluit illud munus. 157
Annonæ Præfecti, præter Ædiles, in caritate annonæ interdum conſtituti. 154. iis ex Senatusconſulto deferebatur munus coemendi frumenti in Sicilia, Ægypto, &c. *ibid.* 155. diſtribuebant etiam frumentum. 156
Anthemius Leonis in Imperio collega. 268
Antia gens, unde dicta. 13
Antinous Hadriani Catamitus. 329. Diuinis honoribus affectus, templa, Sacerdotes, & Hypophetæ ei conſtituta, ac urbs

urbs de eius nomine dicta. 329, 330, 332. eius impuri amores apud scriptores etiam Ecclesiasticos noti. *ibid.* non fuit Hadriani filius sed seruus. 331
Antinous non solum Heros sed etiam Deus dictus. 333, 334. inde Ægyptiorum Deorum Σύνθρονος. *ibid.* Ἀγαθὸς Ἥρως in nummo dictus. 336
Antiochia a suburbio *Epidaphne* dicta. 613
Antiochiæ ad Orontem lupa cum gemellis supra portam sculpta, quod ea esset opus Romanorum. 602
Antiquo dictum de lege quæ a Magistratu rogata reiiciebatur. 199
Antistius cognomine Vetus. 56
Antonia gens, unde orta fuerit. 14
Antonia Caii Imperatoris auia post mortem demum Augusta appellata. 277
Antoniæ gentis quæ fuerint cognomina. 50
M. Antonii triumuiri liberi. 316. M. Antonius e Fuluia Alexander e Cleopatra geniti. 316
M. Antonini gesta a Theodorico Bignonio e nummis illustrata. 517
M. Antonini ingens Liberalitas in condonando Reliqua annorum sex & quadraginta Fisco debitorum. 554
Antoninorum stemma non arcessendum ab Octauia sorore Augusti. 347
Antoninorum nomen nummi tribuunt sex Cæsaribus. 506. & præterea Annio Galerio, qui non imperauit. 507
Antoninus Pius, ob quam rem illud cognomen sit nactus. *ibid.*
Ἄπαιδες siue ἄτεκνοι dicti non solum qui nullos liberos habuerant, sed etiam qui eos amiserant. 327
Aperire Viam quid significet in veteri inscriptione. 194
Apex in nummis Flaminem Martialem designat. 85
Ἀποδέκται Athenis dicti, qui frumentum curabant distribuendum. 152, 155
Apollinares ludi a Prætore Urbano facti. 121, 135. primum die anni incerta. 122. deinde ante diem III. Nonas Quintiles, *ibid.* an non solum Apollini sed etiam Dianæ fuerint sacri accurate disquisitum. 123. acti per dies octo. 131 aut nouem. 140. Ludi Equestres seu Circenses in iis potissimum acti. 131. & quidem ultimo die Circenses. *ibid.* Bigarum aut Quadrigarum certaminibus designantur in nummis. 134. Scenici quoque ludi in Apollinaribus acti. 136. item Venatio exhibita. *ibid.* diligenter disputatum de tempore ac primo die ludorum Apollinarium. 139. & *seq.* adhuc acti ætate Maximi & Balbini. 140
Apollinaris, cognomen Familiæ Calpurniorum. 132. & aliorum. *ibid.*
Apollinis Clarii apud Colophonios Sacerdos e certis demum familiis adscitus. 421
Apollinis cognomine dictus Nero. 492
Apollo ac Diana diuersis Hymnis culti, etsi uno & eodem partu editi. 123. quo nomine eorum Hymni fuerunt dicti. *ibid.* Non Apollinares, iuxta Vaillantium, sed Sæculares ludi erant utrique sacri. *ibid.* & *seq.* Templum Apollini ac Dianæ commune fuit nusquam. 129. Apollini Palatini templum admodum apud Poëtas celebratum. *ibid.*
Ἀπολλώνεια dicta a Græcis ludi Apollinares. 123, 131
Apparitorum Romæ multa fuerunt genera. 95. e numero Apparitorum etiam Lictores. *ibid.*
Appii Prænomen peculiare genti Claudiæ. 27, 29. ac loco gentilis nominis positum. 30
Aqua Appia a quo & quare ita fuerit dicta. 196, 197
Aqua Marcia nobilissimus Romæ Aquæductus. 195. seruiebat præsertim potui. *ibid.* 196. Q. Marcius cognomine Rex primus in Urbem istam Aquam perduxit. *ibid.* restituta fuit ab Agrippa. 197. dein refecta seu ampliata ab Augusto, Tito, ac Caracalla. *ibid.* Aqua Marcia etiam a Græcis scriptoribus celebrata. *ibid.*
Aqua Traiana in veteri nummo. 197
Aquæductus sub Cæsaribus primo septem, deinde nouem nobilitati. 195. ex iis nulla fuit nobilior Aquâ Marciâ. *ibid.* & *seq.* Aqua Traiana. 197. Aquæductus Constantinopolitani dicti Ἄγιοι ποταμοί, *in aëre fluuii.* *ibid.*
Aquilæ crebro signatæ in fastigiis Templorum in nummis. 646. inde fastigia Templorum dicta ἀετώματα vel ἀετοί. *ibid.*
Aquilia Seuera tertia Elagabali uxor. 296, 297
L. Aradius Proculus prouinciæ Africæ Sæculo Constantinianæo proconsul, &c. 115
Aratrum in nummis expressum designat prouinciam nouis colonis frequentatam, aut noua agrorum diuisione. 112
Archagatus primus Romæ medicus. 15
Ἀρχιερεὺς dictus Pontifex Maximus. 84. & summus Asiatici conuentus sacerdos. *ibid.* etiam Ἀρχιερεὺς μέγας de Pontifice Maximo usurpatur apud Græcos. *ibid.*
Ἀρχιερεὺς dictus Christus a priscis Ecclesiæ doctoribus. 424. qui titulus deinde translatus est ad omnes Ecclesiarum Christianarum Antistites. *ibid.*

Ἀρχιερέως titulo addita vox Μεγάλου seu Μεγίστου. 418

Arcus Traiani tertio eius Consulatu erectus. 653. ex eo Arcu diruto Arcus Constantini, qui adhuc Romæ visitur, erectus. *ibid.* Arcus *Portugalliæ* M. Aurelii. 654

Argynnus Agamemnonis Amasius ab eo cultus templo in memoriam eius Veneri Argynnidi dicato. 334

Armeniæ minoris quinque Satrapæ constituti. 581

Armeniæ nomen expressum in nummo P. Canidii Legati Augusti. 178

Armenis reges a Romanis dati, postquam fuerunt subacti a Lucullo & Pompeio. 637

Ἀσμοστὴς dicitur potius de Moderatore alicuius Prouinciæ quam de Rectore ordinario. 586. & inde verbum ἀσμώσασθαι de eadem re usurpatur. *ibid.*

Aroë vetus nomen urbis, quæ postea Patræ est dicta, & in quam Augustus coloniam misit. 324

Ἀσέβεια crimen læsæ Maiestatis dictum. 436

Asia minor in plures prouincias diuisa diuersis Populi Romani vel Augustorum Rectoribus paruit. 332

Asiagenes, non vero *Asiagetes*, Scipionis cognomen. 64. Asiatici inde cognomen ad posteros propagatum. *ibid.*

Asiarchæ erant etiam Ἀρχιερεῖς. 417. eorum mentio frequens in Græcorum nummis. *ibid.* 418. non solum Ephesi sed aliis in locis conuentum habebant, ut præessent sacris a communi Asiæ celebrandis. *ibid.*

Asiarcharum dignitas non erat perpetua 420

Asini, præter Equos, Boues & Mulas, etiam adhibiti in cursu publico, præsertim in Ægypto ac Oriente. 570

Assiduus Consul, *Assiduus Flamen*, *Assiduæ Vestales*, pro eo quem dicimus *Perpetuum Consulem*, &c. 454

Assyrius pro *Syrio* seu *Phœnicio*. 294

Attia filia sororis J. Cæsaris fuit mater C. Octauii. 342

Atticus gentis Juliæ stemma composuit. 53

Atticus, pro Pomponio post adoptionem Pomponianus dictus. 81

Attius Laco Proconsul Bithyniæ sub Nerone. 593

Auguris dignitas quomodo in nummis sit designata. 84. quanti Auguratus fuerit habitus apud Romanos. 85. Οἰωνιστὴς in Græcis nummis Augur dictus. *ibid.* *Sacerdotii amplissimi* nomine a Cicerone ea dignitas dicta. *ibid.*

Augg. in nummis duos Augustos, Auggg. tres simul imperantes designat. 356

Augustæ inferioris ævi non dictæ Δέσποιναι sed Κύριαι. 488. sub Dearum habitu depictæ. 489

Augustæ maritorum exemplo dictæ Matres Senatus, Matres Castrorum, Matres Patriæ. 451

Augustæ non solum matres Cæsarum, sed etiam Auiæ, Sorores, Filiæ, Neptes, dictæ. 268, 269, 270, 272, 285

Augustarum nomina interdum mutata, aut alterius prænominis additione ornata. 297. præsertim ubi illa turpia videbantur aut ominosa. *ibid.*

Augusti nummus cum inscripto duplici CC. varie ab antiquariis explicatus. 546. Auctoris de eo nummo sententia. 548. Augustus in nummis nunquam Octauius aut Octauianus vocatur. 549

Augusto ac Romæ templa erecta. 650, 651. Antonia sacerdos diui Augusti. *ibid.* Augusti templum Alexandriæ ædificium magnificentissimum. *ibid.*

Augusto decreta a Senatu perpetua Consularis potestas, ac ut duodecim Fasces ei ubique præferrentur 457, 472. Augustus recusauit Perpetui Censoris dignitatem sibi oblatam. 473

Augusto delatum nomen Patris Patriæ anno Urbis conditæ DCCLII. 446

Augusto *duplicatum* fuisse *intra annum Imperium*, quomodo intelligendum. 430, 431

Augustus adhuc puer a J. Cæsare Sacerdotio honoratus. 366

Augustus unde fuerit nactus nomen Cæsaris, 342, 343

Augustus an ouans Urbem ingressus postquam ex Oriente redux signa a Parrhis receperat. 205, 206. bis tantum Ouans Urbem ingressus fuit. 206. quare equo in Ouatione usus fuerit. 207

Augustus Domini nomen auersatus. 482. sed tamen a Cleopatra in primo congressu se Δεσπότην appellari passus est. 483. Deus etiam dictus. 489

Augustus Pater fuit dictus post mortem Jouis instar. 451. quum adhuc viueret Pater Hominum & Orbis dictus. *ibid.* Parens Coloniæ. 452

Augusti Gener Gratianus in nummo dictus. 380. Maxentius, Maximiani Socer, & Constantii affinis. 381

Augusti dicti Imperatores, qui post C. Octauium imperium obtinuerunt, quasi iure

iure hæreditario aut adoptione. 347, 348
Augusti appellatio Imperatoribus nullam dabat potestatem peculiarem, sed tantum dignitatis splendorem significabat. 371, 373. vis ac significatio vocis *Augustus*. 371. non solum ea vox Imperatorum sed etiam Deorum titulis addita. *ibid.* variis summæ potestatis nominibus Augusti appellatio circumscripta. 372. appellatio ea reperta a Senatu populoque Romano. 373. non designabat potestatem militarem, nec nummi, qui eam appellationem præferunt, omnes in prouinciis cusi. *ibid*, Imperatoribus consecratis relictus Augusti titulus. 374. Augusti appellatio, an a quibusdam Imperatoribus fuerit reiecta. *ibid* 375. Augusti duo post mortem Antonini Pii. 376. Caracalla & Geta cum Seuero superstite Augusti appellati. *ibid.* discrimen magnum inter eos, qui simul Augusti dicti. 382. inde dicti *Augusti maiores* aut *minores*. *ibid.* Juniores Augusti subinde paternæ maiestatis intuitu eum potestatis titulum omittebant. 383. *Perpetui* Constantiniano & sequenti sæculo dicti. *ibid.* Semper Augusti inde apud Latinos & Αεισεβαστοὶ apud Græcos dicti. 384. Augusti siue Σεβαστοῦ appellatio tandem nouum dignitatis nomen a Principis fastigio diuersum. *ibid.*
Augusti non semper in nummis omnes suos titulos usurparunt. 404. a Senatu datum iis, ut semper haberent Proconsulare Imperium, nec intra pomœrium venientes deponerent. 467
Augustorum consecratorum Sacerdotes & Flamines utriusque sexus. 276
Augustorum patres æque ac alii consanguinei in ipsorum nummis expressi. 328
Augustorum sequioris ævi quædam uxores. 314, 315
Augustorum series nusquam minus interrupta reperitur, quam in nummis antiquis. 241. a J. Cæsare ad Tyrannos usque e nummis argenteis continua series exhiberi potest; a Tyrannis ad Heraclium e tribus metallis. *ibid.*
Αυγούστα appellatio etiam a Græcis seruata. 384. & quidem iam diu ante Justiniani tempora. *ibid.* 385
Aurelia gens unde ita dicta. 16
Aureliani Imperatoris uxor Ulpia Seuerina fuit dicta. 307, 308
Aurelianus in nummis appellatus Dominus & Deus natus. 484, 491
Aurelianus a Carpis deuictis *Carpici* nomen nactus fuit. 635
M. Aurelius Cotta, cur Pontici cognomen tulerit. 17
Ausonius gentilis videtur fuisse, non Christianus. 414
Αυτοκράτορες a Græcis dicti qui summo cum imperio præerant copiis militaribus. 181. vocis Αυτοκράτορος significatio triplex. *ibid. & seq.*
Αυτοκράτως in genere dicitur, cui demandata est alicuius, siue militaris, siue ciuilis muneris administratio. 395
Αυτοκράτως adiectiue, ut Αρχὴ αὐτοκράτως, Ηγεμονία αὐτοκράτως, &c. 586
Αυτονομίας ius quarundam Urbium in Imperio Romano, qua in re constiterit. 584. non omnes eodem libertatis iure usæ. *ibid.* interdum αὐτονομίας ius ademptum iis Urbibus. *ibid.*
Auunculus ab auctoribus interdum simpliciter dicitur, qui magnus siue maior auunculus est. 343

B.

BAcchius Judæus in quodam nummo expressus, quis fuerit. 226
Bacchus Conditoris nomine in nummis Nicænsium. 163
Bacchus quare sit dictus Εὔιος. 212. licet interdum barbatus in nummis compareat, eius tamen æterna iuuentus ac pulchritudo passim prædicantur. *ibid.*
Balbus Antoniorum cognomen. 50
Balsamum Judaicum Fiscus principis serebat vendebatque. 574
Bambalionis cognomen, unde ortum. 60
Βασιλεὺς ἀυτοκράτως Tryphon Syriæ rex, & Armeniæ Tigranes, dictus. 181
Basilica Æmilia in denario Gentis Æmiliæ signata. 186. Basilica ea fuit Romæ duplex. *ibid* 187. noua Paulli Basilica fuit diuersa a Fuluia. *ibid.* atque etiam a Porcia & Opimia, contra quam statuebat Donatus *ibid.* itidem a Porticu Paulli vel Paullina. *ibid.* an vetus Basilica in quodam M. Lepidi nummo sit signata. 188. præcipuum ornamentum istius Porticus fuit in columnis. *ibid.*
Basilica ab Alexandro Seuero inchoata, sed non perfecta. 188
Basilicæ fuerunt Romæ undeuiginti. 187
Βασιλεῖς a Græcis dicti Romanorum Imperatores siue Cæsares. 397, 398. ubi igitur ea adpellatio apud Græcos de iisdem occurrit, vertenda est per *Imperatores* non per *Reges*. 399. etiam Cæsares siue Imperii hæredes Βασιλεῖς dicti. 401
Beatissimus, cognomen in veteri lapide. 73

Bellia, Familiæ nomen. 6
Berytus in Phœnice Romana Colonia. 602
Bignonius (Theodoricus) res gestas M. Antonini nummis illustrauit. 517
Bilanx in nummis, Prætoriæ dignitatis symbolum. 103, 162
Bithynia Proconsularis Prouincia. 592, 593. adhuc sub Traiano Proconsularis. *ibid.*
Bithynium urbs patria Antinoi. 332. colonia Mantinensium Arcadum. *ibid.* Mercurius ab iis præsertim cultus. *ibid.* urbs ea cincta pascuis ad boues alendos. 333
Bitis Coryos Thracum regis filius in nummo Æmilii Paulli. 223
Βωμὸς vocatur a Græcis *Puteal*. 189
Boni Diui a Romanis dicti pro Diuis propitiis. 337. Bona Venus, Bona Juno, Bona Fortuna, &c. *ibid.*
Bonosus proximis Probo temporibus Tyrannus in nummis. 264
Bostra Colonia cognominata Neruia Traiana. 612. muris munita a Seuero. *ibid.* Metropolis Arabiæ Petrææ. *ibid.* an eadem Bostra Philippi Junioris patria. *ibid.*
Βοβίσιος de pascuis boum. 333
Breues Quadrimestres libelli, qui singularem Quadrimestrium Tributorum rationem continebant. 560
Britannici cognomen nusquam Claudio, sed eius filio primum tributum legitur. 502
Bruti primi consulis collega, an non Valerius Publicola sed M. Horatius. 98
Bruti singulare studium in delectu artificum Scenicorum. 136
Bruto primo Consuli, cur in quodam nummo Fasces tribuantur cum securibus. 90, 93
Bruttii Romanorum Magistratibus in Prouincias ituris præministrare seruorum vicem tenebantur. 562. an postea isto onere liberati. 565

C.

CÆcina e Gente Licinia. 9. *Cæcina* cognomen Gentis Octauiæ ac Liciniæ. 10
J. Cæsar C. Octauii auunculus magnus. 343
J. Cæsar in decennium continuum Consul a Senatu designatus. 452
J. Cæsar omnibus bellis confectis demum Imperator est dictus, significatione augustiore quam unquam quis antea. 395
J. Cæsari non post mortem demum delata Patris Patriæ appellatio. 445, 446
J. Cæsari decretum ut Censor esset perpetuus. 472. quod tamen non admisit nisi sub titulo Præfecti morum. *ibid.*
J. Cæsari Templum Romæ exstructum, ac adhuc in nummis conspicuum. 649
J. Cæsaris cædes in nummis signata. 208. quibus symbolis eadem sit expressa. *ibid.*
Cæsar dictus, ac in prima infantia mortuus, Domitiani filius. 328
Cæsar significatione secundi Imperii fastigii quis primus fuerit dictus. 352. exemplum eius rei in Pisone adoptato a Galba. 353. præter donatiua cum quis Cæsar diceretur, facti illius memoria nummis consignata. *ibid.* 354. in nummis illud nomen locum certum non obtinet. 355
Cæsareenses a Vespasiano coloni facti, ac inde Cæsarea Flauia cognominata. 603. & quidem *Prima*. 604
Cæsares cur Prætoram Urbanam plerumque detulerint suis filiis. 120
Cæsares dicti ipsi Imperatores, præsertim extra fines Romani Imperii. 370. nomen Cæsaris ab iis, tanquam summi Imperii titulus, plurimi factum. *ibid.*
Cæsares libenter peregrina sacerdotia suscipiebant. 84. Quindecimuirorum sacerdotio libenter ornati. 86
Cæsares siue Augusti fastigii hæredes antea nullo diademate aut corona usi, verum lapsu temporis videntur suum diadema peculiare habuisse. 386, 387
Cæsares quare in Sacerdotum collegia adoptati siue allecti. 366, 367
Cæsaribus seu Juuentutis Principibus apud Romanos delatus Pontificatus inferior, in tyrocinium Pontificatûs Maximi, quo Imperatores fungebantur. 422
Cæsario Julii & Cleopatræ filius an in nummo veteri exhibeatur. 317
Cæsaris appellatio tributa candidatis Imperii. 341, 342. hæreditaria fuit iis, qui ab Augusti familia natura vel adoptione genus ducebant. *ibid.* & *seq.* Octauius eam appellationem ex testamento J. Cæsaris adsumpsit. *ibid.* 343. ab eo illud nomen transiit ad nepotes ex filia Julia. *ibid.* iis mortuis ad priuignum Tiberium. *ibid.* nomen illud dein translatum ad liberos tam adoptiuos quam naturales in familia Julii Cæsaris. 344, post Neronem illud Cæsaris nomen exstitit dignitatis, non vero hæreditarius familiæ titulus. 345. & *seq.* 370. Galba quare Cæsar sit dictus. 348. Otho qua ratione Cæsaris nomen adsumpserit. 350. Vitellius an illud Cæsaris nomen tulerit. *ibid.* unde Vespasiano ac Tito quæsitum nomen Cæsaris. 351. & *seq.* Domitiani filius infans adhuc Cæsar appellatus. 354

Cæsaris nomen in sex prioribus Imperatoribus fuit hæreditarium. 354. deinde a sequentibus, quod Romani iam adsueuerant nominis istius maiestati, Imperatoribus adsumptum. 355. in nummis post finiram Cæsarum familiam modo supremi fastigii modo secundi significatione Cæsares dicunrur. 356. post tempora Gordiani inualuit demum titulus Nobilissimi Cæsaris. *ibid.* aut a Philippi Junioris temporibus. 357. Vide *Nobilissimus*.

Cæsariſſæ Augustorum filiæ qua ætate fuerint dictæ. 272

Caii & *Marci* prænomina promiscue omnibus data. 24

Caius & Lucius Agrippæ ex Julia Filii. 318. quare uterque Cæsares dicti. 320

Caius & Lucius ab Augusto Sacerdotiis ornati. 366

Caius, Prænomen gentis Octauiæ veluti proprium. 25

Calceamenta coloris puniccei gestare licebat nemini præterquam Romano Imperatori ac regi Persarum. 581

Caligula non solum Imperator dictus, sed etiam Filius Castrorum ae Pater Exercituum. 396

Caligula dictus Filius Castrorum & Alumnus Legionum. 452

Calpe urbs in Hispania eiusdem cum monte nominis. 600

Caluiſia, nomen Familiæ. 8

Calumnia passim dicitur de inustis delationibus, vel actionibus, quæ Fisci nomine intentabantur. 572. Calumniæ pœna quæ fuerit libera adhuc Rep. *ibid.*

Cameli etiam adhibiti in Cursu publico. 570

P. Canidius, cognomento Crassus, ex præcipuis M. Antonii amicis. 178. ab eo Armeniæ præpositus. 179

Capitolini in gente Petillia & Manlia, unde dicti. 76

Cappadocibus concessum *αὐτονομίας* ius, verum ab illis non admissum. 585

Caracalla Diademate usus fuit exemplo Alexandri Magni, quem studebat referre. 388, 389

Caracalla Magnus cognominatus. 400

Caracalla quare cognominatus sit Magnus. 440

Carausius sub Herculio Maximiano imperium in Britannio inuasit. 265. nummi eius exstant. *ibid.*

Carinus Caro superstite Augustus appellatus, Numeriano adhuc intra Cæsaris fastigium manente. 377

Carpento vehi apud Romanos eximii honoris loco habitum. 278. feminis non licebat, nisi sacrorum publicorum caussa. *ibid.* Augusti dein fastigii, aut summorum Magistratuum, proprium fuit. *ibid.*

Carpi sub Maximo & Balbino principium dedere bello Scythico. 635. ab Aureliano deuicti. *ibid.*

Carthago qua ratione sub Imperatoribus dicta Felix. 443

Carus an simul cum duobus filiis Carino & Numeriano Augustis imperarit. 376, 377

Carus Dei nomine voluit coli ac appellari. 492

Catinenses fratres a Græcis Eusebes cognominati. 75

Catus Ælius Sextus apud Ennium pro Sextus Ælius Catus. 55

Celetes, siue Equites singulares, in nummis exhibiti respiciunt ludos Apollinares. 131, 132, 133

Censitorum siue peræquatorum officium quale fuerit. 480

Censores habebant potestatem amplissimam non solum in Censu agendo, sed etiam in decernendo sub Cæsaribus de omnibus fere, qui aliquam Ciuilem seu Militarem potestatem obtinebant. 479. Theodosius Magnus cogitauit de reuocanda veteri Censura. 481

Censores in Municipiis & Coloniis. 482. creabant ibi Magistratus, etiam sub Cæsaribus. *ibid.*

Censoris dignitas Romæ solum fuit Curulis Magistratûs. 475. sellis ideo Curulibus sedebant. 476. populus vocabatur per præconem ad Censores. *ibid.* iurati ibidem nomina & facultates suas profitebantur. 476. Censorem habuisse patrem habebatur res præclara. 477. Censoris magistratus a quibusdam præponirur Consulum dignitati. *ibid.*

Censoris munus fastigium omnium honorum, ab Imperatoribus administratum. 472. *& seq.* abstinuerunt Imperatores Censoris nomine præterquam in agendo Censu. *ibid.* Augustus Censoris perpetui dignitatem sibi oblatam recusauit. 473. accepit eam sub nomine Censoriæ Potestatis, *ibid.* raro dein Censoris titulus Augustis tributus. *ibid.* Vespasianus in antiquis monumentis Censor vocatur. 474, 478. vias eo nomine faciendas curauit. 474. raro Imperatores in eorum nummis Censores dicti. *ibid.* nomen Censoris inscriptum statuæ Scipionis 477. Domitianus Censor Perpetuus 478. post Flauiorum tempora legitur nullus Imperator in nummis Censoris titulo. *ibid.*

tandem Censura ad priuatos translata. 478. Censoria potestas tamen residebat apud Imperatores. 480, 481. Censorum mentio an fiat in libris Iurisconsultorum veterum. 481
Censorum nomina in Fastis additi Consulum nominibus. 99. Censores erant magistratus ἀυτεύθυνος. *ibid.* summæ dignationis. *ibid.* Equitum transuectio erat præcipua Censuræ actio. 100. Formula Censorum ad equites a Præcone citatos & equos traducentes erat *Traduc equum. ibid.* a censoribus interdum equi equitibus adempti. *ibid.* aut iidem eos vendere coacti. 101. Lustrum ab uno e Censoribus tantum condebatur. *ibid.* & quidem lustrali Sacro, Suouetaurilia, siue Solitaurilia dicto. *ibid.* & *seq.* Censores fuerunt quoque in Coloniis ac Municipiis. 102
Census a Seruio Tullio institutus. 100
Centaurorum bigæ in nummis gentis Aurelię, quid significent. 16
Centurio militem vite cædens in nummo Gentis Didię. 229. explicatio eiusdem nummi. *ibid.*
Cereris caput in nummis non semper Ædilitatem designat, sed interdum prouinciam frugibus feracem, cui aliquis præest Prætor. 111
Cereris habitu culta Statilia Neronis. 284. Sabina Hadriani. 288. Faustina mater. *ibid.* Marciana Traiani. *ibid.*
Cereris sacra, quod Græca essent, a feminis Sacerdotibus semper curata. 276
Ceres Σιτὼ cognomine non in Arcadia, sed in Sicilia culta. 400. quis fuerit habitus Iugentis & quærentis filiam. *ibid.*
Ceres unde sit dicta πολύταχυς, πολυμέδιμνος, καρποφόρος. 538. Ἰβλὼ etiam vocata. 539
Chaldæi cum vicinis Armeniis fœdus faciunt, ut mutua inter eos liceat inire connubia. 619
Χειμὼν, non pro *tempestate* solum, sed etiam pro tumultu inter pugnandum excitato ponitur. 251
Christiani Imperatores, an Pontificis Maximi dignitatem retinuerint. 413, 414
Christianorum nomen se *deleuisse* vanè ab Imperatoribus quibusdam iactatum. 527
Ciceronis Triumphus, an designetur singulari quodam nummo. 213
Cilbiani Nicæenses in nummis obuii. 319. distinguuntur in Superiores & Inferiores. *ibid.*
Cilices gaudebant ἀυτονομίας iure. 585
Cipia, Familiæ nomen. 6
Ciuitates Asiæ nocturno terræ motu collapsæ, a Tiberio restitutæ. 624
Ciuitates liberæ in Imperio Romano. 583, 584. erant immunes a iurisdictione Præsidis. *ibid.* quædam in nummis signatæ. 585. earum status ordinabatur a missis ad eam rem Romanorum Legatis. *ibid.*
Clarissimæ dictæ filiæ nubiles & uxores virorum Clarissimorum, i. e. Senatorum sub Cæsaribus. 269, 272
Classes quando primum a Romanis institutæ. 185. & in quem finem. *ibid.*
Claudia gens e Sabinis orta. 13
Claudii Imperatoris liberi tres in nummis cum duplici cornucopiæ. 324, 325
Claudius contra morem veterem in una expeditione plus quam semel Imperator dictus. 404
Claudius Gothicus, ita dictus a Gothis deuictis. 636
Clementia & *Mansuetudo* inter titulos Imperatorum sequioris æui. 437
Cleopatra dicta Regina Regum filiorum regum. 317. cognominem habuit filiam Jubæ Regi nuptam. *ibid.*
Cleopatra Junior Dea dicta. 288
Clodius Macer, an in nummo veteri designetur. 242
Cnæi prænomen in quibusdam gentibus damnatum. 34
Cneus, prænomen Ahenobarborum gentis Domitiæ. 25
Cnæus, prænomen interdum pro nomine positum. 30
Cœpio, quare dictus M. Brutus. 77, 78
Cognitio omnium omnino criminum delata a Seuero ad Præfectum urbis. 113
Cognomina ab Imperatoribus adsumpta e Victoriis aut Gentibus deuictis. 501. & *seq.*
Cognomina ad posteros transmissa. 82. labente imperio confusa. *ibid.*
Cognomina e nominibus facta. 36
Cognomina gentium apud Romanos varia, 43. quædam fere e nummis tantum nota. 44. singula quasi singulis gentibus propria. 46. errores interdum ex iisdem diuersorum cognominibus orti. 47. cognomina plura uni data. *ibid.* inde origo diuersarum Familiarum in una gente. *ibid.* tria interdum cognomina data. 48, 49. cognominibus quædam Familiæ plane carucrunt. 50. interdum gentili nomini præpositum. 55. origo Cognominum. 59
Cognomina indita ab aliqua corporis nota. 59. & quidem a capite, *Capito*, *Chilo*, *Labeo*, &c. 60. ab alia corporis adfectione, *Niger*, *Rufus*, *Pulcher*, &c. *ibid.* a muneribus, *Caprarius*, *Figulus*,

gulus, *Veſpillo*, &c. *ibid.* ab oleribus, *Fabius*, *Piſo*, *Cicero*, &c. 61. a moribus, *Frugi*, *Lepidus*, *Blandus* &c. *ibid.* ab animalibus brutis, *Aſina*, *Capella*, *Vitulus*, &c. *ibid.* a rebus geſtis, *Achaicus*, *Africanus*, *Numidicus*, &c. 62
Cognomina varia in Gente Cæcina. 10. Gentilium nominum vice poſita. 11
Cognominum variorum in Romanis gentibus, ut *Flori*, *Trionis*, *Vaalæ*, &c. quæ cauſſa exſtiterit. 76
Cohors conſtabat ex tribus Manipulis. 238
Cohortes extraordinariæ. 368
Cohortes Prætoriæ & Speculatorum in nummis M. Antonii. 233. Cohors Prætoria apparebat Prætori. *ibid.* Cæſar plures adhibuit tempore belli ciuilis Cohortes Prætorias. *ibid.* quod deinde quoque a Triumuiris factum. *ibid.* Antonius in exercitu habuit plures Cohortes Prætorias. *ibid.* Cohors integra Speculatorum in Romana militia. 234. præter alia conſueta ſigna Cohortes Prætoriæ ſuam habebant aquilam. 238. decem Cohortes Prætoriæ. *ibid.*
Collegæ ab Imperatoribus dicti qui erant conſortes Tribunitiæ poteſtatis. 426
Coloniæ tam in Cæſaris quam Populi Prouincias ductæ. 598. interdum Coloniæ vocantur Municipia. 601. originum ſuarum inſignia a Coloniis ſeruari ſolita. 602. deductæ a J. Cæſare aut Auguſto dictæ *Juliæ* aut *Auguſtæ*. *ibid.* a Veſpaſiano aut filiis deductæ Coloniæ *Flauiæ* appellatæ. 603. *Æliæ* ac *Hadrianæ*, quæ erant deductæ ab Hadriano. 606. a Seuero ac filiis *Septimiæ*, *Seueræ*, vel *Seuerianæ*. 607. a filio *Antonianæ*. *ibid.* a Julia Seueri Coniuge *Juliæ*. *ibid.* aliorum Cæſarum coloniæ. 608. nobiliores Coloniæ dictæ *Splendidiſſimæ*. 610. in nummis Imperatorum Byzantinorum nulla reperiuntur exempla Coloniarum deductarum. 613
Coloniis ac Municipiis diu ſub Cæſaribus relictum ius cudendæ monetæ. 169
Comites Sacrarum Largitionum dicti æuo Conſtantiniano, qui antea Procuratores aut Præfecti ſacri Ærarii. 535
Comitium fuit prope Roſtra in Foro Romano. 191. deſtinatum illud fuit Comitiis populi Curiatis. 192. alterum Comitium, ad Comitia Centuriata, erat in Campo Martio. *ibid.* illud in nummis expreſſum cum Septis, Pontibus, Ciſta, & Diribitore. *ibid.*
Commentarii nobilium Familiarum apud veteres. 4
Commodi liberi aliunde ignoti in nummis. 340
Commodus cognomine Hercules fuit dictus, & quidem Hercules Romanus. 492, 493
Commodus dictus Optimus Maximus & cum fulmine in nummis depictus. 501. Britannicus Maximus. 502
Commodus Olympius cognominatus. 499
Commodus primus uſus titulo Felicis. 441. nemo plura id genus cognomina tulit quam is. *ibid.* 443
Commodus ſuperſtite Marco parente dictus *Junior Auguſtus*. 376, 382
Concordia urbium, vide *Urbium Concordia*.
Concordiæ Templum in nummis. 647, 648
Congiaria Populo Romano ab Imperatoribus data, ac in nummis conſignata. 529. primum occurrunt in Neronis nummis. *ibid.* quorundam Imperatorum Congiaria ignota apud Auctores, ſed in nummis expreſſa. 530. Congiariorum & Liberalitatum eadem fuit Ratio. *ibid.* Populo Romano, ſeu ciuibus, non vero etiam peregrinis datum Congiarium. *ibid.* 532. non data Congiaria in Amphitheatro, ſed e Tribunali ſeu Suggeſtu eam in rem, & quidem cum Gradibus, erecto. 531. Foro Romano vicinum fuit eiusmodi Suggeſtum. 532. dabantur Congiaria variis occaſionibus. *ibid.* ſignata in nummis per mulierem ſtantem cum Cornucopiæ. 533. Curatoribus Tribuum & Centurionibus plebis nonnunquam diſtributa, qui eadem poſtea viritim diuiderent. 535
Connubiorum cauſſâ fœdus ſancitum inter Chaldæos & Arabes. 619. apud Judæos nemini licebat uxorem ducere ex aliena tribu. *ibid.* a Romanis connubia ſuorum ciuium cum gentibus adiacentibus modo conceſſa, modo vetita. *ibid.*
Conſecrare aliquem ſub Cæſaribus non licebat niſi ex voluntate Senatus. 301
Cooptari a Collegis dicuntur Pontifices, Augures, &c. 360, 367, 368, 369
Coponia gens Tibure oriunda. 13
Cornelia Paula altera Elagabali uxor. 296, 297
Cornelia Supera Valeriani Junioris uxor. 306
Cornelia gens e Sabinis orta. 13
Corneliorum varia cognomina. 47
Coronæ Faſcibus, tam qui ſine ſecuribus exhibentur, quam quibus ſecures ſunt, alligatæ. 91
Conſecrationis ſignum eſt, in monumentis veteribus a Victoria in cœlum ferri. 654

Con-

Constantina Constantini filia a Patre diademate ac Augustæ appellatione ornata. 386, 390
Constantini victoriæ a barbaris gentibus relatæ, varie in eius nummis exprimuntur. 614
Constantiniana Daphne Antiochiæ suburbium, ac unde urbs ipsa fuit dicta *Epidaphne*. 613
Constantinopolis frequenter urbs Regia aut Augusta dicta. 401
Constantinus Magnus lapidibus pretiosis intextum Diadema gestauit, & solebat gemmis ambitiosius ornari. 389, 390
Constantinus & alii Imperatores Christiani a gentilibus Scriptoribus post eorum mortem Diui appellati. 414, 415. fuit Pontifex Maximus. *ibid.*
Constantius Chlorus duas habuit uxores, alteram Helenam Constantini matrem, alteram Theodoram Herculii Maximiani filiam. 312, 313
Consulares dictæ Prouinciæ Cæsaris. 595. ac inde eodem nomine istarum Prouinciarum Metropoles. 611
Consulari Potestate Rectores in Prouincias sub Cæsaribus missi. 595
Consularia ornamenta, seu Consularis dignitas feminis concessa. 269. peculiari Principum fauore. *ibid.* 272
Consularis dignitas Sella Curuli, Fascibus, Lictoribus, &c. in nummis expressa. 86
Consulatu functi continuo fiebant Prætores Urbani. 120
Consulatus aliquoties iterati in nummis memoria diligenter conseruata. 97
Consulatus omnibus dignitatibus maior in Romana Republica. 453. ideo ab ipsis Imperatoribus frequenter gestus. *ibid.* Consulatus perpetuus oblatus Augusto, sicut decem annorum eius Parenti. 454. aliis etiam Imperatoribus perpetui Consulatus dati. *ibid.* interdum ab Imperatoribus ad lubitum gesti Consulatus. 455. Decenniis aut Quinquenniis singulis Consulatus ab iis susceptus. *ibid.* ad menses, aut etiam ad dies aliquot, Consulatus ab Imperatoribus gestus & deinde in alium translatus. *ibid.* Consulatus Imperatorum fuere subinde suffecti. 456. numeralis nota Consulatûs in nummis tempore æui Constantiniani omissus. 457. Harduini sententia de Augustorum Consulatu diligenter expensa. 460. & *seq.* Consulatum an quis sine Collega unquam gesserit. 462
Consulem bis aut ter in libera Republica fuisse habebatur summa laus. 476
Consules facti Imperatores exemplo Sullæ, qui Dictaturæ adiici Consulatum præter morem passus est. 452. idem factum a J. Cæsare. *ibid.* ab Imperatoribus conseruata Consulum dignitas, ablata tantum potestate ducendi exercitus. 453. Jupiter Deorum Consul a Græco auctore dictus. *ibid.* Consulum ordinariorum ac suffectorum origo unde nata. 456. Consulatus bimestris. *ibid.* deinde uno tantum mense gestus. *ibid.* Consules ordinarii in Fastis signati, suffecti quidem non signati, sed tamen in numerando alicuius Consulatus suffectorum numerus non omissus. *ibid.* Kalendis Januarii, more iam in veteri Republica usurpato, solenni per Urbem processu ineabant Consulatum. 457, 458. Consules interdum pueri facti. 459. frequenter Imperatores aliquem ex Augusta domo Collegam adsciscebant in consulatu, præteritis fere priuatis. 460. Consul maior dictus, qui prior esset factus Consul. 462. Consules forte, non quodam Magistratus sui supra collegam iure, militare extra urbem Imperium capessebant. 463
Consules in veteri Rep. vota nuncupabant præeunte Pontifice Maximo. 526
Conuentus Eruditorum Parisiis institutus ad Romanorum Cæsarum vitas & gesta ex nummis illustranda. 517. scripta, quæ ea occasione ab Eruditis fuerunt elaborata. *ibid.*
Cossus cognomen gentis Corneliæ. 36. & prænomen. *ibid.*
Crispina Commodi uxor illi nubens in præclaro nummo exhibita. 292
Crucis signum in nummis Constantiniani sæculi & sequentibus. 638. Vexilla militum cum figura crucis. *ibid.* Eraclius susceptit expeditionem contra Cosroëm regem Persarum, ut repeteret Crucis signum ab eo Hierosolymis auectum. *ibid.*
Curopalatissæ dictæ sequiori æuo Curopalatarum uxores. 272
Cursus publicus ab Hadriano institutus. 553
Cursus publicus. Vide *Vehiculatio.*
Curule ebur, *vita curulis*, pro Consulatu & vita consulari. 87
Cybeles seu Matris Magnæ effigie interdum Augustæ in nummis depictæ. 291
Cyprus primum Cæsaris, dein Populi prouincia facta, reddita eius loco Cæsari Dalmatia. 589
Cyrus Πατὴς ἀνθρώπων appellatus. 450, 451

D.

Δ. litera interdum posita pro Z. 582
Dacia erat Prouincia Cæsaris. 588
Damascus Colonia dicta ac Metropolis. 609
Daphnense palatium forte a Constantino exstructum in Daphne suburbio Antiochiæ. 613. Daphnensis Aquæductus eidem palatio inseruiens. *ibid.* victoriam propre castrum *Daphne* dictum retulit Constantinus. 614
Dea, in Græco nummo dicta Liuia. 489. & Messalina. 490
Decreta quarundam gentium signata a summis earum sacerdotibus. 418
Decula, an cognomen regis Seruii. 17
Defectus Historiæ Augustæ inter tempora Gordiani Pii & Valeriani. 252, 253. etiam post Valeriani tempora. 258
Dei elogium in nummis Prouinciarum datur Senatui Romano, ut *Deæ* ipsi Romæ. 590
Dei nomen æque ac Domini Domitiano, datum. 483. in nummis utrumque Aureliano tributum. 484
Dei in genere & nominatim quorundam Deorum nominibus dicti Imperatores. 489: Augustus dictus fuit Deus, ut & Tiberius, in nummis Græcis. *ibid.* Nero ibidem dicitur Deus Dei, seu Diui, filius. 491. Carus adhuc superstes voluit Dei nomine coli & appellari. 492
Δεκατῶναι dicti Publicani, qui redimebant Vicesimam. 551
Delmatius Cæsar in nummis. 267
Deorum Gentilium appellationes in nummis Imperatorum Christianorum. 414
Designati non solum Consules, sed Quæstores & Ædiles in nummis leguntur 153
Δέσποινα aut Δέσποινα γυνὴ dicitur apud Græcos, quemadmodum apud Romanos *Domina*, seu *Domina uxor*. 488
Δεσποινικαὶ seu Δεσποτικαὶ dictæ domus Regiæ Constantinopoleos. 488
Despotæ appellatio translata ad præcipuæ dignationis proceres Aulæ Byzantinæ. 489
Deulrum in Thracia, Colonia Flauia. 604
Diademate cur Romuli caput in nummis cinctum. 21. quando mos iste inductus. *ibid.*
Diademate Augustorum dignitas fuit sequiori Imperatorum æuo a dignitate Cæsarum distincta. 385. Cæsaribus non fuit concessum Diademate uti. *ibid.* 386. Diadema a Constantino concessum Constantinæ filiæ. *ibid.* lapsu temporis tamen etiam Cæsares Diademate, sed diuerso ab Augustorum Diademate, usi. *ibid.* 387. Augustorum Diadema fuit fascia aurea gemmis contexta. *ibid.* Diadematum usus inualuit sub Constantino magno, more regum Orientis ac Ægypti. 388. odio regum Romani aliquot sæculis usum Diadematis spreuerunt. *ibid.* quis primus tentauerit usum Diadematis apud Romanos inferre. *ibid. & seq.* non omnes Imperatores post Diocletianum Diademate gemmato usi. 389. Constantinus Magnus tali Diademate primus usus. *ibid.* & passus est filios in partem Imperii adscitos similibus istius uti. 390. mansit inde Diadema summi Imperatorum fastigii proprium ac insigne. 390, 391
Diadumenianus, dictus Antoninus. 509
Diana ludis Sæcularibus culta. 124, 126, 128. *Noctiluca*, Ἀστροχίτων, Ἐυάστερος, Ἀστράρχη, &c. dicta, quatenus Luna credebatur. 127. alia eius cognomenta. *ibid.*
Diana quare Noctiluca dicta. 130. Græcorum imitatione, a quibus Νυκτιλαμπὴς, Νυκτιφαὴς, &c. dicta. *ibid.*
Dictatoris potestas erat tanta, ut etiam Consulem ad se venire sine fascibus iuberet. 96
Dictatoris potestas a Græcis αἱρετὴ τυραννὶς dicta. 171. Dictator ipse Monarcha, Tyrannus, &c. *ibid.* post cædem J. Cæsaris ea potestas solenni lege abolita, postquam per quingentos annos plures Familiæ eâ fuissent illustratæ. *ibid.* J. Cæsar unus hactenus in nummis legitur inscriptus *Dictator*. *ibid.* Secures Dictatori, tum in Urbe, tum extra eam, prælatæ. 172. & quidem numero viginti quatuor. *ibid.* Dictatoris nomen ob Sullæ tyrannidem cœpit odiosum esse. 173
T. Didius in veteri nummo signatus, quis fuerit. 229, 230
Didius Julianus Commodi cognomine in nummo dictus. 509
Dignitatum nomina Gentilitiis nominibus, aut cognominibus addita. 83. etiamsi plures unius erant dignitates, singulæ tamen nummis inscriptæ. *ibid.* Dignitates sacræ in nummis. *ibid.*
Dii Noui & *Ascriptitii* quales. 490. *Indigenæ*. 491
Dii Olympii a Græcis eo nomine inuocati. 499. eo nomine dicti Dii, qui bello contra Gigantes adfuissent. *ibid.*
Dii omnes iuxta Platonem boni. 337. ita tamen, secundum alios, ut bona tantum se-

secundi & tertii generis darent. *ibid.*

Diis a Populo ludis Sæcularibus frugum primitiæ oblatæ, quæ fruges deinde uniuerso Populo distribuebantur. 538, 539

Diis sellæ in Theatris positæ tanquam ludorum Præsidibus. 209

Diocletianus & Maximianus dicti nomine Jouis & Herculis. 494. & inde etiam Jouius & Herculius. *ibid.* 495. qua de caussa iidem ea cognomina tulerint. *ibid.* primus Romanorum Imperatorum Diocletianus iussit se adorari. 495. eorum successores etiam Jouii & Herculii dicti. 496

Diocletianus & Maximianus, præter alia nomina iis data, in nummis *Seniores*, *Optimi*, *Beatissimi*, *Felicissimi*, ac *Fortissimi* dicti. 513

Diocletianus non ultro, sed coactus a Galerio purpuram, & quidem lacrymabundus, deposuit. 513

Diocletianus unum tantum Consulatum priuatus gessit, & quidem suffectum. 382, 383

Διοιχοῦσθαι & Διοιχητὴς a Græcis dictum de iis, qui liberarum ciuitatum sub Imperio Romano statum ordinabant. 586

Diui Fratres in Jurisconsultorum libris dicti Marcus Antoninus & Verus, qui simul imperarunt. 506

Diui interdum dicti patres Imperatorum, licet in priuata sorte defuncti. 329

Dominæ dictæ apud Romanos uxores. 487, 488. *Domina Vrbs* de Roma. *ibid.*

Domini appellatio recepta demum labante iam Romani Imperii ætate a Cæsaribus. 482. Augustus id nomen abominatus est, Tiberius recusauit, Caligula admisit, Domitianus eo appellari se gauisus est. *ibid.* non tamen iste titulus tum in nummis signatus. 483. sub Traiano velut abolitus. *ibid.* Antonini non ambierunt nomen Domini. *ibid.* ea appellatio tamen Seuero, Caracallæ, & sequentibus Imperatoribus tributa ab urbibus eorum maiestati deuotis. 484. Domini & Dei nomen in nummis Aureliano tribuitur. *ibid.* legitur illud Domini nomen primum in nummis Cari, Diocletiani, &c. 485. & quidem *Domini* nomen in iis est positum loco *Imperatoris*, adeo ut illud non sit ibi honoris, sed potestatis. *ibid.* Imperatores frequenter Domini appellati a scriptoribus æui Constantiniani. 486. in nummis signati solo Δεσπότης vocabulo, omissis aliis principatus titulis. 487. id Seuere a Justiniano exactum, *ibid.* Elagabalus non Dominus sed Domina salutatus. 488

Domitia Domitiani coniux cognomine Longinæ. 287. frequens in nummis. *ibid.*

Domitilla Titi Imperatoris soror ab eo consecratarum Augustarum ritu culta. 271, 284, 285

Domitillæ tres in nummis. 286

Domitius Domitianus Tyrannus circa tempora Aureliani. 262. Gallando visus referendus ad tyrannos, qui post Diocletiani tempora insurrexerunt. 263. & quidem nullo alio argumento quam ex nummorum fabricâ. *ibid.*

Domnus, dignitatis titulus apud Scriptores Ecclesiasticos. 294

Domnus & Domna, nomen proprium apud Syros. 294

Donatiua Militum designata per *Liberalitates* seu *Congiaria*. 533. & per *Largitiones*. 534

Drusilla Caligulæ soror quare Augusta sit dicta. 271, 279. Caligula solebat per eius numen deierare. 279

Drusus Augusti priuignus in nummis obuius. 320. non fuit dictus Cæsar. *ibid.* cum filiis cohæres ab Augusto institutus. *ibid.* an in quodam nummo potuerit Cæsar dici. 321

Drusus Tiberii filius una cum Germanico fratre adoptiuo in nummis. 321, 322. Juniores Dii dicti. *ibid.*

Ducentesima, non vero Centesima a Galba remissa. 545

Durmia, Familiæ nomen. 6

Duumuiri Capuani dicti fuerunt in ista urbe Prætores contra morem aliorum Municipiorum. 117. iis Fasces præferebantur. *ibid.* postea in aliis Municipiis Duumuiri quoque Fascibus usi. *ibid.*

Duumuiri in coloniis interdum Sacerdotes. 416

Duumuiri Nauales creati ad rutandam oram Maritimam. 185. & quidem Superi aut Inferi Maris, *ibid.*

Duumuiri Quinquennales in Municipiis, singulis quinquenniis Censorum munus obibant. 102

E.

E *Ditio Candida*, aut *ex Arca Publica*, quid significet. 143

Effigies Maiorum sellis Curulibus impositæ pro rostris collocabantur in funeribus illustrium virorum. 209

Εἰκοστῶναι dicti Publicani, qui Vicesimam redimebant. 551. εἰκοστολόγοι apud Articos. *ibid.*

Elagabalus Diademate usus fuit, non tanquam Imperator sed veluti Sacerdos patrii

trii numinis. 389
Elagabalus non *Dominus* sed *Domina* salutabatur. 488
Elagabalus tres habuit uxores. 296. earum nomina, & quo ordine ab eo ductæ. *ibid.* 297
Elephanti a quo primum Quadrigis Triumphalibus iuncti. 214. Quot Metellus Pœnis bello Punico primo deuictis Romam aduchendos curauerit. *ibid.* Quando primum in Circo pugnauerint. *ibid.* thensas sub Cæsaribus per Circum trahebant. 215
Eleutherocilices postea Eleutheritæ dicti. 585
Ἐλλείματα a Græcis dicta, quæ a Romanis *Reliqua publica* siue *Fiscalia*. 553
Emerita urbs Hispaniæ in nummis. 179. eius urbis laus singularis. *ibid.*
Epaphroditus, quis Græcis. 74
Episcopus Carthaginiensis obtinuit ius in omnes reliquas Africæ Diœceses. 115
Ἐπώνυμος ἀρχὴ dicitur de Consulibus, ac de Archontibus Athenicnsium. 596
Ἐφήβαρχος a Græcis dictus, qui a Romanis Princeps Iuuentutis. 359
Ephesii in nummis suis iuncta Imperantis Augusti ac Augustæ capita ponebant. 283, 284
Ἔφοροι δίφροι, sellæ supremi apud Lacedæmonios magistratus. 87
Equi cursuales dicti, qui agebantur per vias publicas, *paraueredi* seu *agminales* qui per vias transucrsas. 567
Equitum transuectio erat præcipua Censuræ actio. 100. equi interdum equitibus ademti. *ibid.*
Equorum decurrentium nomina in nummis indicata. 132
Εὐάζειν, εὐασις, εὐασμὸς, &c. in sacris Bacchi. 218
Εὐάτη a Græcis dicta Ouatio. 206, 218
Εὐχαίτης Bacchi Epitheton. 212
Εὐθηνία de frugum abundantia præsertim a Græcis dictum. 536. Εὐθηνεῖν, non εὐθενεῖν. 537
Εὐσέβεια & Θεοσέβεια eiusdem significationis. 435
Εὐσεβείας cognomine Cæsarea & Tyana dictæ. 75
Εὐσεβεῖς dicti aliquot Syriæ Asiæque reges. 434, 438
Εὐσεβὴς pro *misericors*. 438
Eurypylus ἥρως dictus ob pulchritudinem. 334. Pergamenorum ad Troiam dux. *ibid.*
Ἐξαπελέκεις Prætores in Prouincia a Græcis dicti, ac proinde sex Fascibus usi. 105. etiam ἐξαπελέκεις στρατηγοὶ, aut ἡγεμόνες. 106
Excrcituum nomina in variis nummis expressa. 630, 631. videntur etiam maioribus vexillis fuisse inscripta. 632
Ἐξουσία Ὑπάτως pro *Consulari Potestate*. 586
Explorare quid proprie significet. 235
Exploratores Legionum in veteri lapide. 235. unde dicti sint, & quod corum officium in exercitu Romano. *ibid.* 236

F.

F. litera in antiquis monumentis non Fratrem sed Filium significat. 379
Fabarum primitiæ, quare tempore ludorum Sæcularium a Populo fuerint Diis oblatæ. 539. Fabarum inter legumina maximus honos. *ibid.* in sacris apud Romanos Fabæ adhibitæ. *ibid.*
Fabia gens, an ab Hercule orta. 14
Fabiorum varia cognomina. 47
Fabius Pictor Flamen Quirinalis. 26
Fabius, unde tulerit Maximi cognomen. 68
Faces non solum a Cereri veteribus sed etiam Dianæ tribuuntur, quæ ideo δαδοῦχος, æque ac Ceres fuit dicta. 127
Familia pro *Gens* positum. 4
Familiæ aliunde fere ignotæ in nummis. 6. nomen Familiæ nouum subinde ex Cognomine posteris datum. 12
Familiarum discrimen sub Cæsaribus corruptum. 4. plane extinctum. 5
Familiarum Romanarum nomina ab iis, qui orti e præclaris Romanorum gentibus volebant sequiori ætate videri, an recte retenta. 348
Fanestris Piceni Metropolis antea *Julia* ac deinde a Vespasiano *Flauia* cognominata. 606
Fasces alternis mensibus penes alterutrum Consulem fuere, non ad signum maioris potestatis, sed ordinis. 462
Fasces dicitur tam de Fascibus proprie dictis sine Securibus, quam cum iisdem. 110
Fasces non tantum submittebant minores in Prouinciis magistratus maioribus, sed eos prorsus abiiciebant, si maiores essent conueniendi. 164
Fasces in nummis cum securibus, interdum cum sella curuli, interdum absque ea, Consularis potestatis indicium. 88. ῥάβδοι ὑπατικαὶ fasces dicti. *ibid.* Fasces sine securibus in Urbe prælati consulibus. 89. Post reges exactos duodecim Fasces cum securibus alteri Consulum prælati,

alteri totidem ſine ſecuribus. 89. poſtea uni tantum Faſces, verum ſine ſecuribus, prælati. 90. Πελέκεις a Græcis tam ſine ſecuribus Faſces quam cum iisdem dicti. *ibid.* Coronæ Faſcibus adnexæ. 91. Faſces utrique Conſuli a Senatu dati. 92. Auguſto ſemper duodecim Faſces prælati. 93

Faſtigia templorum frequenter in nummis ornata aquilis. 646. quædam faſtigia Στολοειδῆ. 647

Fata Tria de Parcis dictum. 639. templum Romæ exſtitit Parcis dicatum, ſub nomine *Trium Fatorum. ibid.* 640. *Fata* quare dicantur *Victricia. ibid.* leguntur tamen *victa* ac *ſuperata. ibid.*

Fauſti cognomine dictus Sullæ filius. 73

Fauſtina utraque in plurimis nummis obuia. 288. ad matrem referendæ Puellæ Fauſtinianæ. *ibid.* eius puerperium ſub puerperii Cybeles effigie aduumbratum. 291

Feciales non ſolum ad res repetendas aut bella indicenda, ſed etiam ad fœdera ſancienda & pacem faciendam adhibebantur. 201. Σπονδοφόροι a Græcis dicti. 202

Felices dicti Imperatores exemplo Sullæ. 73. 441. Commodus primus eo titulo uſus eſt. *ibid.* etiam dicti Feliciſſimi. 442. regia Cæſarum urbs etiam Felix dicta. *ibid.* poſt Commodi tempora non ſemper Felicis cognomen ab Imperatoribus receptum. 444

Felicitas Deorum, qua cauſſa nummo inſcripta. 306

Felicitas ſuorum temporum a multis Cæſaribus præcipue ut monumentis publicis traderetur cautum. 442

Felix non tantum ſed etiam Felicitas dictus L. Sulla. 73

Feronia Dea a Sabinis culta. 13

Filiæ Imperatorum in nummis Auguſtæ dictæ. 270

Filiæ non ſemper patrum prænomine apud Romanos dictæ. 309

Filius dicitur interdum pro *genero*, ut *pater* pro *ſocero*. 511

Firmus ſiue Firmius Aureliani ætate Tyrannus. 263. in nummis vocatur Auguſtus. *ibid.*

Fiſci Judaici ratio quæ fuerit poſt Hieroſolymas euerſas. 571. acerrime actus ſub Domitiano, a Nerua vero non ſublatus, ſed tantum translatus ad profeſſos Judæos. 572

Flamen Quirinalis in nummis. 85

Flamen unus interdum plurium Deorum. 419, 420

Flamina Flauialis e veteri inſcriptione illuſtrata. 276

Flamines Martiales duo aut tres in nummis Gentium Romanarum. 203

Flaminis Martialis dignitas præclara. 85. Cœna eorum Flaminum luxurioſa. *ibid.*

Flatuarii in Codice Theodoſiano dicuntur, quibus cura erat ſlandæ monetæ. 168

Flauiæ dictæ plures urbes a Veſpaſiano ac filiis. 603, 604, 606

Florales ludi ſumma laſciuia & licentia peragebantur. 145. quo tempore celebrati. 146. primum a C. Seruilio editi. *ibid.* origo iſtorum ludorum duplex. *ibid.* & *ſeq.* acti quarto Kalendas Maii. 148

Fœdera Populi Romani cum exteris populis ſancita in nummis obuia. 201. & *ſeq.* Fœdus inter Romulum & Tatium regem Sabinorum, an in quodam Vettiæ ſiue Veturiæ Gentis nummo ſignatum ſit. 202, 203

Francorum reges in nummis Imperatorum. 583

Frugum, tritici, hordei, fabarum, primitiæ Diis oblatæ a Populo ludis Sæcularibus. 538, 539

Frumentaria Coëmptio ſequiori ævo dictum munus coëmendi frumenti in Prouinciis frumentariis. 155

Frumentariæ largitiones quomodo libera Republica indultæ fuerint Populo Romano. 540. menſtrua fuit talis largitio ſub Auguſto, verum non uniuerſo populo, ſed egenæ tantum plebi tum frumentum datum. *ibid.* ab Auguſto indefinita multitudo accipientium frumentum retracta ad hominum ducenta millia. 541. Imperatorum præcipua cura, ne Urbs Roma frumenti inopia laboraret. *ibid.*

Frumentum publicum, *Frumentum Urbanum*. 541

Fuluia Baſilica Romæ in foro. 187.

Fuluii Urſini laus. 2

Furiæ per tres mulieres ſtolatas ac cum facibus in Philippi nummo deſignatæ. 639

G.

GAlba Imp. non Sergius, ſed Seruius prænomine. 29

Galba primus *Reſtitutoris* titulo in nummis dictus. 624, 625

Galeria Valeria Diocletiani filia ac Maximiani coniux. 312. Valeria tantum a coæuis Auctoribus dicta. *ibid.*

Galerius Antoninus Antonini Pii filius. 338. non fuit dictus Annii prænomine. *ibid.* 339. etiam in nummis dictus Antoninus.

nus. 507
Galerius Maximianus Iouius dictus ducta Diocletiani filia. 496
Galerus, sive operculum verticis, in nummis Augustarum illustratus. 290
Galla Placidia Magni Theodosii uxor. 314. itidem eodem nomine filia, quæ nupsit Constantio. *ibid.* sigillum plumbeum posterioris adhuc exstat. *ibid.* dicitur Regina Visigothorum. 315
Gallieni duo in nummis antiquis. 259
Γαμβρὸς non minus de genero quam de socero a Græcis dicitur. 226
Gamus Deus Nuptiarum apud Græcos. 292
Gens pro *Familia* positum. 4
Gentes captæ, subactæ, deuictæ, receptæ, in nummis Imperatorum Romanorum. 637, 638
Gentiles ad Christum conuersi nomina mutabant. 25
Gentilitium ex alio Gentilitio haud raro formari solitum, ut ab *Illyricus*, *Illyricianus*, a *Germanicus*, *Germanicianus*. 631
Gentium nomina in IVS desierunt. 9
Gentium variarum apud Romanos origo. 13. certis notis significata. *ibid.* & *seq.*
Germa Colonia ab Augusto deducta in vicinam Ponto Galatiam. 601
Germanici cognomen primum est adsumtum ab Imperatoribus ante alia cognomina e gentibus deuictis petita. 502
Germanicus a Tiberio adoptatus, quum Tiberius adoptabatur ab Augusto. 320. Cæsar in nummis dictus post mortem Augusti. *ibid.*
Germanicus tulit Britannici nomen loco nominis proprii post res a parente Claudio in Britannia gestas. 326
Germanus & *Germana* pro fratre ac sorore apud veteres scriptores. 379
Geta, an tulerit Antonini nomen. 506, 507
Globi tres cum inscriptione ASI. EVR. AFR. in singulari nummo significant diffusum per tres Orbis partes Romanum imperium. 213
Glycerius e Cæsare Episcopus factus a Nepote. 268
Goltzio non temere fides mancipanda, præsertim ubi nummos Græcos attingit. 260
Gordiani senioris uxores duæ, Fabia Orestella & Flauia Valeria Tranquillina. 301
Gordiani fuerintne tres an quatuor. 243. inter eruditos disceptatum. *ibid.* quis fuerit auctor sententiæ de Quatuor Gordianis. *ibid.* quinam speciatim alterutram sententiam propugnauerint. 244. quid dederit ansam oppugnandæ sententiæ de tribus Gordianis. *ibid.* & *seq.* quibus argumentis alii adstruant fuisse tantum tres Gordianos. 246. & *seq.* quæ sententia verior est, ac e nummorum veterum adspectu comprobatur. 251
Gothi varie a variis Imperatoribus deuicti. 636
Gothici cognomen datum Claudio, qui imperauit ante Aurelianum. 504. idem cognomen a Senatu tributum Probo. *ibid.*
Gothorum reges in nummis Imperatorum. 583
Græcostasis Romæ ubi fuerit. 187
Gratiani Liberalitas quanta fuerit. 558
Gratiani singularis nummus cum inscriptione AVGG. AVG. explicatus. 378, 379, 380. Gratianus uxorem habuit Constantii filiam postremam Constantiam dictam. *ibid.* inde *Gener Augusti* in nummo dictus. *ibid.* 381
Gratianus Imperator an fuerit Pontifex Maximus. 414
Gratianus Imperator Gener Constantini dictus in nummo post ductam eius filiam in matrimonium. 514
Gryphus in Gentis Juniæ nummo non referendus ad ludos Apollinares. 133

H.

HAdrianotheræ, aut diuiso nomine Hadriani Theræ, urbs ab Hadriano condita. 338. diuersa ab alia urbe Hadriani dicta. *ibid.*
Hadrianotheritæ urbis ab Hadriano in Mœsia exstructæ incolæ, ac a studio venationis ita dicti. 337
Hadriani Liberalitas in abolendis Reliquis. 552. eius acta interdum adscribuntur Traiano. 553. cursus publicus ab Hadriano institutus. *ibid.* in futurum quoque multos Tributis liberos fecit. 555
Hadriani Profectiones in nummis non expressæ, quum tamen nullus Imperator susceperit plures Profectiones ab Urbe quam ille. 620. Aduentus in eius nummis expressi. 623
Hadriano nomen Herculis in quibusdam nummis tribuitur. 492
Hadrianus Imperator Quinquennalis in sua patria exstitit. 323
Hadrianus Imperator fuit pius in Parentes. 329
Hadrianus a Cyzicenis decimus tertius Deus appellatus. 334
Hadrianus a Græcis Olympii nomine cultus. 497. statua eius in templo Iouis Olympii Athenis. *ibid.* ludi in eius honorem instituti *Olympia* dicti, quod Diis Olympiis adnumerabatur Hadrianus. 499

Hadrianus multos Aquarum ductus de suo nomine nuncupauit, nec tamen ulla in nummis reperitur *Aqua Hadriana*. 197
Hadrianus *Restitutor* variarum Prouinciarum ac Urbium in nummis dicitur. 625. & *Restitutor orbis*. 626
Harduini sententia de veterum scriptorum νοθείᾳ. 406, 407. & de Augustorum potestate. *ibid.* & *seq.*
Hannibalianus rex a Constantino constitutus, in nummis. 267
Ἡγεμόνες plerumque dicti non qui Populi, sed qui Cæsaris Prouinciis præerant. 597, 598
Ἡγεμονεύειν dictum de iis, qui Proconsulari Imperio Prouincias administrabant. 596
Helena Constantini Mater. 312. a filio demum Augusta appellata. *ibid.* a marito repudiata, quo is aliam duceret. *ibid.* alia eiusdem nominis Crispi uxor, nec Augusta dicta in nummis. 313, 314
Helena Constantini Magni filia. 314. Maxima cognomine dicta, ut pater Maximus. *ibid.* Juliani Imperatoris coniux. *ibid.*
Heraclea Ponti ab Aurelio Cotta capta. 16, 17
Ἡράκλειον, seu *Herculis fanum* in nummis gentis Coponiæ. 13
Hercules Olympius dictus. 499
Hercules Κεραυνοφόρος in nummis. 256
Herculis cognomine dictus tum Commodus tum alii Imperatores. 493
Herculis Victoris templum an ullum Romæ exstiterit. 646. ædes Doricæ Herculi erigi solitæ. *ibid.*
Herennia Etruscilla Decii non Volusiani Imperatoris uxor. 304, 305. nomina eius æque ac Patris a filio adsumpta. *ibid.*
Q. Herennius Etruscus successor Traiani Decii in nummis. 255. Decii filius, ac eum patre in acie cæsus. *ibid.*
Hermias notum apud Græcos Scriptores nomen. 260
Herodes plures, siue Agrippæ, in nummis Romanorum Cæsarum. 577. Magnus Agrippa in nummis cum φιλοκλαυδίᾳ nomine. *ibid.* 578. eius frater Chalcidis rex eodem nomine dictus. *ibid.* 579
Herodes seu Herodianus Odenathi filius ex priori coniuge. 260
Heroes ἀγαθοὶ ex Gentilium Theologia non alii quam bonorum virorum animæ corpore solutæ. 336, 337. Deorum comites. *ibid.*
Ἥρωες Græcis, qui Romanis Diui, siue Consecrati. 329
Heroes πατρῷοι vel ἐγχωρίοι Atheniensis e lege Draconis perpetua colere tenebantur. 330
Ἡρῶνα, Ἡρῶνα, Ἡρῷσσα. 310
Hispania a J. Cæsare ac Augusto Coloniis frequentata. 599. nouem aut decem Hispaniæ Municipia sub prioribus Cæsaribus in nummis signata. *ibid.*
Hispania partim ab Augusti, partim a populi Magistratu regebatur. 179, 180
Hispanicus & *Hispaniensis* differunt. 631
Historia Augusta præsertim ex nummis potest illustrari. 240. a quibus Antiquariis e nummis fuerit illustrata Historia Augusta. *ibid.* Defectus Historiæ Augustæ a temporibus Gordiani Pii usque ad Valerianum. 252
Historiæ Augustæ defectus post tempora Valeriani & Gallieni. 258
Hordei primitiæ in canistris Delum ad Apollinem ab Hyperboreis perlatæ. 539
Hypatio per seditionem Imperatori renunciato torques loco diadematis impositus. 385

I.

Ἱεράρχης quid differat ab ἀρχιερεῖ. 424
Ἱερέως nomine interdum Pontifex Maximus designatus. 423
Ἱερονόμος ad dignitatem Pontificis Maximi exprimendum adhibetur. 84
Ἱεροφάντης, apud Græcos pro Pontifice Maximo Romanorum positum. *ibid.*
Ἱεροφύλαξ, a Græcis Pontifex Maximus vocatur. *ibid.*
Illergauonia Dertosa Hispaniæ municipium. 599
Illyricum a Claudio coloniis frequentatum. 603
Imagines Illustrium Romanorum in nummis. 3
Imagines ad posteros prodendi ius instar magni beneficii habitum. 4
Imaginum falsi tituli apud ipsos veteres. 8
Imperatores duo simul Augusti titulo insigniti post mortem Antonini Pii. 375
Imperatores non alia potestate ius in sacerdotes & in sacra habebant quam Maximi Pontificatûs. 423
Imperatores non tantum post obitum sed viui adhuc & superstites in Deorum numerum relati. 524. ipsi tamen suæ in Deos pietatis testimonia dederunt obeundo munia Pontificum. *ibid.* erant in tutela Deorum. 525. profecturi ad bellum solebant Vota nuncupare pro incolumitate Reipublicæ. *ibid.* 526. Votiui ludi siue Agones ab iis celebrati. *ibid.*

Tem-

Templa Deorum ab iis frequenter erecta aut refecta. 527. Beneficia varia ab iis in Urbem Romam collata. 528. Liberalitates ac Congiaria Pop. Romano ab Imperatoribus data. 529

Imperatores Pacis ac Belli Domini. 641. Pacatores Orbis, Ubique Victores, &c. *ibid.*

Imperatores Patres dicti exemplo Jouis, ut *Patres Ausonii*, *Patres Latii*, &c. 450

Imperatores quidam Optimi, quidam Maximi, quidam iunctim Optimi Maximi sunt dicti, 500, 501

Imperatores se ipsos interdum e Senatorum numero vocabant. 413. aut Senatores partem sui corporis. *ibid.*

Imperatores se Mundi Dominos, aut Terræ ac Maris Dominos vocabant. 485. a scriptoribus æui Constantiniani dicti frequenter Domini. 486

Imperatores plerique post Neronem non imperauerunt iure hæreditario. 348

Imperatores scribentes ad Prouinciarum Rectores seipsos non *Augustos* sed *Imperatores* vocabant. 374

Imperatoribus, ac eorum honori, Templa erecta tam Romæ quam in Prouinciis. 650

Imperatoris appellatio primum orta ex acclamationibus militaribus. 180. Imperator de summo exercituum duce apud Auctores. 181. summi duces re feliciter gesta Imperatores ab exercitu salutati. *ibid.* exemplum eius rei antiquissimum est in Scipione Africano superiore. *ibid.* eam appellationem Græci scriptores uno Αυτοκράτορος nomine exprimunt. *ibid.* Junius Blæsus ultimus cui nomen Imperatoris veteri significatione ex priuatis contigit. 182. in nummis Familiarum aliquoties Imperatoris nomen occurrit. *ibid.* concedebatur a militibus, a Senatu, aut a Populo. 183. idque certo hostium numero cæso. *ibid.*

Imperatoris nomen duplici respectu tribuitur Augustis ac interdum Cæsaribus. 392. primo quo prænominis instar appellati in signum summæ potestatis, altero quod Cognominis instar eorum nominibus adscribebatur ad decus victoriarum designandum. *ibid.* 394, 404. æque late patet Latina Imperatoris appellatio ac Græca Αυτοκράτορος. 395. cuncti Cæsares ab Augusto ad Vespasianum usque promiscue Imperatorum prænomine appellati. 397. a Græcis Imperatores Romani dicti Βασιλεις. *ibid* 398. licet Regum nomen Romani fuerint exosi. *ibid.*

Imperatorum dominatio interdum Monarchia dicta. 399

Imperatoris appellatio & Græca Βασιλέως data quoque Cæsaribus siue Imperii hæredibus. 401, 402. Tiberius recusauit Imperatoris nomen, quod illi tamen in quibusdam nummis tribuitur. 403. Imperator Romanorum primus est dictus Justinianus. *ibid.* nomen illud Imperatoris non semper prænominis vice, sed interdum cognominis adhibitum. *ibid.* Cæsaribus partum illud nomen, atque iteratum sæpius ob victorias eorum auspiciis partas. 404. ea significatione Imperatores non dicti a temporibus Seueri ac filiorum Antonini & Getæ. 405. non fuit restricta Imperatorum appellatio ad indicandum summum in Exercitu imperium. *ibid.* & *seq.* a Senatu non ad certum tantum tempus Imperatores creati. 406. & *seq.* Harduini sententia de Imperatorum potestate diligenter expensa. 407. & *seq.*

Imperatorum statuæ cum adpictis clarissimis quibusque urbibus dona offerentibus vel victorias. 634

Imperium Maius, Germanico a Tiberio delatum, quid significet. 469. *Imperium infinitum* quid. 470, 471

Imperium Romanum a duobus interdum Augustis, sed solidum primo, gubernatum, deinde in duas partes diuisum. 412

Indictionum origo non arcessenda a Liberalitatibus Hadriani aut Antonini. 554

Indulgentia dicitur de relaxatione futurorum, non præteritorum debitorum. *ibid.*

Inscriptiones in nummis Coloniarum, uti & in antiquis lapidibus, interdum bilingues. 604

Inscriptiones veteres, siue Marmora antiqua, non exhibent omnia quæ possint e nummis peti. 519, 520

Inuenustus, pro infortunato. 74

Io Triumphe sæpius repetitum a militibus in Triumphalibus acclamationibus, ut in Bacchi sacris Ἰὼ Βάκχαι. 218

Jotapianus sub Philippis tyrannus non obuius in nummis. 254. Vide *Pacatianus*.

Jouius & Herculius dicti Diocletianus & Maximianus. 494, 495. an eorum successores Maximinus & Licinius eadem nomina usurpauerint. *ibid.* 496. Jouiæ & Herculiæ cohortes. 497. & legiones. *ibid.*

Ἰβστινιάνειον siue peculiare Justiniani diadema. 392

Ἱππoδρομία erat pars Ludorum Apollinarium. 131

Ισοπολιτεία seu Συμπολιτεία quarundam ciui-

ciuitatum inter se. 618
Italiæ status ac conditio melior quam reliquarum Romani Orbis partium sub Imperatoribus. 564, 565. varia Indulgentiarum sub Cæsaribus Italiæ concessarum exempla. *ibid.* Quatuor Consulares iudices per omnem Italiam constituti. 466
Judæi Macedonum in Syria regibus tributum pendere soliti, cum in singula capita, tum in agros, &c. 571. etiam Romanis, postquam sub Pompeio in eorum potestatem transierant. *ibid.* relicta eis libertas quotannis δίδραχμον Hierosolymas ad Templum transmittendi. *ibid.* idem tributum post euersas Hierosolymas Joui Capitolino pendere coacti. *ibid.* 573. post Neruam a Fiscalibus tributis Judæi non fuere immunes. *ibid.*
Judæi maluerunt omnia tormentorum genera sub Nerone perpeti, quam ut eum Δεσπότην siue Dominum faterentur. 483
Judaici cognomen contemptum a Vespasiano ob gentis istius odium. 502
Judex Morum pro Censore. 478
Jugurtha gener Bocchi, non vice versa. 226
Julia Augusti Filia probe distinguenda a Liuia, quæ ex Augusti testamento adoptata etiam Julia est dicta. 273, 274
Julia Domna Seueri coniux in nummis. 294. erat Syra. *ibid.* Assyria Venus ab Oppiano dicta. *ibid.* Mater Caracallæ. *ibid.* interdum solo Juliæ nomine vocatur. 295, 296. ingenii ac eloquentiæ & doctrinarum laude floruit. *ibid.*
Julia Titi Filia Augusta & Diua in nummis. 287
Julia gens ab Ænea & Julo orta. 15
Julia Procla non fuit uxor Probi Imperatoris 308. quænam fuerit disquisitum. *ibid.*
Julia Traducta Colonia in Africa. 603
Juliæ aut *Augustæ* dictæ Coloniæ a J. Cæsare aut Augusto deductæ. 602
Juliæ Leges a Catone odio Cæsaris in Prætura suppressæ. 200
Juliæ nomen quare frequenter Cæsarum uxoribus datum. 297, 298. Sex Juliæ intra Seueri & Alexandri tempora. *ibid.*
Julianus Imperator fuit Pontifex Maximus. 423
Julianus Imperator variis modis adiuuit rem Vehicularem. 569. & in meliorem formam redegit. 570
Julianus sub Diocletiano Tyrannus in nummis obuius. 265. Vide *Ælianus.*
Juno Sispita, in quibus nummis signetur. 14
Juno Sispita in denariis Gentis Papiæ significat Gentem eam Lanuuio oriundam. 200
Junonis Sispitæ in nummis caput caprina pelle amictum. 134
Jupiter Ammon tanquam Conditor in multis minoris Asiæ Urbium nummis occurrit. 163. præsertim Nicæensium. *ibid.*
Jupiter Capitolinus in nummis expressus. 644. ei appellatio Jouis *Optimi Maximi* erat propria, unde semper eo nomine Jupiter Capitolinus intelligendus. *ibid.* Jouis Tonantis templum in Capitolio. 645. Templum Jouis Olympii Athenis. *ibid.* Templa Jouis Custodis, Ultoris, Sospitatoris, &c. *ibid.*
Jupiter Feretrius dictus a Tropæo, quod Feretro gestabatur. 225
Jupiter in nummis Imperator & Præfectus Orbis. 485
Jupiter non solum Pater hominum & Deorum dicitur, sed solo nomine Patris interdum designatur. 450
Jupiter Olympii nomen commune habuit cum Imperatore Hadriano. 497. Joui Olympio tertium poculum apud Græcos propinabatur. 498
Jupiter Θεῶν ὕπατος dictus. 453
Jus ciuitatis commune inter urbes longius dissitas, inita inter istas urbes Concordia. 618
Jus gladii habent, qui uniuersas Prouincias regunt. 113
Justiniano varia cognomina, quasi a deuictis ab eo gentibus, tributa. 504
Justinianus dictus est primus Imperator cum addita voce Romanorum. 403
Justinianus & eius uxor seuere a compellantibus nomen Domini aut Dominæ exigebant. 487
Justinianus etiam laudem meruit a subditis ex Indulgentia Reliquorum, quemadmodum eius Decessores fecerant. 561
Justinianus voluit omnes urbes dici *Justinianeas*, & ipse Imperator dictus *Conditor Orbis.* 614

K.

KAlendæ Juniæ, *Fabariæ* dictæ. 539
Kalendæ siue Ἡγεμονίαι Apollini sacræ. 123
Καθάρσιον, lustrale Sacrum. 101
Κατάσκοποι a Græcis dicti Speculatores & Exploratores. 235, 237. machinæ militares. *ibid.*
Κελητίζειν singularibus equis uti significat. 133
Κοινωνία quarundam urbium in nummis signata interdum significat solum τὸ κοινὸν seu *Commune* vel *Vniuersitas.* 615. dicitur

citur etiam Κοινωνία de Collegiis seu Sodalitatibus ciuium. *ibid.*
Κολαγέται ab Atticis dicti Præfecti publicæ annonæ & Quæstores. 155
Κοπρολόγοι a Græcis dicti homines glorioſi. 192
Κύριος rarò dicitur de hero reſpectu ad ſeruos, ſed plerumque de eo, qui ſui iuris eſt. 484

L.

L. D. tabellis inſcriptæ ad ſignificandum in ſuffragiis ferendis *Libero, Damno* 199. idque in crimine Perduellionis. *ibid.*
Q. Labienus ex qua Gente. 11, 12
Lacedæmoniorum reges dicti quoque Sacerdotes reſpectu rerum diuinarum. 416
Lacedæmoniorum regum Liberalitas in remittendis Veteribus Reliquis in regni auſpiciis. 561
Ladi dicti pro *Lazis*. 582
Laodicea in nummis ſignata an referenda ad Laodiceam Cœleſyriæ mediterraneam, an vero ad alteram cognominem urbem in ora Phœnices maritima. 608. *Septimia Aurelia* cognominata. 609
Laodiceæ nomen in nummis. 177. aliquando ea urbs inter Diœceſes Ciliciæ Rectori attributas cenſa. 178
Laodiceæ non tantum Metropoleos dignitas a Seuero data, ſed inſuper *Septimia* appellata. 602
Largitiones & *Largitates* dictæ Conſtantinianâ & proximâ ætate Cæſarum Liberalitates. 533, 534. olim *Largitio* de ludis dicta. 534
Largitiones Imperatorum Pecuniæ vel Frumenti. 535, 536
Largus cognomen Gentis Liciniæ. 10
Laus virorum in Italia præſtantium ſtudiis humanitatis. 655
Lazorum regi inſignia regia a Juſtiniano miſſa. 582. eorum frequens mentio in illius Imperatoris rebus. *ibid.*
Lazorum rex a Juſtiniano Diademate donatus. 391
Lectiſternium an exhibeatur in quodam nummo Gentis Caniniæ. 193
Legati Auguſti, Legati Proprætore, & Legati Auguſti Proprætore dicti Præſides Prouinciarum Auguſti. 587. Πρέσβεις & Πρεσβευταὶ a Græcis dicti. 588. nunquam Proconſules dicti. 589
Legati Proconſule aut Proprætore, vel Auguſti in nummis. 178. Prouinciarum nomina, quibus Legati præerant, interdum in eorum nummis expreſſa. *ibid.* Legati Proprætore non ſolum ſub Auguſto recepti, ſed iam diu ante fuere noti. 179. Legati Auguſti quaſi vicem Cæſaris in Prouinciis obibant. *ibid.* magna differentia inter Legatum pro Prætore, ſiue Prætoris, & Legatum Proprætore. 180. Legati Proprætore dicti, qui præerant Prouinciis Cæſaris, ad diſcrimen Proconſulum, qui Prouinciis populi præerant. *ibid.* Legati Prætorii. *ibid.*
Legati Magiſtratuum Romanorum in Veteri Rep. exigebant iumenta per ſingula oppida, quà iter erat faciendum; inde origo Vehiculationis. 562
Legati ſeu Præfecti a Romanis miſſi ad ordinandum ſtatum liberarum Ciuitatum. 585
Legatio Votiua, ſuſcepta voti alicuius ſoluendi cauſſa. 142
Leges proprio nomine inſcriptas promulgare habebatur imprimis glorioſum. 201. id oſtenſum exemplo J. Cæſaris ac Metelli. *ibid.* Leges ſunt Acta Pacis principalia. 201
Legionariorum in Haſtatos, Principes, & Triarios diuiſio adhuc retenta poſt mutatam a C. Mario Romanæ militiæ formam. 231
Legiones ipſæ in nummis expreſſæ, usque ad numerum XXIII. 231, 232. ſub Auguſto XXIII. aut XXV. Legiones ali ſolitæ. *ibid.* plerumque nomina. *ibid.* Legio Claſſica vix memorata niſi in nummis. *ibid.*
Legionum nomina in nummis expreſſa 633. præſertim in denariis M. Antonii, ac dein in nummis Seueri & Gallieni. *ibid.* numerus Legionum. 633
Legum latarum tituli in nummis veteribus conſignati. 190. & *ſeq.* Lex Tabellaria in nummo Gentis Caſſiæ. *ibid.* *Antiquo* dictum de lege a Magiſtratu rogata, ſed reiecta. 199. *Vti rogas* de lege rogata & accepta. *ibid.*
Lentulorum varia cognomina. 47
Lentulus, cui addita Flaminis dignitate ſcribit aliquoties Cicero, quis fuerit. 85
M. Lepido ſtatua in Capitolio dicata, quod puer adhuc ciuem ſeruaſſet, hoſtem occidiſſet. 226. ea res in nummo conſignata. 227
Leptis in Africa, Coloniâ a J. Cæſare frequentata. 603
Libera dicta quædam Macedoniæ pars. 585
Liberalitas ſiue *Congiarium* de quouis munere dictum. 533
Liberalitates Imperatorum in nummis conſignatæ. 529. aliæ extraordinariæ erant, aliæ ordinariæ. 532
Liberitas in nummis pro *Libertas*. 529

Libertas Populo Romano reſtituta qua ratione legatur in nummis Imperatorum. 528
Libertas quare exhibita in nummis legis Caſſiæ ritulum præferentibus. 199
Licinii, omiſſo Familiæ nomine ſolo plerumque cognomine deſignati. 10
Licinius, quemadmodum Diocletianus, cognomine Iouius dictus. 496
Lictores duo a Senatu Agrippæ decreti. 117. unus Liuiæ. *ibid.*
Lictores quot habuerint Conſules. 94, 95. viginti quatuor præcedebant Conſules unà extra urbem proficiſcentes. *ibid.* omnes præcedebant Conſulem. *ibid.*
Pyrrhus Ligorius. 6
Literæ interdum in nummis geminatæ, ut *Vaala, Feelix, Naſſica.* 228
Liuia Auguſti coniux dicta Genetrix Orbis. 451
Liuia Auguſti Deæ nomine in Græco nummo dicta. 489
Liuia Auguſti uxor, & poſt eius mortem ob adoptionem Filia. 273. Julia etiam dicta in nummis poſt Auguſti mortem cuſis. *ibid.* Dea, & quidem Juno, ante adoptionem cognominata. 274. inde Juno Auguſta in veteri inſcriprione. *ibid.* iunctim Julia Liuia in veteribus inſcriptionibus dicta. *ibid.* 275. Sacerdos Diui Auguſti. *ibid.*
Liuia Druſi filia nulla exſtitit. 349
Liuincia gens ab Hercule oriunda. 14
Λοιπάδες, Λοιπὰ & Λείψανα a Græcis dicta, quæ a Romanis *Reliqua publica*, ſiue *Fiſcalia.* 553
Lucii prænomen damnatum in Gente Claudia. 33
Lucilla prius L. Vero, Marci in Imperio Collegæ, deinde Pomponiano priuato nupta, honores tamen ſummi faſtigii retinuit. 269
Ludi a Conſule, præeunte Pontifice Maximo, voti. 147
Ludi Quinquennales in honorem Principum, aut pro eorum ſalute inſtituti. 323
Ludi Votiui varii generis ab Imperatoribus celebrati. 526, 527. pro ſalute Imperatorum in prouinciis acti. *ibid.*
Ludos edituri propoſito libello diem futuri muneris & apparatum deſignabant. 139
Luſtrum ab uno e Cenſoribus tantum condebatur. 101, 102. idque ſingulis quinquenniis. *ibid.* Urbs Roma quoque luſtrata ob prodigia, non a Cenſore, ſed a quodam Thuſco vate. *ibid.*
Lyſimachus in nummis Nicææ, tanquam iſtius urbis Reſtitutor. 163

M.

Macedonia a Romanis frequentata Coloniis. 600
Macedoniæ aliquot Quæſtores in nummis ſignantur. 165
Machabæorum auctor ſubinde non meretur plus fidei quam profani auctores. 461. exemplis id oſtenſum. *ibid.*
Macrinus Seueri cognomine dictus in nummis. 509
Magiſtratus cum ſummo imperio in prouinciis etiam erant interdum ſine imperii inſignibus. 164. aut tantum cum uno lictore. 165
Magiſtratus in Coloniis & Municipiis legebantur a Cenſoribus. 482
Magiſtratus in Prouincias profecturi a ſociis aut Prouincialibus inſtruebantur iumentis ad iter neceſſariis. 562
Magni cognomen, non Pompeio & filiis ſolum, ſed etiam Cinnæ datum. 66. eo cognomine ſolo interdum Pompeius indicatus. *ibid.*
Magnia Urbica cuius uxor fuerit diu inter Antiquarios quæſitum. 310, 311. doctioribus Cari uxor viſa, ac Mater Carini & Numeriani. *ibid.* haud certo poteſt dici, cuius illa fuerit uxor, licet recte illa referarur ad Cari aut proxima illi tempora. 312
Malleus & Forceps in nummo Lemniorum ad deſignanda Vulcani inſtrumenta fabrilia. 170
Mamæa Alexandri Seueri mater. 298. quæſitum de origine nominis. *ibid.* non ſcribendum illud Mammæa cum duplici *m.* 299
Mamercus an interdum Cognomen. 36, 37
Mamercus, Prænomen interdum pro nomine poſitum. 30
Mamiliæ gentis quis auctor fuerit. 15
Μάμμη Atticis matrem ſignificat. 298
Manius, Prænomen gentis Aquiliæ. 26
Manlii Acidini, an Patritii. 34
Manliorum varia cognomina. 47
Mannus Arabiæ rex in nummis Lucillæ L. Veri coniugis. 578. falſo creditus fuiſſe Parthorum rex. *ibid.*
Manſuetudo & *Clementia* inter titulos Imperatorum ſequioris æui. 437, 438
Marcellinus in nummis dictus, quis fuerit. 80
Marcellus Octauiæ, Sororis Auguſti, filius. 316. an depictus in Achate Tiberiano. *ibid.*
Marci prænomen damnatum a Patritiis Manliis. 33. & in Gente Antonia. 34
Marcia concubina Commodi ſub Amazonis forma in nummis depicta. 292

Marcia Futnilla, Titi Imperatoris uxor. 286
Marcia gens, a quo originem duxerit. 19
Marciani indulgentia in Reliquis remittendis. 557
Marciana, Traiani Imperatoris sotor, Augusta dicta. 271
Marcus, prænomen interdum pro nomine positum. 30. pro M. Antonino. 32
Mariniana uxor Valeriani Patris. 305. in nummis non conspicitur, nisi postquam erat a filiis consecrata, ac proinde cum Diuæ elogio. *ibid.*
Marinus vix notus alias Imperator post tempora Gordiani Pii, obuius in quodam nummo. 253. qua de caussa Philippopolis eius nummis inscripta legatur. *ibid.* quare a Philippo defecerit aut urbem Philippopolin condiderit. *ibid.* ubi ab exercitu Imperator fuerit salutatus. 254. diuersus a Pacatiano. 261
Marius, tertio nomine caruit. 51
Martinianus a Licinio in imperium cooptatus. 266. imperauit annis duo de viginti. *ibid.* occisus est dum depositam purpuram denuo sumere cogitat. *ibid.*
Martis Armigeri templum in nummis. 646. ædes Doricæ Herculi erigi solitæ. *ibid.*
Mater pro Patria. 318. eadem ratione Coloniarum Matres. *ibid.*
Matres Imperatorum in nummis Augustæ dictæ. 270. Consularium Matres non dictæ Consulares. 272
Mauris regibus insignia regia a Romanis Imperatoribus missa, nec aliter eorum regum dignitas confirmata. 583
Mauritaniæ reges in nummis Romanorum Imperatorum. 579
Maxentii pater apud optimos scriptores dicitur Maximianus Herculius. 509, 510, 511
Maximi cognomen additum appellationibus a deuictis gentibus petitis, ut *Britannicus Maximus*, *Parthicus Maximus*, &c. 502, 503
Maximi cognomen Fabiis datum. 69, 70. uni tantum in gente Fabia stirpi adhæsit. 71. eodem cognomine etiam in aliis gentibus dicti. *ibid.* præsertim in Valeria. 72
Maximi cognomen Valeriæ ac Fabiæ genti commune. 46, 47
Maximianus coactus fuit exemplo Diocletiani deponere purpuram. 513. & quidem ætate adhuc integra. 514
Maximianus Herculis cognomine & Herculius dictus. 494, 495. iactabat originem cœlestem. *ibid.*
Maximini uxor an Paulina fuerit dicta. 300, 301
Maximinus, Maximiani exemplo, Herculius dictus. 496
Megalenses ludi non institutione, sed religione & celebritate primi. 144, 145. constabant præsertim ex ludis Scenicis. *ibid.* ante Cereales editi. 146. nunquam eorum cura perrinuit ad Ædiles. 158. sed semel tantum ab iis celebrati. *ibid.*
Μέγας aliquis dictus respectu alterius νεωτέρου. 67
Mercurius Præco Deorum tam Inferorum quam Superorum. 527. dicitur primus Deorum cultum & sacrificia constituisse. *ibid.* habebat facultatem donis remunerandi religionem in Deos. *ibid.*
Merum Prætorum imperium in qua re constiterit. 113
Messalina Claudii coniux prior, an Augusta fuerit dicta. 280, 281. Britannicus & Octauia huius Messalinæ liberi. 281
Messalina Statilia Neronis coniux sub Cereris habitu spicas gestantis depicta. 284. omnes eius nummi in Ægypto cusi, verum dubium an genuini. *ibid.*
Metallum Noricum, *Parthicum*, *Macedonicum*. 630, 631
Metellorum varia cognomina. 47
Metropoles seu urbes primariæ Prouinciarum dictæ Αὐτοκρατορίδες. 401
Miles æuo Theodosiano pro Officiali dictus. 318. iam ante pro quocunque militante. *ibid.*
Milites ob leuiora delicta vite puniti. 230
Milites supernumerarii. 368. Extraordinarii. *ibid.*
Modiatio dicta sequiori æuo, quæ per modios fiebat mensura. 151
Μοναμπυκία de singularis equi certamine apud Pindarum. 132
Monetæ in Prouinciis signandæ cura ad Quæstores spectabat. 162
Moneta in coloniis ac Municipiis sub Cæsaribus percussa, singulari quodam Coloniarum & Municipiorum iure. 169. interdum in nummis indicatum id fieri *Permissu* Imperatorum. *ibid.* 170. Romæ etiam sub Cæsaribus ius signandæ monetæ permansit. 169, 170
Monarchia dicta Romanorum Imperatorum siue Cæsarum dominatio. 399
Andreæ Morellii epistola inedita. 10. laus. 2, 8, 100, 252. laus, & designatio magni operis, quod meditabatur. 241
Mucianus in Antiochensium nummis, quis. 80
Μύξοι a Græcis dicti homines glorioſi. 192
Mularum usus, siue cum Mulabus vehiculum relarum inter solita luxus ac pompæ muliebris instrumenta. 278. mos ille

ex Oriente Romam traductus. 279. vetuſtus uſus Mularium Bigarum. *ibid.*
Muli albi in præcipuo honore. *ibid.*
Mulorum ſiue mularum præcipuus in Vehiculatione uſus. 569. earum octo ad rhedam iungebantur tempore æſtiuo decem hiemali. *ibid.* Muli inter alia itineris inſtrumenta olim Magiſtratibus ad Exercitus aut Prouincias profecturis dati. 570. *Mulæ angariales. ibid.* Julianus, circa eadem animalia in meliorem formam redegit Vehiculationem. *ibid.*
Mulieres apud antiquiſſimos Romanos unum tantum habebant nomen. 38. earum gentili nomini ſæpe mariti nomen additur. 39. apud Græcos parentis nomen mulieris nomini additum. *ibid.* prænominum muliebrium exempla. 40, 41. quando maxime inualuerit uſus prænominum muliebrium. *ibid.* prænominum loco cognominibus uſæ. *ibid.* frequenter duobus nominibus deſignatæ. 42. ſolo familiæ nomine interdum dictæ. *ibid.* & quidem Paternæ. 43. tandem virorum exemplo mulierum nomina multiplicata. *ibid.*
Municipia Hiſpaniæ in nummis obuia. 599
Munire proprium vocabulum de Viis Reſiciendis. 194
Murcus, cognomen L. Statii. 31
Muſa, an cognomen apud Romanos. 76

N.

NAtta cognomen gentis Pinariæ. 44
Neapolis Samariæ Flauiæ cognomine dicta. 604, 605. antea Mabartha dicta. *ibid.*
Νέος pro *Juniore* ſiue Νεωτέρῳ. 490
Nepotianus Eutropiæ ſororis Conſtantini filius, in nummis cum Auguſti titulo. 267
Nero cognomen, fuit prænomen Druſi. 37. quid Nero ſignificet apud Sabinos. 13, 38
Nero ac Druſus gemelli Germanici filii. 322
Nero iam primo anno Patris Patriæ titulum recepit. 447
Nero nomen Apollinis adſumpſit ac ſub eius Dei effigie in nummis depictus cernitur. 492
Neronis interitus ex ſententia Harduini. 408
Neronis nummus Græcus cum inſcriptione Seruatoris orbis. 500
Nerua, in cuius nummo comitium expreſſum, ex qua fuerit Familia. 192
Nerua Congiarium Populo Romano dedit, quod aliunde quam e nummis notum non eſt. 530
Nerua Plebi Urbanæ Frumentationes conſtituit. 540, 541
Neruæ Imperatoris matet Sergia Lænatiſſa e veteri inſcriptione nota. 270. eius uxor an compareat in nummis. 287, 288. an etiam filius ei fuerit. *ibid.*
Nicæa urbs ita dicta ab Antipatri filia Lyſimachi uxore. 163. quare Bacchus multus in Nicænſium nummis. *ibid.* & Jupiter Ammon. *ibid.*
Nicomediæ nummus cum ſingulari inſcriptione explicatus. 325. Triremis in nummis iſtius urbis expreſſa. *ibid.*
Nigrinianus Tyrannus proximis Caro ac Filiis temporibus, ac cum Diui appellatione, in nummis. 264. non fuit filius Alexandri. 265, 266
Nilus πολυθρέμμων & *parens fecunditatis* dictus. 537
Nobiliſſimi Cæſaris titulus inualuit demum a temporibus Philippi Junioris. 357. Geta iam dictus Nobiliſſimus Cæſar. 358. usque ad Jouianum eo titulo Cæſares in nummis deſignantur. *ibid.* ac ſubinde etiam poſt eum. *ibid.*
Nobiliſſimi inter liberos Imperatorum Byzantinorum dicti Juniores, ſicut maiores Cæſares. 358. Nobiliſſimus puer dictus Valentinianus. *ibid.* ut & Honorius Imperator decennis. *ibid.* Nobiliſſimarum ſeu Ἐπιφανεστάτων titulo dictæ poſterioris ævi Auguſtorum filiæ. *ibid.*
Nobilitas Aug. aut ſolum Nobilitas ſignata in veteribus nummis. 357, 358
Noctilucæ ſiue Dianæ mentio qua ratione fiat, ubi de templo Apollinis Palatini ſermo eſt. 130
Nomen filii Imperatoris interdum, in inſcriptionibus, præpoſtero ordine præpoſitum nomini patris, ubi eorum nomina leguntur iuncta. 508
Nomen proprie de gentis ſeu Familiæ appellatione dicitur. 22
Nomen ex Teſtamentis mutari iuſſum. 273
Nomen proprium quid fuerit apud Romanos. 51. aliud proprium gentis aliud familiæ nomen. *ibid.* Nomina tria Romanorum quatenus propria dicta. 52. quando inualuerint. *ibid.* cognomen maxime proprium habitum. 53. etiam gentile pro nomine proprio poſitum. 54. antiquiſſimis temporibus prænomen pro proprio habitum. 57
Nomen unum pro prænomine, & quandoque pro cognomine in nummis. 35
Nomina aliorum ab Imperatoribus ſuſcepta ad ſignificandam Adfinitatem, Originem, &c. 506
Nomina Deceſſorum ab Imperatoribus adſumpta.

ſumpta. 507
Nomina fauſta in ſponſi ac ſponſæ deductione, in admiſſione Veſtalium, ac in dedicatione templorum apud Romanos. 297. Urbium nomina infauſta mutata. *ibid.*
Nomina feminina viris apud Romanos data. 75
Nomina filiabus non ſemper ex patrum nominibus indita. 309
Nomina Latina propria, licet aliquid ſignificantia, a Græcis ramen retenta. 441
Nomina Sanctorum quare primi Chriſtiani filiis impoſuerint. 25
Νόος & νοῦς promiſcue uſurpatur, ut & compoſita ab ea voce ἀγχίνοος vel ἀγχίνους, βραδύνοος vel βραδύνους, &c. 331
Norbanus, Cognomen. 10. Ad quam Gentem referendum. 11. An Tigelliorum Cognomen. *ibid.* *Norbanii* pro *Norbani*. *ibid.*
Noricum metallum, *Noricus enſis*, &c. 630
Noueream ducere uxorem licebat apud Varnos. 294
Numa rex, quibus Romanorum gentibus originem dederit. 18. eſt prænomen Sabinum. 19
Numidiæ reges in nummis Romanorum Imperatorum. 579
Numantia a Galba reſtituta. 625
Numerarii dicti Tabellarii, qui publicas ciuitatum Rationes tractabant. 550, 556
Numerianus an in eodem nummo recte Auguſtus & Cæſar fuerit appellatus. 356, 357
Numerianus demum poſt Cari parentis obitum Auguſtus appellatus. 377, 378
Numerius, Prænomen gentis Fabiæ. 25. & aliarum. 26
Numiſmatici ſtudii præſtantia. 239. quibus rebus inſtructum oporteat eſſe, qui ad hoc accedit. *ibid.* iucunditas eiusdem ſtudii. *ibid.* qua re factum ſit, ut hactenus ea pars eruditionis non ſit magis exculta. 240. quinam præſertim ſe dederint illuſtrandæ Hiſtoriæ Auguſtæ. *ibid.*
Numiſmatici ſtudii ſingularis utilitas. 515 & quidem ſupra alias Inſcriptiones, quæ ſaxis continentur. 516, 518, 519
Nummi an debeant adhiberi ad dignoſcendos diuerſorum principum vultus in iis expreſſos. 251
Nummi iam antiquis temporibus adhibiti ad confirmandum alicuius, incerti cæteroquin, imperium, aut eius in eo geſta. 263
Nummi obſcœni vulgo Spintrii Tiberiani dicti. 520, 521. haud incommode referuntur ad nummos in publicis & obſcœnis ſpectaculis in vulgus ſparſos. *ibid.* pauci id genus nummi occurrunt. 523
Nuptiæ inter res ſacras a Gentilibus habitæ. 292. Γαμικὸς ὕμνος. *ibid.*
Nuptialis Hymnus. 292. acclamatio. *ibid.* Nuptialis Deus Gamus apud Græcos. *ibid.*

O.

Ὄχημα & Δημόσιος δρόμος a Græcis dictum de Vehiculatione publica. 564
Octauia ſoror Auguſti in ſingulari nummo conſpicua. 276
Octauia, poſtrema Neronis coniux in nummis. 281, 282
Octauius, qui poſtea Auguſtus, poſt adoptionem non Octauianus, ſed Cæſar & Cæſaris filiis dictus. 81
Octauius, qui poſtea Auguſtus fuit dictus, in familiam J. Cæſaris adſcitus nomen illud adſumpſit, non a matre. 342
Odenathi filii tres, unus e priori coniuge, duo e Zenobia Auguſti renunciati. 260
Olympia dupliciter dicta, pro ludis Ioui Sacris, aut Olympia Hadriania Imperatori Hadriano ſacra. 499
Olympii nomen Hadriano a Græcis tributum. 497
Olympium in Delo Hadriani pecuniis ædificatum & ideo ita dictum. 499
Οἰωνιστὴς, augur in Græcis Titi ac Domitiani nummis. 85
Opera Publica in nummis expreſſa. 653, 654
Opimiæ Baſilicæ ſitus. 187
Ordinare ſtatum de liberis in Imperio Romano Urbibus dictum, quarum perturbatus ſtatus a Præfecto Romano ad id miſſo componebatur. 586
Otacilia gens apud Romanos Scriptores nota. 303
Otacilia Philippi patris uxor. 303. male Octacilia aut Otacillia dicta. *ibid.* in ſingularibus nummis obuia. 304. Semna videtur cognominata. *ibid.*
Otho qua ratione Cæſaris nomen tulerit. 350
Ouantes non curru aut equo ſed pedibus Urbem ingredi ſolebant. 206. Ouantes non geſtabant ſigna triumphalia, Togam Pictam, Sceptrum, &c. *ibid.* Εὐάστη a Græcis dicta. *ibid.* Tiberius equo Ouans Urbem ingreſſus. *ibid.* ac ipſe antea Auguſtus. *ibid.* iam antea diſſenſerunt Vereres Scriptores, equone an pedibus ouantes ſint Urbem ingreſſi. 207
Ouatio minor Triumphus dicta. 218. Ouatio dicta ab oue, quæ in hoc minori

Triumpho mactabatur. *ibid.* ac forsan ab acclamationibus Bacchantium clamoribus non dissimilibus. *ibid.* Oue designatur in veteribus nummis. *ibid.* 219. Ouantium corona vulgo myrtea, ac interdum laurea. *ibid.*
Oues singulis mensium Idibus Ioui mactatæ. 220. an in Bruti nummis ouis expressa ad indicandas Idus Martias. *ibid.*
Ouidius in exilio recensuit Fastorum libros. 274. prædicit. seu auguratur ibi Liuiæ consecrationem. *ibid.*
Οὐπίγγοι dicti Hymni in honorem Dianæ. 123

P.

Π. Π. in nummis Imperatorum Græcis explicandum per Πατὴρ Πατρίδος. 441
Pacatianus incertæ ætatis tyrannus non aliunde quam ex nummis notus. 261. de ætate eius ex fabrica nummorum certi quid eruere conati viri docti. *ibid.* non idem, qui in aliis dicitur Marinus. *ibid.* a quibusdam Jotapianus, ab aliis Papianus, ut quidam volunt, vocatur. *ibid.* verum eius nomen fuit Pacatianus. 262 incertum an idem sit, qui Jotapianus aut Papianus dictus. *ibid.*
Paconiæ Gentis Romanæ haud infrequens in monumentis antiquis mentio. 165
Παιᾶνες & Ὑπορχήματα dicti Hymni in honorem Apollinis. 123
Palma Græcorum more primum illata in ludos Romanos proprie dictos. 132
Palma Judææ symbolum in nummis veteribus tam Romanis quam Judaicis. 571
Panes cocti quarto adhuc sæculo distributi populo. 542
Panis Gradilis dictus qui Populo dabatur in Liberalitatibus Imperatorum. 532. *Panes Civiles* autem, qui quotidie Populo distribuebantur. *ibid.*
Papia Lex a C. Papio Tribuno plebis dicta in nummis. 200
Parcæ *Tria Fata* dictæ ac *Fati Dominæ*. 640
Parcarum Peruigilium Ludis Sæcularibus a toto populo decenter obitum. 128
Parere usurpatum de gentibus, quæ aliis originem dederunt. 318
Parthamaspates Rex a Traiano Parthis datus. 580
Parthici cognomen cur T. Labieno datum. 66
Pater interdum dicitur pro *socero*, ut pro *genero filius*. 511
Pater Patratus erat e numero Fecialium, & quidem præcipuus inter eos. 201, 202
Patras coloniam deduxit Augustus. 324. ea urbs prius Aroa dicta siue Aroe. *ibid.*
Patres Augustorum in nummis expressi ac in Deos relati. 328
Patres dicti Imperatores iam consecrati. 448 mira Harduini de ea appellatione sententia refutata. *ibid.* & *seq.* a successoribus Patres appellati defuncti Imperatores licet eos nulla consanguinitate contigissent. 449. Imperatores iam Diui Patres sunt appellati simili ratione, qua eadem appellatio Diis tribuitur. *ibid.* Cyrus iam diu ante Pater hominum appellatus. 450, 451. Augustus, Iouis instar, Pater est post mortem dictus. *ibid.*
Patres Castrorum dicti Imperatores tantum aut designati eorum hæredes. 451
Patres Senatus appellati Imperatores. *ibid.* quæ appellatio fuit reperta vice appellationis Principis Senatus in veteri Republica. *ibid.*
Patris Patriæ appellatio primum concessa Ciceroni, ac dein ad Imperatores translata. 445. non est vocabulum potestatis, sed honoris. *ibid.* non omnibus Imperatoribus nec statim collata ea appellatio. *ibid.* anno ab Urbe condita DCCLII. Augusto delatum cognomen Patris Patriæ. 446. Tiberius illud recusauit. 446, 447. Nero iam primo anno istum titulum recepit. *ibid.* Hadrianus an anno demum Imperii decimo Patris Patriæ cognomen receperit. *ibid.* Traianus iam altero Imperii anno ita nominatus. *ibid.* alii Imperatores quo tempore illud cognomen receperint. *ibid.*
Patriciatus ἀνώτατος τιμὴ dictus. 372
Patriciatus dignitas interdum mulieribus collata. 269
Paulina Hadriani soror ab eo non consecrata, ut visum quibusdam e veteri nummo posse ostendi. 271
Paulus in Gente Fabia prænomen, in Æmilia cognomen. 35
Pax Deorum, & *Pax Iouis* qua ratione dicantur ab auctoribus. 306, 643
Pax quare *Æterna*, *Perpetua*, aut etiam *Augusta* dicatur in nummis Imperatorum. 641. Pax censebatur esse in eius potestate, penes quem erant auspicia. *ibid.* *Fundata*, *Æterna*, *Perpetua*. 642. quibus symbolis Pax in nummis expressa. *ibid.* Pax Cereris instar spicis coronata. *ibid.* ut Romani *Pacem Deorum*, ita Græci Θεῶν Εἰρήνην dixerunt. 643. Templum Pacis Romæ sub Commodo arsit. 648
Pegasus quid significet in nummis. 133
Πελεκυφόροι dicti Prætores ipsi, licet vox ea potius Lictores designet. 108, 109

Pella Alexandri patria, ſub Hadriano Colonia Romanorum. 601. unde dicta ſit *Pella.* *ibid.*
Pericles dictus Olympius. 499
Perpetui dicti Auguſti ſæculo Conſtantiniano & ſequenti 383. inde *Perpetuitas Auguſti* & ſolenne illud *Dii te perpetuent. ibid.* inde Ἀεισεβαστοὶ dicti. 384
Perſæ victoris ducis filio nomen deuictæ a patre gentis imponebant. 501
Perſarum regum Liberalitas in remittendis Veteribus Reliquis in auſpiciis regni. 561
Peſcennius Niger in aliquot nummis veteribus, tam Græcis quam Latinis. 242.
Δίκαιος ſiue *Juſtus* in quibusdam dictus. *ibid.*
Petronia gens e Sabinis orta. 13
Pharaſmanes Hiberiæ rex Romam venit ad Antoninum Pium, quod Hadriano negauerat. 582
Philænidis ſcriptum περὶ ποικίλων Ἀφροδισίων σχημάτων apud veteres decantatiſſimum. 522. ea fuit Leucadia & diſtinguenda ab alia cognomine Samia, quæ caſtiſſima fuit, & duobus Epicediis a ſe amolitur turpitudinis notam. 523
Philippenſis Colonia, Juris Italici. 601
Philippopolis a Philippo Juniore condita, non vero Boſtra ab eo fuit iſto nomine dicta. 612
Philippopolis, quare expreſſa in nummis Marini Imperatoris vix noti poſt tempora Gordiani Pii. 253. condita a Philippo Arabe. 254
Phœnice vel Cœleſyria a Romanis frequentata Coloniis. 602
Pietas apud Romanos dicta pro religione erga Deos. 435. Pietas alioqui dicta præſertim de amore ſeu caritate in Parentes, Liberos, Patriam, &c. 436
Pietas Principis & *Pietas Populi Romani* vel *Senatus* quo ſenſu dicantur. *ibid.* inter titulos Imperatorum ſequioris ævi. 437, 438
Pietatis cognomine L. Antonius M. frater dictus. 75. integræ Prouinciæ dictæ. *ibid.*
Pii titulus Imperatoribus in nummis tributus. 434. origo iſtius tituli ex acclamationibus Senatus. *ibid.* ab aliquot Syriæ Aſiæque regibus Græco Εὐσεβοῦς nomine adſumtus. *ibid.* 435. Antoninus omnium Imperatorum primus tulit Pii cognomen. *ibid.* & quam ob cauſſam. 436, 437. Harduini de ea re ſententia expenſa. 438. Pompeio Magno unde adhæſerit Pii cognomen. 439, 440. in Græcis nummis Antoninus interdum Romano nomine Πεῖος ſeu Πίος dicitur. *ibid.*
Πίλος, Ulyſſi tributus, quid ſignificet. 15
Pius, cognomen filii Pompeii Magni. 75. & Q. Metelli. *ibid.*
Plautilla Antonini Caracallæ uxor. 296
Plebiſcita promulgabantur a Tribunis plebis. 429
Plinius Junior qua ratione a Traiano cum Imperio in Bithyniam fuerit miſſus. 595
Polemo rex Minoris Armeniæ, Ponti, &c. amicus Romanorum in nummis eorum ſignatus. 576
Pollus & *Polla*, pro *Paulus* & *Paula.* 42
Polyptica ſiue *Rationaria* cum Tributi exigendi modum tum ſoluti rationem continebant. 560
Pompeii infinitum imperium quale fuerit. 470
Pompeii Magni parens nusquam legitur Pius cognominatus. 439. oppidorum ab eo conditorum nummi non occurrunt ante tempora Antonini Pii cuſi. 440
Pompeii poſteri etiam Magni cognominati. 66. Pompeius a Græcis tum Μέγας tum Μάγνος dictus. *ibid.*
Pompeiopolis Ciliciæ urbs prius Solos dicta. 67
Pompeius egit tres Triumphos. 213. in poſtremo eſt circumlatum Tropæum ingens cum inſcriptione De Orbe Terrarum. *ibid.* quare Elephantos currui non iunxerit. 214
Pompeius nunquam Cenſoris dignitate functus eſt. 477
Pontes inter Opera illuſtrium Romanorum Publica referuntur. 195. Pons ſublicius Romæ ab Æmilio Lepido lapideus factus, ac inde dictus Æmilius. *ibid.*
Pontici cognomen, non Antici Juſtiniano datum. 504
Pontificatus inferior delatus Cæſaribus ſiue hæredibus Imperii apud Romanos, in tyrocinium Pontificatus Maximi. 422
Pontificatus Maximus ab Auguſtis ipſis occupatus ac retentus, ut Sacrorum domini euaderent. 366
Pontifices quorundam Collegiorum Romæ perpetui. 421
Pontificis Maximi dignitas in nummis expreſſa. 83. Ἀρχιερεὺς dictus a Græcis Pontifex Maximus, non addita voce μέγιστος. 84. etiam Ἱερεὺς. *ibid.* 423. & ſolum *Pontifex.* 84
Pontificis Maximi titulus Imperatoribus datus. 413. quo facto ſumma tam Sacrorum quam rerum ciuilium poteſtas iis tradita. *ibid.* an etiam Imperatores Chriſtiani eo titulo fuerint uſi. *ibid.* 414, 415,

415, 416. Ἀρχιερέως tituló addita vox Μεγάλου siue Μεγίστου. 418. Pontificatus Maximus tam apud Romanos quam Judæos erat perpetua. 420, 421. erat hæreditarius Imperatoribus Romanis. *ibid.* qui ipsi istius sacerdotii munia obierunt. 422. quibus in rebus præcipua Pontificis Maximi munia constiterint. *ibid.* 423. interdum a Latinis libera adhuc Republica designatus nomine Pontificis non addita voce Maximi. 424

Pontificis titulus tributus in nummis Principi Juuentutis. 366

Potestas Censoria siue *Censorum* pro vera Censura. 473

Poppæa Neronis uxor in nummis. 282, 283. sed tantum Græcis. *ibid.* sub Veneris habitu culta. *ibid.* a Josepho illa, prostitutæ pudicitiæ mulier, laudatur tanquam pia, & quare. 284

Populus Imperator, *late Rex*, pro populo Romano. 399

Porcia Lex de Prouocatione exhibetur in nummo Gentis Porciæ. 200

Porticus Æmilia distinguenda a Basilica Paulli siue Æmilia. 188. extra portam Trigeminam prope naualia sita. *ibid.*

Postumus & Proculus prænomina pro cognominibus habita. 37

Postumus unus e triginta Tyrannis an recte Junius vocetur. 260. cum patre in Galliis Augustus renunciatus. *ibid.*

Potitorum Familiæ in Gente Valeria antiquitas nummo designata. 174

Potitus, prænomen an cognomen in Gente Valeria. 36

Præfecti a Julio Cæsare pro Prætoribus constituti. 118

Præfecti Fabrûm in nummis. 170

Præfecti Urbici fuerunt etiam posterioribus temporibus usi Fascibus. 119

Præfecti Vehiculorum dicti qui Cursui publico præerant. 564

Præfectura classis demandari solita viris Prætoriis siue Prætoribus. 183. venit nomine Prouinciæ apud Auctores. *ibid.* in nummis obuia. *ibid.* plures erant simul Præfecti classis apud Romanos. 184. iis præponebatur unus, qui præesset omnibus. *ibid.* eorum Præfectorum mentio etiam in inscriptionibus. *ibid.* signata per nauim Prætoriam in nummis. 185

Præfectus classis cum titulo Prætoris Capito sub M. Antonio. 176. aliis Præfecti classium in nummis. *ibid.*

Præfectus morum pro Censore. 472, 473

Præfectus Urbis de omnibus omnino criminibus a temporibus Seueri cognoscebat. 113. ad eum a Floriano omnis prouocatio delata. *ibid.*

Prænomen tantum unum uni tributum. 23. quando Prænominum usus inualuerit. *ibid.* patrum aut auorum Prænomina passim retenta. *ibid.* etiam proauorum, 24. quod factum quoque fuit interdum a Græcis. *ibid.* peculiaria quibusdam Familiis Prænomina. 25. Prænomina quædam obliterata. 27. unâ literâ signata. *ibid.* quid statuendum sit, cum duo Prænomina leguntur posita. 28. Prænomina interdum mutata. 29. sub Imperatoribus duo Prænomina uni data. *ibid.* vice Nominum usurpata. 30. Epistolis interdum non præpositum. 32. Prænomina quædam damnata. 33. interdum in cognomina mutata. 36. quatenus nomina propria. 52. prænominum sedes interdum mutata. 54

Prænomine solo interdum Romani Reges & Imperatores dicti. 31. alii etiam Romani, præsertim apud Græcos. *ibid.*

Præsidis nomine dicti lapsu temporis, qui minores Prouincias, & quidem Cæsaris, administrabant. 598. inde Prouinciæ distinctæ non tantum in Proconsulares & Prætorias, sed etiam in Præsidiales. *ibid.*

Prætor Urbanus primus quando creatus. 108. quot & quando deinde illi fuerint Prætores additi. *ibid.* Prætores duo cum duodecim Fascibus a Piratis abducti. 109. Prætoribus Urbanis non fuit ius vitæ. 112. Hasta & gladius qua ratione Prætoribus tribuebantur. *ibid.*

Prætores aliquando ita vocantur, qui Prouinciis præsunt, ratione Prouinciæ Prætoriæ. 594

Prætoris Urbani præ aliis Prætoribus dignatio erat magna. 116, 119. Prætor Urbanus dicitur *maior Prætor*, *honoratus Prætor*, *maximus Prætor*. *ibid.* Absentibus Consulibus Prætor Urbanus Consulare munus sustinebat. *ibid.* etiam sub Cæsaribus aliquando idem factum. *ibid.* Sociorum Legatos in Senatum introducebant. 120. respondebant nomine Senatûs Legatis. *ibid.* Decernebant supplicationes, si Consules aberant. *ibid.* Consulatu functi statim fiebant Prætores Urbani. 120. epistolis &. edictis nomen suum præponebat Prætor Urbanus absentibus Consulibus. 121. Publico ære signata est ea dignitas. *ibid.* Ludos Apollinares iuxta vetus carmen Prætor Urbanus curabat. *ibid.* ludorum tempore idem Prætor quadrigis in veste triumphali

phali per Circum vehebatur. *ibid.* quod poſtea ab Auguſto negatum Tribunis plebis, etſi proprio ſumtu ludos edere petentibus. 122. Venationes quoque Prætor Urbanus edebat. 137. & peregrina animalia exhibebat. *ibid.* Ludi Votiui ſeu extraordinarii etiam a Prætore editi. 140. omnium ludorum editio tandem ad Prætores delata. 142. Nomen & magiſtratus Prætoris Urbani adhuc ſequiori Cæſarum ævo in uſu. *ibid.* Conſtantinopoli etiam Prætores plures. *ibid.* functio eorum tum præſertim in ludorum editione poſita. *ibid.*

Prætorium tabernaculum, an in quodam nummo Gentis Caniniæ exhibeatur. 193

Prætorum dignitas erat proxima dignitati Conſulari. 103. eorum magiſtratus, quibus ſymbolis in nummis expreſſus. *ibid.* Collegæ Conſulum dicti Prætores. 104, 119. Faſces etiam Prætoribus prælati, ſed minori numero quam Conſulibus. *ibid.* an duo tantum iis præiuerint cum Faſcibus Lictores. *ibid.* 116. Ἑξαπέλεκεις a Græcis dicti Prætores in prouinciis degentes, & proinde ibi ſex Faſcibus uſi. 105, 106. etiam cum Securibus. *ibid.* & *ſeq.* in Urbe Prætores etiam habebant ſex Faſces, verum absque Securibus. 107, 108, 114. Πελεκυφόροι, quæ vox potius Lictores indicaret, dicti ipſi Prætores. *ibid.* Prætores omnes poſt exactum Prætoræ annum ad regendas prouincias miſſi. 111. Jurisdictio pertinebat tam ad Prætores prouinciales quam ad urbanos. 112. Merum imperium Prætorum conſtabat in prouinciis in iure animaduertendi in facinoroſos. 113. tempore Reip. in ipſa urbe ius gladii Prætores non habuerunt. *ibid.* nec etiam ſub Imperatoribus. *ibid.* an Prætores deinde duodecim Faſcibus in prouinciis fuerint uſi. 114, 115. Sub Auguſto Præfecti Urbis officio functi Prætores. 119. poſtea Prætorum munia plerumque ad Præfectos Urbi translata. 119

Primi qui quid fecerint, aut aliquem magiſtratum primi geſſerint, ſignati a ſcriptoribus rerum Romanarum. 97, 98

Primus, Secundus, Tertius, &c. interdum prænomina ac interdum cognomina. 37

Princeps Juuentutis appellatus Conſtantinus Magnus. 359. iam diu ante Tiberius. *ibid.* libera Republica Principes Juuentutis dicti nobiliſſimi adoleſcentes equeſtris ordinis. *ibid.* Princeps equitum inde dictus pro Principe Juuentutis. *ibid.* atque inde in nummis iidem per figuras equeſtres deſignati. *ibid.* Principes Juuentutis tres uno tempore, quorum præcipuus erat filius, ſeu ſucceſſor, Auguſti. 360. in veteri Republica Princeps Juuentutis dictus qui primus a Cenſore in equeſtri ordine legebatur. 262. Principis Juuentutis dignitas non adumbrauit poteſtatem priſtinæ dignitatis Magiſtri Equitum ſub Dictatore. 364, 365. non tantum Equeſtris, ſed etiam pedeſtris militiæ duces fuerunt Principes Juuentutis. 365

Principis iuuentutis appellatio velut teſſera erat futuræ in imperium ſucceſſionis. 354, 359

L. Priſcus non obuius in nummis tyrannus, licet ad Victorem eius nummus adducatur. 254

Priuernum captum a C. Hypſæo. 227. ea res in nummo conſignata. *ibid.*

Probi Imperatoris uxor in nummis, ſed eius nomen ignotum. 308

Proceſſus Conſularis memoria nummis expreſſa. 457. Procedendi vocabulum in ea re uſurpatum. 458. præter primum proceſſum Kalendis Januariis, interdum iteratus. *ibid.* 459. non ſolum Imperatores procedebant, ſed etiam quandoque priuati ad Conſulare faſtigium euecti. *ibid.* illos in curru procedentes ipſi Imperatores interdum ſequebantur. *ibid.* is præterea honor iis habitus, ut procederent ex Principis palatio. *ibid.*

Proclus Heros & eius filia Julia Procla Heroina. 308, 309, 310

Proculus proximis Probo temporibus Tyrannus in nummis. 264

Proconſul κατ' ἐξοχὴν de Africæ Proconſule, ſine alio addito titulo in utroque Codice dictum. 115

Proconſularis poteſtas reperta a M. Antonio. 470. imperium, non quidem maius ſed æquum in omnibus Prouinciæ Rectoribus, per illam Poteſtatem deferebatur. *ibid.*

Proconſulatus dicitur ſignificatione triplici. 471. prima, quâ Proconſulatus erat pars ſummi Imperii. *ibid.* altera, quâ ad certum tempus in magnam terrarum partem imperium conceſſum. *ibid.* tertia, quâ deſignantur Rectores Prouinciarum Populi. 472

Proconſules dicti Prouinciarum populi præſides, etſi iidem demum eſſent viri Prætorii. 587

Proconſules ex Auguſti inſtituto non tantum Conſulares, ſed etiam Prætorii dicti. 115

Proconſules in prouinciis duodecim Faſces

habebant, ſi Conſulatu erant functi, alioquin tantum ſex. 92
Proconſules in Prouincias mittendi interdum extra ſortem lecti. 592. iis interdum prorogatus in biennium aut triennium Proconſulatus. *ibid.*
Proconſules non unam ob cauſſam creati. 174. an Proconſules & Proprætores fuerint magiſtratus disquiſitum. 175. Proconſulum & Proprætorum cum militari Imperio miſſorum *Imperium* verius erat quam *Magiſtratus*. *ibid.* qui autem miſſi erant ad Prouinciam regendam *Magiſtratus* fuere. *ibid.* Proconſules ac Proprætores in nummis Familiarum Romanarum ſignati. 176. & quidem ex Senatusconſulto. *ibid.* cum additis Prouinciarum nominibus. 177. Proconſules Siciliæ in nummis. *ibid.* item Smyrnæ & Nicomediæ. 178
Proconſules non dicti Imperatores ob Conſulatum geſtum ſed a Proconſulari Imperio. 463. titulus iſte in paucis tantum nummis expreſſus. *ibid.* extra pomœrium ſuſceptus tantum Proconſularis Imperii titulus. *ibid.* 466. quæ cauſſa ſit ſilentii nummorum. 463. diu ante Antoninum Pium Proconſulis titulus ab Imperatoribus uſurpatus. *ibid.* & *ſeq.* Præcipua vis vocis *Proconſul* iam expreſſa in titulo Auguſtorum *Imperator*. 467. Imperii hæredes dicti Collegæ Imperii ob Imperium Proconſulare cum iis communicatum. *ibid.* qua de cauſſa Auguſtus & eius ſucceſſores Proconſulis titulum adſumpſerint. *ibid.* eo titulo in Prouinciis maiorem poteſtatem adquirebant quam earum Rectores ſiue Præſides. 469. atque ita ob multas cauſſas maior erat ea poteſtas, quam quæ ante erat data Pompeio. 471
Proconſules Prouinciarum rectores dicti ratione Prouinciæ Populi adminiſtratæ, etſi ipſi non erant Conſulares. 594
Procopius Tyrannus tempore Valentis. 267
Procuratores Cæſaris Metallis præpoſiti. 631
Procuratores Monetæ ſequiori Cæſarum ætate. 168
Profectiones Imperatorum ſemper cum magna pompa ſuſceptæ, ut & profectiones Conſulum tempore Reip. 619. cauſſæ Profectionum Imperatorum variæ. *ibid.* variis ſymbolis expreſſæ in nummis. 620
Πρόκριτος ſeu Πρόκριτος τῆς Νεότητος a Græcis dictus, qui Romanis Princeps Iuuentutis. *ibid.* Πρόκριτος τῆς Γερουσίας princeps Senatus. *ibid*
Promagiſtratus nomen an conueniat Proconſulibus ad aliquam Prouinciam regendam miſſis. 176
Proprætores (vide *Proconſules*) in nummis exhibiti. 178
Proprætores, æque ac Prætores, ſi eum militari imperio erant, ſex Faſcibus cum alligatis Securibus uſi. 109
Proquæſtores apud Auctores, ſed præſertim in nummis Gentium Romanarum obuii. 166
Protonobiliſſimi titulus in aula Byzantina. 358
Protriumuir Monetalis in locum demortui aut abſentis Triumuiri ſuffectus. 168
Prouinciæ captæ aut deuictæ ſignum, in nummis, Tropæum cum captiuo & ſpoliis eiusdem Gentis ad imum. 222
Prouinciarum captarum nomina in nummis Romanorum obuia. 210
Prouinciæ, tertia pars Imperii Romani, eaque maxime diffuſa. 587. quid ſit Prouincia. *ibid.* diſtinguebantur in Prouincias Populi Romani & Auguſtorum. *ibid.* Prouinciæ quæ, poſt diuiſionem ſub Auguſto factam, acceſſerunt Imperio Romano, adnumerabantur Cæſaris Prouinciis. 588. Hadriani & ſequentium Imperatorum ætate obtinuit adhuc id diſcrimen Prouinciarum. 588, 589. qui Populi Prouinciam antea Proconſul rexerat, poterat dein Legatus Auguſti Prouinciæ Cæſaris præeſſe, ac viciſſim. 589. Prouinciarum ſors aliquando ita mutata, ut modo Auguſtis, modo Populo tribuerentur. *ibid.* Prouinciarum Populi erat conditio deterior, quam Prouinciarum Cæſaris. 590, 591. Legatorum imperia fere diuturniora in Prouinciis quam Proconſulum, quæplerumque annua. *ibid.* Proconſules interdum extra ſortem lecti. 592. Prouinciæ Cæſaris *Conſulares* dictæ. 595, 611
Prouinciæ qua ratione ex Senatusconſulto cernerentur. 177. aut vero extra ordinem populi iuſſu. *ibid.*
Prouinciales egerunt ludos Votiuos pro ſalute Imperatorum, ob partas ab iis victorias, &c. 527
Prouinciarum nomina in Proprætorum nummis expreſſa. 177. carum ſors ſubinde mutata, ut nempe e Prætoriis Proconſulares ac viciſſim fierent. *ibid.* urbis primariæ Prouinciæ nomen interdum in nummis expreſſum, *ibid.* 178. Prouinciæ Armeniæ. 179. Hiſpaniæ Luſitanicæ præcipua urbs Emerita. *ibid.*
Πτεροφόροι ſpeculatores dicti. 234
Publilia Ciceronis uxor interdum male Popilia

pilia dicitur apud Auctores. 165
Puellæ Fauſtinianæ ab Antonino in honorem uxoris ſuæ Fauſtinæ inſtitutæ. 289, 543
Pueris ac puellis alimenta e publico data. 543. Ulpiani dicti iidem pueri. *ibid.* 544
Pulcritudo fuit cauſſa quosdam apud Gentiles factos fuiſſe Deos. 334
Puteal Libonis in veteri nummo. 189. ſimilior Aræ quam Tribunali aut Prætoris ſedi. *ibid.* fuit in Porticu Julia ac prope atrium Mineruæ. *ibid.* diuerſum ab eo Puteali ſub quo cotis ac nouacula Nauii auguris defoſſæ, *ibid.* quare in nummo, quo exhibetur Puteal Libonis, legatur SCRIBON. 190

Q.

QUadi a M. Antonino deuicti. 636. in eo bello pluuia Chriſtianorum precibus diuinitus delapſa. *ibid.*
Quadorum mentio frequens in rebus M. Antonini. 582. Quadi accipiebant reges ab Imperatoribus Romanis. 583
Quadrageſima a Galba remiſſa. 549, 550. erat Quadrageſima, non tantum ſummarum, de quibus litigabatur, ſed vectigal rerum aliunde aductarum. *ibid.* talis videtur Quadrageſima fuiſſe, quæ a Galba tam in Urbe quam in Italia fuit abolita. *ibid.* poſtea, Symmachi ætate, iterum perſolui ſolita. 551. ab Athenienſibus auctore Euripide recepta. *ibid.* ſed mox abolita, nec eiusdem fuit generis, cuius erat Quadrageſima a Galba remiſſa. 552
Quadrigæ Triumphales non tantum equis ſed & Elephantis iunctæ. 214. & quidem interdum cum ſeſſoribus pueris. *ibid.* primum eius rei exemplum in L. Metello, Pœnis bello Punico primo deuictis. *ibid.* ſub Cæſaribus adhibitæ Elephantorum quadrigæ trahendis ſolemnibus per Circum tenſis. 215
Quæſtores aut Tribuni Plebis facti Ædiles Curules. 150
Quæſtores iam Romæ ſub regibus inducti. 159. qua de cauſſa & quinam fuerint primum creati, diſſenſio Plutarchi ac Taciti. *ibid.* & *ſeq.* præda bello parta a Quæſtoribus vendi ſolita. 160. prolatis imperii finibus magnum fuit Quæſtorum diſcrimen. *ibid.* Quæſtores Urbani dicti, qui eo munere in Urbe fungebantur. *ibid.* eorum frequens in nummis & in inſcriptionibus mentio. *ibid.* Quæſtores Prouinciales ſolebant cum Rectoribus in Prouincias mitti. 161. in abſentia Prouinciæ Rectorum iis interdum præerant. *ibid.* 162. talis Quæſtor dictus in lapidibus antiquis *Quæſtor Propræture.* 161. erant etiam Quæſtores Prætorianorum. *ibid.* Quæſtor Proconſule in veteri nummo. 162. Quæſtores Prouincias ex Senatusconſulto ſorticbantur. *ibid.* monetæ in Prouinciis ſignandæ cura ad eos ſpectabat. *ibid.* ſella Curulis & duæ ſecures Quæſtori in nummo Nicæenſium quare tributi. 164. Quæſtoribus non fuit ius iſtius ſellæ, niſi ſi quis eorum eſſet Proconſule. *ibid.* Faſces & Lictores in Prouinciis, non item Secures habebant Quæſtores. *ibid.* Quæſtores aliquot Macedoniæ in nummis. 165. pecuniam ex Ærario acceptam in varios uſus prouinciæ erogabant. 166. *Quæſtores Candidati* in nummis quales. *ibid.* non ſortiebantur Prouincias, ſed in Senatu vacabant legendis principum literis, orationibus, &c. *ibid.*
Quatuoruiri Monetales æque ac Triumuiri. 167. a J. Cæſare inſtituti. 168
Quies Auguſtorum, Requies Optimorum Meritorum, &c. in nummis Diocletiani & Maximiani. 513
Quindecimuirale ſacerdotium Tripode & Coruis in nummis deſignatum. 135
Quindecimuirorum ſacerdotium ideo Tripode in nummis deſignatum, quia illi ſacerdotes erant Antiſtites Apollinis. 86. Cæſares etiam eo ſacerdotio ornabantur. *ibid.*
Quinquennalis, Quinquennalis Perpetuus, Quinquennalitia poteſtas. 323

R.

Ῥάβδοι tam Faſces cum illigatis Securibus quam ſine iisdem dicuntur, & Lictores Ῥαβδοῦχοι vel Ῥαβδοφόροι. 110
Ratiocinia publica ſeu Fiſcalia Conſtantiniano ſæculo dicta, quibus Tributorum modus ac ratio, &c. continebantur. 559
Rectores Prouinciarum interdum dicti Præſides Metropoleos, ut *Præſes Antiochiæ.* 611
Rectores Prouinciarum, pro ratione earundem, variis nominibus dicti. 596. apud Græcos vero communi Ἄρχοντος, Ἡγεμόνος, Ἐπάρχου, Ὑπάρχου, aut Ἐπιτάτου nomine dicti. *ibid.*
Redemptores apud Romanos dicti, qui vectigalia redimebant. 551
Reficere proprie dictum de ædificiis publicis, quæ denuo inſtaurabantur. 188
Reges Barbari vincti aut ſupplices in nummis Romanorum. 225. & quidem Perſeus, Jugurtha, Bocchus, Aretas. *ibid.* 226
Reges Francorum uſurparunt quoque Auguſti

gusti titulum. 385. dicti etiam Imperatores. 402
Reges quidam libera adhuc Republica se in Romanorum fidem ac clientelam tradidere. 575. ii se φιλορωμαίους dicebant. *ibid.* eius rei exempla etiam sub Romanis Imperatoribus. 576
Reges variarum gentium etiam sacerdotes. 416, 420
Regillensis cognomen unde Claudiis adhæserit. 48
Regnare, quod regum est proprium, usurpatur interdum pro *imperare*, quod Imperatorum siue Cæsarum est. 399
Regum nomen Romani fuerunt exosi a Tarquiniorum temporibus. 398. Græci tamen Imperatores siue Cæsares vocauerunt βασιλεῖς. 398. & Latini *Reges* Græcorum imitatione. 399
Regum quorundam insignis Liberalitas in remittendis Veteribus Reliquis. 561
Regum Romanorum nomina, quare denariis quarundam gentium inscripta. 18
Regulus, qua ratione Præfectus in veteri nummo dicatur. 118
Relaxare dictum posteriori ætate de Reliquis abolitis. 559
Releuare & *Releuatio* dicta de Indulgentia Tributorum futurorum. 554
Reliqua ab Hadriano abolita, quæ ab annis sedecim debebantur Fisco Principis ac Ærario Populi Romani. 552, 553. *Reliqua* plerumque dicta de residuis Tributorum debitis, sed tamen interdum de residuis Vectigalibus. *ibid.* 554. qua ratione *Vetera* dicantur Reliqua. *ibid.* summa Reliquorum abolitorum quam ingens fuerit. 556. erant tamen non Reliqua omnium specierum, sed tantum pecuniæ. 557. inde ea Liberalitas non mansit immunis ab obtrectatione. 558. Reliquorum tanta summa, quanta ab Hadriano fuerat remissa, nempe duorum Millionum & semis Philippæorum, unde potuerit intra sedecim annos tantum creuisse. *ibid.* *Abolita* dicuntur eadem Reliqua, quod chartæ, quibus ea continebantur, fuerint combustæ. 559. & quidem a Lictore Imperatoris iussu. *ibid.* Reliqua ab aliis etiam Imperatoribus remissa. 560. Justiniani, an singularis auaritia in non remittendis Reliquis. 561. cum Lacedæmoniorum tum Persarum reges in regni auspiciis solebant Reliqua vetera populo remittere. *ibid.*
Rescripta diuersorum Imperatorum de eadem re a veteribus Jurisconsultis uno titulo prolata. 508
Restitutoris titulus in nummis Imperatorum. 624. is primum Galbæ datus. *ibid.* Hadriani cum eo titulo nummi plures. 625, 626. idem titulus ab aliis Imperatoribus adhibitus. 626
Rex Parthis a Traiano datus, & quidem in ipsa eorum urbe regia Ctesiphonte. 580. Armeniis ab Antonino Pio & L. Vero. 581. Lazis Pacorus a Pio. 582. reges aliis gentibus ab aliis Imperatoribus dati. *ibid.*
Rhesaina Colonia a Seuero deducta in Mesopotamia. 607
Rhodii detrectarunt admittere omnium debitorum remissionem sibi a Romanis factam. 561
Rhodiis nunc libertas data utendi suis legibus, nunc adempta. 584, 585
Rhodiorum Sacerdotes consequebantur sacerdotia κατὰ γένος. 421
Roma dicta Herculia & Jouia a Maximiano & Diocletiano. 497
Roma sub Imperatoribus dicta Βασιλὶς siue Βασιλεύουσα πόλις. 401
Romæ Urbi templum in ipsa Urbe erectum. 653
Romani ex variis gentibus coaluerunt. 13
Romani Imperii in Regna, Liberas urbes, & Prouincias diuisio ad Pompeium refertur. 575. ab aliis diuiditur Romanum Imperium in *Fœderatos* & *Subiectos*. *ibid.* ea pars Romani Imperii, quæ Reges ac Dynastas in clientelam ac fidem acceptos complectebatur, permansit semper in Augustorum tutela & potestate. 577
Romani ludi per nouem dies acti. 131
Romulus, quare in nummis gentis Fabiæ, Memmiæ, & Pomponiæ depictus. 20
Rostra, tam Vetera quam Julia, in nummis. 190. sedile supra suggestum, superstructum aliquot columnis e rostris nauium in Rostris veteribus. *ibid.* inde dictum, *dicere* siue *agere e superiori loco*. *ibid.* Noua Rostra id nomen nacta, quod ea ad Palatii in Foro latus traduxerit J. Cæsar. *ibid.* e Rostris etiam Consules populum adloquebantur. *ibid.* quare Rostra Vetera conspiciantur in nummo Gentis Lolliæ. 191
Adami Ruperti laus. 5

S.

Sabina Hadriani coniux noua Ceres dicta. 288
Sabina Tranquillina Gordiani Pii uxor. 301. eius prænomen Furia. *ibid.* in Græcis nummis maxime obuia. *ibid.* 302. Furia non,

non, ut male quidam, Fruria. *ibid.* Sabina, non Sabinia. *ibid.* in nummis tamen, quanquam rariſſime, interdum dicitur Sabinia. *ibid.*
Sabinarum raptus in nummo. 290
Sabini cognomen unde quibusdam adhæſerit. 48
Sabinus ac Sabina, diuerſa apud Romanos nomina a Sabinius & Sabinia. 303
Sacerdotes ſupremi, cuiusque gentis ſacerdotibus præpoſiti. 418, 419. Sacerdos unus quandoque plurium numinum. *ibid.*
Sacerdotia apud varias gentes regibus delata. 416. apud quasdam hæreditaria. 421
Sacerdotia per aliquot Sæcula Romæ fuerunt Patritiorum & Familiarum nobiliſſimarum. 365. Auguſtus Sacerdotum numerum auxit. 366. Imperatores eum ſecuti deſtinatos Imperio ſucceſſores, etiam pueros, in Sacerdotum collegia cooptabant. *ibid.* 367. quinam dicti ſint *cooptare*, & *cooptati*. *ibid.* 368. *Cooptati ſupra numerum*. *ibid.* in plura ſimul Sacerdotum Collegia. *ibid.* libera Republica pro eximio honore habitum, ſi quis in duo Sacerdotalia Collegia cooptaretur. *ibid.* *Sacerdotiorum candidati*. 369. ætatis gratia facta etiam in libera Republica in cooptantis Sacerdotibus. *ibid.* nummi cum inſtrumentis Sacerdotalibus & nominibus filiorum Imperatorum referendi ad Sacerdotia, quæ iidem Cæſares geſſerunt. 370
Sacerdotia quarundam Gentium ſolis pueris delata. 369
Sacerdotia Viduarum aut Virginum apud Gentiles. 275. apud Romanos adſumpta a Conſecratorum filiis aut propinquis. *ibid.* Sacerdotia apud eosdem ad feminas translata. 276
Sacri elogium in nummis Prouinciarum datur Senatui & Populo Romano. 590
Sæculares ludi in honorem Apollinis & Dianæ acti. 124, 126. quando primum iſti ludi fuerint editi. 125. nummi Auguſtæi ævi ad iſtos ludos reſpicientes. *ibid.* quo apparatu & quomodo acti. *ibid.* & *ſeq.* bos Joui immolatus Ludis Sæcularibus. 128
Saliæ virgines, quæ Saliis ſacra facientibus, ubi opus erat, præſto erant. 276
Salluſtia Barbia Orbiana Alexandri Seueri coniux. 299. male habita Traiani Decii uxor. *ibid.* 300. quæ aliis nominibus præterea ornata fuiſſe legitur. *ibid.*
Salluſtia Barbia Orbiana Hoſtiliani uxor. 304. forſan prioris filia vel neptis. *ibid.*
Salonina Gallieni coniux raro cognomine Chryſogone dicta. 306
Saloninæ Gallieni coniugis auunculus, an fuerit Marinus vix notus Imperator. 254
Saloninus ita a matre Salonina dictus, nusquam vero Gallicnus patris nomine. 259
Salutis Ædes, a quo reſtituta. 15
Samaria nomen regionis, & urbis, quæ poſtea Sebaſte eſt dicta. 605. ac Neapolis. *ibid.*
Sangus Sabinorum Deus in nummis. 13
Sarmatarum nomine interdum deſignantur gentes Sarmatis vicinæ. 636
Saturnius proximis Probo temporibus Tyrannus in nummis. 264
Sauromatæ, reges Boſpori ſeu Iberiæ, cum Eupatoris cognomine in quorundam Imperatorum Romanorum nummis. 576
Schemata dicta figuræ impudicæ. 522
Scipio Africanus Jouis filius creditus. 14
Scipio eburneus a Triumphantibus geſtari ſolitus. 216. Origo iſtius rei a Regibus apud Græcos ac Barbaros arceſſenda. *ibid.*
Scipio & Faſces utrique Conſuli a Senatu dabantur. 92
Scipio, Serapio dictus, an ex Africanorum familia. 63
Scipiones Africani an *Magni* ſint cognominati. 67
Scipioni Africano perpetuus conſulatus oblatus. 454
Scipionis Naſicæ ſtatuæ inſcriptum tantum nomen Cenſoris. 477
Scipionum nomen unde ortum. 76
Σεβασμοῦ τυγχάνειν pro conſecrari. 371
Σεβαστικοὶ, quinam inter Pythagoræ diſcipulos fuerint. 371
Σεβαστὸς ſequiori Cæſarum ætate nomen diuerſum a principis faſtigio. 384. Σεβάζεσθαι dictum a recentioribus Græcis pro Auguſtum vel Auguſtam nuncupari. *ibid.* varia itidem compoſita vocis Σεβαστὸς adhibita, ut Παντοσεβαστὸς, Πρωτοσεβαστὸς, &c. *ibid.*
Secures Dictatori prælatæ tum in Urbe tum extra eam. 172. & quidem numero viginti quatuor. *ibid.* quot etiam præferebantur ambobus conſulibus, ſi ambos unà prodire contigerat. 173
Secures dicuntur tam proprie dictæ Secures, quam Faſces magiſtratuum, quibus etant Secures adligatæ. 110
Seleucidarum & Lagidarum nomina parum decora. 60
Sella regia in magno honore habita etiam poſt regis mortem. 209
Sella Curulis a Magiſtratibus, quibus iſtius

Sellæ ius erat, una cum reliquis dignitatis insignibus in Prouincias delata. 164. Muneris loco regibus interdum missa Sella Curulis. *ibid.*
Sella Curulis in nummis expressa ad designandum consulare fastigium. 87. Quæstoriis Comitiis in Campo Martio Consuli posita. *ibid.* Ἀγκυλόποδες. *ibid.* ex ebore factæ. *ibid.* ius Sellæ Curulis ad alios deinde magistratus quoque translatum. 88
Sellæ Curules vel absentibus vel mortuis in Theatris ac in Templis collocabantur. 208. origo eius rei ex honore προεδρίας ac a simili honore Diis habito. 209. non solum sellæ eiusmodi Cæsaribus mortuis aut absentibus, sed etiam eorum Coniugibus, liberis, &c. positæ in Theatris. *ibid.* non una uni, sed plures dein sellæ uni in Theatris tributæ. *ibid.* atque etiam in Templis. *ibid.* mos ille viderur repetitus ex illustrium virorum funeribus in veteri Rep. *ibid.* Sella Curulis inter insignia dona bene meritis regibus a Senatu Romano missa. *ibid.* quod primum factum est iam tempore Porsenæ. 210. Reges, qui tales a Senatu sellas acceperant, soliti iis insidentes ius dicere. *ibid.* Θρόνος ἐλεφάντινος a Græcis Sella Curulis dicta. *ibid.*
Semper-Augusti sequiori æuo Imperatores dicti. 384, 385.
Senatum conuocandi facultatem habuerunt etiam Tribuni plebis. 429
Senatus conferebat honores vel titulos, quibus Augusti vel eorum liberi ornabantur. 369
Sepphoris Αὐτοκρατορὶς totius Galilææ dicta. 401
Septemuiri Epulonum dignitate proximi Auguribus. 85. Eius sacerdotii memoria in nummis expressa. *ibid.*
Serapionis cognomen, unde Scipioni impositum. 62. Antonio idem in opprobrium datum. 63. Serapion poëta. *ibid.*
Seruator Orbis, qui titulus Christo conueniebat, in Græco nummo dictus Nero. 500
Seruii Prænomen peculiare genti Sulpiciæ. 27. ac loco gentilis nominis positum. *ibid.*
Setuilii Cascæ inter interfectores Cæsaris, an in singulari quodam nummo compareant. 148, 149
Seruiliorum varia cognomina. 47
Seruilius Ahala interficiens Spurium Mælium adfectati regni suspectum, in nummis. 227
Seruius rex in nummo gentis Tulliæ. 17 eius statua in æde Fortunæ. 21
Seuerus ac filii varias colonias deduxerunt. 607
Seueri aduentus in Urbem. 622
Seuerus an recusauerit Parthici cognomen. 503
Seuerus quare Imperator factus Pertinacis nomen adsumpserit. 508
Seuerus ad Imperium adscitus accepit Pertinacis nomen amore boni Principis. 449
Seuerus Archontius Vopisci male cum alio cognomine confusus. 263
Seuerus Hostilianus vix notus Imperator post Gordianum Pium in nummo quodam conspicuus. 253
Seuiri Turmis equitum Romanorum dicti in libera Republica Principes Iuuentutis. 360
Sicilia fuit Prouincia Prætoria. 177
Sidon a Romanis frequentata colonia. 609, 610
Signa Legionum in nummis obuia. 231. *& seq.* Hastatorum & Principum signa in nummis expressa per H. & P. *ibid.* non cum manipulo fœni, sed cum exiguis in summitate clypeis. *ibid.* in quibus Deorum ac Cæsarum imagines pictæ. *ibid.* discrimen aliquot inter signa militaria. 237
Signa militaria a Parthis Crasso & Antonio adempta, Augusto vero restituta, obuia in nummis. 204, 207. quibus symbolis id in nummis designetur. 204. Tiberio in Armeniam misso tradita. 207. Signa in Variana clade a Germanis capta fuere recepta a Gemanico. *ibid.* Domitianus voluit videri signa a Sarmatis recepisse. 208. signa ea a se fuisse recepta Augustus semper magni Triumphi loco habuit. 217
Signifer pro primo ordinis ductore. 364. inde *signifer seditionis*. 365
Silanus in Antiochensium nummis, quis fuerit. 80
Singara colonia non solum Septimia, sed insuper Aurelia nuncupata. 607. quibus Symbolis urbs ista in nummis exprimatur. *ibid.*
Singulator, Μόνιππος. 133
Sinopenses Ponti, Colonia Romanorum. 601. antea fuerant Colonia Milesiorum. *ibid.*
Σίταρχος apud Phigalenses Arcadas dictus annonæ Præfectus. 155
Σιτῶναι Athenis dicti, quibus delatum munus coëmendi frumenti. 155. Σιτηγία erat dicta transuectio coëmpti frumenti. *ibid.*

Smyr-

Smyrna erat una ex liberis Asiæ urbibus. 586
Smyrnæi Athenienſium coloni. 617
Sol quatenus Dominus Imperii Romani poſſit dici. 485
Sorores dictæ urbes Concordiâ inter ſe junctæ. 617
Sorores Imperatorum, in nummis Auguſtæ dictæ. 271
Σωτῆρος cognomen Neroni datum ab Ægyptiis. 500. Traianus ita in nummis dictus. *ibid.* Theodoſio Magno inter alia Cognomina tribuebatur illud Σωτῆρος. *ibid.*
Speculatores in Antonii exercitu ex numero equitum. 233. eorum Cohors. *ibid.* Legio Speculator, Schola Speculatorum Legionum I. & II. in veteribus inſcriptionibus. *ibid.* 234. Speculatores inter Cuſtodes corporis Othonis. *ibid.* lancea erant armati. *ibid.* celeriter iuſſa exſequebantur. *ibid.* vilior habita Speculatorum militia. *ibid.* Carnificum vicem interdum præſtiterunt. *ibid.* non differunt inter ſe Speculatores & Exploratores. 235, 236, 237. Signa militaria Cohortis Speculatorum in nummo. *ibid.* an ea Cohors conſtaret ex Legionariis. 238
Splendidiſſimæ dictæ nobiliores in Romano Orbe Coloniæ. 610
Spolia Opima ferebat in Curru Triumphans. 224. quæ poſtea dedicabantur in æde Jouis Feretrii. *ibid.* bis tantum Spolia Opima, præter Romulum de Acrone, relata. *ibid.* in nummis expreſſa. *ibid.* & quidem Coſſi de Veientium, ac Marcelli de Viridomaro Gallorum rege. *ibid.* Opima Spolia nihil aliud fuere quam Tropæum e quercus ſtipite erectum. 225
Sponius a conuentu Eruditorum Pariſiis inſtituto iuſſus res geſtas Commodi e nummis illuſtrare, ſed morte præventus id penſum non abſoluit. 517
Stellæ cum Luna bicorni in nummis indicant ludos Sæculares. 126
Stercorei dicti homines glorioſi. 192
Stilico *Dominus* dictus. 486
Stobi Ciuitas Macedoniæ Colonia Romanorum. 601
Strabonum cognomen, unde ortum. 60
Στρατηγοὶ dicti omnes, quibus ſumma alicuius belli gerendi committebatur. 181
Sub Armis, locutio uſitata æuo Theodoſiano. 318
Suggeſtu, pro Suggeſtu, de Suggeſtu, &c. de Imperatore ſtante in Tribunali & adlocuturo milites dictum. 628
Sulla, cur Felix fuerit cognomine dictus. 72 etiam Epaphroditus. 73, 74
Σύνδρομος θεῶν dictus Philippus Macedo. 334. quæ dignitas erat maior quam ſi quis Deorum πάρεδρος dicebatur. *ibid.*
Σύνναοι, Σύμβωμοι, Σύνεδροι, Σύνδρομοι, dicti Dii, quibus communia *Templa*, *Aræ*, *Statuæ* aut *Sedes*. 130
Suouetaurilia, ſiue Solitaurilia, erant ſacrum luſtrale, & quidem præſertim ubi Cenſores luſtrum condebant. 101
Supernumerarii milites. 368
Supra numerum adlectus, *cooptatus*, &c. 368
Surdini cognomen in gente Nævia, an apud Auctores reperiatur. 45
Syluanus Conſtantii ætate Tyrannus imperium Agrippinæ arripuit. 267
Syrorum nomina *Mama*, *Mamianus*, *Mamon*. 299

T.

T. litera ſubſcripta veteribus Senatusconſultis ſignificabat ita quoque Tribunos ſenſiſſe. 211
Tabellæ impudicæ thalamis adpenſæ. 522
Tabellæ populo interdum in ſuffragiis ferendis datæ. 199. inſcriptæ iis A. C. *ibid.* aut V. R. *ibid.* aut L. D. *ibid.* etiam in tertia tabella P. vel M. ad *Pecuniam* vel *Mulctam* deſignandam. 200
Tabellaria Lex in nummis exhibetur. 198
Tabularii, qui publicas ciuitatum rationes tractabant. 550, 556
Ταμεῖον a Græcis dicitur de Fiſco principis. 574
Tarpeia clypeis Sabinorum obruta in quodam Tituriæ Gentis nummo. 227
Tarquitius Priſcus Bithyniæ proconſul in nummis Nicomedienſium. 593
T. Tarius Sabinorum rex in nummis. 13
Taurorum venatio an Romæ primum exhibita a J. Cæſare. 137
Tempeſtas quid proprie ſignificet. 251
Templa communia qua ratione dicta. 129, 130
Templa Deorum erecta aut refecta ab Imperatoribus. 527
Templum Dianæ in monte Auentino, qua ratione dictum fuerit commune. 129, 144. quo modo etiam Palatini Apollinis templum Dianæ commune. 130
Templum Jouis Capitolini, ſiue cella eius Dei in eo templo, in ſingulari Vitellii nummo. 644. plerumque templa in nummis comparent clauſa. 645. varia Jouis templa. *ibid.* Templum Martis Armigeri. 646. Herculis Victoris. *ibid.* Templorum faſtigia frequenter in nummis ornata aquilis, & inde a Græcis dicta ἀετοὶ

& ἀετώματα. *ibid.* Templa Æsculapii, Matris Deûm, Junonis Salutaris, &c. 647. Templa non solum Diis Cœlestibus, sed & Clementiæ, Concordiæ, Paci, &c. erecta. *ibid.* Templa etiam ipsis Imperatoribus dicata. 649. & eorum Saluti, Memoriæ, &c. 650. iis frequenter in Prouinciis templa erecta. *ibid.* &c. Templa *pucnostyla.* 652. Urbi Romæ templum erectum. 653. Sacrum Seruatoris sepulcrum templo ornatum. 654

Templum Vestæ in nummis cum additis literis A. C. 198, 199

Testamentis nomina mutari iussa. 273

Terentia gens e Lucanis Romam transiit. 21

Theodora Maxima altera coniux Constantii Chlori. 312. Herculii Maximiani filia. *ibid.*

Θεοὶ νέοι siue καινοὶ. 490

Θήκη & Θηκάω faciunt composita Ὀνοματοθήκας, Ὀρνιθοθήκας, Φυγαδοθήκας, &c. 338

Theseus in nummis Nicæensium. 163

Thracia erat una ex Prouinciis Cæsaris. 588

Thracia sub Vespasiano demum in Prouinciæ formam redacta. 597

Thracum reges in nummis Neronis, tanquam eius maiestatis cultores. 577

Θρόνος ἐλεφάντινος sella Curulis a Græcis dicta. 210

Θύειν γάμους, significat *sacra nuptialia celebrare.* 292

Thurini cognomen, cuius fuerit. 34

Tiberio ac Senatui templa erecta. 651

Tiberius *caput Reipublicæ* dictus. 413

Tiberius duodecim Asiæ ciuitates nocturno terræ motu collapsas restituit. 624

Tiberius Patris Patriæ nomen recusauit. 446

Tiberius quam ob caussam Cæsaris nomen tulerit. 643

Tiberius Tyrannus Constantinianeo æuo. 267

Titiana Pertinacis uxor in nummis. 293
an ea sit Augusta appellata. *ibid.*

Tituria gens e Sabinis orta. 13

Toga picta, proprie dicta Vestis Triumphalis. 216

Torquati in gente Manlia, unde dicti. 76

Traiani Imperatoris uxor, soror, ac filia in nummis. 288

Traiani in Urbem aduentus. 621, 622

Traiani patres, naturalis scilicet ac adoptiuus, relati in Diuos. 328

Traiani varia Opera, ut Circus, Portus, Forum, Basilica, Aqua, &c. in nummis expressa. 653

Traianus alimentarios pueros ac puellas primum ad frumentationem admisit gratia ætatis iis facta. 289, 542, 543

Traianus instituit Legionem trigesimam, quæ ab eo *Vlpia* fuit dicta. 633

Tribunal, ex quo Imperatores alloquebantur milites, plerumque factum e viridi cespite. 629

Tribuni militum Consulari potestate. 174
in nummis occurrunt signati. *ibid.*

Tribuni Plebis etiam sub Imperatoribus. 425. differentia inter eos & Imperatorum Tribunitiam potestatem. 427. & *seq.*

Tribuni vacantes in exercitibus Romanorum. 632

Tribunitiæ Potestatis vocabulum ab Augusto repertum. 424. a Potestatis Tribunitiæ initio Augusti numerarunt annos Imperii sui. 425, 426. subinde renouata & cum successoribus imperii communicata. *ibid.* plures interdum anni Tribunitiæ Potestatis in nummis adscripti Imperatoribus quam anni Imperii Augustei. *ibid.* obliterata fere eiusdem Potestatis mentio post tempora Valeriani & Gallieni. 427. quæ sit differentia & quod ius Tribunitiæ Potestatis ac Tribuni Plebis. *ibid.* 428, 429. Imperatores ista potestate Sactosancti fiebant & inuiolabiles. *ibid.* Senatum Tribunitiæ potestatis consortes conuocabant quoties volebant. *ibid.* Tribunitia potestas, an fuerit gemina, altera scilicet in Exercitu, altera in Prouinciis in rebus ciuilibus. 430. quo tempore anni Tribunitia Potestas solebat conferri non una virorum doctorum sententia. 432, 433. ipsa susceptæ Imperii die inita Tribunitia potestas ac quotannis renouata. 434

Tributa interdum ab Imperatoribus in certum tempus remissa. 555. Ærario siue Fisco persoluta non tantum constabant ex Auro, Argento, Ære signatis, sed etiam ex speciebus, ut ex tritico & metallis. 557

Tripus ad aliquod sacerdotium designandum in nummis Romanis exhibitus. 135

Tristanus licet optime meritus de nummis veteribus, aliquando tamen nimium indulget ingenio. 260

Triumphalia ornamenta in quodam Augusti nummo. 216, 217. ad quam rem primum inducta. *ibid.*

Triumphantis Currum sequebantur ipsius Filii & viri alii illustres. 223

Triumphi expressi in nummis Familiarum Romanarum. 211. summam e Triumphis

phis laudem captabant illustres Romani. *ibid.* Viri Triumphales a condita Urbe usque ad Claudii principatum in Tabulis Capitolinis ordine designati. *ibid.* quibus Symbolis designentur Triumphi in nummis. *ibid.* exempla aliquot Triumphorum in nummis. 212, 213. singularis Fausti Sullæ nummus, an quatuor diuersos Triumphos indicet. *ibid.* Triumphales quadrigæ non equis tantum, sed Elephantis iunctæ. 214. Triumphalia ornamenta in quodam Augusti nummo. 215

Triumpi Dei effigies expressa in nummis, qui insignem aliquem Triumphum exhibent. 211. Comatus Apollinis instar. *ibid.* non tamen ad Apollinem, sed ad Bacchum eius referenda effigies. 212

Triumuiri ædibus reficiendis. 14, 15

Triumuiri capitales habebant ius sumendi supplicii de capitis damnatis. 113

Triumuiri Monetales vacabant monetæ ex omni metallo cudendæ. 167. interdum *Quatuoruiri*, interdum vero *Curatores* dicti. *ibid.* quibus symbolis designentur in nummis. 168. Triumuiro Monetali mortuo aut absente in eius locum Protriumuir sufficiebatur. *ibid.* Triumuiri monetarii mentio occurrit adhuc sub Imp. Gordiano. 169

Triumuirorum Reipublicæ constituendæ potestas obtentu tollendarum Ciuilium dissensionum inducta. 173. ad exemplum Sullæ renouata ab iis proscriptio. *ibid.* *Tricipitina* potestas ea a Varrone dicta. *ibid.*

Troiæ ludus solebat a patritiis & nobilissimis pueris peragi. 363. in nummis designatus. *ibid.*

Tropæa cum aliis militaribus insignibus in nummis obuia. 220. & cum captiuis genuflexis. *ibid.* plura interdum Tropæa in uno nummo obuia. *ibid.* Prouinciæ captæ aut deuictæ symbolum Tropæum cum captiuo & spoliis. 222

Tropæa tria signo L. Sullæ insculpta. 74

Τροπαιοφόρος, Veneris cognomen. *ibid.*

Τροπαιοῦχοι dicti Imperatores sequiori æuo. 225

Trossuli antiquitus equites dicti. 360

Tuditani cognomen in gente Sempronia. 46

Turdus cognomen gentis Papiriæ. 44

Tusculum a Veliternorum obsidione liberatum, an ea res nummo signata. 227

Tyranni XXX. exorti temporibus Valeriani & Gallieni. 259. & *seq.* paucis admodum exceptis in nummis veteribus obuii. *ibid.* eo nomine dicuntur tumultuarii quidam Cæsares. *ibid.* quorundam ætas incerta. 261. Tyranni, qui tempore Aureliani vixerunt. 262, 263. alii, Carini & Numeriani ætate. 264. & sequutis temporibus. 265. Tyranni tres sub Magno Theodosio. 267

Tyrannorum, qui Gallieni temporibus sunt exorti, coniuges in nummis. 307. eædem *Tyrannæ* vel *Tyrannides* dictæ. *ibid.*

Tyrus a Romanis frequentata colonia. 609, 610. *Splendidissimæ* ac a Græcis λαμπροτάτης Coloniæ nomine designatur. *ibid.* Ὑπατικὴ qua ratione sit dicta. 611, 612

V.

VAballathi diadematum in nummis caput. 389

Vaballathus, seu potius Vhaballatus, Imperator in numnis obuius. 260. prænomine dictus fuit Hermias. *ibid.* fueritne Herodiani filius & Odenathi nepos. *ibid.*

Vacca Numidiæ oppidum, ac ibi forum rerum venalium celebre. 631. an inde in nummo dicatur *Exercitus Vac.* *ibid.* alia urbs eiusdem nominis ad montes Pyrenæos. *ibid.*

Vaillantii laus. 599

Valens Hostilianus vix aliunde notus Imperator in nummis. 255. fuit Collega Treboniani Galli in Imperio. 256. an Decii Valens fuerit gener an vero filius. *ibid.* post Decii morrem, a Gallo Hostilianus continuo fuit adopratus. *ibid.* potius videtur Decii gener fuisse quam filius. 257. Petauius Hostilianum confudit cum Gallo, & eos pro uno eodemque habuit. 258

Valens Licinianus sub Philippis tyrannus non obuius in nummis. 254

Valeriani tres obuii in nummis. 259

Valerianus adhuc priuarus Censor. 479

Valeriorum varia cognomina. 47

Valerii cognomine Maximi. 72. quare ita dicti. *ibid.*

Valerianus Junior, an Cæsar tantum vel etiam Augustus fuerit declaratus. 258. in nummis aliquot dicitur Augustus. *ibid.*

Valetudinis Ædes, a quo restituta. 15

Vallum Romanorum in quodam nummo Numoniæ gentis. 228. Romanus miles solebat præter arma vallum ferre. *ibid.* diuersis vallis Romani & Græci utebantur. *ibid.* Vallus interdum *fudes* dictus. *ibid.* Vallus & Vallum ita differebant, ut Vallum fuerit compositum ex pluribus Vallis. *ibid.* 229. Vallum munieba-

tur adgesto aggere seu cespitibus. *ibid.*
Uberitas in nummis pro *Ubertas*. 529, 536
Vectigal seu portorium non tantum Quadragesima, Centesima, aut Quinquagesima, sed etiam Vicesima dictum. 551
Vectigalia solebant locari a Censoribus & postea a Cæsaribus. 481
Vehiculatio consistebat in Vehiculis & Animalibus ad cursus publici, nonnunquam & priuati, per Italiam usus. 562. origo istius rei arcessenda a consuetudine Magistratuum ad Exercitus & Prouincias proficiscentium. *ibid.* ab Augusto dein, quo melius nosceret Prouinciarum statum, vehicula per vias publicas dispositа. 563. postea per cursum publicum Imperatores non tantum fiebant certiores de seditionibus aut hostium irruptionibus, sed eo modo annua vectigalia adportabantur. *ibid.* in eam rem stabula multis locis erecta. 563. *Vehicularius cursus* non distinguendus a *cursu publico*. *ibid.* 564. Seuerus Vehicularium munus a priuatis ad Fiscum traduxit. 565 quomodo Nerua dicendus sit remisisse Vehiculationem Italiæ. 566, 569. cursus Fiscalis seu publicus tantum institutus in viis publicis seu regiis non in militaribus. 567. Vehicularis rei onus ab Hadriano ad Fiscum traductum. 567. quum id antea sustinerent Magistratus Municipales extra Italiam. *ibid.* 568. tenebantur tamen postea prouinciales onera & impensas eo nomine Fisco præstare. *ibid.* Antoninus Pius quomodo subleuauerit eursum Fiscalem. *ibid.* Seueri in ea re indulgentia non fuit uniuersalis. *ibid.* Prouinciales postea rem suam priuatam auxerunt alendis equis, & suppeditando commeatus Stabulariis. 569. Mulorum seu mularum præcipuus in Vehiculatione usus. *ibid.* 570. præter solita animalia, ut Equos, Boues, Mulas, etiam in Ægypto & reliquo Oriente Asini adhibiti ac Cameli. 570
Veneris Cloacinæ simulacrum in Comitio. 191
Venationes Ludis Apollinaribus exhibitæ. 136. primum in Circo, deinde in Theatro ad id exstructo, quod Θέατρον κυνηγετικὸν vocant Græci. *ibid.* sequebantur post alios ludos. 139
Venedeni & *Venedi* gentes diuersæ, nec confundendæ. 504
Veneia, nomen Familiæ. 7
Veneri nummus datus ab initiatis in mysteriis Veneris. 522
Venus Γεφυραιοφόρος dicta in Veteri Epigrammate. 225
Venustus, cognomen in Fastis Capitolinis. 74
Veredi dicti a rhedis vehendis. 564
Verus dictus M. Antoninus nomine paterno. 339. filium habuit itidem Verum dictum. *ibid.* 340
L. Verus in Fastis etiam Antoninus dicitur. 506
Vespasiano ac Tito unde quæsitum nomen Cæsaris. 351
Vespasianus ac filii varias Colonias deduxerunt. 603
Vespasianus in Inscriptionibus Veteribus Censor dictus. 474
Vetranio collega Constantii in imperio. 267
Vettia gens e Sabinis orta. 13
Vexillis maioribus videtur nomen exercitus una cum Imperatoris nomine fuisse adscriptum. 632
Viarum faciendarum cura Censoribus incubuit. 474
Viarum Restitutarum memoria aliquot nummis consignata. 193. Augusto columna erecta ob Vias munitas. 194. Tiberio solemnis inscriptio dicata ob Vias circa Salonem munitas. *ibid.* publicis impensis Viæ publicæ olim munitæ. *ibid.* subinde etiam Imperatorum ac Priuatorum impensis. *ibid.* 195. Traianus intra Urbem Viam strauit. *ibid.* Statuæ etiam & Arcus in memoriam Viarum munitarum erecti. *ibid.*
Vibia gens e Sicilia oriunda. 14
Vibrania, nomen Familiæ. 7
Vicesima, vectigal siue portorium ita dictum, non erat unius generis. 551. erat enim etiam Hæreditatum, & eorum qui manumittebantur. *ibid.* Vicesimam certo pretio redimebant Publicani. *ibid.*
Victoria quibus symbolis designetur in nummis Romanorum. 210
Victoriæ Augustorum in ipsorum nummis signatæ. 634. quibus symbolis sint expressæ. *ibid.* *Victoria Germanica* in variis nummis obuia. 634. *Victoria Parthica*. 635. *Victoria Carpica*. *ibid.* *Victoria Gothica*. *ibid.* *Victoria Sarmatica*. 636
Victoriæ humeris in cœlum ferri est signum Consecrationis. 654
Villa Publica prope Septa Comitii in Campo Martio. 192. eadem in veteri nummo expressa. *ibid.* fuit ea primum ad Censum agendum, deinde ad Legatos hostium excipiendos instituta. *ibid.*
Viminiacum colonia in Mœsia sub Gordiano deducta. 613

M. Vinicius Germanici gener. 323
Virtus Imperatorum in nummis expressa significat fortitudinem. 627. quibus Symbolis exprimatur. *ibid. Virtus Militum, Exercitus*, &c. 632
Vitellii aliquot nummi in urbe cusi. 409, 410
Vitellii, an cognomen habuerint. 58
Vitellii liberi in nummis obuii, ut proinde is non fuerit ἄπαις. 326, 327. filiam habuit patri superstitem, cuius nuptias ambierit Otho. *ibid.* Vespasianus eam postea splendidissime maritauit & dotauit. *ibid.* Filius Vitellii breui post patrem interfectus. *ibid.*
Vitellius an dictus fuerit Cæsar disquisitum. 350. Germanicus fuit appellatus. *ibid.*
Vitellius cum Germanici cognomine in nummo singulari. 643
Vitellius Quindecimuir Sacris Faciundis. 369
L. Vitellius, Vitellii Imperatoris pater, cum Claudio Censuram egit. 475
Vitis erat insigne Centurionum. 230. inde *Vitis* positum pro Centurionatu. *ibid.*
Vituli cognomen in diuersis gentibus. 61
Ulysses in gentis Mamiliæ nummis. 15
Volusus prænomen & cognomen in gente Valeria. 35
Vota Nuptialia pro felici nuptiarum successu suscepta. 292
Vota pro salute Reipublicæ a principibus nuncupata. 525. idque varia occasione. *ibid.* exemplo Consulum in veteri Rep. 526
Votiui Ludi a Prætoribus editi. 140. quales fuerint Ludi Votiui. 141. qua de caussa plerumque editi. *ibid. Votiua Editio, Votiua Functio, Votiua Largitas*, &c. quid sequiori Cæsarum æuo significent. *ibid.*
Vrbanus Canon & *Vrbicanus* posteriori ætate appellata illatio Frumenti Publici in Urbem. 541
Urbes Imperatorum regiæ, dictæ Felicis elogio. 443. etiam urbes a Romanis restitutæ. *ibid.*
Urbes in Imperio Romano suis legibus utentes, quales fuerint. 584. non omnes tamen eodem iure usæ. *ibid.*
Urbes ipsæ dictæ ex dignitate Rectoris, qui illis præerat; ita Roma ac Constantinopolis Βασιλίδες, seu Βασιλεύουσαι dictæ. 611
Urbium Romani Orbis inter se Communio & Concordia in Cæsarianis nummis consignata. 614. æmulationis inter quasdam Urbes exempla. *ibid.* varii generis Concordia fuit quarundam urbium inter se. 615. Concordiæ quarundam ciuitatum exempla iam in conuentu Ionum ad templum Dianæ Ephesinæ. *ibid.* 616. itidem sub Cæsaribus, præsertim in Asiæ Proconsularis urbibus, Concordiæ exempla. *ibid.* quæ caussa fuerit eiusmodi inter urbes sancitæ Concordiæ. 616, 617, 618. tales urbes *Sorores* dictæ. 617. urbes etiam longius dissitæ inter se eiusmodi Concordiam inibant. *ibid.* præcipue talis Concordia ab Urbibus sancita ob communionem sacrorum, aut ius hospitii ac ciuitatis. 618. ut & propter ius commercii aut mutua inter ciues istarum urbium connubia. *ibid.*
Urbium studium in imponendis sibi, seu adoptandis, Imperatorum nominibus mansit adhuc æuo Constantiniano. 614
Vrbs Domina, dictum de Roma. 488
Vti Rogas, de lege a Magistratu rogata & accepta solita formula. 199
Utica, Colonia dicitur in nummis. 603
Uxores apud Romanos *Dominæ* appellatæ. 487

Z.

Z. litera interdum posita pro *Di*, ut *Zacones* pro *Diacones*, *Zabolus* pro *Diabolus*. 582
Zenobia Augustæ titulo fuit ornata in eius nummis. 307
Zenobia imperavit filiorum nomine. 260
Zosimo quanta fides sit tribuenda. 246. an etrauerit in nummero Gordianorum. *ibid.* 249

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA, seu potius vitia Autographi non animaduersa. *Pag.* 7, *lin.* 34. nomina sunt *leg.* nomina ostentant 18, 4 *a fine* unam feminam *l.* unam filiam 24 *in marg.* Auibus *l.* Nubibus vl. 65. 28, 5 *a fine* alterum LUCII *l.* alterum cum LUCII 37, 26. qui *l.* quæ 50, 6. omisso omni *l.* omisso cognomine 79, *lin. penul. dele* nummi 88, 13. ὑπατικαὶ *ibid. lin. penult.* CINNA 94, 8 *a fine* ΒΑΣΙΛΕΙΣ 106, 24 *dele* haud 111, 25 indictosque *forte melius* inductosque 115, 17 Mauritaniam, obtinuerit *l.* Mauritaniam, ius obtinuerit. 157. *in marg. l.* De Plebis Curulibus 189, 38 quid hic *l.* quid 265, 39 titulis, euincunt *l.* titulis defecisse, euincunt 271, 8 *a fine* Tristanus, in Excerptis *l.* Tristanus, legitur in Excerptis 309, 6 *Clodio Proclo l. Clodio Aur. Proclo* 400, 19. *Galilææ* 417, 15 *Asiarcha* 563, 10 sublatum *melius* ablatum *ibid. lin.* 6 *a fine* ΟΝΟΜΑΖΟΝΤΑΙ 522, 29 Αφροδισιων 526, 20 Liuius 581, 2 Parthamasiridi *ibid.* 17 Arsacida 618, 25 ἰσοπολιτειαν 634, 18, 19 ΝΕΙΚΗ.

SPECIAL
Folio
67 B
21617
v. 2
GETTY CENTER